2. 1. 131

2 N. 1

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A.R.P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS XIV.

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.^mi P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA
Ord.Min.Scriptoris & Ex-Generalis, S.& U. Inquiſ.Conſultoris, S.C. Conſiſtor.Vot. Epiſcop. Examinat. Regiæ Academiæ Luſitanæ Socii, in Romana Sapientia Cenſoris, atque in Ciſmontana Familia Viſitat. & Reformat. Apoſt. &c.



ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXV. *Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

SANCTISSIMO
D. N. D.
CLEMENTI XII.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM



EOs *Pontifices ſuperiorum temporum memoria proditum eſt præſtanti pietate, ac religione fuiſſe*, BEATISSIME PATER, *qui Dei templa, in quibus ille præcipuo quodam præſentiæ modo intereſſe puta-*

Digitized by Google

tur, tum exquiſitiore opera, & ſumtu ædificanda, tum elegantia, & ornatu majore perpolienda curaverunt. Quod cum animo reputarem, cernerem que Lateranenſem Baſilicam, Chriſtiani nominis Eccleſiarum parentem, ac principem, magnificentiſſimi operis admiratione defixus, Te illius auctorem, effectoremque iis virtutibus longe præcellere, atque ob eam cauſam immortales Tibi gratias non ſolum a populo Romano, ſed ab omnibus plane gentibus, quæ Chriſtum colunt, agendas eſſe, & habendas exiſtimavi. Quid enim ad gloriam Dei Optimi Maximi amplificandam utilius, quam a ſacrorum antiſtite, ac religionis cuſtode ad templum illud perficiendum opes conferri, in quo cum omnia Eccleſiæ myſteria, ritusque ſanctiſſimi ſtatis temporibus celebrantur, tum antiqui Pontifices Sedem imperii collocaverunt, unde ad bene, beateque vivendum diſciplinæ leges peterentur, & ad placandum Numen peccatis offenſum ſaluberrimæ expiationes,

ac

ac divinitus conſtituta præſidia in orbem manarent? Quid autem admirabilius, quam CLEMENTEM XII. *diſtrictum occupatione perpetua Urbis ornandæ, qui Sancti Joannis templum, Florentinorum ſocietati attributum, qui alia complura Divorum fana ingenti ſumtu exædificavit, ita nihil parcere vel materiæ, vel operæ in Lateranenſi Baſilica, ut ſi multi Pontifices id efficere voluiſſent, non eum modo ſuperare, atque vincere, ſed ne æquare quidem certe potuiſſent? Itaque non modo cives Romani, ſed etiam exteri homines magnopere gaudent, ad hanc ætatem Dei beneficio ſe perveniſſe, ut iſta pietatis, ac religionis tuæ præclara munera inſpectarent. Ego vero* BEATISSIME PATER, *pro ſingulari ſtudio, atque obſervantia erga Te mea gratulor etiam Tibi de tam mirifica ædificatione Tua; ex qua non dubito quin & magnam voluptatem capias, capturuſque ſis, quandiu vixeris; & multum cum gratiæ, ac benevolentiæ apud Deum,*

& cœ-

& cœlites, quam virtus egregia ſibi conciliat, tum claritatis apud omnes, qui nunc ſunt, homines, & apud poſteros quoque Tibi pepereris: qui cum illa intuebuntur, Te ament, multiſque laudibus efferant neceſſe eſt, ſi modo erunt ipſi digni, qui homines appellari poſſint.

ERU-

ERUDITO LECTORI.

QUI quartumdecimum hujus operis Volumen ſupra conſtitutam ſocietatis legibus magnitudinem excreviſſe animadvertis, agnoſcas in eo velim liberalitatem noſtram, qua una inducti, duo volumina molis ejuſdem, quæ ad operis abſolutionem edenda ſuperſunt, deinceps dabimus.

REIM-

Google

REIMPRIMATVR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATVR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AN-

Digitized by Google

ANNALES MINORUM.

Anno Christi 1472.	Sixti IV. an. 1. & 2.	Friderici III. Imp. anno 33.	Religionis Minorum anno 265.

ARGUMENTUM.

Sixtus Pontifex claſſem magnam mittit in Turcas. Canonicis Regularibus Lateranenſibus dat Templum Pacis in Urbe. Inquiſitores inſtituit Minoritas. Cogitat revocare Obſervantes ad regimen Conventualium, ſed objectis difficultatibus, mutat conſilium. Celebrantur tria Comitia Generalia, Conventualium & utriuſque familiæ Obſervantum. Transfertur corpus ſancti Bernardini ad Eccleſiam illius nomine inſcriptam, & hic diffuſe deſcriptam. Floret Michael a Carcano. Indicantur alii Inquiſitores. Moritur Joannes Bonviſius, cujus facta recenſentur, necnon Michael Maſſanas & Antonia Florentina. Indicitur dies ſancti Franciſci feſtivus, cui ſingulari privilegio Chriſti Stigmata judicat impreſſa. Moritur Ordinis Protector, alius ſubſtituitur. Creantur Epiſcopi. Fundantur Cænobia.

I. SIXTUS hoc anno ſumma ſollicitudine claſſem contra Turcas inſtruebat, neque curam hanc omnem Miniſtris committebat, quinimo ipſe omnes urgebat, ut ocyus in hoſtem proficiſcerentur. Ex Palatio Vaticano ad ſancti Pauli Baſilicam abiit viſurus ipſe triremes viginti tres paratas, quibus bona precatus, Oliverium Caraſſam Cardinalem Neapolitanum præfecit. His acceſſerunt quinquaginta Venetæ, & Neapolitanæ viginti quatuor. Nihil tamen magnificum tanto apparatu dignum tunc geſtum eſt; nuſquam prodeuntibus ex Boſphoro in Ægæum hoſtibus. Smirna tantum in Aſia capta, incolæque omnes abacti. Oppugnare quidem Sataliam adorti erant, occupato per vim portu, reſractaque catena ferrea, cujus pars foribus Baſilicæ Vaticanæ præfixa, ſpectanda propoſita; ſed defendentibus acriter, qui in præſidio erant, Turcis, prælium omittunt, atque ita re infecta, abeuntes plus terroris, quam calamitatis hoſtibus intulere. Cum fere omnium conſtans fama eſſet, Chriſtianos eo anno magnam Aſiæ partem occupaturos fuiſſe, ſi ipſi mari, quemadmodum Uſucaſſanus Perſarum Rex terra, Tur-

Sixtus claſſem mittit in Turcas.
Panvin. & Ciaccon. in Sixto.

cas vexare voluiſſent. Per quos vero ſteterit, quominus res ex ſententia gereretur, haud ſatis liquet.

Conceditur Templum Pacis Canonicis Lateranenſibus. Ex arch. Vatic. epiſt. 8. & 33.

II. Poſt Pauli prædeceſſoris mortem, ſub illo Interpontificio Romani e Baſilica Lateranenſi Canonicos Regulares ejecerunt, cauſantes ſacerdotia & reditus ab ipſis pro Nobilium filiis, ſive de Republica meritis inſtituta, eiſque ſe velle diſtribui, non vero penes paucos unius Congregationis, eoſque, ut plurimum alienigenas, perpetuo remanere. Sixtus ut tumultuantes pacificaret, Canonicos ſeculares reduxit, quos Paulus expulerat; Regularibus vero Templum ſanctæ Mariæ de Pace, a ſe media Urbe conſtructum conceſſit. Præter hæc Georgium de Comitibus in Sabaudia Inquiſitorem contra hæreticos, fratrem Alexandrum de Fano in Pedemontio & Liguria Commiſſarium contra uſurariam pravitatem inſtituit.

Georgius de Comitibus Inquiſitor. Alexander Fanen. Commiſſarius.

Sixtus cogitat revocare bullam Eugenianam. Marian. lib. 5. c. 40. Marc. 3. p. l. 5. c. 55.

III. Sixtus Pontifex, etſi familiæ Obſervantum non mediocriter addictus, nihilominus fratris Petri Cardinalis Riarii, aliorumque perſuaſionibus inductus, hoc tempore cogitavit revocare Conſtitutionem Eugenianam, & ſi quas alias exemptioni & libero regimini Obſervantum favorabiles, eoſque ſubjicere omnimodæ juriſdictioni Miniſtri Generalis. Ut ſpecioſius id fieret, firmiuſque perſeveraret conſtitutum, coegit Cardinalium Conſiſtorium; poſt quorum ſuffragia voluit audire, quæ Marcus Bononienſis Obſervantum Vicarius Generalis pro ſui ſtatus defenſione, & peculiari illo gubernio retinendo potuit allegare. Multa ille dixit, ut Pontificem a propoſito dimoveret, ſed cum fruſtra ſe laboraſſe perſpiceret, & Cardinales, etſi aliter apud ſe ſentirent, minime auſos manifeſtæ Pontificis determinationi contraire, extractam e manica ſancti Franciſci Regulam, in medium projecit, elevatiſque in Cœlum oculis, alta voce magnoque fervore dixit: *Tu igitur, ſanctiſſime Pater Franciſce, tuæ Regulæ Obſervantiam defende: ego nihil proficio*; ſtatimque e conſpectu receſſit.

Sed conſilium mutat.

IV. Hominis ſermone audentique facto commotus Pontifex, rei concluſionem in aliud tempus protraxit. Interim Marcus in Cœnobio Aracœli ſæpiſſime ad Dominum exclamans, dicebat: *Salva nos, Domine; impera & fac tranquillitatem*; juſſitque per omnes ſui Inſtituti Conventus orationes & ſupplicationes fieri, & per Provinciarum Vicarios implorari Regum & Principum auxilia. Mirum quanta promptitudine omnium ferme litteræ in Urbem tranſmiſſæ. Quidam Pontificem precabantur, ne Religioſum, omnibuſque gratum Obſervantiæ ſtatum concuteret; alii, præſertim Angliæ Rex, & Dux Mediolanenſis ſeverius agebant, comminantes ſi quid acciperent Obſervantes moleſtiæ, ſe protinus Conventuales a ſuis dominiis procul facturos. Pontifici omnes ſimul in patina oblatæ, & deinde lectæ, eatenus admiratione affecerunt, ut commotus dixerit: *Ego putavi mihi rem eſſe cum mendicis & pediculoſis Fratribus, non cum univerſis Principibus*. Aderat tunc Philippus Cardinalis Bononienſis, Nicolai V. germanus frater, de quo alias ſermonem habuimus, qui turbatum minantemque videns Pontificem: *Cave*, inquit, *beatiſſime Pater, ne gentem hanc affligas; adeo per orbem crevit Chriſtianum, eamque apud omnes Principes nacta eſt opinionem, ut ſi quid magnum in te moliri velit, poſſit. Conſultius puto permitti, ut ſuis legibus vivat, & amplioribus gratiis excitari debere, ut, quod præſtat multiplex Apoſtolicæ Sedi, obſequium libentius proſequatur*.

To. 13. an. 1461. n. 81.

V. Quievit Sixtus, motumque compoſuit animum; ſed contra Marcum perſtitit iraſci, quod tam audacter in Conſiſtorio locutus, auſus ſit etiam contra eum Principes omnes convocare. Juſſit itaque Neapolim profectum in Curiam reverti. Præmonitus a Rege, acceptiſque a Curiæ Commiſſario lit-

litteris, ſibi parari malum, clam abiit in Etruriam. Atqui illinc revocare iteratis præceptis ſtuduit Sixtus, ſed aſſequi non potuit, eludentibus Fratribus curſorum ſolertiam, & varia Marco præparantibus latibula. Tamdem Pontificis ira deferbuit, ſed Marcus non ſe credebat ei, regimenque proinde Religionis commiſit fratri Petro Neapolitano Provinciæ ſancti Antonii, & poteſtatem omnem Capitulum celebrandi, cujus tempus imminebat.

VI. Janetus Utinenſis Generalis Miniſter hoc anno, die VIII. Maii Ferrariam ad Comitia vocavit Patres Conventuales; quid vero in eiſdem factum aut decretum ſit, nullus eſt qui referat. Eodem tempore, die XV. ejuſdem menſis Fratres Obſervantes Ciſmontani ad Capitulum in urbe Aquilana convenerunt. Præſes Capituli fuit non Petrus Neapolitanus, uti decrevit Marcus, & ſcribit Marianus, ſed Ludovicus Vincentinus, a Pontifice ſimul cum Jacobo Piceno pro hoc munere inſtitutus. Sed non potuit Jacobus adeſſe. Inſtitutionis diploma ſub honeſta ſpecie emiſſum, ut Marcum Præfectura ſpoliaret, hic exſcribimus, aliudque hujus lenitivum, quo Pontifex ſe Obſervantum fore ſpondet amicum.

Capitulum Generale 94. Ferrariæ. *Marian. & Marc. cit. Regiſt. Ordinis.* Capitulum Generale duodecimum Obſervant. Ciſmontanorũ.

Dilectis filiis Jacobo de Marchia & Ludovico de Vincentia Ordinis Minorum Profeſſoribus.

Ex autographo.

SUperioribus diebus dilectus filius frater Petrus de Capriolis, natione Brixienſis, Ordinis veſtri querimoniam nomine ſuo, & quamplurium Mediolanenſis Provinciæ Fratrum, in Romanam Curiam detulit, articulos nonnullos contra fratrem Marcum de Bononia Generalem Vicarium continentem. Cujus cauſa & Bullarum familiæ veſtræ, & mutuo accuſantis & accuſati conſenſu, ad dilecti filii Magiſtri Zanetti, totius Ordinis Minorum Generalis Miniſtri, examen deducta eſt. Verum licet dilecti filii providi Religioſi, frater Gabriel de Venetiis, frater Sixtus de Mediolano, ac frater Seraphinus de Mantua, ut præſentimus, ex decreto & juſſione præfati Generalis Miniſtri, auctoritate noſtra ad Mediolanenſem Provinciam viſitandam acceſſerint, ut videlicet per opportunas inquiſitiones & diſcuſſiones cauſæ, veritate rerum comperta, hujuſmodi exceſſuum qualitatem, & controverſiarum omnium originem & fundamentum ipſi Generali Miniſtro referant & inſinuent; quia tamen appropinquantibus jam Generalis Congregationis conſtitutis diebus, apud Aquilam celebrandæ, præfatos Commiſſarios res in hac cauſa per eos geſtas, ſeu proceſſum ad nos hactenus retuliſſe nequaquam comperimus, ſive cauſam ipſam jam diſcuſſerint, ſive diſtulerint, ut inutilis moræ vitetur cunctatio, quæ noxia ſolet eſſe, æquum eſſe cenſemus, ut ipſe frater Marcus a culparum reatibus & erroribus jam contra eum depoſitis, & deinceps deponendis, ſi fuit innocens, potius per legitimum tribunalis examen alicujus probi & maturi ipſius familiæ Fratris debeat purgari, quam vulgatis jam contra eum depoſitis, examine prætermiſſo, denigrationis periculum ſubire. Nos igitur dicti fratris Marci in hac parte ſupplicationibus inclinati, quibuslibet diſturbiis, litibus & controverſiis præſentibus & futuris, ex quibus familia, quam ſemper diliximus, ſcindi & dilabi poſſet, opportunam adhibere proviſionem ſtatuimus, ne propoſita cauſa, ſi ſic eſſet, ut deponentes affirmant, indefinita permaneat. Vobis autem, de quorum providentia & integritate plurimum in Domino confidimus, auctoritate Apoſtolica mandamus, ut ad Generalem familiæ veſtræ, ut præfertur, Congregationem apud Aquilam celebrandam perſonaliter accedatis, & diligenter viſis videndis, rem iſtam definiatis; vos nuncios noſtros, & in hac cauſa judices conſtituimus, & ſuper

hoc nihilominus veſtram conſcientiam oneramus: ne autem univerſali juri vim quoquo pacto inferre videamur, volumus, quod eamdem auctoritatem habeatis, & ſortiamini uſque ad confirmationem novi eligendi Vicarii Generalis, quam ipſe Generalis Vicarius antiquus ex bullarum familiæ auctoritate habere dignoſcitur, cum non æquum arbitremur eum, qui judicundus eſt, fore præſidem. Inſuper, ut in electionibus tam Vicariorum Generalium & Provincialium, quam Definitorum & Diſcretorum, quæ per ſcrutinia, ſeu alias juridice in iſtius familiæ Congregationibus contingunt ſuo tempore celebrari, quælibet Fratrum æmulatio ceſſet ac contentio, dum nomina vocalium poſt ſcrutinia alii ex Fratribus publicari, alii malint occultari, hujuſmodi Fratrum diſſenſionem, atque votorum diverſitatem vocalibus Fratribus per vos exponi, & proponi debere mandamus, de qua ipſi Fratres juſſu veſtro diſcuſſionem diſceptationibus præviis inter ſe debite conſultaverint, ſive Fratres ipſi nomina & vota vocalium publicanda, ſeu premenda cenſuerint, illum ſtylum, viam & modum in electionibus hujuſmodi inſtantibus, & futuris perpetuo obſervandos eſſe mandamus, quo Capituli major pars uti decreverit, quemque opportuniorem ad omnimodam veſtræ familiæ pacem & quietem fore judicaverit. Et ſi quem in votis, in prædictis adminiſtrandis & exequendis quomodolibet impediri contingeret aut retardari, volumus & mandamus, ut alter alterius veſtrum vicem prorſus ſupplere debeat: harum ſerie declarantes, & omnino volentes præfata omnia unicuique veſtrum in ſolidum commiſſa cenſeri, & per vos, & veſtrum quemlibet in ſolidum item executioni debitæ eſſe mandanda; in contrarium non obſtantibus quibuſcumque. Et ut affectus noſter, quo hanc beati Patris noſtri Franciſci familiam erigere toto animo peroptamus, deſideratum ſortiatur effectum, mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Fratribus, in hac Generali Congregatione veſtra congregatis, ut vos Nuntios & commiſſarios noſtros ſuſcipiant, ac vobis in omnibus parcant pariter & intendant. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ultima Aprilis MCCCCLXXII. *Pontificatus noſtri anno* 1.

Dilectis filiis univerſis & ſingulis Fratribus Ordinis Minorum Obſervantiæ Regularis.

Specul. Minor. tract. 1. fol. 32.

VII. D*ilecti filii, ſalutem &c. Cum ſemper dilexerimus familiam veſtram, diligamuſque, ſic in futurum, quoaduſque regulariter vixeritis, diligemus: ad quod faciendum vos omnes & ſingulos tam prælatos quam ſubditos hortamur & monemus, tum pro veſtra omnium ſalute, tum etiam pro fide, quæ de vobis in populis Chriſtianis augenda pariter & confirmanda eſt, ut ad electionem Vicarii veſtri eo modo, ea animi libertate procedatis, ea ſinceritate, ut vobis nihil objici poſſit. Inſuper ut noveritis, quod beneplacitum eſt nobis familiam veſtram in virtutibus & meritis proſpere ſe habere, & indies augeri, auctoritate Apoſtolica, omnia privilegia, gratias & indulta, hactenus vobis a ſummis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſa, per præſentes confirmamus, roboramus ac firmiter authenticamus. Et maxime bullam felicis recordat. Papæ Pauli II. qui prohibet, quod nullus Frater familiæ poſſit ipſam exire, nec a Fratribus ſub Miniſtris degentibus recipi, niſi ſervata ipſius Paulinæ forma, ſub pœnis in ea contentis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* IV. *Maii* MCCCCLXXII. *Pontificatus noſtri anno* 1.

VIII. In

VIII. In hoc Capitulo numerati ſunt Fratres ferme bis mille, qui ad translationem corporis ſancti Bernardini ſtatim enarrandam potius quam ad Comitia acceſſerunt. Statuerunt Patres Conventuales antequam ab eorum templo ſacrum pignus exportaretur, illud cupientibus oſtendere. Inconſulto Præſide Capituli, in domum Conventualium Fratres omnes avolarunt: quod ille ægerrime ferens, in ſpiritu vehementi ſubſecutus, iracunde nimis redire præcepit, reverſoſque acriter in aula capitulari reprehendit; irreverentiæ in ſuperiorem, impatientiæ & curioſæ levitatis inſimulavit, quod in proximo faciendam translationem expectare noluerint. Diſplicuit aſpera increpatio, & difficulter tolerari poſſe virum, ſi ad ſupremum regimen eveheretur, exinde ſuſpicantes, eo neglecto, in quem pridie ferme omnes conſpiraverant, Vicarium Generalem unanimiter elegerunt Angelum a Clavaſio Ligurem, hominem æque religioſum ac doctum. Paulo poſt advenit Marcus Bononienſis, qui reliquis actis capitularibus cum novo Vicario & Definitoribus interfuit. Inſtitutus eſt Guardianus Montis Sion Hieroſolymis Andreas Parmenſis, Provinciæ Bononienſis; in Curia Commiſſarius Andreas Alemannus, Provinciæ Auſtriæ: Vicarius Candiæ Petrus de Mogliano, Provinciæ Marchiæ, vir ſanctus; Sardiniæ Commiſſarius Marianus Senenſis.

Vicarius Generalis Angelus a Clavaſio.

IX. Præter conſtitutiones, quas in ſuum locum reſervamus, alia quamplurima his in Comitiis acta ſunt. Diſcuſſum eſt, an expediret potius dimittere, & Ordinariis conſignare loca aliquot Fratrum oneroſa ſatis, & reformatæ diſciplinæ ſubeundæ valde incommoda, in regione Baſilicatæ ante aliquot annos acquiſita, quam retinere? Miſſus eſt Jacobus Amalfitanus, qui terram omnem inter Calabriam, Apuliam, & Campaniam felicem exploraret, judicaretque, an locis opportunis aliæ conſtrui poſſent ædes, quæ cum præcedentibus in unam poſſent coaleſcere Provinciam, vel iſtæ ſolitariæ, & ab aliis remotæ eſſent negligendæ? Accepta plena poteſtate circa univerſa diſponendi, & accedentes ad Ordinem admittendi, brevi tempore tot adjunxit domos & incolas, quot inſtituendæ Baſilicatæ Provinciæ poſt aliquot annos viſæ ſunt neceſſariæ. Miſſi ex provincia Hungariæ, qui rogarent ad unionem & regimen Obſervantiæ denuo admitti, quos alias diximus propter inobedientiam rejectos; ſed nihil profecerunt, objecto eis diplomate Pontificio, exoſæ libertatis propugnaculo, ab eis doloſe obtento. Sæpe inſuper diſputatum eſt, an, uti alias monuimus, nomina eorum, qui ſuffragia in electionibus ferebant, eſſent publicanda, an vero ſupprimenda? Pontifex (uti habetur in ſuperiori bulla) commiſit rei examen & deciſionem viris probis & doctis Jacobo Piceno, & Ludovico Vincentino, olim Vicario Generali, & Capituli Præſidi, quia Jacobus Comitiis adeſſe non potuit. Hi cum aliis decreverunt publicanda, judicantes id conformius eſſe Pontificum conſtitutionibus in Jure Canonico contentis; & ne amplius de quæſtione altercaretur, perpetuum impoſuerunt ſilentium. Certe circa dubium hoc longo tempore fluctuatum eſt in variis Religionum & Eccleſiarum electionibus, ſed amplius dubitare non licet poſt Concilii Tridentini conſtitutum, his verbis conceptum: *In electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quo omnia recte & ſine fraude fiant, in primis ſancta Synodus diſtricte præcipit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in poſterum &c. ſi vero contra hujus decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit, & is, qui ad hunc effectum ſe in Provincialem, Abbatem,*

Acta in Capitulo Generali.

Tom. 13. anno 1458. n. 5.

Tom. 13. anno 1469. n. 5.

Quia propter c. Eccleſia veſtra 48. & 57. c. Publicato. de electione.

Trident. ſeſſ. 25. de Regul. c. 6.

aut

aut Priorem creari permiſerit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis exiſtat, facultateſque ſuper his conceſſæ eo ipſo abrogatæ cenſeantur, & ſi in poſterum aliæ concedantur, tamquam ſubreptitiæ habeantur.

X. Peracta electione, miſſi ſunt, qui ab ipſo Pontifice electum confirmari peterent tum majoris honoris, tum prolixioris itineris Ferrariam uſque, ubi Generalis hærebat, evitandi gratia. Renuit Sixtus dicens, expedire magis ut juxta conſuetudinem, & bullam Eugenianam, quam Obſervantes cupiebant inviolatam, a Miniſtro Generali confirmatio peteretur. Ita porro factum, benigne poſtulatis annuente Miniſtro. Abſolutis demum actis capitularibus, in Urbem profectus Angelus Vicarius, ſocios aſſumpſit Paulum Lucenſem, ſacræ Theologiæ Magiſtrum doctiſſimum, olim Pontificis diſcipulum, qui ex Conventualibus ad Obſervantes tranſierat, Ludovicum Vincentinum, & Andream Curiæ Commiſſarium, ac Pontificem pro more adoravit. Humaniſſime excepti, auſi ſunt pro Marco Bononienſi intercedere, & plura objicientem Sixtum rogare, ne oblivisceretur miſereri, nec contineret in ira ſua miſericordias ſuas. Placatus tamdem precibus præſertim Magiſtri Pauli, ſibi gratiſſimi, hominem ſubridens interrogavit; an non ille eſſet, qui in Comitiis dixit, ſe pro defenſione Marci & Obſervantiæ mortem omnem ſubiturum? Cui ille ob veterem amicitiam intrepide dixit, vere ſe illum eſſe, nec dicti pœnitere, eoque animoſius defenſionem aggreſſum, quo certius ſciebat Inſtitutum hoc, quod Marcus zeloſe propugnabat, Eccleſiæ univerſæ ſumme proficuum eſſe, & ſuæ Sanctitati addictiſſimum. Sereno tamdem & tranquillo animo promiſit Pontifex ſe nullam deinde moleſtiam Obſervantiæ illaturum, ſed bonos quoſcumque hujus viæ viros benefice proſecuturum. Multa ſane præſtitit beneficia, ſuis quæque temporibus a nobis referenda.

Propitiatur Pontifex Marco Bononienſi.

Capitulum Generale 12. Obſervantum Ultramontanorum. *Tom.* 13. *anno* 1471. n. 22. Vicarius Generalis Joan. Croyn.

XI. Ut vero Comitiorum hujus anni ſeriem abſolvamus, adjungimus hic ea, quæ Obſervantes Ultramontani celebrarunt in feſto ſancti Joannis Baptiſtæ, in Conventu Baſileenſi provinciæ Argentinæ. Præſes fuit Simon Maſſei provinciæ Burgundiæ, uti diximus, Vicarius; electuſque eſt in omnium ſuperiorem frater Joannes Croyn Vicarius provinciæ Turonenſis, vir quidem venerabilis, & regimini idoneus. Quæ hic ſtatuta ſunt, ſuo loco referemus.

Marian. cit. §. 10. *Marc. cit. c.* 56. Tranſlatio corporis ſancti Bernardini.

XII. Redeundum ad narrationem tranſlationis ſancti Bernardini ſolemniſſime peractæ in feſtivitate Pentecoſtes, die XVII. Maii, biduo poſt electionem Vicarii Generalis. Ingens multitudo populi ex univerſa Aprutinorum provincia, diſſitiſque regionibus lætabunda nimis ad Aquilanam urbem accurrit, in cujus conſpectu palam cum hymnis & canticis feſtivo ritu ſacrum corpus ab Eccleſia ſancti Franciſci Patrum Conventualium, in qua per annos viginti octo jacuerat, tranſlatum eſt ad nobile templum ejus ſacro nomine inſignitum. Incorruptum & integrum ſericis indutum, & chorda aurea præcinctum, repoſitum eſt in arca chryſtallina, aureis argenteiſque faſciis ornata & circumligata, quæ aureorum ter millibus conſtabat. Iſta poſt aliquot annos incluſa eſt alteri ingentis magnitudinis, magnique valoris, a Ludovico XI. Gallorum Rege voti cauſa, uti ſuo loco dicetur, tranſmiſſæ. Ut ſolemnius hæc fieret tranſlatio, diploma iſtud Sixtus præmiſit.

Concedantur Indulgentiæ. *Anno* 1481.

Uni-

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem &c.

XIII. *Licet dum militans in terris Eccleſia triumphantem in cælis filiali & devoto veneratur affectu, ac virtutes, laudes præconiaque Sanctorum, quantum humana ſinit fragilitas, digniſſimis attollit titulis, devotis quoque precibus, & ſolemni ritu ſacrificia laudum offert ad decus & venerationem civium ſupernorum, nihil illis accreſcat novæ perfectionis & gloriæ, & eorum perfecta felicitas noſtris operibus firmari non poſſit vel augeri; quia tamen miſericors & miſerator Dominus per interceſſiones meritaque Sanctorum, quos in terris celebritate congrua veneramur, mirabili proviſione imperfectionem noſtram ſuppleri voluit, Romanus Pontifex nonnumquam fideles Chriſti ad colendum ipſorum Sanctorum veneranda ſolemnia, quibuſdam quaſi allectivis muneribus, indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus invitare conſuevit, ut illorum fulti præſidiis & interceſſione, potiora gloriæ & retributionis præmia, quæ eorum meritis nequeunt promereri, eorumdem Sanctorum ſuffragiis aſſequantur. Cum itaque æternus Deus, qui facit mirabilia magna, ſua infinita ſapientia Confeſſorem ſuum eximium ſanctum Bernardinum in inclyta Fratrum Minorum familia, de Obſervantia nuncupatorum educatum produxit, ſingularis vitæ ejus excellentiam ſignis & prodigiis probans, ac coruſcantibus crebriſque miraculis manifeſtans, & illius corpus in Eccleſia ſancti Franciſci Civitatis Aquilæ hactenus honorifice conſervatum, ad Eccleſiam domus eorumdem Fratrum Aquilanam, in honorem, & ſub invocatione ejuſdem Sancti ædificatam, in proxima feſtivitate Paſchalis Pentecoſtes, exiſtente ibi Generali Capitulo dictorum Fratrum de Obſervantia, de noſtro mandato transferri debeat & decenter collocari: Nos qui ad Sanctum ipſum continuo geſſimus & gerimus ſpecialem devotionis affectum, & per illius interceſſiones & merita cæleſtis beatitudinis præmia conſequi poſſe ſperamus, cupientes ut translatio ipſa, & præfata, in qua collocabitur, Eccleſia congruis veneretur honoribus, & fideles Chriſti tanto libentius translationi ejus intereſſe procurent, Eccleſiamque prædictam ſancti Bernardini congruis ſtudeant frequentare honoribus, quanto exinde majora ſperaverint pro ſuarum animarum ſalute poſſe præmia adipiſci; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui translationi hujuſmodi intererint, plenariam omnium ſuorum peccatorum remiſſionem elargimur. Illis vero, qui poſtmodum Eccleſiam ipſam annis ſingulis in die feſtivitatis ſancti Bernardini a primis Veſperis uſque ad ſecundas devote viſitaverint, centum annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Domin.* MCCCCLXXII, *Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno* I. *Ex autographo.*

XIV. Poſt quinquennium Cardinales aliquot conjunctis ſuffragiis Templum hoc in quibuſdam feſtivitatibus inviſentibus magnas largiti ſunt indulgentias, prout illius ætatis ferebat conſuetudo. Litterarum do exemplar.

Guillelmus Oſtienſis, Rodericus Portuenſis, Præneſtinenſis, Oliverius Albanenſis Epiſcopi; Marcus titulo ſancti Marci, Julianus titulo ſancti Petri ad Vincula, Stephanus titulo ſancti Adriani, Auſias titulo ſanctæ Sabinæ, Joannes titulo ſancti Marcelli, Philibertus titulo ſanctorum Joannis & Pauli presbyteri; Franciſcus ſancti Euſtachii, Franciſcus ſanctæ Mariæ Novæ Diaconi, miſeratione Divina ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

Ex autographo. *DEum placare credimus & in cœlis habere propitium, cum mentes Chriſtifidelium ad pia caritatis opera debitis exhortationibus inducimus. Cupientes igitur ut Eccleſia ſancti Bernardini de Aquila congruis frequentetur honoribus, & a Chriſidelibus jugiter veneretur, ac in ſuis ſtructuris & ædificiis debite reparetur, conſervetur & manuteneatur, necnon libris, calicibus, luminaribus, & aliis ornamentis Eccleſiaſticis decenter muniatur, in ea quoque cultus augeatur Divinus, & ut Chriſtifideles ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad illam, & ad reparationem, ac alia opera præmiſſa manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, qui dictam Eccleſiam in Conceptionis & Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, ac ſancti Joannis Evangeliſtæ, necnon Stigmatum beati Franciſci decima ſeptima Septembris, & ipſius Eccleſiæ dedicationis feſtivitatibus, a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas incluſive devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem ac alia opera præmiſſa manus porrexerint adjutrices, ut præfertur; nos Cardinales præfati & quilibet noſtrum per ſe pro ſingulis feſtivitatibus prædictis, quibus id fecerint, ſupplicationibus humilibus dilectorum nobis in Chriſto Guardiani & Conventus dicti loci inclinati, centum dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, & quilibet noſtrum relaxat: præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes litteras exinde fieri, noſtrorumque Cardinalium ſigillorum juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in domibus noſtrarum ſolitarum reſidentiarum, ſub anno a Nativitate Domini* MCCCCLXXVII. *indictione* X. *die vero* XX. *menſis Octobris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Sixti Divina providentia Papæ IV. anno* VII.

XV. Ampliorem hujus Templi deſcriptionem me daturum promiſi, dum prima fundamenta narrarem. Id hic opportune præſtabo, dum hoc anno ferme abſolutum eſſe conſtat ædificium, & tanto theſauro decoratum. In aperto campo & libera area, nullis impedita aut compreſſa domibus, ab urbanis ædificiis aliquantulum disjuncta, ſed publicis muris precincta, pulchra hæc moles magnifici Templi, ad artem affabre elaborata, conſurgit. Longa eſt brachiis centum triginta quinque, lata triginta ſex, alta triginta. Tres habet porticus (quas *naves* vocant) mediam majorem contignatam, laterales minores fornicatas, columnis ſex & arcubus quinque diſtinctas. Totius Templi cellam, ſeu integrum corpus, tribus illis porticibus comprehenſum & terminatum, excipit, abſidæque Altaris majoris conjungit ingens & mirabilis ſtructuræ tholus, vulgo Aquilano *Tumba*, aliis *Cuppola* figuræ octogenæ circularis, latitudinis brachiorum triginta ſex, altitudinis ſeptuaginta

Tom. 12. anno 1454. n. 54. Deſcribitur Templum ſancti Bernardini.

ta duorum, feneſtris octo luminoſus, plumbeis laminis undique contectus, quem quatuor fortiſſimæ paraſtatæ, ſeu columnæ cæmentitiæ ſuſtentant. Ultra procedunt Ara maxima pulcherrimis ſtatuis Silveſtri Ariſcolæ celeberrimi ſculptoris, optimiſque picturis Reginaldi Belgici laudatiſſimi pictoris, nobiliſſima; & odæum capaciſſimum, quod pulchro abſolvitur hemyciclo. Frons Templi marmorea jucundiſſimi proſpectus, longo poſt tempore anno MDXXV. adjuncta eſt, miſſo primo lapide die XIX. Junii, inſigni Architecto Cola, ſeu Nicolao Amatricio. Tres habet ſtructuræ ordines. Primum operis Dorici, ſecundum Jonii, tertium Corinthii. Unuſquiſque ad menſuram & artem ſuas habet columnas, coronices, zophoros, encarpas, varioſque ſacrarum rerum implexus. Tres Doricæ ſtructuræ portæ præbent aditum Templo, ſingulæ ſingulis correſpondent porticibus, lumenque ſuo hiatu, poſitiſque deſuper circularibus feneſtris abunde miniſtrant. Ad has ex ſpacioſa area, ex cujus meditullio fons copioſus exurgit, per gradus quidecim proceditur ad areolam præ foribus poſitam, lapidibus ſtratam quadratis, brachiis longam viginti ſeptem, latam novenis. In frontiſpicii medio & ſecundi ordinis ſummitate, in ipſa operis corona ſeu projectura, magnis characteribus inciſa eſt his verbis dedicatio.

DIVO BERNARDINO SERVATORI
URBS AQUILA, D.N. SANCTITATI
Q. E. PRO TEMPORE F.

XVI. Multa ad latus utrumque Eccleſiæ conſpiciuntur ſacella, magno ære conſtructa, varioque ornatu gratiſſima. Miniſterialia quæque, ſacramque ſupellectilem locupletem, & multam ampliſſimo in ſacrario ſervat æditūus. Ad Tholi, quem diximus, ſiniſtrum latus turris campanaria quadrangularis, alta brachiis uno & octoginta, in unoquoque angulo binis ſupra ſe invicem poſitis luminoſa feneſtris, & in pyramidem brachiorum ferme octo erectam plumbo coopertam, terminatur.

XVII. Quo peculiari Templi loci hoc anno repoſitum fuerit ſancti Bernardini corpus, non eſt qui referat; etenim, quo nunc jacet, ornatiſſimum mauſoleum, nonniſi anno MDV. inſumptis novem millibus aureorum Jacobus Notarius Nennius, civis Aquilanus conſtruxit. Ad finem porticus ſeu navis dextræ, ſupra Templi pavimentum, gradibus quatuor prominet quadratum fornicatum ſacellum, longum brachiis uno & viginti, latum quindecim, ducentorum hominum per circuitum ſepulcri in medio compoſiti, capaciſſimum. Tabernaculum ipſum vel ſepulcrum, nobile corporis depoſitum, mira varietate inſignique opere, pulchro illius regionis lapide, qui nec marmori cedat, in quadro conſtructum, in ſingulis lateribus latum brachiis ſeptem, in altitudinem brachiorum novem extollitur, bini ordinis columnis, plurimis zophoris, encarpis, coronis ſtephanomatibus, iiſque miris, variiſque inciſionibus, ut tanti artificii, tantæque venuſtatis cælamina vix alibi liceat conſpicere. Frons, quæ ad Templum vergit, & pars oppoſita præcipuæ ſunt, in quibus duæ maximæ feneſtræ ſe invicem reſpiciunt, & per has, dum aperiuntur thecæ argentea & chryſtallina, corpus licet intueri. In quatuor angulis ſtylobatæ brachiis duobus ſuper pavimentum erectæ baſes excipiunt columnarum, totiuſque operis molem ſuſtentant. Inter eas, quæ a fronte ſunt, ornatiſſimum exurgit altare, privilegio Gregorii XIII. pro ſublevandis animabus defunctorum, decoratum, & in unaquaque plura exarata ſunt carmina, quæ ſtatim exſcribemus. Inter colum-

Et ſacellum in quo jacet.

nas in parte extima frontis & finis depoſiti, varii hemycicli ſtatuas exhibentes Sanctorum. A fronte ex parte dextra feneſtræ videtur ſancti Petri ſimulacrum, ex altera ſancti Pauli; ſuper has in ordine ſecundo columnarum ejuſdem frontis Imago ſancti Joannis Baptiſtæ a dextris, a ſiniſtris ſancti Joannis Evangeliſtæ; in ſpatio medio ſuper feneſtram imago beatæ Virginis filium ulnis geſtantis, ab ejus ſiniſtra Joannis Capiſtrani, a dextra ſancti Bernardini, Nennium totius operis auctorem, beatæ Virgini & ſacratiſſimæ proli offerentis. A parte poſteriori depoſiti aliis hemycicliis totidem diſtributæ ſunt ſtatuæ ſanctorum Franciſci, Antonii Minoritæ, Sebaſtiani & ſanctæ Catarinæ, & inciſa eſt memoria obitus, Apotheoſis & translationis Bernardini. In ſummo autem hemycielo exculptus eſt Pater æternus, in poſteriori vero Chriſtus cruci innixus, medio corpore ſepulcro inhærens, in cujus hemycicli ora hæc verba leguntur: *Deo Omnipotenti honor*. In reliquis extimis partibus ſeu lateribus nulli ſunt hemycicli aut ſtatuæ, ſed varia cælaminum ornamenta.

XVIII. Intra nobile hoc tabernaculum pulchrumque depoſitum jacet in medio Bernardinus, theca incluſus chryſtallina, quam magna circumdat capſa argentea, unguibus ſeu pedibus octo leoninis ejuſdem metalli impoſita, ponderis aureorum quatuordecim millium, a Magiſtratu Aquilano generoſa liberalitate ſuo oblata Protectori. Succeſſit donum iſtud alteri ſimili a Ludovico XI. Galliarum Rege anno MCCCCLXXXI. uti tunc dicemus, tranſmiſſo, a Philiberto Chalonio Aurantio Principe minus religioſe ſublato. Arca hæc etſi ponderoſa & gravis valde, eo tamen artificio compacta eſt, ut interulis quibuſdam rotis nullo extollatur negotio, cum ſtatis anni temporibus reconditus ſacri Corporis theſaurus populi exponendus ſit conſpectui, vel adventantium Principum ſublimium ſatisfaciendum ſit pietati. A parte anteriori tria ſunt Intercolumnia arcuata, ſeu hemycicli tres, in quibus totidem ſunt argenteæ ſtatuæ. In medio omnium maximo, ſedet beata Virgo puerum ſinu complectens, a dextro ſtat ſanctus Franciſcus, in ſiniſtro S. Bernardinus. Ab altera parte poſteriori in medio hemycicio eſt majuſculum Bernardini ſimulacrum, in lateribus ſancti Petrus Cœleſtinus, & Maximus, urbis Protectores. Ex utraque parte columnæ numerantur octo, & inter ſingulas conſpicitur Jeſu nomen, radiis tamquam ſolaribus circumdatum, miraque varietate exuberant dimidiatæ Martyrum hypanaglipticæ imagines, binæque demum Angelorum formæ angulum occupant utrumque ſuper arcus hemycicIorum. Arcæ demum operculum variis diſtinctum inciſionibus pinnaculum claudit, cui inſidet Regia Aquila, urbis Emblema, alis expanſis. Facilius quæ de templo ac tumulo diximus, lector percipiet, ſi utriuſque ſpecimen iſthic exhibeam.

XIX. Ne





Andreas Roſsi faciebat Romæ Sup. perm.

Digitized by Google

XIX. Ne vero prætermittamus, quæ inciſa ſunt carmina ſub baſibus columnarum tabernaculi, & inſcriptiones aliis locis ibidem expoſitas, omnia hic in gratiam lectoris exſcribemus.

Sub baſi dextra partis anterioris tabernaculi hæc leguntur.

DIVO BERNARDINO.

Si tua, ſancte Pater, venerantur numina terræ,
Si te hominum votis nunc vocat omne genus;
Hoc tua magnarum faciunt miracula rerum,
Auxilia hoc ægris tradita ſupplicibus.
Numine quod vitam dederis mortalibus olim,
Votiva in templis indicat effigies.
Salvaſti innumeras gentes terraque, marique;
Impleta eſt meritis quælibet ora tuis.
Hinc populi, hinc urbes, hinc mundus denique numen
Implorat ſupplex auxiliare tuum.
At tu ne votis, precibus ne deſice noſtris,
Affer opem terris, auxiliumque piis.

Sub baſi ſiniſtra.

XX. Jacobus Notarii Nannis, Civis Aquilanus, fide & integritate egregia Mercator, pro ſua pietate & religione ſingulari hoc opus Divo Bernardino ſua impenſa faciendum, ornandumque curavit, anno a Natali Domini MDV.

DIVO BERNARDINO.

Hæc tibi, Dive Pater, poſuit monumenta Jacobus:
Hoc tibi de Pario marmore ſtruxit opus.
Sacratum corpus raro decoravit honore,
Qualem vix ætas viderat ulla prior.
Ornavit variis ſignis, varioque labore
Docta manus, qualem reddere nulla queat.
Hæc pietas, hæc vera fides, hæc munera cælum,
Hæc præſtant animis mitibus Elyſium.

Sub baſi dextera partis poſterioris, laus operis.

Quis non Phidiacæ putet hæc miracula dextræ?
Quis veterum has artes, quis neget eſſe manus?
Quis non Praxitelis raros putet eſſe labores?
Quiſue Scopæ docilem deneget eſſe manum?
Quis non Timothi, quis non Bryaxidis artes?
Vel quis Divinæ non putet artis opus?
Mollius haud uſquam ſpirant ſimulacbra per orbem:
Nulla alibi vivit mollius effigies.

Sub ſiniſtra, Divi Bernardini laus.

Numina qui in magnis volet implorare periculis,
Et voce æthercam ſupplice poſcere opem;
Is Bernardini venerandum numen adoret,
Namque audit juſtas, & pia vota, preces.
Extitit hic verus Chriſti omnipotentis amator,
Atque Deum coluit mente animoque patrem.
Hic JESUM *immodicis celebravit laudibus olim,*
Laudator ſancti Nominis hujus erat.
Hic Lumen fidei populis monſtravit, & urbes
Innumeras ſanctis moribus inſtituit.
Sede ſub æthcrea poſt fata receptus
Maxima ſiderei gloria fama chori eſt.

Super feneſtram partis poſterioris inter ſtatuas ſanctorum Sebaſtiani & Catarinæ inſcriptio hæc magnis inciſa eſt characteribus.

DIVUS BERNARDINUS SENENSIS DIEM SUUM AQUILÆ OBIVIT XII. KAL. IUNIAS, ANNO MCCCCXLIV. EUGENIO PONT. MAX. REGN. CUIUS CORPUS IN ÆDIBUS DIVI FRAN. SEPULTUM FUIT: INDE A NICOLAO V. PONT. MAX. ROMÆ VIII. KAL. IUNIAS ANNO MCCCCL. IN NUMERUM SANCTORUM ASCRIPTUS. QUO ANNO ERAT MAGNUS IUBILEUS, ET EIUSDEM NICOLAI PONT. IUSSU TEMPLUM DEDICATUM X. KAL. OCTOB. ANNO MCCCCLI. TRANSLATUM TEMPLUM IUSSU SIXTI IV. PONT. MAX. XVII. KAL. IUNIAS ANNO MCCCCLXXII. QUO DIE CELEBRATUM ETIAM FUIT CAPITULUM GENERALE FRATRUM MINORUM DE OBSERVANTIA IN EODEM TEMPLO.

XXI. Duplicem animadverto hujus inſcriptionis errorem: primum, quod affirmet a Nicolao V. dedicatum templum ſancto Bernardino, idque an. MCCCCLI. etenim non aliud tunc Nicolaus fecit, quam licentiam condendi templi & Fratrum Cœnobii concedere: ejus diploma nos ſub illum annum exſcripſimus. Secundum, quod dicat translatum *templum* juſſu Sixti IV. hoc anno, non enim templum translatum eſt, ſed *Bernardini corpus* a Conventualium templo ad novum iſtud translatum, niſi fortaſſis error ſit ſcriptoris. Nimis frequenter ſacrum hoc depoſitum adventantibus oſtendebatur, Clemens VIII. præmiſſa Cardinalium & Congregationis ſacrorum rituum diſcuſſione, ſpeciali cavit diplomate, ut bis dumtaxat in anno, die ſcilicet XX. Maii, quo Vir ſanctus deceſſit, & XXVIII. Auguſti, quo ingens confluit populorum multitudo, omnium conſpectui exponeretur. Neque alicui advenæ præterquam Regi, S. R. E. Cardinali, aut Regni Neapolitani Proregi oſtenderetur. Templum ſolemni ritu conſecratum eſt, uti ex inſcriptione iſta ad chori finem lapidi inciſa liquet conſpicere.

M. D. LXXI. DIE XIV. MENS. MAII.

EGO IOANNES DE ACVGNA EPISCOPVS AQVILANVS CONSECRAVI ECCLESIAM ET ALTARE MAIVS IN HONOREM S. BERNARDINI, ET RELIQVIAS BEATORVM IN EO INCLVSI, SINGVLIS CHRISTI FIDELIBVS HODIE VNVM ANNVM, ET IN DIE ANNIVERSARIO CONSECRATIONIS HVIVSMODI IPSAM VISITANTIBVS XL. DIES DE VERA INDVLGENTIA IN FORMA ECCLESIÆ CONSVETA CONCEDENS.

ADDITIO ALIORUM.

„ XXII. Terræmotus, qui anno Chriſti MDCCIII. die II. Februarii „ Aquilam urbem labefactavit, ac pene totam evertit, ingentem quoque „ Obſervantibus attulit cladem, magna ex parte diruto remplo Divi Bernardini Senenſis; cum Cœnobii duo tantum cubicula concidiſſent: quod „ prodigii loco habitum eſt ab Civitate univerſa.

„ XXIII. Primum enim labente turri æris campani, ipſa illa ruina „ templi tholus, ac naves tres, tum Sacellum Divi Bernardini ſolo procubuerunt. Obſervantes eo caſu tres interfecti; quorum alter ſacris confeſſionibus audiendis operam dabat; alter ad aram ſacris operabatur; tertius miniſtrabat ſacrificanti, cum reliqui urbem, ſupplicatione indicta, „ circumirent placandi Numinis cauſa.

„ XXIV. Eodem anno pridie Kalen. Aprilis templi rudera, ruinarumque materies ab quinquaginta cæmentariis egeri cœpta; ac triennio „ poſt Aquilanorum ſumptibus inchoatum Sacellum Divi Bernardini;quod „ anno demum MDCCIX. exædificatum abſolutumque eſt, aureorum nummum millibus quinque in id operis impenſis. Ejus parietes vario atque „ eleganti marmore tecti ab ima baſi ad ſummam coronam. Cenatempus „ egregius pictor excellenti ſuæ artis opere Sacellum ornavit, quod Divum „ Joannem Capiſtranenſem cum Aquilanis patriciis exhibet urbem Romam ingredientem.

„ XXV. Illud vero minime prætereundum videtur, quod iis, qui „ ſpectatores fuerunt, mirandum fuit; cum Divi Bernardini corpus tribus „ arcis incluſum eſſet, extimam ligneam ea ruina prorſus confractatam, interiorem argenteam contuſam undique ac male acceptam; tertiam intimam, eamdemque criſtallinam, quæ corpus prope attingebat, immunem labis omnino fuiſſe. Cujus rei Magiſtratus Aquilanus aliique patricii „ una cum arcis præfecto teſtimonium dederunt, cum Cœnobii rectori „ aliiſque Obſervantibus arcam cryſtallinam aperientibus aſſuiſſent.

„ XXVI. Anno Chriſti MDCCX. templi naves ac tholus ædificari cœpta. Navium vero pavimentum ſub an. MDCCXXXIII. perfectum eſt: quo „ eodem tempore tholus interior plaſtico opere ornatus eſt. Tholi ambitu „ continetur ara maxima, ædes duæ juſtæ magnitudinis, totidemque ampliores, quarum altitudo dodrantium eſt octoginta, odea quatuor æquo „ intervallo collocata, quorum exterior ornatus e ligno eſt affabre ſculpto „ & inaurato.

„ XXVII. Aræ minores apud navium columnas ſeu pilas extructæ, „ partim ruina conciderunt, partim Architecti conſilio ſublatæ ſunt, ad „ templi ſplendorem ac majeſtatem retinendam. Itaque decem Sacella „ navium tractu continentur, eaque capaciſſima, pulcherrimo Ordine quina quinis reſpondentia ab latere utroque.

XXVIII.

XXVIII. Tranſlationi ſupradictæ interfuit beatus Bernardinus Feltrenſis ſocius Ludovici Gonzagæ, Principum Mantuanorum conſanguinei, qui Vicarium agebat Obſervantum Provinciæ ſancti Antonii. Multas paſſi in mari Adriatico procellas, petierunt ſe ad littus Picenum emitti, dicente jocoſe Bernardino, ſe Jonam eſſe, & propterea a nautis dimittendum, ſi vellent fluctus componi. In urbe Firmana inviſit ſuum Præceptorem, & in Chriſto, ut diximus, genitorem Jacobum Picenum, lecto decumbentem; (etſi paulo antea fortiori animo, quam corpore ſedaverit diſcordias, & ultimum averterit patriæ ſuæ exitium, cooperantibus ejus virtuti Magiſtratu & Civibus Aſculanis) a quo benigne & amice ſuſceptus, multa audivit patientiæ in diverſis documenta, & rerum futurarum arcana. Aquilæ febre correptus, dum convaleſceret, Vicarium ſuum in Urbem ſecutus, in languorem recidit, eoque mali incremento, ut Venetias mortis rumor pervaſerit, & Conſodales parentarint. In eam urbem incolumis tamdem reverſus, frequentes habebat conciones, ſed a Vicario ad viſitandos Conventus tamquam ſcriba adſcitus, parum abfuit, quin a Turcis in Auſtriæ fines irrumpentibus comprehenderentur, dum, ut animoſe fidei Chriſtianæ hoſtibus obſiſterent, populis prædicarent. Veronæ Tironem ſeu Novitium fraterculum Placentinum ad ſeculum omnino reverti volentem, ſolo ſermone ut in Religione perſeveraret, mire permovit, quod neque juvenum inſtructor, neque ipſe Vicarius, neque alius quiſpiam precibus, exhortationibus, blandimentis, aut minis potuit obtinere.

Bernardinus Feltrenſis interfuit tranſlationi. Legenda MSS.

Tom. 12. anno 1456. n. 150.

Ægrotat valde.

XXIX. Prædicabat hoc anno Mediolani magno applauſu frater Michael a Carcano, Regularis Obſervantiæ, vir doctus & religioſus, de quo alias diximus, ad quem Jacobus Cardinalis Piccolomineus, Epiſcopus Papienſis circa reſtituendas Eccleſiæ Papienſis arces binas, a Duce Mediolanenſi occupatas, ſequentem exaravit Epiſtolam, ex qua, qualis Michael fuerit, facile conjicere licebit.

Michael a Carcano vir inſignis.

Tom. 10. anno 1432. n. 12. Tom. 11. anno 1440. n. 32.

Michaeli a Carcano, Religioſo Obſervantiæ.

AUdio te prædicaturum Mediolani hoc proximo quadrageſimali jejunio: id mihi admodum placet & propter ſalutem populoſæ Civitatis, & propter me ipſum. Poſſideo, ut noſti, Papienſem Eccleſiam, quam amare facilius poſſum, quam adjuvare. Ejus arces duas levis momenti abſtulit mihi nuper Dux, ob eam cauſam mihi iratus, quod præſenti Pontifici in electione non ſum ſuffragatus, ſecutus, ut libere dicam, conſcientiam magis, quam gratiam. Res illi ad ſtatum exigua eſt, mihi ad æſtimationem non parva. Offenſus eſt Syrus Petri diſcipulus, Papienſium olim converſor, & cuſtos ſemper ejus Eccleſiæ. Nec video quam bene incolumi conſcientia retinere eas invito Epiſcopo poſſit. Natura eſt acer, ut noſti, & in iracundia vix exorabilis. Ingenio & arte vinci ſæpius ſolet, quam precibus: mentis ejuſmodi ſolent in utramque partem eſſe vehementes, ad duritatem nimiam ac lenitatem. Spiritus etiam Dei miranda in talibus operatur. Neſcio quam tibi cum eo commercium ſit diebus, quibus dura etiam corda molliri ad pœnitentiam ſolent. Tui nominis ſervi Dei tunc plurimum ſolent requiri. Quæſo caritatem tuam in Domino Salvatore noſtro, ut ſi quem aditum ad cor ejus te nanciſci contingat, beatiſſimo Syro reſtitutionem hanc opereris. In qua illi & mihi gratiæ & meriti obſequium fiet. In omnem autem occaſionem ita derivare in hanc rem ſermonem tuum memento, ut ex te eſſe conſilium, non ex me artificium putet. Id enim ad cetera eſt illi ingenii, ut difficillimum præſtet ſemper,

Papien. epiſt. 422.

per,

per, quod optari multum intelligit. Scribo quæ audio, & quæ ad rem profutura exiſtimo; ſcribo etiam ſenſato & ſancto, ut nec prudentia, nec taciturnitas venire mihi in dubium poſſit. De te hactenus non ſum meritus ulla in re. Mereri tamen ſemper optavi. Virtus tua, & claritas, & animus ad pia ſemper paratus, faciunt ut ſine meritis id oneris fidenter tibi imponam. Si Deus occaſionem hanc præſtat, arripe eam: ſi minus, exulceranda non ſunt, quæ ſanari non poſſunt. Utcumque res cadat, tuus eſt Papienſis, & erit, dum vivet. Tibi Dominus ſit ſublevator & comes. Bene vale indefeſſe Dei præco. Fulginatii, XVII. Januarii MCCCCLXXII.

Fr. Joan. Vayleti Inquiſitor Avenionen.

XXX. Hoc anno frater Joannes Vayleti ſacræ Theologiæ Profeſſor & in Decretis Baccalaureus, erat Inquiſitor pravitatis hæreticæ in urbe Avenionenſi, & in multis aliis Provinciis, cumque in eodem munere dum viveret, Sixtus confirmavit. In ejus regeſto invenio alios duos ejuſdem urbis, adnexarumque Provinciarum Inquiſitores, Andream de Malvenda ab Angelo Peruſino olim Generali Miniſtro huic muneri deſtinatum, & poſtea ad Epiſcopatum Ebroicenſem aſſumptum; & qui huic ſuceſſit per ejuſdem Miniſtri Generalis inſtitutionem, Pontificia auctoritate confirmatam, Bernardum Trameſii ſacræ Theologiæ Profeſſorem. Diploma in officio confirmati Joannis hic exſcribo.

Item Andreas de Malvenda poſtea Epiſcop. Ebroicen.

Et Bernardus Trameſius.

Dilecto fil.o Joanni Vayleti, Ordinis Fratrum Minorum & Theologiæ Profeſſori, ac in Civitate noſtra Avenionenſi, ejuſque diœceſi & nonnullis aliis locis & Terris partium illarum, Inquiſitori hæreticæ pravitatis, ſalutem &c.

Ex lib. 6. bullar. Sixti fol. 17.

EXigit magnitudo tantæ rei, & cura paſtoralis officii ſollicite nos admonet &c. ſalubriter expedire. Attendentes igitur quod tu, qui etiam in Decretis Baccalaureus exiſtis, ſicut aſſeris, officium Inquiſitoris hæreticæ pravitatis in Arelaten. Aqaen. Ebredunen. Provinciis, & in omnibus terris & locis infra dictarum Provinciarum terminos conſtitutis, necnon in Lugdunen. Viennen. Gratianopolitan. Valentinen. Dien. & Vivarien. Civitatibus & diœceſibus, ac in Delphinatu, Comitatibuſque Forcalquerii & Venayſini, ac in Principatu Auraycen. necnon Civitate noſtra Avenionen. ejuſque diœceſi, & nonnullis aliis locis & terris partium illarum, ex conceſſione & deputatione Apoſtolica hactenus laudabiliter exercuiſti, ac de tua integritate, fide, prudentia, & in ſimilibus peragendis experientia comprobata, plurimum in Domino confidentes, te in dicta Civitate Avenionenſi, aliiſque terris, Civitatibus, diœceſibus & locis prædictis Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, cum poteſtate & auctoritate officium Inquiſitionis hujuſmodi, contra quaſcumque perſonas, diſcretione tamen prævia, & alias juxta canonicas ſanctiones, & decreta Patrum, quoad vixeris, gerendi & exercendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, conſtituimus & deputamus; dictumque officium tibi per te, quoad vixeris, ut præmittitur, in Provinciis, Civitatibus, diœceſibus, Comitatibus, ac aliis terris & locis prædictis gerendum & exercendum, cum honoribus, oneribus & emolumentis conſuetis, dicta auctoritate Apoſtolica committimus, concedimus & aſſignamus: decernentes te ex nunc ad officium hujuſmodi ejuſque liberum exercitium admittendum fore, & admitti debere, ut eſt moris, & nihilominus omnia & ſingula privilegia, immunitates & indulta ac litteras Apoſtolicas, tam per fel. record. Nicolaum IV. & Clementem etiam IV. & præſertim Alexandrum ſimiliter IV. dudum quondam Pontio Feugyronis, Fratri dicti Ordinis, ac in eiſdem Provin-

vinciis, terris & locis Inquiſitori hæreticæ pravitatis per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſa, eadem auctoritate, tenore præſentium approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, teque juxta formam, auctoritatem, ſeriem & tenorem illorum in dicto officio ſimpliciter & de plano, quemadmodum dictus Pontius & alii Inquiſitores conſueverunt, dictum officium exercere, & in eo procedere poſſe & debere, eadem auctoritate ſtatuimus pariter & decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis, deputationis, commiſſionis, conceſſionis, aſſignationis, decreti, approbationis, communitionis, & ſtatuti infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXI. XVIII. *Kalendas Februarii &c. anno* 1.

XXXI. Sixtus Pontifex dum olim Miniſtri Generalis fungeretur officio, moleſtam controverſiam Fratrum & Sororum reformationis beatæ Coletæ Provinciæ Burgundiæ compoſuit, quæ dum hoc anno repullulaset, ſtabilita voluit, quæ tunc decrevit. Ecce confirmationis inſtrumentum.

Controverſia circa reformationem Collectaneam ſopitur.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex &c. Expedire. Sane pro parte dilecti filii moderni Viſitatoris dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Congregationis ſororis Coletæ nuncupatarum, Ordinis ſanctæ Claræ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim nos ante noſtram promotionem ad Cardinalatus honorem, dum Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum fungeremur officio, in Generali Capitulo Fratrum dicti Ordinis, intellecta certa controverſia, quæ tunc vertebatur inter dilectos filios Vicarium Miniſtri Provincialis & Fratres reformatos dicti Ordinis, Provinciæ Burgundiæ, ſecundum morem ipſius Ordinis, & eaſdem Moniales, ac Viſitatores earum pro tempore exiſtentes, ſuper deputatione Fratrum, qui curam habere deberent earumdem, & ſuper nonnullis gratiis & privilegiis per Miniſtros Generales dicti Ordinis, qui pro tempore fuerant, eiſdem Monialibus conceſſis, viſis Vicarii & Fratrum reformatorum, ac Viſitatorum, & Monialium earumdem juribus, ac diſcuſſis, quæ diſcutienda erant, una cum Capitulo prædicto nonnulla ſtatuimus, voluimus & ordinavimus, quæ Nobis & Capitulo præfatis viſa fuerunt neceſſaria pro pace & quiete eorumdem: quibus tam Vicarii & Fratrum Reformatorum, quam Viſitatorum & Monialium earumdem tunc Procuratores ibidem præſentes acquieverunt, fueruntque poſtmodum ea omnia per dilectos filios Zannettum de Utino Generalem Miniſtrum, & Fratres dicti Ordinis, Generale Capitulum Fratrum ipſius Ordinis Venetiis & Ferrariæ repræſentantes, ſucceſſive approbata; prout in quibuſdam noſtris & præfati Zannetti litteris, ſigillo officii Generalis Miniſtri præfati Ordinis munitis, quas in Cancellaria Apoſtolica diligenter inſpici, & noſtris omiſſis characteribus & ſignis, præſentibus annotari fecimus, plenius continetur. Quare pro parte moderni Viſitatoris & Monialium earumdem nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ordinationes & ſtatuta hujuſmodi, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolico munimine roborare, & ut perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſerventur, ordinare, aliaſque eis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dictorum Ordinum & perſonarum illarum ſtatum proſperum & tranquillum intenſis deſideramus affectibus, ac de præmiſſis ſumus plenarie informati, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ea omnia, quæ dudum in præmiſſis voluimus,

Lib. 20. bullar. Sixti fol. 4.

mus, & ſtatuimus & ordinavimus, ut præfertur, & prout illa concernunt, omnia & ſingula in dictis noſtris litteris contenta, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac mandantes nunc & pro tempore exiſtentibus Vicario, Miniſtris & Fratribus Reformatis dictæ Provinciæ, ac Viſitatori & Monialibus Congregationis præfatæ, ut illa omnia inviolabiliter obſervent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam ſingulos ex eis, qui contra fecerint, incurrere volumus eo ipſo, & a qua, præterquam in mortis articulo conſtituti, ab alio, quam a nobis & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris canonice intrantibus, nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque. Tenor vero litterarum prædictarum ſequitur, & eſt talis. In Chriſto ſibi cariſſimis Reverendo Miniſtro Provinciæ Burgundiæ, ejuſque Vicario ſuper Fratres Reformatos ex Ordine Minorum, & Chriſto Deo dicatis Sororibus, Abbatiſſis & Monialibus ceteris, olim bonæ mem. Sororis Coletæ, & Viſitatoribus earumdem Sororum præſentibus pariter & futuris, omnibuſque & ſingulis Fratribus ipſis Sororibus impræſentiarum ſervientibus, aut qui ſervient in futurum ſub quovis titulo, frater Franciſcus de Ruvere de Saona, artium & ſacræ Theologiæ Doctor, & totius præfati Ordinis Minorum Generalis Miniſter & ſervus, ſalutem in Domino, & pacem ſempiternam. Quoniam humani generis inimicus, qui numquam ceſſat quærere, quem devoret, & eos præſertim circumvenire, qui ſe Divinis obſequiis dedicarunt, ſua inſtigante verſutia ac calliditate, annis ſuperioribus diſſidium non parvum ſeminavit inter vos venerandum Vicarium Miniſtri Provinciæ Burgundiæ, & Fratres veſtros Reformatos, quibus præeſtis ex una parte, & Viſitatorem Sororum illius ſanctæ memoriæ ſororis Coletæ, ac Sorores ipſas ex alia parte, pro aſſignatione Fratrum, qui ſervire habent Sororibus ipſis, & propter nonnullas gratias a noſtris prædeceſſoribus Viſitatori ac Sororibus conceſſas, & alia plurima inter vos occurrrentia, ita ut neceſſe fuerit pro majori concordia veſtri omnium ac pace, partes vocare ad noſtrum Generale Capitulum, nuper in celeberrimo Conventu ſanctæ Crucis almæ Civitatis Florentinæ, dante Deo, feliciter celebratum anno Domini MCCCCLXVII. die XVII. menſis Maii, & jura utriuſque partis audire pariter & examinare in præſentia omnium RR. Miniſtrorum, Vicariorum & diſcretorum omnium Provinciarum totius Seraphici Ordinis noſtri. Verum intellectis querelis & articulis, qui per fratrem Petrum Chambonis, nuncium Vicarii, ac veſtrum omnium Fratrum Reformatorum in Provincia Burgundiæ, & ſocios ſuos expoſiti fuerunt, ac etiam auditis reſponſionibus factis per fratrem Petrum Albi, Viſitatorem Sororum prædictarum, ac per Procuratorem ipſarum D. Joannem Bolongarii, ſacræ Theologiæ eximium Doctorem, quem Illuſtriſſimus Dux Burgundiæ, & alii multi Principes pro hac cauſa ſpecialem nuncium miſerunt ad ipſum noſtrum Capitulum Generale. Et viſis omnibus vocibus utriuſque partis, ac diſcuſſis hinc inde iis omnibus, quæ pro concordi ſtatu veſtrum omnium diſcutienda veniebant, & diligenter examinanda per præfatos omnes RR. Miniſtros ſigillatim & Vicarios, ut præfertur, ac diſcretos: tamdem ego ſimul cum conſilio & aſſenſu totius Generalis Capituli, ne hujuſmodi lites veſtræ ac controverſiæ amplius in futurum oriri poſſint inter vos, concluſi & determinavi has breves ordinationes, quas volo & mando per ſanctam obedientiam, & ſub pœna ex-

com-

communicationis, a vobis Vicario & Fratribus Reformatis antedictis, Viſitatore, Abbatiſſis & Sororibus ac Fratribus illis ſervientibus perpetuo inviolabiliter debere obſervari; quas etiam præfatus nuntius ac Procurator, Viſitatorque & Nuncius veſter frater Petrus Chambonis cum ſociis ſuis legere audiverunt publice, & eas acceptaverunt humiliter, juraveruntque nomine veſtro ac veſtrum omnium, tamquam repræſentantes vos ipſos omnes, & quilibet pro parte ſua, his ordinationibus meis, ac totius Generalis Capituli ſemper velle acquieſcere, & firmiter obtemperare. Primo igitur ego cum univerſali Generali Capitulo determino, ſtatuo & ordino, quod Abbatiſſæ & Sorores prænominatæ, ſimiliter Viſitatores & Fratres Sororibus ipſis ſervientes præſentes & futuræ ſive futuri remaneant in vocatione ſua, viventes ſecundum ſuam Regulam ac ſtatuta ſua ſive reformationes & ordinationes ipſis a ſanctiſſimo D.N. vel a meis prædeceſſoribus, præſertim Reverendiſſimo Generali Guillelmo de Caſali indictas, ſive quovis modo conceſſas, quibus nulla ex parte intendo derogare ſeu contradicere. Secundo, quod Abbatiſſæ ſimiliter & Sorores, Viſitatorque ac Fratres ipſis Sororibus ſervientes, qui vel quæ impræſentiarum ſuperſunt, aut pro tempore erunt, non ſubjiciantur Vicario Fratrum Reformatorum, neque illi teneantur obedire, ſed de conſenſu & auctoritate R. Miniſtri, in cujus Provincia degunt, ſubjiciantur ipſi Viſitatori, & illi obedientiam præſtent, qui juſtitiam ipſis omnibus & ſingulis miniſtrare habeat, prout neceſſitas exegerit. Tertio, quod Fratres illi, qui ſervire habent Sororibus, aſſignentur eis ad poſtulationem earum, juxta ipſarum Regulam & conſtitutiones, per reverendum Miniſtrum ex ipſis Fratribus Reformatis, tales & in tali numero, quod ſufficere poſſint pro ſervitiis ipſarum Sororum; ita quod ad multiplicationem Sororum, ſecundum ſufficientiam, ſi fuerit opus, multiplicentur & ipſi Fratres Sororibus ſervientes, nec aliter ipſi Fratres ſervire audeant ipſis Sororibus, niſi per R. Miniſtrum, aut Sororum Viſitatorem, cui Miniſter ad hoc committere habebit vices ſuas, aſſignati ſint. Si autem fortaſſe contingat ipſos Fratres ab humanis decedere, aut gravi & diuturna infirmitate detineri, poſſit dictus Miniſter aut Viſitator ejus auctoritate, alios presbyteros Fratres eorum loco ex eiſdem Reformatis ſubrogare, ſecundum quod melius expedire videbitur. Quarto, quod ipſi Viſitatores viſitentur per Reverendum Miniſtrum quemadmodum per eoſdem Cuſtodes viſitantur, ſimiliter & corrigantur, ſi fuerit opus, ac puniantur, ſi forſan in aliquo corrigendi venerint aut puniendi. Quinto, quod ſi forſan eveniat quandoque quod Viſitator ex Monaſterio recedat & alio ſe conferat pro cauſis occurrentibus, confeſſor Sororum, qui aderit ibidem, præſentis conſtitutionis & determinationis vigore, illam auctoritatem & facultatem habeat ſuper Fratres ibidem degentes uſque ad regreſſum ejuſdem Viſitatoris ad idem Monaſterium, quam ipſe Viſitator in receſſu ſuo ſibi, Miniſtri auctoritate committere voluerit. Sexto, quod ipſi Viſitatores, qui modo ſunt & pro tempore aderunt, non poſſint recipere ad Ordinem aliquos, niſi per licentiam & auctoritatem, quam Miniſter ſibi dabit, & tales ſic recepti, maxime ſi clerici fuerint, toto ſui novitiatus tempore maneant ſub ferula Magiſtri, ſecundum conſtitutiones Ordinis, in aliquo Conventu Fratrum Reformatorum, cujus Conventus poſtmodum ſint filii, & facta profeſſione ſua, ad ſerviendum Sororibus, ſi diſpoſiti fuerint, per Viſitatorem ad hoc a Miniſtro deputatum revocentur; ſi vero non videantur apti ad ſervitia Sororum, poſſit R. Miniſter vel Viſitator ab eo commiſſus, de aliis ejuſdem familiæ eorum loco providere. Septimo & ultimo, quod ipſe

ipſe Viſitator etiam non poſſit ſuos Fratres recipere ad profeſſionem, nec illos promovere ad ſacros Ordines, niſi de licentia ſpeciali reverendi Miniſtri ſui. Et iſtas meas ordinationes & determinationes cum conſenſu totius Capituli factas, promulgatas & acceptatas, volo extendi ad omnes Sorores Monaſteriorum quorumcumque Reformatorum, ſive ædificatorum per ipſam ſanctæ memoriæ ſororem Coletam: ſimiliter ad Viſitatores & Fratres Sororibus ipſis ſervientes, ac etiam ad Vicarios ceteros, ſi qui forte ſint hujuſmodi alii, & Fratres omnes Reformatos in quacumque Provincia, Civitate vel loco, & pro quocumque tempore ſive præſente, ſive futuro, illos eſſe contigerit; unde præſentibus ſcriptis mando vobis omnibus prænominatis & ſingulis, præſentibus pariter & futuris in virtute ſanctæ obedientiæ, ac etiam ſub pœna carceris & privationis omnium actuum legitimorum (quas pœnas volo ipſo facto contravenientes incuriſſe) diſtrictius præcipio, quod nullus, quovis pacto ſive alia quavis ex cauſa, aut quæſito colore huic meæ & totius Capituli Generalis ordinationi, ſanctioni, ſtatuto, concluſioni, & determinationi præſumat contradicere vel contravenire, aut alias quomodocumque reſiſtere vel repugnare, ſed eam quilibet ſtudeat pro viribus adimplere & executioni mandare, ut inter vos omnimode vigeat ſancta pax & concordia, quæ intuitu caritatis eſſe debet inter veros ſervos Dei, quales vos faciat & conſervet Altiſſimus. Bene valete in Domino Jeſu, mutuamque in vobiſmetipſis caritatem continuam habere procuretis, & orate Deum pro me. Datum Florentiæ in almo Conventu noſtro ſanctæ Crucis, tempore noſtri Generalis Capituli, annuente Deo, ibidem feliciter celebrati anno Domini MCCCCLXVII. die XVII. Menſis Maii. *Nulli ergo &c. noſtræ approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, mandati, & voluntatis infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c.* MCCCCLXXII. XII. *Kalendas Julii, anno* 1.

Amadeo Hiſpano varia conferuntur privilegia.

XXXII. Amadeo Hiſpano, de quo ſæpe locuti ſumus, a ſe in Urbem vocato, & ſuis confeſſionibus excipiendis deſtinato, multa hoc anno Sixtus conceſſit privilegia, ejuſque Congregationem, necnon Confraternitatem ab illo Mediolani inſtitutam, ſequentibus gratiis affecit.

Dilectis filiis Amadeo Hiſpano Cuſtodi domus beatæ Mariæ, de la pace nuncupatæ, Mediolanen. Ordinis Fratrum Minorum &c. ſalutem &c.

Ex originali.

Paſtoris æterni, cujus vices, licet immeriti, gerimus in terris, doctrinis inſtruimur, ejuſque ſalutaribus monitis edocemur, ut univerſis vigilantiæ noſtræ creditis talia favorabiliter concedamus, per quæ in præſenti vita Divinis adſtricti obſequiis, puris mentibus Altiſſimo gratum famulatum reddere, ac demum per hoc ad æternæ claritatis gaudia ſine fine feliciter valeant pervenire. Hinc eſt, quod nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, vobis, necnon centum tam de clericis, quam de laicis confraternitatem ad tui, dilecte fili Amadee, perſuaſionem Mediolani inſtitutam, ac quadraginta perſonis, viro & uxore, quia una caro ſunt, pro una perſona reputatis, in ſingulis aliis terris & locis inſtitutam, & Deo dante, inſtituendam, intrantibus pro tempore, ac decreta & ordinationes ipſius confraternitatis ſervantibus, ut vos & quilibet veſtrum & earum omnium, aliquem idoneum presbyterum veſtræ ſocietatis in veſtrum poſſitis eligere confeſſorem, qui in vita veſtra, & earum, in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis ſemel dumtaxat, in aliis vero quoties fuerit opportunum, confeſſione veſtra & earum cujuslibet diligenter audita, pro commiſſis per quemlibet veſtrum, & earum criminibus

bus, exceſſibus & peccatis, cuilibet veſtrum & earam debitam abſolutionem impendat, & injungat pænicentiam ſalutarem: Quodque idem confeſſor, quem quilibet veſtrum & earum duxerit eligendum, omnium peccatorum veſtrorum & earum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fueritis, etiam ſemel dumtaxat in mortis articulo plenam remiſſionem cuilibet veſtrum & earum in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtenti, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, devotionibus veſtris & earum, tenore præſentium indulgemus: ſic tamen quod idem confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, tam vobis ac eis per vos, ſi ſupervixeritis, vel alios ſi forte tunc tranſieritis, faciendam injungat, quam vos ac ipſe, vel illi facere teneamini, ut præfertur. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam vel conceſſionem reddamini procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi a ſinceritate fidei, unitate Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, canonice intrantium deſtiteritis, aut ex confidentia ejuſdem conceſſionis vel remiſſionis aliqua forſan commiſeritis, conceſſio, remiſſio, ac præſentes litteræ vobis nullatenus ſuffragentur: Et inſuper, quod per unum annum, a tempore quo præſens noſtra conceſſio ad veſtram & earum pervenerit notitiam, computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunetis: Et ſi prædictis feriis, ex præcepto Eccleſiæ vel Regulari Obſervantia, injuncta pænitentia, voto, vel alias jejunare teneamini, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut præmittitur, non ſitis aſtricti, jejunetis: Et ſi in dicto anno vel aliqua ejus parte eſſetis legitime impediti, anno ſequenti, vel alias quam primum poteritis, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneamini. Porra ſi forſan alias prælibatum jejunium, in toto vel in parte quomodocumque adimplere commode nequiveritis, eo caſu confeſſor prædictus jejunium ipſum in alia pietatis opera commutare valeat, prout animarum veſtraram & illarum perſonarum ſaluti viderit expedire, quæ vos pari modo debeatis adimplere, alioquin præſens noſtra conceſſio, quoad plenam remiſſionem hujuſmodi dumtaxat, nullius ſit roboris vel momenti: Tibi quoque Amadee, & Cuſtodibus ſucceſſoribus tuis, ut omnes & ſingulos Fratres Conventuales dicti Ordinis Minorum, & alios Fratres quoſcumque ſub obedientia Generalis Miniſtri & Miniſtrorum Provincialium dicti Ordinis, alias quomodolibet viventes, ſponte ad veſtram ſocietatem venientes recipere; atque pro veſtro uſu & habitatione ſex loca ædificata ſeu ædificanda, ultra loca jam per vos recepta, dummodo non fiat alteri præjudicium, etiam recipere & retinere, & in illis locis Eccleſias cum campanilibus humilibus, campanis, domibus, clauſtris, refectoriis, dormitoriis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & conſtrui facere, & in eis perpetuo morari, libere & licite valeatis: felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri bulla, qua prohibetur ne Fratres dicti Ordinis in aliqua Civitate, Caſtro vel Villa, aut alio quocumque loca domum de novo recipere & habere, ac conſtrui facere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis nequaquam obſtantibus: quodque dicta loca ſic recepta, omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis & indultis, aliis locis dicti Ordinis, per Sedem Apoſtolicam vel aliter quomodolibet conceſſis, gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica concedimus & licentiam elargimur. Præterea, tibi Amadee, & Cuſtodi cui-

cuilibet ſucceſſori tuo, quod omnes homines tam mares, quam fœminas ad Tertium Ordinem ſancti Franciſci, de pœnitentia nuncupatum venire volentes, dummodo etiam non fiat alicui præjudicium, ad ipſum Ordinem recipere & veſtire; quodque tu etiam Fratres tuæ ſocietatis in vigeſimo tertio ſuæ ætatis anno conſtitutos, ſtatim completo dicto vigeſimo tertio anno ad ſacerdotium habilitare, ſeu cum eis, ut ad ſacerdotium ſe promoveri facere poſſint, diſpenſare; Fratres quoque ad ſtandum in dicta ſocietate, animo regulariter vivendi venientes prædictos, ab omni excommunicatione, aliiſque cenſuris Eccleſiaſticis abſolvere, & cum eis ſuper irregularitate diſpenſare valeatis, dummodo caſus non ſint tales, de quibus Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda, etiam concedimus auctoritate antedicta: Et inſuper quod caſu, quo dictus Ordo Fratrum Minorum uniretur, & poſtea iterum divideretur, ſocietas Fratrum tui Amadei hujuſmodi immediate ſit & eſſe intelligatur ſub juriſdictione Generalis Miniſtri dicti Ordinis; quodque libri ad uſus Frtrum deputati, & omnia utenſilia Fratrum ſic venientium, & in iſta ſocietate ſeu familia viventium, qui pro tempore in ipſa ſocietate morientur, ſint & eſſe debeant applicata ſocietati ſeu familiæ præfatæ, eadem auctoritate concedimus & decernimus per præſentes: conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXI., IX. *Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno* 1.

Rodul. fol. 100. Marian. l. 5. c. 38. Marc. 3. p. l. 5. c. 48. Lugnan. in ejus vita. Legenda MSS. Oddo in ſpeculo c. 3. in fine. Joannis Bonviſi pueritia & adoleſcentia.

XXXIII. Hoc anno, non præcedenti, ut habet Petrus Rodulphus, ex humanis abiit Joannes Lucenſis, nobili familia Bonviſia illuſtris, ſed vitæ ſanctitate illuſtrior, ab ipſa infantia cœleſti rore perfuſus. Puerulus robuſtum præferebat virtutis amorem, ludicra quæque contemnens, & corpuſculum miris modis affligens. Ter in hebdomada dies integros in pane tranſigebat & aqua, ſed a parentibus juſſus mitigare rigorem, diei unius neglectum jejunium, reliquorum omnium parciori cœna compenſabat. Mundanas timens inſidias, omnium ſugiebat conſortium, & ne carnis violaretur illecebris, ne quid in pretioſum caſtitatis theſaurum committerent, ſeveris legibus univerſos ſenſus cohibebat. Sextodecimo ætatis anno, ut dire graſſantem fugeret peſtem, alio tranſmigravit, ubi ſæviorem ſenſit contagionem, importunas preces doloſaſque artes temerandæ caſtitatis. Malens tamen mori, quam fœdari, agonem ſuum Deo commendans, moleſta tentamenta fortiter ſuperavit.

Mittitur in Hiſpaniam.

XXXIV. In patriam regreſſus, pro gentis more mercaturam juſſus exercere, ſolerti negocio & felici ingenio rem domeſticam magnopere auxit; ſed inde timens decipulam parari, ut rebus inhæreret mundanis, cœpit univerſas & ſemetipſum deſpicere. Miſſus nihilominus in Hiſpaniam ut negotiationem transfunderet, lucri ſocios in Luſitania & Aragonia deputavit. Brevi tempore eam aſſecutus eſt pecuniæ ſortem, & nominis famam, ut Principibus familiaris, & aulicis eſſet gratiſſimus. Inditus tamen rerum cœleſtium igniculus, & mundi contemptus tædere fecit negotii, eoque vili & cinereo incedere habitu, nudo quandoque alterutro pede, ut veſtis ſtatuſque maxime diſſentirent; neque tamen, quod intendebat, contemptui Curiales habebant, qui aliunde honore dignum reputabant. Voto tamdem Religionis emiſſo, paulo poſt peſtilentia correptus, dolebat ſibi præ-

Digitized by Google

præripi occaſionem Deo jugiter ſerviendi. Priſtina recuperata ſalute, in Aragoniam profectus, rationem poſuit cum negotiorum conſortibus, relictiſque, quæ ipſorum erant, conſanguineis, potiorem animæ ſuæ decrevit inire rationem. Ordinem itaque ſimul cum famulo ingreſſus Minorum apud Patres Conventuales, ſolidum ſibi præſtituit virtutum omnium fundamentum, profundam humilitatem & perfectam erga ſuperiores obedientiam. Fit Minorita.

XXXV. In tirocinii exordio, cœleſti illuſtratus lumine, vidit multas imminere Religioni tribulationes, multaſque ſibi parari. Statuit proinde alacriter obviam ire, dicens: *Levius afficiunt mala quæ ſponte feruntur, & gravius premunt quæ fugientem ſubſequuntur. Res concupita ſolamen affert, ſi advenerit inquirenti.* Nihil illi jucundius quam adverſitates quaſque, ſuperiorum increpationes, ſubditorum murmurationes, flagella & verbera, &, quæ gravior ſolet eſſe, nominis pati jacturam. In his per triennium exercitatus, vehementer dolebat quædam ſibi offerri honeſta domus officia, architriclinii ſcilicet aut hoſpitii, eamque de ſe vigere opinionem, ut aliorum curæ præficeretur, qui ſua neſciebat curare. Obtenta licentia ab illa, in Cantabriæ regionem, ſtrictiori vitæ genere commendabilem, proficiſcendi, ſocium habuit adoleſcentem nobilem, equeſtris Ordinis, ejuſdem ſpiritus participem. Admiſſi in domo Regulari, omnia recte ſe habere conſpiciebant, prolixam fieri orationem, devote officium perſolvi, ſtricte obſervari ſilentium, ſed veſtes & victum abunde nimis miniſtrari. Ferebat frigidæ regionis conſuetudo, ut Fratres pelliceis uterentur, atque his quidem advenis protinus obductæ ſunt, non ſine illorum admiratione. Libenter ſuffert quaſcumque tribulationes. Strictum perquirit vitæ genus.

XXXVI. Aliquoto tempore illic commoratus, nimis bene ſecum agi putans, licentiam petiit abeundi. Tamquam phantaſticus, levis & inconſtans a ſuperiore repulſus, dum eodem recedendi ſtimulo pungeretur, ſibi reſpondebat: *Feci, quod meum erat, ſuperior quod ſuum; pro licentia aſperam reprehenſionem reportavi. Quid ergo! an non fortaſſis Deo beneplacitum eſt, ut hic permaneam?* Sæpe tamen vehementer impulſus, in orando perſtitit & obtinuit. Relicto ſocio & pellicea, pauperculum habitum reſumpſit, abiitque ad alium locum, in quo ſeverum præeſſe audiverat Guardianum: ſub quo multa paſſus, inde tranſivit ad alium ſeveriorem ſacræ Theologiæ Magiſtrum. Sæpe hic rus proficiſcens, Vicarium Cœnobioli relinquebat laicum quemdam adoleſcentulum, indiſcretum & iracundum. Apud iſtum quod petebat, Joannes invenit abunde, contumelias, afflictiones & verbera. Hic male habitus ad ſatietatem, dum alia percurrit Cœnobia, ubique contemptus, & tamquam joculator reputatus, præſertim ab adoleſcentioribus Fratribus, qui aſſidentem ſuæ menſæ deridebant, portionem ſurripiebant, & ad commotionem provocabant, æquanimiter omnia tolerabat.

XXXVII. Ad aliquot celebriora Hiſpaniæ ſanctuaria, & beatæ Virginis famoſa delubra profectus, nihil ſecum ferebat in via, totum ſe Divinæ providentiæ committens. Tenui lacernula, nudiſque pedibus incedens, multa patiebatur frigoris & imbrium incommoda, & vel decutiente veſte madida, vel offendente lapide, ſæpe ex cruribus vel pedibus ſanguis copioſe defluebat. In itinere ægrotans, ad pauperum Xenodochium divertit, ubi intermittente febre, ne hoſpitalario eſſet oneroſus, oſtiatim mendicabat, ſumptoque modico cibo, lectum repetebat. Libenter aliis conveſcebatur pauperibus, & ægre ferebat ab iis honorificentius haberi. Alia multa per annos tres in Hiſpania perpeſſus, cœpit in populis celebrari: ille ſibi timens, ne quid vanæ gloriæ latenter obreperet, repetitis precibus obtinuit Studium paupertatis. Regreditur in Italiam.

Tranſit ad Obſervantes Provinciæ S. Franciſci.

nuit ut in Italiam dimitteretur. In Tuſciam perveniens, & prope natalem urbem tranſiens, ingredi noluit, neque germanum fratrem, aut quemquam ex neceſſariis conſpicere. Florentiæ Generalem Miniſtrum convenit, a quo dimiſſus ad Obſervantes provinciæ ſancti Franciſci, ibidem deinceps uſque ad mortem permanſit.

Magnū ejus ſanctimoniæ incrementum.

XXXVIII. Summam animi pacem hic aſſecutus, virtutibus omnibus acquirendis, animæque ſerio excolendæ ſedulam curam adhibuit. Intra paucos annos talis evaſit, ut ab illius temporis ſcriptoribus *Vas omni virtute plenum, ſpeculum honeſtatis, zelator paupertatis, obedientiæ norma, Fratrum amator, populi protector, verus Dei cultor diceretur*. Ita Dei amore incaleſcebat, ut viſu, verbis, geſtibus, & univerſis actibus latentem ignem evaporaret. Cœleſtibus aſſidue intentus, terram pedibus calcabat, ſed per cœlos mente ſpaciabatur; & licet ocyus ambularet, vultu tamen elevato æthera ſemper perſpiciebat. Diffuſa per propinquas Provincias fama ſanctitatis, undique confluebant Fratres virtutem veneraturi, conſilium accepturi. Vidit eum Peruſii ad ſancti Franciſci de Monte, ubi longo tempore permanſit, beatus Franciſcus Ticinenſis, cujus geſta narravimus, conſideratiſque peregrinis ſanctitatis indiciis, & tanto adventantium concurſu, dum interrogaretur, quid de homine ſuſpicaretur; reſpondit: *Magnum & pretioſum ineſſe vaſi fictili & contemptibili theſaurum; deprædari tamen facile poſſe, qui in manibus publice geſtatur*. Hæc referenti dixit Joannes: *qui cum bono Domino manet, nihil poteſt amittere*.

Tom. 12. anno 1454. n. 40. & ſeqq.

Vocatur Neapolim ab Alphonſo Rege.

XXXIX. Alphonſus Aragonius Rex, audita viri virtute, egit cum Vicario Generali, ut ad ſe Neapolim mitteretur. Aliquoto illic hæſit tempore, Regis deſiderio ſatisfacturus, ſed diſplicebat frequens ad Regiam acceſſus, & ſumma aulicorum veneratio, petiitque dimitti. Noluit aſſentiri Rex; ægre enim ferebat virum, quem ſanctiſſimum judicabat, a ſe divelli; ſæpius flagitanti licentiam in ſolitudinem abeundi, & vitam a turbis remotam ducendi, tamdem Rex inquit: *Si apud me non vis permanere, in meis ſaltem vive dominiis. Vitam hanc in meo regno Aragoniæ exorſus es, eam cupio illic proſequaris, & quod ego aſſequi non poſſum, mei populi tuo gaudeant conſortio. Illic ſolitudines, illic devoti receſſus, illic viri, quorum ſocietate læteris*. Quibuſdam injunctis negotiis illuc amandatus, aliquandiu hæſit incognitus, volens demum ad ſancti Franciſci provinciam reverti, licentiam petiit a Vicario. Interrogatus, an illius eſſet Provinciæ, & Joannem Lucenſem cognoſceret? Ab illa ſe receſſiſſe Provincia reſpondit, & illius ſe viri recordari. Ambiguis cautiſque verbis uſum perſpiciens Vicarius, ſuſpicatus eſt, eumdem ipſum eſſe, de quo interrogabat, & ſecundo ſubjunxit; an hominem viderit, aut probe cognoverit? At ille, ſe in facie numquam vidiſſe dixit, neque plene cognoſcere. Cui tertio Vicarius: *An non tu ipſe es Joannes Lucenſis? dic palam abſque ambage*. Urgente Superioris præcepto, non eſt auſus amplius nomen celare, eoque facilius licentiam impetravit, quo reverentius nomen expreſſit.

Amandatur in Aragoniam.

Regreditur in S. Franciſci Provinciam.

Ejus humilitas.

XL. Optimas quaſque virtutes non ſolum in viro hoc ſedem fixiſſe, verum & in gradu heroico in eo effulſiſſe, narrant ſcriptores. Plurima in ſingularem comprobationem adducunt, quæ nos breviori dabimus compendio. Atque ut ab humilitate virtutum omnium ſundamento ſumam exordium. Nihil, dicebat ille, in via ſpirituali abſque humilitate ad perfectum duci, ſummoque proinde ſtudio curabat ſe vilem reddere, iis præſertim, apud quos honorificentius audiebat. Verbis itaque & factis ſe confuſibilem aliquando reddebat, eaque adinveniebat mortificationum genera, quæ inſa-

ſaniam, non virtutem arguerent. Veſtem inconcinne obducebat, vel incompoſite dimittebat; quæ colligebat panis fragmenta, aut carnis buccellas, ubi populi convenerat multitudo, in platea Peruſina neglectim ſpargebat, ridentibus effuſe ſpectatoribus. Per unum ex Conſodalibus quidam vir nobilis eum ſalutavit, rogavitque, illius meritorum fieri participem. Ut hæc audivit, flevit amare. Interrogatus a ſocio fratre Seraphino Caſtelli, cur ita faceret? reſpondit: *quia circa me homines decipiuntur, putantes me aliquid eſſe, cum nihil ſim.* Sæpe uno eodemque die confitebatur, actiones quaſque ſuas diligenter expendens, in ſingulis timens defeciſſe. Inde reprehenſus, quod fatuum ſtultumque videretur, dixit: ſe conſcientiæ cavere, gehennæque pœnas vereri; honores autem vel laudes hominum flocci pendere, apud quos magis cupiebat vileſcere.

XLI. Mira ſane ſunt ejus circa humilitatem documenta, Sanctorum ſententiis paria, & Philoſophorum apophtegmatis potiora. Plura ſunt, ſed referam, nec enim quemquam legere tædebit. Retulerunt ei quemdam virum doctum, eruditum, poſtea profeſſorem, annis duodecim in oratione & humilibus officiis ſemet exercuiſſe, antequam cathedram aſcenderet. *Prudenter factum*, inquit, *ædificii ſolidum ſtravit fundamentum.* Interroganti quid ageret, quia in oratione, etſi aſſidua, ſe aridum & ſterilem ſentiebat? reſpondit: *Non lacertoſum hoc, aut violentum negotium eſt: tuis viribus & diligentiæ nimium tribuis; cum timore & tremore ſalutem tuam operare. Satis jam probaſti quam parum poſſis & valeas: humilia te ſub potenti manu Dei, & ille impinguabit animam tuam. Nonniſi ſuper humiles & contritos corde requieſcit.* At ille: *An non itaque ſuades orare? ſuadeo*, inquit, *ſed in humilitate & puritate cordis; talis enim oratio illuminat, purgat, dirigit & nutrit.* Rurſum ille: *Non adeo dulce mihi ſapit oratio.* Et hic: *non ſapor, ſed amor in oratione obtinet: Deum ama, & te non diligas, ſtatimque videbis quantum oratio dulceſcat.* Objecit ille: *ſanctum Franciſcum referunt ſcriptores ſacra ſtigmata recepiſſe per aſſiduam memoriam paſſionis.* Reſpondens Joannes, inquit; *O paupercule! ſanctus Franciſcus ideo totus igniebat, quia fundatus erat in perfectiſſimo habitu humilitatis.* Interroganti, quid erat habitus humilitatis? dixit: *reputare quod ſumus vere miſeri.* Et clamavit: *O interior humilitas!* adjecitque: *quanto magis quis credit ſe poſſe ſuis viribus bonum operari, aut malum fugere, tanto facilius labi permittitur. Solus Deus bonorum omnium principium, medium eſt, & finis. Superbia eſt & ſtultitia opinari quemquam a ſe emanaſſe virtutes: prudentia & ſapientia ſuam cognoſcere miſeriam.* Egregia ejus doctrina.

XLII. Cuidam de ſe ipſo bene opinanti dixit: *Angeli quandoque ſumus, & dæmones aliquando: Angeli, quando coram Deo humiliamur, dæmones, quando ſuperbimus: quando nobis videmur boni, tunc ſumus peſſimi.* Alteri dixit: *ſcientiarum optima eſt cognitio propriæ miſeriæ: videns enim homo, quam miſer ſit, & omnium indigus, ad Dei recurrit adjutorium, inde terrena omnia deſpicit, & totum amorem in Deum transfundit.* Alias ita docuit: *Diſce fatuus reputari, ut ſis ſapiens: inſipiens eſt, qui ut ſe humiliet, neſcit amens fieri. Qui a cibis abſtinet, vel alias colit virtutes propter verecundiam, ſuperbus eſt. De multis rebus interrogatus, ne verecunderis dicere* neſcio; *hoc enim verbum a multis te liberabit moleſtiis, & pacem, ſuper omnia deſiderabilem, conciliabit. Superbia multas advehit tribulationes, humilitas fugat. Quanto magis operamur bonum, tanto magis obligamur Deo, a quo bonum omne procedit; quanto plus ſine humilitate agimus, tanto deterius incedimus. Quanta eſt humilitas, tanta eſt omnis*

noſtra virtus, ſine bumilitate omnes virtutes evaneſcunt. Cognitio & bumiliatio ſui ipſius, primus lupis eſt ſpiritualis fundamenti, ſine quo profunde ſubſtruto, ædificium in altum non conſurgit. Qui ſe exiſtimat aliquid eſſe, ſcintillis ignis repletur. Humilitas vera, Dei quoddam lumen eſt, per quod noſtrum nibilitatem, minimaſque rerum noſtrarum entitates conſpicimus, ſicut pulverum utomos in ſolis rudio per feneſtram ingrediente. Magna illa virtus & perfecta cognitio eſt, ſcire regredi unde exivimus; ex pulvere noſter exitus, illuc ſit noſter quotidianus regreſſus, conſiderantes oculis mentis, quam ſumus bonorum omnium inanes. Heu quam fatui ſumus, qui de bonis uctibus, quos Deus per nos operatur, ſtulte gloriamur! non uliter quum gloriabunda muſca arantis bovis cornibus inbærens, ſub veſperum dicere poſſet, ecce quam ſpacioſum eumpum uravimus. Totum quod in nobis & a nobis eſt, nibilo minus eſt reputandum: quare ergo noſtris chimeris, & variis imaginationibus Dei opera diſſipamus? Deus in æternum permanet, & omnia noſtra tamquam veſtimentum computreſcunt: omnes mortales ſuam conditionem intelligant; omnis ſacrarum precum lectio illis verbis Tu autem Domine &c. *non ſine cauſa terminatur.*

XLIII. Cuidam, qui ſibi complacebat & alios contemnebat, dixit: *ſi nos uliis meliores & ſapientiores videri velimus, id opere comprobemus. Amor proprius nos excæcut, qui noſtra ob oculos ponit, & aliorum præclara operu digne expendere non permittit. Itaque proximorum actiones contemnere, & noſtras magnificare, cæcitas mentis eſt. Proximi defectus diligenter intueri, & miſerias noſtras non conſiderare, magna eſt ſuperbia. Miſeriis Fratrum tuorum compatere, conſiderans te ipſum ne & tu tenteris. Humilitas eſt optimum & lucidiſſimum defectuum noſtrorum ſpeculum, in quo univerſos intuemur; ſuperbia e contrario omnes abſcondit.* Interrogatus a duobus vel tribus Fratribus, quid agere deberent, ut Deo magis placerent? reſpondit; *bumilitate vos, filli cariſſimi, deſcendite quantum poteſtis.* Cui unus ex illis: *Itu ego de mea ſuperba conditione diffido, quod ſi Dominus a me repellere non velit ſuperbiam, & bumilitatem infundere, timeo me numquam virtutem banc aſſecuturum. At*, inquit Joannes, *boc ipſum quod dicis, bumilitus eſt.* Judicabat quidem Frater aliquos ex ſuis Conſodalibus; quoſdam laudabat, quoſdam vituperabat: cui Joannes: *bæc judicia ex ſuperbia prodeunt; ſi enim te perfecte cognoſceres, alios non judicares. Noſtra judicia vana ſunt, & fallacia: Dei ſtandum eſt judicio*:
Rom. 14. 4. tu quis es qui alienum judicas ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit. *Ego quadraginta annis ſtudui ut me ipſum cognoſcerem, neque bucuſque id uſſecutus ſum.* Sub mortem rogatus a ſocio Seraphino, ut paternum & ſalutare aliquod relinqueret conſilium, uno hoc verbo totam comprehendit inſtructionem. *Humilia temetipſum, quantum poſſis, ita ut ſi fieri poſſit, deficius ſub bumilitate, & ad nibilum redigaris.*

XLIV. Erat etiam Chriſti famulus valde zelotypus ſui affectus, dedi-
Purus amor Dei. gnatus quidpiam præter Deum amare, dicens reliqua omnia indigna eſſe, quæ diligantur. Totum itaque ſtudium in eo poſuit ut procul faceret, quæ impedirent, aut minuerent generoſum iſtum affectum. A ſuis proinde Fratribus fugiebat, & diligentes vitabat colloquia ſecularium. Reprehendens ſemel unum ex Conſodalibus, qui libenter cum ſecularibus converſabatur, dixit: *Ego pro martyrio duco cum ſecularibus loqui, ſed & illorum fero graviter aſpectum. Qui ab eis quæritur, ut conſulat & juvet, debet fraterne uccedere & breviter expedire. Qui Deum vult quærere, inveniet eum: qui aliud præter Deum vult, neque Deum bubebit, neque illud obtinebit. Si proximum fugiamus, ut Deo magis bæreamus, majorem proximo*

ximo & nobis utilitatem afferemus ; quo enim arctius cum Deo conjungimur, eo plura in proximi obſequium apud Deum poterimus præſtare. Magnam vim quandoque habet amor proximi ad mentes noſtras deprimendas. Illicitis conſentire, ut ſcandalum evitetur ſecularium, paſſim fit, quod non adeo laudo ; illorum enim ſcandalum cito tranſit, noſtrum autem perſeverat : qui tamen ex zelo ita facit, apud Deum pro ſacrificio factum reputabitur, neque ita ſcandalizabitur, ut concutiatur : qui enim confidit in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur in æternum. Si aliis rebus affectum noſtrum impertimur, Deum offendimus : ille a nobis totum repetit amorem, quem ipſe largitus eſt nobis. Deus ſumme bonus eſt & ſapiens, ut quid ergo aliud extra eum quæramus ? Qui in mundo confidit, Dei bonitatem non cognoſcit, qui nos abſque ullo medio diligit. Nos proinde eum viciſſim abſque ullo medio diligere debemus, creaturas vero nonniſi propter ipſum. Valde quidem durum & ferum eſt te amantem non redamare : at ſi Deus verax & fidelis amicus noſter eſt, & nos tenerrime & ſupra modum diligit, ut quid ei amorem non rependimus ?

Qui Deum vere amat, reliqua ſpernit.

XLV. Adeo in corde ejus amor iſte ardebat, ut quando peculiari ſe attrahi guſtu ſentiret, reliqua omnia miſſa faceret. Eapropter aliquando a ſocio incuſatus, quod ſeculares ei loqui volentes nimium expectare faciebat, dixit : *Sanctus Franciſcus, noſter inſtitutor, docebat divinas immiſſiones & viſitationes non debere præteriri. Deus intime docens & aſſiſtens non debet relinqui propter homines. Si enim Deus vellet, ut eum dimitteremus, nos tunc non viſitaret, vel recederet, ut creaturæ condeſcenderemus. Satisfacto Deo, omnibus deinde ſatisfiat creaturis, ipſe novit fracta reintegrare. Deum itaque ama, & malum nullum verearis.* Interrogatus a quodam Fratre, quid ſibi faciendum eſſet ſupervenientibus tribulationibus, quæ imminere dicebantur ? reſpondit : *Quid mali tibi advenire poteris, ſi mundum fugiens, Deo adhærebis ?*

Multas recipit cōſolationes Divinas.

XLVI. In omnibus ſuis actionibus Deum reſpiciebat, & quaſi præſentem haberet, ita erga eum afficiebatur, ut nullatenus ab eo videretur avelli. Multas itaque a Deo recepit conſolationes & cœleſtes viſiones ; Chriſtum Dominum decies ſibi apparentem conſpexit, ſed & Divinam eſſentiam ſcribunt vidiſſe. In tirocinii fervore adeo fuit in Deum transformatus & abſorptus, ut nihil humanum ſentire aut operari videretur. Horis duodecim cœleſtia contemplatus Myſteria, interrogatus, quomodo potuit tam diu immobilis hærere ? reſpondit : animam Deo hærentem nullatenus ſentire corporis incommoda, magiſque eſſe ubi amat quam ubi animat. De vocali oratione non adeo curabat, etſi frequenter beatæ Virginis roſarium præter Divini officii penſum quotidianum recitabat ; dicebat enim tantam eſſe mentalis dulcedinem, ut ſemel expertum vocalis tæderet.

Paupertatis ſtudioſus.

XLVII. Vehementer dolebat, ſi quando Fratres terrenis rebus magis quam Deo adhærebant, aut a paupertate per ſemitas laxiores declinabant. Volentes magnum & ſumptuoſum Conventum adipiſci increpavit, dicens: *video vos, qui Obſervantum præfertis nomen, in Conventualium a quibus receſſiſtis laxitudinem præcipites redire : timeo quod vere de vobis enunciari poſſit :* viæ Syon lugent, eo quod non ſit, qui veniat ad ſolemnitates : *recedunt enim a domibus veſtris in paupertate & ſanctitate prius fundatis, qui nunc vident vos ab iſtis declinare : multæ inter vos oriuntur quæſtiones circa modum paupertatis, & multi ab ea recedunt, amplas domos, & multam ſuppellectilem ſub fucatis coloribus acquirentes.* Quamvis autem ei copioſæ inſtructæque bibliothecæ, pulchra & ſumptuoſa ædificia diſplicerent, diſſimu-

Thren. 1. 4.

mulabat tamen, nec indiſcretorum more turbas aut ſtrepitus excitabat, & in quacumque ex magnis iſtis domibus juſſus reſidere, facile obtemperabat, dicens; paupertatem in ſpiritu magis, quam in habitaculo reſidere, & qui volunt pauperrime etiam in domibus Regum vivere, abunde poſſe: *In ſpecioſis Conventibus ex obedientiæ præcepta habitanti Deus ſuæ gratiæ incrementa non denegabit.*

Subtrahuntur ei Divinæ conſolationes.

XLVIII. Ad meriti incrementum ſubtractis aliquandiu Divinis conſolationibus, immiſit ei Dominus etiam ægritudinem corporalem. Putans ſe derelictum, boniſque ſupernis ſpoliatum, vehementer ingemiſcebat, dicens: *Væ mihi qui a ſummo cœlorum & feliciſſimo ſtatu cecidi in profundum. Tempus fuit, quo ſuperabundantes conſolationes Divinas ego fugiebam, nunc autem fameſcens & contabeſcens, ſtillas minimas præteritæ dulcedinis avide exciperem, ſupereffluentes in terram guttulas lamberem. Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me? ſed quis ego ſum miſellus, qui hæc verba filii tui uſurpem, aut de te conquerar, qui tot annis me affluenter prævenisti benedictionibus tuæ dulcedinis.* Poſtquam autem ei Dominus reddidit lætitiam ſalutaris, & ſpiritu principali confirmavit, dixit tribulationem ſibi ſalutarem fuiſſe inſtructionem, didicitque aliis in ſuis afflictionibus commiſereri:

In tribulationibus eruditur.

In hac ſchola tribulationum, dicebat, *ſervi Dei erudiuntur ad virtutem, & ad perfectum deducuntur. Adverſa enim pati ſummopere conducit ad ſedandas animi paſſiones, comprimendoſque carnis affectus. Vere*, inquit, *in me probavi, quod in pace amaritudo mea amariſſima, & quando non eram tribulatus, tunc magis tribulabar.* Quando ab aliquo injuſte reprehendebatur, vel injuriam ferebat, quaſi pharmacam aut aromatariam potionem ſumeret, ſibi ſuggerebat: *Bibe, bibe, quia tibi erit ſalutare.*

XLIX. Fratrem quemdam valde commotum quia ab alio fuerat contemptus, ita inſtruxit: *Beatus ille, qui contemnitur, & qui contemni cupit, ſi patienter ferat contemptum. In ipſo contemptu ingentes reperies conſolationes, magnamque aſſequetur victoriam fractæ & domitæ ſuæ voluntatis. Qui in via Domini abſque hoc fundamento progredi tentat, præſumptuoſus eſt. Deus vult ut pro virtutis & meritorum incremento, dum in hac lacrymarum valle verſamur, tribulationibus exerceamur. Animus afflictus & humiliatus ad ſua vota Dei miſericordiam facile inclinat. Ad impetranda dona cœleſtia, plus valet tribulatio juſti, quam aſſiduæ orationis verba repetita.*

Rigida ejus abſtinentia.

L. Rigidæ fuit abſtinentiæ: diebus jejunii ſolo pane & aqua contentus, reliquis temporibus a carne & piſcibus vacabat, cœnam nonniſi in ſenectute & gravi contracta infirmitate ſumebat. Rerum cœleſtium guſtu adeo afficiebatur, ut nihil ſaperent terrenæ, miroque modo ſuum corpus negligeret, cui multis annis ſe vim intuliſſe dicebat: *A vitio*, inquit, *gulæ numquam me permiſi ſuperari; fatuum enim ſemper reputavi, propter duas uncias gulæ, ſeu propter cibum immodice ſumptum bona æterna mihi parata in diſcrimen vocare. Propterea Deum inſtantiſſime rogavi, ut dignaretur omnem a me ſubtrahere guſtum rerum terrenarum, ita ut nihil præter ipſum mihi ſaperet aut placeret.* Exauditum referunt vitæ ſcriptores, & ab ea hora guſtum omnem corporalem amiſiſſe, lautiores cibos omnino abhorruiſſe, & tenues vileſque, nonniſi urgente neceſſitate, modice ſumpſiſſe. Cum ſeni & infirmo meliora apponerentur, quaſi ad tormentum vocaretur, ſuſpirabat & ingemiſcebat; juſſus tamen ſumebat, duplex meritum aſſecutus, & pœnæ quam ferebat, & obedientiæ quam exercebat. Videns Valetudinarii præfectus eum adeo graviter affligi, ad ſingulas buccellas ſuſpirare, & aliquando

do deficere, dixit indignabundus: *Non debuiſſes, Frater, a Deo petere ut omnium a te auferret ciborum guſtum, ſi pœnam hanc ferre nolebas*. Cui ille: *non putavi tantam futuram*.

LI. Exhortatus Fratres ad victus parcimoniam, dixit: *Medicinarum omnium optima eſt ciborum parcitas. Corpus, ſi paucis aſſueſcit, pauca requirit, liberatur a multis curis & morbis; ſi multa ſubminiſtrantur, plura concupiſcit, nec appetendorum dabitur finis. Qui vult cum Sanctis in cœlo regnare, debet ad eorum exempla in abſtinentia multa & carnis mortificatione vitam tranſigere. Delicatulus Frater, qui corpori indulget, & poſt varios incedit medicinas, ſalutem enervat, molleſcit, & de vitio prolabitur in vitium*. Nimios autem reprehendens abſtinentiæ rigores, dicebat: *ſapientia eſt non vulgaris ita ſe rebus attemperare, ut ſciat quis ſine delectu ciborum ſuo tempore manducare, & quando oporteat abſtinere. Qui contra diſcretionis virtutem toti vigiliis & abſtinentiis incumbunt, ut plurimum impatientes ſunt & iracundi, & quandoque ſuperbi. In omnibus virtutibus inſidiæ poſſunt eſſe, diaboli poteſt latere dolus & deceptio, cavendum eſt, ut omnia fiant ex ſincera humilitate, & ſuperioris præcepto. Adeo prompte, jubente ſapienter prælato, ego die veneris carnes manducarem, quam ex proprio arbitrio diebus præſtitutis ab eiſdem abſtinerem*. In ea diſcretionem requirit.

LII. Erga ſuperiores obſequentiſſimus, ab eorum præceptis neque in minimis voluit reſilire, neque abſque eorum licentia aut benedictione operoſum quidquam intentare. Etiam in valetudinario expectabat præfecti imperium ut manducaret, non ſuo ſed aliorum regi cupiens arbitrio. Si quos habebat tirones judicio proprio inhærentes, in minimis probabat, neque quidquam vel leviuſculum ab eis fieri permittebat abſque licentia: quos ad obediendum promptos videbat, paucioribus & levioribus urgebat præceptis: quos nimiis obediendi ſtimulis agitari conſpiciebat, frænum relaxabat, & qui laxius agebant, miris modis cohibebat. Nihil tam commendabat Fratribus, quam obedientiam. Dicebatque, non qualitatem, ſed dignitatem & auctoritatem ſuperioris eſſe conſiderandam: *Multoties*, ait, *oportet religioſi, qui ſuis ducitur affectibus, voluntatem frangere, & deſideriis contraire, ut ad obedientiæ regulas temperetur*. Obedientiam dividebat in utilem & damnoſam, in diſcretam & indiſcretam. Utilem & diſcretam dicebat illam, quæ per fidem prompte operatur, cum cognitione agendorum; damnoſam & indiſcretam, quæ ſine fide aut notitia ſtulte exercetur circa res illicitas, a fidei regulis devias, & animæ nocivas. *Permittit Deus aliquando a Prælato malum juberi in pœnam illius, qui immodico & inquieto affectu malum concupivit: ſed magna eſt excuſatio ex parte obedientis, qui etiam in malo ignoranter, ſed ſincere præceptum adimplet*. Perfecta ejus obedientia.

LIII. Rogatus a quodam ſuperiore ut boni Prælati partes explicaret, & regulas bene regendi præſcriberet, dixit, ſibi facilius eſſe aliis obtemperare, quam regiminis normam docere; attamen ut morem importune petenti gereret, pauca iſta congeſſit. *Prælatus erga ſuos ſubditos induere debet viſcera caritatis, & amore potius quam terrore regere, non nimis premere, nec ultra vires gravare. Caveat tyrannum agere, aut partialibus duci affectibus: ſit omnibus idem, erga miſeros compaſſivus. A ſubditis non ſperet remunerari ſed a Deo; illi enim frequenter multiplex ſuperioris beneficium inſigni compenſant ingratitudine. Non debet ſuper ſubditos ita exaltori, ut eos contemnat: expedit ut eorum aliquando imploret conſilia & ſequatur, ut humilius de ſe ſentiat, qui humilium indiguit, & uſus eſt conſiliis. Quidquid agit, moroſe & diſcrete agat, ſolide per viam virtutis incedat; ſi enim* Boni Prælati partes deſcribit.

ut

ut ſubditis condeſcendat, a recto tramite recedat, malum duplicabitur, Deum offendet, & ſubdito non ſatisfaciet. Subditum numquam corripiat in mœrore aut tribulatione conſtitutum, differat correctionem donec nubilum evaneſcat & reſipiſcat. Præceptis refragantem non tentet ſtatim flectere, det tempus mutandi conſilii. Ante omnia Prælatus curet ſe ipſum regere, quod ſi neſciat, male alios gubernabit. Prælatus bonus ſola præſentia & rectitudine intentionis ſubditos in ſancto timore conſervat. Subditus ille nobili donatus eſt libertate, qui ſe ipſum novit vincere, & voluntatem ſuam non tam domare quam frangere.

Alia paupertatis illius argumenta.

LIV. Paupertatem ſummo ſtudio ſectatus, ſolo habitu, cingulo, & femoralibus dives, nihil aliud præter breviarium volebat habere. Contigit, ut paulo poſt profeſſionem pulchrum ei breviarium quidam mercator aliquot aureis comparaverit: renuit ille accipere, dicens, pauperculum Fratrem magni pretii librum dedecere. Hortabatur ut acciperet ſocius, nec potuit perſuadere: *accipe*, inquit, *tu, & diligenter cuſtodi, ne deſloreſcat: mihi pauperculus liber ſufficit, quem facile poſſum aliis commodare.* Obſervandæ paupertatis zelo nihil audebat aliis largiri, rationemque reddebat, quia ſoli Domino ineſt dominium, ſine ejus licentia in alium non licet transferre. Caſtitatem per omnem vitam illibatam ſervavit: in ſenectute tamen, qui in juventute etiam cogitationes minus honeſtas procul faciebat, magnam & moleſtam paſſus eſt carnis tentationem, quam longa oratione & vigiliis ſuperavit.

Illibata ejus caſtitas.

Illius ſilentium.

LV. Silentium ſtricte ſervabat, & aliis impenſe inculcabat. *Pauca verba*, inquit ſocio, *& non deviabis: qui Deum offendere non vult, ſolitudinem diligat, non tamen ſolitudinem montium aut ſeceſſus nemorum intelligo; cum ſolitarium reputo, qui inter ſemetipſum ſe colligit, ſibi vacat, & inter ſeculares manens, eorum ſtrepitus & rumores non audit.* In ferendis injuriis propriiſque incommodis videbatur agnus mitiſſimus, ſed dum periculum immineret Dei honoris imminuendi, aut proximo injuriam inferendi, ut Leo rugiens ſe opponebat quibuſcumque. Confutabat & confundebat vehementer eos, qui de ſe valde præſumebant, & ſcientiam ſuam oſtentabant, dicens: *Superbia noſtra qualis & quanta eſt, quæ optimas quaſque litteras perdit! Qui ſuperbe ſapiunt, nihil ſciunt. Potior eſt ignorantia humilis, quam ſcientia ſuperbi.* Legebat coram eo quidam adoleſcens ſubtiles quaſdam ſpeculationes, quas jactabunde gloriabatur ſe intellexiſſe. Juſſit ille auctoritate, qua pollebat novitiorum Magiſtri, ne deinceps illum vel alium legeret codicem. Mœrens juvenis inquit: *An non pater toties commendaſti ſacrarum rerum lectionem?* *Commendavi*, inquit, *ſed humilitati conjunctam. Nolo vos plus quam oporteat ſapere, ſuperborum ſcientiam a vobis procul velim. Remove a te ſuperbiam; humiliter, ad Dei, non ad tuam gloriam diſce, & tunc lege quantum volueris.* Alteri adoleſcenti petenti licentiam legendi Nicolaum Lyranum ſuper Evangelia denegavit. Ulterius quærenti quare lectionem hanc interdiceret? reſpondit, *quia tu*, inquit, *lacte adhuc indiges, cibus hic nimis ſolidus eſt tuo ingeniolo. Quod ſi quidquam ex ſacroſanctis his arcanis, ex privata tua lectione perceperis, incipies ſtatim ſuperbire. Lege nunc vitas Sanctorum, & ſpeculum diſciplinæ novitiorum, ex quibus tuam addiſcas juventutem moderari: cum adoleveris, ad altiora tranſibis: debilibus alis noli altius evolare.*

Præſumptuoſos corripiebat.

Lectio an oratio utilior.

LVI. Si quem videbat humilem curioſas ſubtileſque legentem materias, ita monebat: *Cave ne in altum erigaris, appone pondus pedibus tuis, ne nimium eleveris, ſcientia inflat, & vehit in ſublime, unde gravior ſequitur*

tur ruina. Bona eſt lectio, ſed melior oratio; lectio condimentum eſt animæ, ſed oratio cibus: in ea legitur, ſtudetur, arcana aperiuntur, cum Deo ſecreto agitur, & bona quæque impetrantur. Dulcis eſt lectio, ſed dulcior, ſi ad orationem revocetur. Parum ſtuduerat ipſe, attamen ſapientiſſime præſcribebat aliis modum utiliter ſtudendi, adeoque docte de ſingulis rebus agebat, ut viſus ſit cœlitus omnem acquiſiviſſe ſcientiam. Dicebat ſacram Scripturam eſſe claram & intellectu facilem iis, qui Deum in ſpiritu & veritate quærebant, iis vero, qui in ſua virtute confidunt, obſcuriſſimam: *Sacra Sriptura Spiritus ſancti opus eſt, eoque inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Qui illam, ut oportet, percipere deſiderat, neceſſe eſt, ut ab illo ſpiritu, a quo orta eſt, intus illuminetur. Spiritus implet piſcatorem & armentarium. Spiritus omnia ſcrutatur: An non de illo dictum eſt:* Spiritus docebit vos omnia? *& ſine ipſo ſcitum eſt nihil, prout oportet.*

LVII. Petenti conſilium quomodo libros legeret ſacræ Scripturæ, iſtud miniſtravit: *Quod legis, conerie intelligere, nec multa abſque delectu, ſed pauca cum ſapore & delectatione animæ percurre. O inſenſati Fratres, ut quid inanibus rebus, & vanis ſtudiis implicamini? Philoſophi etiam ſine fide Deum cognoverunt, ſed non ſufficienter ad ſalutem. Ideo in mundum miſſi eſtis ut mundum illuminetis, & vos inter tricas & ineptias rerum mundanarum amplius obſcuramini. Scientia in vaſe infecto periculoſa & nociva eſt. Studete ad majorem Dei gloriam, & omnia quæ agitis, cum Dei timore agite; abſque illo enim ſcientia inutiliter peribit. Vera ſapientia eſt, in Deo confidere, & in illum ſe totum projicere:* Quibuſdam ſtudioſis vehementer argumentantibus dixit: *Veritatem filii mitius perquirite: qui veritatem cupit invenire, non timet vinci. Propria via inveniendi veritatem, eſt ſe inclinare occurrenti, & paratum eſſe, ex adverſo arguentis veris rationibus acquieſcere. In veritate pergite, ut ipſam veritatem inveniatis.*

Martyrium concupiſcit.

LVIII. Martyrii deſiderio ſummopere flagrans, ſub vitæ finem prolixius habuit, quam cupiebat. In diuturnam enim & moleſtam incidit ægritudinem, totque modis affligebatur, ut omnem quam poterat, pœnam ſuſtinuerit. Pro Chriſto pati aſſidue cupiebat; ad votum & ultra exauditus eſt. Eos nempe ſenſit cruciatus, quorum loco mors putaretur ſolatium. Eam tamen inde anxius cupiebat, quo ardentius & citius Deo cupiebat conjungi. Interroganti Medico ſi quid appeteret? *Nihil*, inquit, *niſi mortem & Deum*. Inter omnes morbi torturas ſola illa vox audiebatur. *Deus meus, Deus meus*. Tamdem malis conſumptus, ſacriſque ritibus procuratus, inter pſallentium choros, his verbis prolatis: *Valete omnes amici mei, quia ad Deum proficiſcor:* dulciter obdormivit in Domino, in Conventu ſanctæ Mariæ Angelorum prope Aſſiſium. Ejus corpus pulchrius poſt mortem apparuit, ſepultumque eſt ante ſacellum ſancti Franciſci, *in ſepultura*, inquit Marianus, *quæ aliorum duorum medialis eſt*. An id fortaſſe velit innuere, ut inter duo ſanctorum Virorum ſepulcra fuerit tumulatus? Anno MDCXXXVIII: die XXVIII. Aprilis ad ſtruendam ampliſſimam baſem ſuperimponendæ pilæ, cui ingens tholus ſuper ſacellum beatæ Mariæ Angelorum, delubrum mira omnium Religione venerandum, moroſo & lento adhuc opere obducendus eſt, effodi oportuit omnem illam aream ante ſancti Franciſci ſacellum; repertæque ſunt in lateritio quodam depoſita duorum corporum, exeſa carne, oſſium compagines, diſtinctis loculis, uno inferiori, altero ſuperiori tabulato diviſæ. Judicarunt qui adfuerunt Miniſter Provinciæ, & ædis Præfectus, ac reliqui Fratres, corpus inferius eſſe hujus ſanctiſſimi Viri, & ſuperius, quippe poſterius defuncti, Cherubini Spoletani. Tegri-

Gravissimas diu ſuſtinet pœnas.

Moritur Aſſiſii.

Ejus ſepulcrum.

Et translatio.

grimius Lucenſis, Epiſcopus Aſſiſias, accepta a ſacrorum Rituum Congregationi Præfectis Cardinalibus poteſtate, utrumque corpus in una bene condita theca reponi curavit, eo modo quo prius in prædicta capſula repertum eſt: nimirum oſſa beati Cherubini in parte ſuperiori, adjecta in plumbi lamina ſupra tabulam, quæ corpus operiebat Joannis, hac inſcriptione, & altera ſimili, mutato dumtaxat nomine, ſupra tabulam ſupremam, thecæ operimentum.

Oſſa venerabilis ſervi Dei beati Joannis Bonviſi de Luca, Ordinis Minorum, reperta in hac Eccleſia D. Mariæ Angelorum ante oſtium capellæ ſancti Franciſci, occaſione fabricæ anno MDCXXXVIII. *die* XXVI. *Aprilis: ac juſſu ſacræ Congregationis Rituum ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Tegrimio Epiſcopo Aſſiſiate hac capſula anno* MDCXXXIX. *denuo recondita.*

LIX. Facta eſt hæc translatio ſeu nova depoſitio die VI. Januarii ad eam partem muri ſacelli prædicti, quæ reſpicit ad oſtium Cœnobii prope cratem ferream. Reverenter & devote ſervavit ſibi Epiſcopus brachium dextrum, & aliquot dentes ſui concivis Bonviſi, in urbem Lucenſem, beati Viri patriam, tranſmittenda. Ejus vitam ſcripſerunt Seraphinus de Caſtello diſcipulus & ſocius uſque ad mortem, Marianus Florentinus, Marcus Ulyſſiponenſis, Jacobus Oddo Peruſinus, omnibus diffuſius & poſterius Franciſcus de Lugnano ſermone Italico, ſtylo non incongruo, nitidis typis Lugdunenſibus.

Marian. cit. Marc. cit. c. 24. Tom. 11. anno. 1447. n. 20. & ſeqq.
B. Michael de Maſſa.

LX. Deceſſerunt etiam hoc anno in provincia Tuſciæ & devoto Cœnobio Scarlini Michael de Maſſa Maritimæ, Thomæ Florentini, de quo alias diximus, dignus diſcipulus, velut alter beatus Joannes ſimplex ſanctum Franciſcum per omnia imitatus, ſuum Magiſtrum Thomam in omnibus ſecutus. In mortificatione corporis & fervore ſpiritus omnes condiſcipulos ſuperavit. Sepultus eſt in ſanctæ Firmæ Cœnobio in Fratrum cœmeterio. Et in provincia Marchiæ in loco antiquo Piſauri Anaſtaſius Mediolanenſis laicus, vir proceræ & pulchræ ſtaturæ, ſed anima ſpecioſior. Corpus ſuum continuis flagellis, jejuniis & vigiliis affligebat, ſolo pauperculo habitu in æſtate & hyeme contentus, diſcalceatis pedibus ſuper nives & glacies incedebat. Semel in die parum manducabat, reliqua diei parte neque panem ad edendum, neque aquam aut vinum ad bibendum admittebat. Robuſti corporis validas vires exercebat in omnibus Cœnobii officinis, nullum Fratrum obſequium prætermittens, ſive in culina, ſive in triclinio, ſive in horto, ſive ad oſtium, uno eodemque tempore omnia ſimul frequenter admirabili caritate & ſollicitudine exercens officia. Obedientiæ rigidus ſectator, & caſtitatis vigilantiſſimus cuſtos, Regularis Obſervantiæ ingentem zelum præferebat. Patientiſſimus laborum & injuriarum, a colloquiis & converſationibus abhorrens, ſalutare Dei præſtolabatur cum ſilentio, & interrogatus, ea manſuetudine & ſuavi eloquio reſpondebat, ut Angelus Dei videretur.

B. Anaſtaſii Mediolanen. virtutes & mors.

LXI. Licet corpus totius diei continuo labore contereret, nihilominus noctu indefeſſe animam procurabat longa oratione, & paſſionis Dominicæ animo impreſſæ devota meditatione. Antequam reliqui Fratres ad matutinum convenirent, in Eccleſiam deſcendebat, & præmiſſa oratione in angulo Eccleſiæ, exuto habitu, dum integros ſeptem pſalmos Pœnitentiales recitabat, totum corpus aſpere cædebat, in fine ſubjungens: *Hæc paucula verbera cedant in memoriam flagellorum, quæ Dominus meus Jeſus Chri-*

ſtus

ſtus pro me pertulit ad columnam. Toto deinde tempore uſque ad auroram in Templo permanebat. Neque vero hominem erga ſe rigidiſſimum, ad carnis mollitiem fallaciter inclinare Satan deſiſtebat, variis eis figuris apparens, variis etiam modis abire compulſus. Præ foribus in mulieris ſpecie blande ignem ab eo petiit, ut colloquenti noxiorem ignem injiceret. Subodorans ille paratas inſidias, celeriter abiit in culinam, ignitoſque carbones utroque palmo abſque ulla læſione perlatos, in ſinum ejus congerere volens, dixit: *Accipe proditor, quem petis ignem, & in malam rem ad tuum illum infernalem deſcende.* Confuſus diſparuit dæmon, & Anaſtaſius eodem manuum geſtatorio, quos tulit, in culinam illæſus retulit carbones. Alio ſimili miraculo ignem in veſtis laciniis incombuſtis portavit, & multa miracula vivens patravit. Sub mortem ſtella fulgentiſſima ſuper locum quo jacebat, apparuit & perſtitit donec animam ab Angelis in cœlum evectam efflavit. Corpus in Eccleſiam delatum, Alexander Piſauri Dominus, depoſito pallio, appoſito ad collum funiculo, pie veneratus & oſculatus eſt, necnon aulici, cives & univerſa populi multitudo. Poſt aliquot annos ejus oſſa ad Cœnobium novum, intra urbis mœnia conſtructum, translata ſunt.

Marian. cit. c. 39. Marc. cit. c. 53. Jacobil. in vita B. Angelinæ c. 14. B. Antonia Florentina.

LXII. Obiit etiam hoc anno beata Antonia Florentina, Inſtituti ſanctæ Claræ fœmina piiſſima, honeſtis parentibus orta Florentiæ. In tenera ætate viro tradita, poſt paucos annos eumdem amiſit, filium unum enixa. Nolens ad ſecundas nuptias, quantumvis a parentibus rogaretur, tranſire, decrevit Deo ſervire in Monaſterio ſancti Onufrii, curæ ſanctæ Angelinæ Fulginatis ſubjecto, Tertii Ordinis a ſancto Franciſco Inſtituti. Hic religioſis emicans virtutibus, a Generali Miniſtro anno MCCCCXXX. evocata eſt ad Monaſterium ſanctæ Annæ Fulginatenſe. Hinc poſt annos tres Aquilam, Aprutinorum urbem præcipuam, miſſa eſt; Monaſterium ſanctæ Eliſabethæ in colle Branchonis, per nobilem quemdam civem ſub obedientia Angelinæ conſtructum, gubernatura. Annis quatuordecim quas illa Fulgineo duxit, & Aquilæ ad conſortium admiſit, Sorores prudentiſſime rexit. Ad perfectiorem vitam aſpirans, tractiſque in ſua vota pleriſque ex Sororibus, inſtruente & promovente beato Joanne Capiſtrano, tunc Aquilanis prædicante, obtinuit Monaſterium Corporis Chriſti in loco ſancti Victorini, uti alias diximus, pro Sororibus Dominicanis conſtructum, ſibi dari; introductoque Inſtituto rigoroſo primæ Regulæ ſanctæ Claræ, brevi tempore in immenſum amplificavit Monaſterium. Qui primas religioſiſſimi Monaſterii Moniales ſcire voluerit, conſulat diploma Nicolai V. a nobis in regeſto Tomi undecimi tranſcriptum; quas brevi ſecutæ ſunt nobiles puellæ quatuor Dominorum de Sanguino, Clara neptis Comitis de Campo-baſſo, Eugenia filia Marchionis de Campo-baſſo, & Maria Deophena neptis beati Joannis Capiſtranenſis, quæ Monaſterium tam generis nobilitate, quam virtutum ſplendore illuſtrarunt.

Tranſit a Tertio Inſtituto ad primam Regulam ſanctæ Claræ. *Tom. 11. anno 1447. n. 91.*

In Bulla 9. Nicolai V.

Ejus virtutes.

LXIII. Emiſſa in manibus Capiſtrani novi Inſtituti profeſſione, commiſſoque Antoniæ valde reluctanti regimine, cœpit puſillus grex, tota urbe applaudente, creſcere in odorem ſuavitatis. Optimo præibat exemplo Antonia, ante omnia humilitatem ſuis proponens diſcipulis, in vili quoquo miniſterio primum, in honorabilibus locum ſibi vendicans poſtremum. In verbis, factis, inceſſu, veſtibus nihil niſi humile & pauperculum videbatur. Humilitati acceſſit germana virtus patientiæ, per quam conſtantiſſime tulit annorum quindecim graviſſimam infirmitatem, multaſque moleſtias tum inimici occulti, oblectamenta carnis, quæ in conjugio probaverat, impor-

tunc ſuggerentis, tum conſanguineorum & unici, quem reliquerat in ſeculo, filii, de rebus domeſticis controverſias, tum demum Fratrum Obſervantum, quorum curæ Capiſtranus credidit Monaſterium, poſt ejus ab Italia receſſum denegatum obſequium. Ut vero Capiſtranus poſtremam hanc audivit tribulationem, miſit ex Germania, ea qua pollebat Vicarii Generalis auctoritate, Fratres duos Sororum miniſterio ſatis idoneos, Henricum Hungarum, & Ludovicum Dacum, linguam callentes Italicam. Primus poſt unius anni gratiſſimum conſortium obiit in die ſancti Nicolai; ſecundus eodem die, anno ſequenti. Horum religioſo exemplo, Capiſtrani conſiliis, Sororum virtute, & conſtanti deſiderio remanendi ſub Fratrum regimine, tamdem commoti Obſervantes, curam omnem in ſe ſuſceperunt, & fraterne ſunt proſecuti.

LXIV. Paupertatis amatrix nihil permiſit ſuis Sororibus ſuperfluum; nihil terrenarum poſſeſſionum, neque ſibi aliud quidquam præter veſtes ſegmentitias & obſoletas, novas tribuens ſubditis, attritas ſuis uſibus reſervans. Annis ſeptem Abbatiſſæ ſuncta officio, mira pietate & caritate gubernavit, afflictis ſolamen, infirmis lenimen, delinquentibus diſcretam tribuens indulgentiam. Divino amore vehementer accenſa, ad Sponſi cœleſtis ſemper aſpirabat connubia: hinc illi prolixa oratio, vigiliæ in totam noctem protenſæ, & profunda ex imo corde ſuſpiria. Vidit Angela Aquilana ſuper caput ejus in Eccleſia noctu orantis globum igneum, qui totam illuminavit Eccleſiam. Alias viderunt aliæ Sorores a terra toto corpore elevatam, quaſi terrenam hanc molem vellet ſpiritus in cœleſtis Sponſi rapere complexus. Meruit jugiter orans, & in choro cœleſtia contemplans myſteria, beatiſſimam Virginem Mariam duabus ex ſuis ſubditis dulce blandientem aſpicere, aliaſque habuit Divinas viſiones.

LXV. Conſummato tamdem felici vitæ ſuæ curſu, ingraveſcente longa, quam diximus, infirmitate, ſenſit ſe ad Agni nuptias evocari, convocatiſque filiabus, maternam præmiſit ad virtutes exhortationem, & ſacramentis rite munita, feliciter inter Angelorum concentus, poſt noctis medium, hora nona, die ultimo Februarii hoc anno, ætatis ſeptuageſimo primo, ad cœlos evolavit. Statim miro modo divulgata morte per urbem, ſummo mane accurrerunt Cives, magniſque vocibus petierunt, ſanctum corpus in Eccleſiam emitti, ut populi ſatisfieret devotioni. Admirantes Sorores quomodo foris innotuit, quod intus noctu ſucceſſit, nolenteſque contra ſui Ordinis conſuetudinem corpus extra clauſuram temere venerandum exponere, convenerunt cum civibus, ut Epiſcopi judicio controverſia committeretur. Erat tunc urbis Antiſtes Amicus e Colle Medio S. R. E. Cardinalis, vir pius & prudens, qui populi acquieſcens pietati, juſſit corpus efferri. Venit ipſe veneraturus cum univerſo clero, nulluſque erat venerationis finis; donec expletis ſolemnibus exequiis per clerum & religioſos celebratis, tamdem non ſine labore, comprimente ſemper populo, Sororibus intra clauſtra ſacrum pignus reſtitutum eſt. Ea ipſa nocte qua deceſſit, Zingarellum, civem Aquilanum, hydropicum, inteme motum, ut Antoniæ quam obiiſſe neſcierat, ſe meritis commendaret, priſtinæ reſtituit ſanitati. Sororem Innocentiam item Aquilanam, fiſtulis viginti quatuor toto corpore hiantem, ad feretrum in choro repoſitum procumbentem; Mariam Aquilanam frequenti etiam ulcere graviter olentem, & dolentem ſanavit. Infantulum, fratris Honorii Aquilani, Vicarii Obſervantum provinciæ ſancti Bernardini nepotem, & civem quemdam Aquilanum a mortis faucibus, Sororem Urſulam primo a pectoris apoſtemate, ſecundo a magna ſpi-

Moritur.

Magna colitur veneratione.

Ejus miracula.

ſpiritus afflictione, & mulierem quamdam a fluxu ſanguinis liberavit.

LXVI. Reverenter in ligneo loculo collocatum, dum poſt dies quindecim quamdam Sororem ingens ſubiit deſiderium corpus videndi, capſam reclusit, viditque integrum & illæſum, facie pulchrum & rubicundum; ſæpe deinceps thecam aperientes reliquæ Virgines, pulchro lætabantur aſpectu, modo candidam, modo rubicundam aſpicientes. Miſſus ab Epiſcopo Cardinale Magiſter Stephanus inſignis medicus, teſtimonium perhibuit rarum illud cenſendum eſſe miraculum. Nihilominus Epiſcopus propter nimium Monialium erga eamdem cultum, juſſit eam ſub terram in aperto cœmeterio ſepeliri. Illic jacuit annis multis ſub imbre & cœli injuriis, donec fortuito excavata terra, repertum eſt, arcam computruiſſe, corpus autem a corruptione mirabiliter conſervatum. In alia theca repoſitum, obtenta Superiorum licentia, Sorores reverenter collocarunt prope Altare interioris Eccleſiæ; ubi in hunc uſque diem pulchrum & integrum, albentibus oculis, nigris pupillis, in ſimilitudinem viventis, omnibus admirantibus conſpicitur, veſtibuſque ad libitum nullo negotio ſpoliatur & induitur. Potiora ejus acta collegit & retulit Hieronyma Tudertina, ex primis filiabus cariſſima.

Integrum & pulchrum ejus corpus.

LXVII. Multæ floruerunt in prædicto Monaſterio Sorores pietate inſignes, ex primis præſertim Antoniæ diſcipulis; ex quibus ſeligo paucas, ſed potiores. Ludovica Aquilana in oratione aſſidua, quam Innocentia ſupradicta in aere hærentem, globo igneo fulgentem, & Bonaventura de Introdoco, de qua inferius, ſatis familiariter cum beato Ludovico Toloſano, & Antonio Patavino loquentem perſpexit. Jacoba Aquilana, quæ inter ceteras virtutes ſtrictiſſime obſervandum ſibi propoſuit ſilentium, tandemque obmutuit per annos novem, fingens ſe factam elinguem, nutibuſque & ſignis Confeſſario ſua peccata humiliter & clare manifeſtans, nihil interim religioſi muneris prætermittens. Apparuit ei in cella Beata Virgo Maria, filium geſtans in ulnis, cum tres Reges adorabant ſua munera offerentes, & Jacoba ſuo etiam venerata eſt obſequio. Dulciter colloquentes præ foribus audivit Franciſca Aſſiſias, una ex primis illis quatuordecim Antoniæ diſcipulis, currenſque ad Abbatiſſam & Confeſſarium, monuit Jacobæ mutæ reſtitutam loquelam. Vocata in conſpectum, & obedientiæ præcepto conſtricta, ut quibus cum loqueretur, & qualiter linguæ vinculum ſolutum erat, explicaret, omnia ex ordine narravit. Ea fuit innocentia & ſanctitate, ut volucres eam circumdarent, & cantibus exhilalarent. Ex adverſo dæmon frequenter inſidiatus, ſemel ei apparuit in magni & terribilis ſpecie ſerpentis, quem illa animo ultra fœmineum conſtanti, verberibus excepit, e clauſtro repulit, cœleſti jubens imperio, ne in poſterum auderet ſacrum illum locum contaminare. Poſt mortem ejus veſtes languentibus admotæ, ſalutem contulerunt. Gabriela de Pizzolo, cui in oratione apparuit ſanctus Franciſcus, necnon Chriſtus crucifixus, cui ex latere ſanguis profluebat. Illam amplexus & ad pectus comprimens, dextro lateri vulnus inflixit, ex quo per triennium dum vixit, ſanguis emanavit.

Ludovica Aquilana.

Jacoba Aquilana.

Gabriela de Pizzolo.

LXVIII. Sixtus Pontifex memor beneficiorum, quæ a S. Franciſco, etiam in tenera ætate ſuſcepit, acceptamque ferens ſupremam Orbis dignitatem religioſæ ſub ejus Inſtituto diſciplinæ, ſtatuit optimo Magiſtro & munifico benefactori aliquid reddere, per quod gratum ſe tanto Patri filium demonſtraret. Juſſit itaque ut dies Natalis S. Patriarchæ per univerſam Eccleſiam feſtivus ſub ritu duplici coleretur, & colentibus annuas conceſſit indul-

Marian. cit. c. 54. Dies S. Franciſci indicitur feſtivus. *Vide Rodr. tom. 2. qq. reg. q. 28. art. 1.*

gentias,quas Sixtus V. ejuſdem Inſtituti reddidit ampliores. Diploma exſcribo.

Ad perpetuam rei memoriam.

Specul. Ord. Min. tract. 2. fol. 51. *PRæclaru Sanctorum meritu, & grandia virtutum inſignia, quibus velut radiantibus in firmamento ſyderibus ſacroſancta illuſtratur Eccleſia, ac ſupra petram ſtabilita firmiſſimam, Sanctorum irradiatur ſplendoribus, & novæ prolis inſtaurata præſidio, incrementum ſuſcipit & fulgorem, eo frequentius debent univerſi fideles congrua devotione recolere, venerari, ac digna reminiſcentia celebrare ſolemniter collabentibus ſeculis. Cum, peccatis facientibus, fidei Catholicæ fervor plurimum tepuiſſet, decus ille morum, Deoque acceptiſſimus pauperum Patriarcha Franciſcus, ad ſalvandas animas, ipſius Salvatoris noſtri pretioſo cruore redemptas, aberrantem fidelium plebem ad ſalutis opera excitandam erudiendamque, & ſuo reintegrandam auctori, ordinatione ſuperna deſtinatus, inter admiranda ipſius opera, Spiritu paraclito inſpirante, novam Fratrum Minorum Religionem ſacram, ad Dei laudem & gloriam, militantis Eccleſiæ decorem, ac populi Chriſtiani profectum, in agro Dominico, tempore opportuno plantavit, inſtituit, & ſupra petram, quæ Chriſtus eſt, perpetuo ſtabilivit; ut præcipua virorum inſignium ſanctimonia, moribus, ſcientia, atque virtutibus præditorum, fæcunditate & numeroſitate exuberans, fructuoſos palmites ex vite vera produceret, qui Chriſti vexillum per orbem univerſum vehere, nomen, quod eſt ſupra omne nomen, cunctis gentibus prædicare, ſalutaribus inſuper monitis, exhortationibus & exemplis, diabolica fraude deceptos Deo lucrifacere, & a maligni hoſtis ſervitute eripere, ſtudio indefeſſo contenderent; quemadmodum hæc ipſius incłyti patris germina & veſtigiorum eius providi ſectatores, benedicente Altiſſimo, multiplicati in domo Domini, & gratiis perfuſi cæleſtibus, longe lateque univerſas nationes mortalium penetrantes, Chriſti Evangelium, ac veræ fidei documenta cunctis gentibus nunciare, eidem Eccleſiæ antemurale conſtituere, ac pro virili ſuo tueri, munire & ampliare non ceſſant. In hujus igitur ſolemniis almi Patris, Seraphicique Franciſci, quem ſupremus ille Paterfamilias, pro multiplicato cum talentis ſibi creditis innumerabilium animarum lucro, præclariſque virtutibus aliis, corona gloriæ in æterna claritute magnificat, & quaſi lucernam in domo Domini poſitam, ſumme devotionis ſtudio cenſuit a cunctis fidelibus venerari; cupientes, prout operis & officii noſtri debitum eſſe conſpicimus, propter miræ ſanctitatis excellentiam, virtutum ſuarum cumulum, exigentiam meritorum, & hanc Religionem ſacram, ad extirpandas hæreſes, ſchiſmaticorum, & infidelium confutandos errores, credentium vero profectum, ſalubriter inſtitutam, quantum nobis ex alto conceditur, venerationem congruam & honorem adjicere, ac tanto Confeſſori glorioſo pro ſummis in nos beneficiis, præſertim ab ipſis cunabulis, cum vitalis ſpiritus in noſtro corpuſculo palpitans extingui protinus videretur, ipſius protinus meritis & interceſſione, priſtinæ reſtituti fuimus ſanitati, cum aliis gratiarum donis & futurorum præſagiis, quæ cordi noſtro inſident, & memoriæ jugiter retinemus. Tum quia diverſis temporibus, aliis in variis noſtri corporis morbis, & humanis caſibus conſtituti, præſidio ipſius beati Franciſci, qui nos ad ſacram Religionem prædictam, quaſi data manu pro ſua pietate vocavit, & ad hanc uſque diem cum hominis utriuſque ſalute, Domino annuente, perduxit, adjuti & liberati extitimus; pro cujus memoria ejus habitum & inſignia ad extremum uſque diem corde jugiter geſtare ſtatuimus, etiam pro iis acceptis beneficiis poſſibilem nobis gratitudinem*

S. Franciſci in Sixt. IV. miraculum.

nem aliquam, ſuæ quamvis excellentiæ imparem, pro ejus gloria & honore, animarumque ſalute, ſincero & hilari animo exhibere, necnon ipſius feſtivitatis diem celebrem magiſque devotum, & cunctis fidelibus acceptabilem conſtituere in futurum: de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ubilibet conſtitutis, vere pœnitentibus & confeſſis, qui ejuſdem glorioſi confeſſoris Franciſci feſtivitatem hanc, quam deinceps perpetuis futuris temporibus celebrem eſſe, & ut feſtum duplex a cunctis Chriſtianis celebrari, ab omnique opere ſervili abſtineri, & ſub obſervantia & præcepto comprehendi volumus, & tenore præſentium decernimus, devote celebraverint annuatim, decem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxamus. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad univerſas mundi partes deſtinare, volumus etiam & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earum tranſumpto, manu publica ſubſcripto, & alicujus Epiſcopalis curiæ ſigillo munito, tamquam præſentibus litteris originalibus firmiter ſtetur ubique, ac plena ei fides adhibeatur, ac ſi ipſæ originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. VI. *Nonas Octobris, Pontificatus noſtri anno* II.

LXIX. Voluit etiam Sixtus admirandum & ſingulare illud privilegium ſacrorum Chriſti vulnerum, ſancto Franciſco impreſſorum, eidem dumtaxat attribui; non enim certis tunc conſtabat documentis, inter mortales alium pulchris his notis fuiſſe condecoratum. Monuerunt Miniſter Generalis & præcipui Minoritarum Patres, ex ſuperius relato Capitulo Ferrarienſi redeuntes, in partibus Ultramontanis in conſortium alios admitti, maxime autem ſanctam Catarinam Senenſem a pictoribus haud diſſimilibus Stigmatibus inſigniri. Præcepit Pontifex ſub rigoroſis pœnis ne id fieret, emiſſo hoc anno gravi diplomate: ſed cum aliqui ægrius obedirent, & paſſim videretur mandati tranſgreſſio, tertium ferme poſt annum, mandatum renovavit, & pœnas aggravavit. Do utriuſque diplomatis exemplar.

Vetat Pontifex quemquam præter S. Franciſcum cum Stigmatibus depingi.

Ad perpetuam rei memoriam.

LXX. *SPectat ad Romani Pontificis providentiam ſic ſalubriter providere, quod occaſione Sanctarum, quas Apoſtolica Sedes canonizavit, errores in populo & ſcandala non oriantur, ſed illis ſedatis, ipſæ a cunctis Chriſtifidelibus pura fide & devotione venerentur. Sane pro parte dilectorum filiorum Zanetti de Utino Generalis Miniſtri, & Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum, in Civitate noſtra Ferrarienſi præterito feſto Pentecoſtes celebrati, nobis exhibita petitio continebat, quod, licet beatus Franciſcus, antequam ſpiritum cœlo redderet, ſacra Stigmata Chriſti per biennium in ſuo corpore portaverit, & a multis viſa & palpata fuerint, & in ſua ſancta morte omnibus videre volentibus patuerint, multiſque miraculis tam in vita, quam in morte & poſt mortem claruerunt; tamen non licuit Fratribus ſui Ordinis ipſum ſanctum Franciſcum cum Stigmatibus ſacris facere depingi, aut in prædicationibus publicare, donec placuit ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ipſa Stigmata approbare, & licentiam ac conſenſum benigne concedere, ſicut per litteras Apoſtolicas diverſorum ſummorum Pontificum eidem Religioni conceſſas patet. Nihilominus a paucis annis citra, nonnulli Religioſi quaſdam ſanctas, & maxime ſanctam Catarinam de Senis in Regionibus Ultramontanis & diverſis aliis partibus, ſine conſenſu & approbatione dictæ*

Specul. Ord. Min. tract. 1. fol. 12.

Digitized by Google

dictæ Sedis, & ut creditur, ſine rei veritate, cum Stigmatibus Chriſti, ad inſtar beati Franciſci depingunt, & in publicis prædicationibus aſſerunt eamdem ſanctam Catarinam a Chriſto recepiſſe, & verius quam ipſe B. Franciſcus, in præjudicium veritatis, & honoris prælibatæ Sedis, ac in deriſum multorum populorum. Quare pro parte Miniſtri Generalis, & Capituli prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis plenariam habentes notitiam, & quod ſi dicta ſancta Catarina Stigmata hujuſmodi habuiſſet, fel. record. Pius Papa II. prædeceſſor noſter, qui eamdem ſanctam Catarinam cathalogo Sanctorum adſcripſit, & ſuarum virtutum prærogativas in ſua canonizatione luculentiſſime declaravit, ſpecialem de hoc ſingulari privilegio feciſſet memoriam; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, univerſis & ſingulis quorumcumque Ordinum profeſſoribus, & aliis perſonis utriuſque ſexus, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam contrafacientes ipſo facto incurrant, & a qua per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo dumtaxat, abſolui non poſſint, diſtrictius inhibemus prædicatoribus ut a prædicationibus, & aſſertionibus hujuſmodi deinceps deſiſtant; ac præmiſſis perſonis & aliis quibuſcumque, ut picturas cum hujuſmodi Stigmatibus auferant, & auferri ubilibet faciant, atque procurent infra ſpatium unius anni a publicatione præſentium: nec liceat alicui eamdem ſanctam Catarinam depingi facere cum dictis Stigmatibus, donec eadem Sedes Apoſtolica hoc approbaverit, & per ſpeciale privilegium Sanctam ipſam cum ipſis Stigmatibus depingi conceſſerit. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, ordinationis, conſtitutionis, conceſſionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. VIII. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex autographo. LXXI. Licet dum militans in terris Eccleſia triumphantem in cœlis fideli & devoto veneratur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaque Sanctorum & Sanctarum Dei digniſſimis attollit titulis, & illaſtrat, devotis quoque precibus & ſolemni ritu ſacrificia laudum offert ad decus & venerationem Civium ſupernorum, nihil eis accreſcat novæ perfectionis & gloriæ, neque eorum perfecta felicitas noſtris operibus firmari poſſit, minui vel augeri, ſed dumtaxat miſericors & miſerator Dominus per interceſſionem meritaque Sanctorum, quos in terris celebritate congrua veneramur, imperfectum noſtrum ſuppleri providerit, ut quod noſtris meritis non valemus, eorum ſuffragiis aſſequamur: Nihilominus Eccleſia ipſa militans conſuevit non permittere aliquem, quantumcumque miraculis clarentem, in terris pro ſancto venerari, niſi quem Romanus Pontifex, ſubſiſtentibus miraculis in vita & poſt mortem, prævioque deſuper diligenti examine, Sanctorum cathalogo duceret aggregandum, nec illum alioſque Eccleſia ipſa ſoleat inſignibus titulis, aut officiis venerari. Dudum ſiquidem pro parte Generalis Miniſtri & dilectorum filiorum Capituli etiam Generalis Ordinis Fratrum Minorum, tunc in Civitate noſtra Ferrarienſi celebrati, nobis expoſito, quod etſi ſanctus Franciſcus,

ciſcus, dicti Ordinis fundator, per biennium, antequam diem vitæ hujus clauderet extremum, ſacra Stigmata Chriſti ejus corpori a Deo impreſſa portaſſet, illaque dicto durante biennio a multis viſa & palpata fuiſſent, tamen non licuerat dicti Ordinis profeſſoribus ipſum glorioſum Sanctum cum hujuſmodi Stigmatibus, quibus a Domino noſtro Jeſu Chriſto corpus ejus decoratum fuerat, pingi facere, abſque Sedis Apoſtolicæ deſuper conceſſione & licentia ſpeciali: Quodque nonnulli aliquas ſanctas Dei, & præſertim S. Catarinam de Senis cum Stigmatibus a Dei filio Domino noſtro Jeſu Chriſto ejus corpori impreſſis, adinſtar ejuſdem ſancti Franciſci, nulla deſuper Apoſtolicæ Sedis ſuper hujuſmodi Stigmatibus approbatione, nullave licentia obtenta, pingi facerent, & faciebant in Eccleſiis & aliis locis publicis partium diverſarum, & præſertim Ultra montes, & in publicis prædicationibus ad populum aſſerebant ſanctam ipſam Stigmata hujuſmodi a Chriſto recepiſſe, & de illis clarius, quam de præfati ſancti Franciſci Stigmatibus apparere: Nos tunc attendentes quod felicis recordationis Pius Papa II. prædeceſſor noſter, dum ſanctam ipſam Catarinam in Sanctorum Dei cathalogo adſcripſit, ejus præclara miracula, laudes, & præconia in proceſſu deſuper habito declarata referendo, ſuis litteris de hujuſmodi Stigmatibus nullam mentionem fecerat, quodque ſi corpus ejuſdem Sanctæ talibus ſignis in ſeculo viſibiliter decoratum fuiſſet, id in proceſſu & litteris canonizationis ejus nullatenus prætermiſſum extitiſſet, univerſis quorumvis Ordinum profeſſoribus & aliis perſonis utriuſque ſexus, cujuſcumque dignitatis, gradus vel conditionis forent, in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto contrafacientes incurrerent, & a qua ab alio, quam Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolvi non poſſint, diſtrictius inhibuimus, ne præfata ſacra Stigmata hujuſmodi habuiſſe in ſuis prædicationibus & ſermonibus ad populum aſſerere auderent, imo & de picturis hujuſmodi præfatæ Sanctæ jam factis Stigmata amoverent & delerent, & deleri facerent ubilibet, atque procurarent infra annum a publicatione dictarum litterarum noſtrarum; nec licere voluimus alicui eamdem ſanctam Catarinam cum hujuſmodi Stigmatibus depingi facere, donec Sedes Apoſtolica Stigmata hujuſmodi approbaret, & per ſpeciale privilegium, quod cum illis depingi poſſet, concederet, prout in eiſdem litteris noſtris plenius continetur. Cum autem, ſicut poſtmodum accepimus, nonnulli, litteris & mandatis noſtris prædictis non obſtantibus, propriis inhærentes affectibus, de jam factis picturis prædictæ Sanctæ, auctoritate dictarum litterarum Stigmata hujuſmodi amoveri facere non curaverint, & ſanctam ipſam Stigmata ipſa habuiſſe, adhuc de novo pari modo publice prædicare & aſſerere, & illam cum ipſis Stigmatibus depingi facere non formident, in contemptum mandatorum hujuſmodi & ſcandalum plurimorum: Nos attendentes, quod Sancti & Sanctæ Dei non niſi veris certiſque prærogativarum, gratiarum, privilegiorum laudibus venerandi ſunt, atque etiam quod tanti myſterii & Sacramenti noſtræ redemptionis præclara & admiranda inſignia nemini attribui debeant pro reverentia noſtri Salvatoris, niſi cui attribuenda eſſe, rei evidentia & certitudo facti declaraverit, atque ſuper his opportunum volentes adhibere remedium, & iis, ex quibus in Dei Eccleſia ſcandala poſſent veroſimiliter exoriri, pro poſſe obviare, ut tenemur; habita ſuper his cum venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione, & de eorum conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore ſtatuimus & ordinamus, quod nullius Sancti aut Sanctæ, Beati aut Beatæ figura aliqua cum prædictis Stigmatibus, aut quovis modo, quo exiſtimari poſſit, vel credi illum vel illam hujuſmodi Stigma-

Stigmata habuiſſe, per aliquem depingi poſſit, nec aliquis in prædicationibus ad populum, vel alias ſcriptura aut verbo, aliquem Sanctum ſeu Sanctam, Beatum vel Beatam Stigmata hujuſmodi habuiſſe, aſſerere vel affirmare præſumat, præfati beati Franciſci (quem conſtat Stigmata a Chriſto recepiſſe, tum rei evidentia, tum multorum prædeceſſorum noſtrorum approbatione) figura dumtaxat excepta: mandantes univerſis Eccleſiarum Prælatis, Presbyteris & Clericis Ordinum quorumcumque tam Mendicantium, quam non Mendicantium profeſſoribus, in quorum Eccleſiis, Oratoriis, & perſonis aliis etiam ſecularibus, in quorum domibus & locis præfatis ſanctæ Catarinæ de Senis, aut aliquorum aliorum Sanctorum ſeu Sanctarum, Beatorum ſeu Beatarum Dei figuræ & imagines, excepta figura præfati ſancti Franciſci, cum Stigmatibus hujuſmodi depictæ forent, quatenus infra menſem a die, qua in Cathedralibus, vel aliis Eccleſiis locorum eorumdem publicatæ fuerint, teneantur & debeant cum effectu curare, quod de omnibus aliis picturis hujuſmodi, exceptis picturis dicti ſancti Franciſci, penitus & omnino Stigmata ipſa deleantur, & amoveantur; ita ut etiam illorum forma nullatenus videatur in eis; & quod de cetero cum hujuſmodi Stigmatibus aliquorum Sanctorum ſeu aliquarum Sanctarum, Beatorum vel Beatarum Dei imagines & figuræ, excepta figura præfati ſancti Franciſci, non pingantur: Quodque in eorum Eccleſiis aut plateis, ſeu locis eorum juriſdictioni ſubjectis, abſque Sedis præfatæ licentia ſpeciali, nullus in prædicationibus ad populum, & ſermonibus verbi Dei, diſputationibus, vel alias quomodolibet, quod aliquis alius Sanctus, aut aliqua alia Sancta Dei, Beatus vel Beata, Chriſti Stigmata habuerit, excepto glorioſo confeſſore prædicto Franciſco, affirmare præſumat. Et ſi ſecus fieri contingat, & omnes hujuſmodi litteris & mandato non parere, ex nunc prout ex tunc non ſolum Eccleſias ipſas, in quibus picturæ hujuſmodi cum Stigmatibus reperientur, ſed etiam parochialem Eccleſiam, intra cujus parochiæ limites in privatis locis forent, quamdiu ibi erunt, & triduo poſtquam deletæ fuerint, & etiam Eccleſias in quibus ſeu quarum plateis permiſſum fuerit, vel toleratum talia prædicari, vel aſſeri contra præſentium tenorem in ſermonibus ad populum, vel alias ut præfertur, donec prædicantes vel aſſerentes inibi permanſerint, eo ipſo Eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto, quod volumus & mandamus diſtricte obſervari. Eccleſiarum vero Prælatos, qui in præmiſſis culpabiles fuerint aut negligentes, vel remiſſi, ab Eccleſiarum ingreſſu eo ipſo volumus eſſe ſuſpenſos, donec mandatis noſtris hujuſmodi, quantum in eis eſt, obtemperari procuraverint cum effectu; inferiores denique, qui in Eccleſiis quas obtinent, aut in quibus beneficiati exiſtunt, præmiſſa fieri permiſerunt, temporales quoque, cujuſcumque ſtatus, magiſtratus, gradus, nobilitatis, excellentiæ & conditionis fuerint, qui contra præmiſſa forſan quocumque modo venire, quidquam attentare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrant, a qua abſolvi nequeant, præterquam in mortis articulo conſtituti, donec quantum in eis eſt, procuraverint, ut noſtris obtemperetur mandatis. Et ſi ſententiam ipſam animo, quod abſit, per ſex menſes ſuſtinuerint indurato, ex tunc decurſis menſibus iiſdem, Eccleſiaſtici Eccleſiis ipſis ſint, & beneficiis eo ipſo privati, illaque aliis libere conferantur; prædicantes vero & aſſerentes vel facientes contra tenorem præſentium, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, & poſtquam illam per ſex menſes ſuſtinuerint, tamquam de hæreſis crimine ſuſpecti, ab Eccleſiarum Prælatis & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, prout eorum incumbit officio, ad reſpondendum ſuper his, coram eis, & qualiter de fide ſentiant, compellantur, & puniantur ab eiſdem. Et nihilomi-

nus

nus univerſis Eccleſiarum, ac aliis in Eccleſiaſtica dignitate ubilibet locorum conſtitutis perſonis, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, illos ex prædictis, quos cenſuras & pœnas hujuſmodi incurriſſe, & loca, quæ interdicto prædicto ſuppoſita fore, præmiſſorum occaſione, eis conſtiterit, cenſuris & pœnis hujuſmodi ſubjacere declarent, & faciant & mandent illis ſubjecta publicari, & eoſdem excommunicatos ab omnibus arctius evitari, donec mandatis noſtris obtemperantes, meruerint ab eadem excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium obtinere, & interdictum hujuſmodi relaxari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus, & contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede prædicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut aliquibus Ordinibus, quod eorum loca & perſonæ interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſum ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Præterea, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula, in quibus de iis fides forſan facienda foret, loca deferri, eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumpto, publici & authentici Notarii manu ſcripto, aut alicujus Eccleſiaſtici Prælati ſigillo munito, tamquam præſentibus, ſi exhiberentur, litteris plena ubique fides adhibeatur, & perinde ſtetur in omnibus & per omnia, ac ſi eiſdem præſentes litteræ forent exhibitæ & oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, ordinationis, conſtitutionis, conceſſionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXV. *pridie Nonas Julias, Pontificatus noſtri anno* IV.

LXXII. Natæ hinc frequentes turbæ & graves diſcordiæ inter Minoritas & Prædicatores, illis negantibus ſanctam Catarinam manifeſta & penetrantia vulnera perpeſſam, & favorem implorantibus legis Pontificiæ contra pictores ſtigmata in ejus imaginibus exprimentes: iſtis vero aſſerentibus ſtigmata habuiſſe, & pictores picturaſque ſtigmatizatæ Virginis ardentius propugnantibus. Ne lites ultra procederent, aut Pontificiæ leges evacuarentur, vocavit Sixtus anno octavo ſui Pontificatus Leonardum Peruſinum, Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum, ad Comitia ſui Ordinis iturum, juſſitque ut cum conſcriptis Patribus ageret de tollendis in hoc negotio diſcordiæ ſeminibus. Ille re prudenter & mature cum ſuis Patribus diſcuſſa, ad tollendam omnem ſcandali occaſionem, ſtatuit ſub graviſſimis pœnis, ne deinceps ſancta Virgo ita depingeretur, neque de ejus ſtigmatibus quidquam diceretur. Laudavit Pontifex decreti conditores, utque conſtantes eſſent obſervatores, his litteris admonuit.

Magiſter Gener. Ordinis Prædic. jubet ne S. Catarinæ ſtigmata aſſeratur.

Dilecto filio Leonardo de Peruſio, ſacræ Theologiæ Profeſſori, Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro.

LXXIII. D*ilecte fili, ſalutem &c. Olim tuæ devotioni commiſſimus, ut in tui Ordinis Capitulo Generali, quod nuper celebraſti apud Peruſiam, in proxime præterito feſto Pentecoſtes, cum Definitoribus, Prioribus, & Patribus dicti Capituli mature & conſulte deliberares, quid in facto ſtigmatum ſanctæ Catharinæ de Senis pro tuenda pace inter Ordinem* Se-

Vide Juſtinian. de imag. S. Catar. §. 6.

Stigmata habuiſſe, per aliquem depingi poſſit, nec aliquis in prædicationibus ad populum, vel alias ſcriptura aut verbo, aliquem Sanctum ſeu Sanctam, Beatum vel Beatam Stigmata hujuſmodi habuiſſe, aſſerere vel affirmare præſumat, præfati beati Franciſci (quem conſtat Stigmata a Chriſto recepiſſe, tum rei evidentia, tum multorum prædeceſſorum noſtrorum approbatione) figura dumtaxat excepta: mandantes univerſis Eccleſiarum Prælatis, Presbyteris & Clericis Ordinum quorumcumque tam Mendicantium, quam non Mendicantium profeſſoribus, in quorum Eccleſiis, Oratoriis, & perſonis aliis etiam ſecularibus, in quorum domibus & locis præfatis ſanctæ Catarinæ de Senis, aut aliquorum aliorum Sanctorum ſeu Sanctarum, Beatorum ſeu Beatarum Dei figuræ & imagines, excepta figura præfati ſancti Franciſci, cum Stigmatibus hujuſmodi depictæ forent, quatenus infra menſem a die, qua in Cathedralibus, vel aliis Eccleſiis locorum eorumdem publicatæ fuerint, teneantur & debeant cum effectu curare, quod de omnibus aliis picturis hujuſmodi, exceptis picturis dicti ſancti Franciſci, penitus & omnino Stigmata ipſa deleantur, & amoveantur; ita ut etiam illorum forma nullatenus videatur in eis; & quod de cetero cum hujuſmodi Stigmatibus aliquorum Sanctorum ſeu aliquarum Sanctarum, Beatorum vel Beatarum Dei imagines & figuræ, excepta figura præfati ſancti Franciſci, non pingantur: Quodque in eorum Eccleſiis aut plateis, ſeu locis eorum juriſdictioni ſubjectis, abſque Sedis præfatæ licentia ſpeciali, nullus in prædicationibus ad populum, & ſermonibus verbi Dei, diſputationibus, vel alias quomodolibet, quod aliquis alius Sanctus, aut aliqua alia Sancta Dei, Beatus vel Beata, Chriſti Stigmata habuerit, excepto glorioſo confeſſore prædicto Franciſco, affirmare præſumat. Et ſi ſecus fieri contingat, & omnes hujuſmodi litteris & mandato non parere, ex nunc prout ex tunc non ſolum Eccleſias ipſas, in quibus picturæ hujuſmodi cum Stigmatibus reperientur, ſed etiam parochialem Eccleſiam, intra cujus parochiæ limites in privatis locis forent, quamdiu ibi erunt, & triduo poſtquam deletæ fuerint, & etiam Eccleſias in quibus ſen quarum plateis permiſſum fuerit, vel toleratum talia prædicari, vel aſſeri contra præſentium tenorem in ſermonibus ad populum, vel alias ut præfertur, donec prædicantes vel aſſerentes inibi permanſerint, eo ipſo Eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto, quod volumus & mandamus diſtricte obſervari. Eccleſiarum vero Prælatos, qui in præmiſſis culpabiles fuerint aut negligentes, vel remiſſi, ab Eccleſiarum ingreſſu eo ipſo volumus eſſe ſuſpenſos, donec mandatis noſtris hujuſmodi, quantum in eis eſt, obtemperari procuraverint cum affectu; inferiores denique, qui in Eccleſiis quas obtinent, aut in quibus beneficiati exiſtunt, præmiſſa fieri permiſerint, temporales quoque, cujuſcumque ſtatus, magiſtratus, gradus, nobilitatis, excellentiæ & conditionis fuerint, qui contra præmiſſa forſan quocumque modo venire, quidquam attentare præſumpſerint, excommnnicationis ſententiam incurrant, a qua abſolvi nequeant, præterquam in mortis articulo conſtituti, donec quantum in eis eſt, procuraverint, ut noſtris obtemperetur mandatis. Et ſi ſententiam ipſam animo, quod abſit, per ſex menſes ſuſtinuerint indurato, ex tunc decurſis menſibus iiſdem, Eccleſiaſtici Eccleſiis ipſis ſint, & beneficiis eo ipſo privati, illaque aliis libere conferantur; prædicantes vero & aſſerentes vel facientes contra tenorem præſentium, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, & poſtquam illam per ſex menſes ſuſtinuerint, tamquam de hæreſis crimine ſuſpecti, ab Eccleſiarum Prælatis & Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, prout eorum incumbit officio, ad reſpondendum ſuper his, coram eis, & qualiter de fide ſentiant, compellantur, & puniantur ab eiſdem. Et nihilominus

nus

nus univerſis Eccleſiarum, ac aliis in Eccleſiaſtica dignitate ubilibet locorum conſtitutis perſonis, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, illos ex prædictis, quos cenſuras & pœnas hujuſmodi incurriſſe, & loca, quæ interdicto prædicta ſuppoſita fore, præmiſſorum occaſione, eis conſtiterit, cenſuris & pœnis hujuſmodi ſubjacere declarent, & faciant & mandent illis ſubjecta publicari, & eoſdem excommunicatos ab omnibus arctius evitari, donec mandatis noſtris obtemperantes, meruerint ab eadem excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium obtinere, & interdictum hujuſmodi relaxari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus, & contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede prædicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut aliquibus Ordinibus, quod eorum loca & perſonæ interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſum ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Præterea, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula, in quibus de iis fides forſan facienda foret, loca deferri, eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumpto, publici & authentici Notarii manu ſcripto, aut alicujus Eccleſiaſtici Prælati ſigillo munito, tamquam præſentibus, ſi exhiberentur, litteris plena ubique fides adhibeatur, & perinde ſtetur in omnibus & per omnia, ac ſi eiſdem præſentes litteræ forent exhibitæ & oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, ordinationis, conſtitutionis, conceſſionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXV. *pridie Nonas Julias, Pontificatus noſtri anno* IV.

LXXII. Natæ hinc frequentes turbæ & graves diſcordiæ inter Minoritas & Prædicatores, illis negantibus ſanctam Catarinam manifeſta & penetrantia vulnera perpeſſam, & favorem implorantibus legis Pontificiæ contra pictores ſtigmata in ejus imaginibus exprimentes: iſtis vero aſſerentibus ſtigmata habuiſſe, & pictores picturaſque ſtigmatizatæ Virginis ardentius propugnantibus. Ne lites ultra procederent, aut Pontificiæ leges evacuarentur, vocavit Sixtus anno octavo ſui Pontificatus Leonardum Peruſinum, Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum, ad Comitia ſui Ordinis iturum, juſſitque ut cum conſcriptis Patribus ageret de tollendis in hoc negotio diſcordiæ ſeminibus. Ille re prudenter & mature cum ſuis Patribus diſcuſſa, ad tollendam omnem ſcandali occaſionem, ſtatuit ſub graviſſimis pœnis, ne deinceps ſancta Virgo ita depingeretur, neque de ejus ſtigmatibus quidquam diceretur. Laudavit Pontifex decreti conditores, utque conſtantes eſſent obſervatores, his litteris admonuit.

Magiſter Gener. Ordinis Prædic. jubet ne S. Catarinæ ſtigmata aſſerantur.

Dilecto filio Leonardo de Peruſio, ſacræ Theologiæ Profeſſori, Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro.

LXXIII. *Dilecte fili, ſalutem &c. Olim tuæ devotioni commiſimus, ut in tui Ordinis Capitulo Generali, quod nuper celebraſti apud Peruſiam, in proxime præterito feſto Pentecoſtes, cum Definitoribus, Prioribus, & Patribus dicti Capituli mature & conſulte deliberares, quid in facto ſtigmatum ſanctæ Catharinæ de Senis pro tuenda pace inter Ordinem*

Vide Juſtinian. de imag. S. Catar. §. 6.

Seraphici Franciſci, & tuum, foret agendum, ſuſpendens interim omnia pœnalia, quæ in bulla per nos contra quoſdam ſuper hoc edita, ſub datis Romæ apud ſanctum Petrum, anno MCCCCLXXV. VIII. *Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno* IV. *contineri dicebantur, quæ quidem bulla incipit:* Licet

Laudatur. dum militans in terris. *Tu vero veluti ſanctiſſimæ Sedis Apoſtolicæ, & ſalutaris obedientiæ filius, ſicut fuit tuus ſacratiſſimus Ordo, in ipſo Peruſino veſtro Capitulo Generali, maturo & longo habito conſilio ſuper hac re, nobis expoſuiſti ex parte tua & omnium Definitorum, qualiter vos ſtatuiſtis ſub graviſſimis cenſuris & pœnis, ne de cetero ſancta Catarina cum ſtigmatibus depingatur, neve de ejus ſtigmatibus fiat verbum aut ſermo, vel prædicatio, ad tollendam omnem ſcandali occaſionem, & hanc ipſam veſtram ordinationem tam Generali Ordinis Minorum, quam aliquibus Prioribus ipſius Ordinis oſtendiſtis, quam minime reſpuerunt. Quare tuam & tui Ordinis obedientiam laudantes & approbantes, hortamur te & tui Ordinis univerſos Fratres in Domino, vobiſque omnibus diſtrictius præcipimus, ut quæ in veſtro Capitulo Generali bene & optime ordinaſtis, obſervari inviolabiliter ſtudeatis. Nos autem de gratia ſpeciali, omnia pœnialia contenta in dicta bulla ſupranominata, nunc motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia caſſamus & revocamus & annullamus, & nolumus quod dicta pœnialia in eo contenta aliquem in aliquo obligent vel aſtringant: in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* III. *Octobris anno* MCCCCLXXVIII. *Pontificatus noſtri anno* VIII.

Renovantur cõſtitut. de non affigendis S. Catarinæ ſtigmatibus. LXXIV. Suſpenderat Sixtus, ſeu annullavit priorum diplomatum pœnas in gratiam præſtitæ in Comitiis obſervantiæ: ſed inde deſumpta occaſio aſſerendi ſuſpenſas etiam fuiſſe decretales, & proinde licere ad priſtinas aſſertiones de impreſſione & expreſſione ſtigmatum redire. Diſplicuit hoc Sixto, & per alias litteras renovavit primarum conſtitutionum pœnas & præcepta.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem &c.

Mon. Ord. 2. impreſſ. conc. 271. A*Lias per breve noſtrum ſuſpendimus uſque ad certum tempus tunc expreſſum cenſuras & pœnas contentas in bulla plumbea contra pingentes imaginem B.Catarinæ de Senis cum ſtigmatibus edita: Decernentes tamen, ut, hujuſmodi ſuſpenſione durante, nemo hujuſmodi imaginem cum ſtigmatibus depingeret, & ſi quis depinxiſſet, aboleret. Nuper vero cum acceperimus, multis in locis contra decretum & mandatum noſtrum hujuſmodi, tales picturas fieri, & a multis allegari & aſſeri, bullam ipſam propter ſuſpenſionem præfatam a nobis revocatam eſſe, opportunum & neceſſarium judicamus hujuſmodi auſibus obviare, & dubium quod a non recte interpetrantibus opponitur, tollere. Quare præſentium tenore decernimus, ſtatuimus & declaramus, quod bulla prædicta ſuper ipſis ſtigmatibus edita, ob ſuſpenſionem præfatam, ut præfertur, nullatenus revocata cenſeri debeat, ſed in ſuo eſſe robore & vigore, acſi hujuſmodi ſuſpenſio, quam ex nunc expirare decernimus, non emanaſſet: mandantes ſub cenſuris in ipſa bulla contentis, omnibus ad quos ſpectat, ne præfatam beatæ Catarinæ imaginem amplius de cetero cum ſtigmatibus depingant, ac pictas aboleant, præfata ſuſpenſione, ac ceteris in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris,* XIX. *die Octobris* MCCCCLXXX. *Pontificatus noſtri anno* X.

LXXV. Sed

Varia Pontificum circa hanc controver. decreta. Vide Juſtinian. citat.

LXXV. Sed cum contentiones utriuſque Inſtituti ulterius proceſſiſſent, nec altercandi finis videretur, varios excogitarunt componendi modos poſteriores Pontifices. Innocentius VIII. prohibuit, circa præterita quidquam innovari, ſive ab imaginibus ſanctæ Virginis ad illud uſque tempus depictis vulnerum notas expungi aut aboleri: ne vero in poſterum ſimiles effomarentur, ſub cenſurarum interminatione præcepit. Alexander VI. decrevit ne rubri aut ſanguinei coloris ſtigmata, quibus externa penetrantia, aut cruenta vulnera exprimerentur, ſed auratas aut lucidas notas, quibus interni dolores indicarentur, pictores adjicerent. Demum Clemens VIII. dum acrius inter utriuſque Sodalitii viros de hujuſmodi picturis contenderetur, rem totam Cardinalibus, qui ſacris ritibus tunc erant præfecti, examinandam & decidendam commiſit, adhibito decreto, ne quidquam interim innovaretur. Sed cum nihil tunc reſolveretur, neque in recognitione Breviarii ſub eodem Clemente, cui potiſſimi interfuerunt Antonianus, Baronius, & Bellarminus, mox clariſſimi S. R. E. Cardinales, neque in lectione, quæ vitam beatæ Catarinæ comprendebat, ab Antoniano compoſita, & a reliquis approbata, ut nono loco in feſto beati Petri Martyris legeretur, quidquam de ſtigmatibus ageretur, neque illam placeret Prædicatoribus, apponi: poſtremo dum ſimplicis commemorationis de eadem Virgine ritum, in ſemiduplicis officii commutari Urbanus VIII. decrevit, lite iterum reſuſcitata, auditis per multas Cardinalium ſacris ritibus Præfectorum ſeſſiones utriuſque Religionis Procuratoribus, prolatiſque hinc inde multis ſcripturis, proponente cauſam Tyberio Cardinale Muto, poſt multas altercationes, demum iſtud emanavit decretum.

Vide eumd. t. 8. ſub finem & Razzium tract. de S. Catar.

Vide decret. apud Caſtellin. de ſtigmatib. S. Catar. pag. 219.

Lectio hæc habetur in Bibliotheca M.SS. Vallicell. cod. lit. V. fol. 227.

Cum alias ſub die XVII. *Martii ſacra rituum Congregatio diſtuliſſet reſolutionem quoad officium proprium ſanctæ Catharinæ Senenſis, fuit in hac congregatione, referente eodem Illuſtriſſimo Cardinale Muto, reſolutum, quod lectiones ſint conficiendæ juxta hiſtoriam narratam a ſancto Antonino. Facto tamen verbo cum Sanctiſſimo. Qui Sanctiſſimus annuit, dummodo non fiat aliqua mentio de ſtigmatibus. Die* XI. *Junii* MDCXXIX.

Joan. Baptiſta Card. Detus.

Locus ✝ Sigilli.

Fr. Fulv. Benignus Secretarius.

LXXVI. Inhærentes itaque decreto & Actis beatæ Virginis fideliter conſcriptis a Raymundo Capuano, & fratre Thoma, qui confeſſiones illius excipiebant, a Stephano, qui ante Carthuſiæ ingreſſum, ejus inhærebat obſequiis, & præſertim a ſancto Antonino, qui horum narrationes exſcripſit, Domini Cardinales officii lectiones componi juſſerunt, & his verbis arcanum hoc acceptorum vulnerum fidelibus proponi, & in univerſa Eccleſia legi, Apoſtolica præcedente approbatione, decreverunt.

Lectio V.

C*Um Piſis immoraretur (ſancta Catarina) die Dominico, refecta cibo cæleſti, & in extaſim rapta, vidit Dominum crucifixum magno cum lumine advenientem, & ex ejus vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca ſui corporis deſcendentes: ideoque myſterium advertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent, continuo radii colorem ſanguineum mutaverunt in ſplendidum, & in formam puræ lucis pervenerunt ad manus,*

pedes, & cor ejus; ac tantus erat dolor, quem ſenſibiliter patiebatur, ut niſi Deus minuiſſet, brevi ſe crederet morituram. Hanc itaque gratiam amantiſſimus Dominus nova gratia cumulavit, ut ſentiret dolorem illapſa vi vulnerum, & cruenta ſigna non apparerent. Quod ita contingiſſe, cum Dei famula confeſſario ſuo Raymundo retuliſſet, ut oculis etiam repreſentaretur, radios in imaginibus beatæ Catarinæ ad dicta quinque loca pertingentes, pia fidelium cura pictis coloribus expreſſit.

An S. Catarinæ ſtigmata aliquãdo viſibilia.

Lombardel. 1. par. ſummar. de ſtigmat. S. Catar. c. 10. par. 2. c. 1. & 2. & c. 13. Caſtellin. cit. c. 2. in reſponſ. 4. ad 1. object.

LXXVII. Paucis his verbis & breviuſculo compendio totius myſterii ſeriem comprehendi, & utrumque moleſtæ atque importunæ controverſiæ membrum explicari Cardinales voluerunt; vulnera ſcilicet interius accepiſſe, uti ipſa prius rogaverat, ne ſcilicet cicatrices apparerent, & propterea quinos illos radios imaginibus apponi, ut pictis coloribus oculis etiam repræſentaretur myſterium, quod oculos latebat. Valde itaque admiror, Gregorium Lombardellum recentem ſcriptorem in tractatu de his ſtigmatibus Senis edito anno MDXCI. dixiſſe ſtigmata hæc per miraculum inviſibilia fuiſſe dum viveret, in ſeipſis tamen fuiſſe realiter penetrantia, & in morte viſa ab univerſis: Et Lucam Caſtellinum in appendice generali de ſtigmatibus ſanctæ Catarinæ (quem improprie abſque ulla cum illo opere connexione attexuit, & cum legentis faſtidio inſeruit libro de inquiſitione miraculorum in Sanctorum Martyrum canonizatione) aſſeruiſſe, viſibilia hæc ſtigmata fuiſſe annis octo ante mortem. Unde quæſo poſt integra ſecula prodeunt aſſerta iſta peregrina? a quo iſta exſcripſerunt? a quo hæc oracula perceperunt? Toties circa hæc ſtigmata acriter decertatum eſt, undequaque valida & invalida conquiſita aſſertionum adminicula, nullus tamen iſta attigit, nullus in ſuæ cauſæ patrocinium argumenta hæc adduxit, per quæ facile conficeretur, & poſſe & debere imagines cum ſtigmatibus depingi: ſi enim probaretur, patentia & penetrantia fuiſſe, licet per miraculum inviſibilia, nihil ſane prohiberet quin ea in corpore ejus repræſentarentur, quæ vere eidem patenter fuerint impreſſa. Sed dum nullus ex antiquis ſcriptoribus, maxime ex teſtibus oculatis, & ſacræ Virginis conſortibus, tale quid vel a longe inſinuavit, ſequitur ut longiſſima poſt tempora hæc aſſerentes vere aberrarint.

Caſtellin. cit. c. 1. n. 12.

LXXVIII. Quod etiam Caſtellinus adjunxit de pede Venetiis ſtigmatizato, & manu Romæ perforata, æque ſunt dubia vel obſcuriora. Poſtremo hoc ſeculo iſta ſpargi cœperunt; neque enim priſcis temporibus quidquam de hujuſmodi reliquiis inſonuit, neque eſt aut fuit quiſquam qui referat unde venerunt, quando vel per quos a corpore abſciſſæ, quo loco hucuſque cuſtoditæ, per quem pes Venetias translatus, aut manus Monialibus ſancti Sixti Romæ contradita. Triduo jacuit ſanctiſſima Virgo in templo ſanctæ Mariæ ſupra Minervam inſepulta, diligenter tamen cuſtodita, & intra cancellos ferreos ſacelli ſancti Dominici depoſita, ne injuriam pateretur. Neque Raymundus, neque Thomas, neque Stephanus, neque Lypomanus, Surius, aut Antoninus, potiſſimi vitæ ſcriptores, quorum aliqui minutiſſimas quaſque mortis, funeris & translationis circumſtantias adnotarunt, de abſciſſis his membris quidquam attigerunt; neque alioquin expediebat tunc mutilari corpus, donec amplius ad inquiſitionem miraculorum & operum ejus ex auctoritate procederetur, & cultus Apoſtolico decerneretur judicio. In translatione autem certiſſimum eſt, non fuiſſe iſthæc reſciſſa: narrat enim ſanctus Antoninus, qui tunc Prioris fungebatur officio, corpus fuiſſe in cineres redactum, a quo non poterant tunc præſcindi manus aut planta, quæ in carne excreſcente repræſentarent vel conſervarent no-

notas aut vulnera penetrantia. Verba ejus ſunt: *Poſt honorificam ejus ſepulturam in Conventu præfato ſanctæ Mariæ ſuper Minervam, me tunc in dicto Conventu exiſtente Priore, translatum eſt corpus dictæ Virginis circa annum Domini* MCCCCXXX. *in eadem Eccleſia ad locum eminentiorem, in capella juxta minorem capellam exiſtente, & collocatum in ſepulcro marmoreo, quod incineratum erat, oſſibus remanentibus. Nec incineratio ipſa arguit minorationem ſanctitatis ejus, cum & corpora Apoſtolorum, quibus nullos Sanctos credimus in merito & præmio excellentiores, incinerata inveniantur. Præſervatio autem integritatis cadaveris accidere poteſt aliquando naturaliter, ut ex ſiccitate complexionis talis perſonæ defunctæ, vel influxu cæleſti, vel ex qualitate loci ſemoti ab humectatione, vel ab aromatibus præſervantibus a corruptione in eo compoſitis, aliquando vero & communius ex ſpeciali privilegio illi conceſſo Divinæ virtutis conſervantis illud. Nec eſt rationem aſſignare cur magis iſtud, quam illud Deus voluerit præſervare, niſi voluntatem ſuam.* Huic deferendum eſt auctori, quippe pio, in Virginem devoto, ſancto, tum præſenti, ad quem ex officio prælaturæ, quam gerebat, omnia ſpectabat obſervare, uti etiam de facto obſervavit. Porro neque ille, neque alius quiſquam animadvertit, aut poſteros monuit quidquam puriſſimo corpuſculo deeſſe, aut aliquando fuiſſe obtruncatum. *Anton. 3. p. tit. 23. c. 14. §. 19. in fine.*

LXXIX. Totius hujus controverſiæ ſeriem ita placuit ſerio, productis Apoſtolicis monumentis, enarrare, quibuſque gradibus tandem ad finem pervenerit, explicare, & noviuſculas has, peregrinaſque Lombardelli & Caſtellini aſſertiones explodere, ne fortaſſe ſpecioſis his figmentis aditus iterum aperiatur ad nova jacienda ſemina diſcordiæ. Stabilitum eſt a ſupremis Judicibus dolores aut cruciatus fuiſſe internos; atque his explicandis pia cura fidelium radios in imaginibus adhibitos, quod Franciſcanis certe ingratum eſſe non debet, dum ſufficienter utrique parti prudentiſſima hac determinatione ſatisfactum eſt. Ante plures annos Vincentius Juſtinianus Antiſtius, Ordinis Prædicatorum, vir ſane doctus, in tractatu, quem de hac controverſia erudite, ſed non ſine aculeo compoſuit, iſtum componendæ acerbiſſimæ litis modum his verbis propoſuit: *Verum ad omnes contentiones ſopiendas & controverſiam ex æquo & bono finiendam, utrique parti optime conſultum erit, ſi ſanctæ Virginis Catarinæ imagines (nam de aliis, qui manifeſta vulnera habuerunt, nil dico) quando non ſolo atramento, ſed coloribus variis poſthac formabuntur, non ſanguineis, ſed aureis, aut fulgidis, & quaſi radiantibus notis effingantur, quod aliqui Pontifices Maximi, ut eſt apud Razium, & ſi non juſſerint, vehementer probarunt. Idque etiam placuiſſe ſuo beato Joanni Miconi, hujus noſtri Valentini cœnobii monacho, beatique Ludovici Bertrandi (cujus memoriam propediem ritu ſolemni conſecrandam ſperamus) Magiſtro, in aureolo quodam opuſculo, quod de iiſdem iconibus ad Patrem Sangeneſium Carthuſianum anno* MDLII. *ſcripſit.* Hoc prudenti rerum temperamento ſatis proviſum & paci & tranquillitati: ſi modo etiam conſilium & deprecatio admittatur Guillelmi Pepini, ejuſdem Inſtituti nobilis concionatoris. Poſtquam enim multis docuit cicatrices fuiſſe internas, ſed in imaginibus depingi, *Ut per viſibilia deveniamus in notitiam inviſibilium, & per externa in notitiam internorum*, in fine ſubjungit: *Rogo ergo Confratres meos Prædicatores, quoties contigerit illos prædicare de hac materia, ſobrie loquantur, utpote dicendo cicatrices divæ Catarinæ exterius non apparuiſſe.* Ita fiet ut ſacroſancto ſupremi Senatus conſulto, & Pontificia ſanctione honorifice in facie Eccleſiæ pro utraque parte deciſa controverſia, viri religioſi aſperulas turbas miſſas facient, & a moleſto diuturnoque ceſſabunt litigio. LXXX. De-

Antiſt. cit. §. 8. ante finem.

Pepin. ſerm. de B. Catar.

Moritur Cardin. Baſſarion, Ord. Protector. Subſtituitur Petrus Riarius.

LXXX. Deceſſit hoc anno xiv. Kalend. Decembris, Beſſarion Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, demum ſacri Collegii Decanus, Ordinis Minorum per multos annos ſolertiſſimus Protector. Subſtitutus eſt Petrus Riarius Pontificis Nepos, Cardinalis ſancti Sixti, Obſervantibus parum propitius, ſed paulo poſt, uti dicemus, ſublatus eſt.

Fr. Petrus Epiſc. Senogalliæ. Tarviſii, & Mimaten.
Fr. Rich. Waterforden.
Fr. Thom. Leſinen.
Fr. Joan. Sapien.
Fr. Petr. Helenopolitan.
Fr. Franc. Viterbien.
* Al. *de Scallonibus*.
Fr. Gabr. Tranſilvan.

LXXXI. Ille idem Pontificis Nepos frater Petrus Cardinalis, anno præcedenti creatus Epiſcopus Tarviſinus, hoc anno ad Senogallienſem Eccleſiam in Italia, & Mimatenſem in Gallia promotus eſt. Ad Waterfordienſem & Liſmorenſem in Hibernia, ſub Archiep. Caſſelen. frater Richardus Martini, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Roberti, vii. Idus Martii. Ad Leſinen. in regno Neapolitano, per annos multos Beneventanæ unitam, frater Thomas de Bitonto, in ſacra Theologia Baccalaureus, vii. Idus Julii. Ad Sapien. in partibus infidelium, longo tempore vacantem, frater Joannes Martini Luſitanus, ſacræ Theologiæ Magiſter, xvi. Kalend. Auguſti. Exercebat Pontificalia in diœceſi Ulyſſiponenſi. Ad Helenopolitanam in Bythinia, ſub Archiepiſc. Nicomedienſi, frater Petrus ſacræ Theologiæ Magiſter, qui actu legebat in Univerſitate Pictavienſi, xv. Kalend. Auguſti. Ad Viterbienſem, ſub Pontifice Romano, frater Franciſcus Maria de Vicecomitibus & de Stellonibus * Mediolanenſis, per mortem Petri, xxx. Septembris. Umbriam ſub Sixto IV. gubernavit. Multa contulit Conventui ſancti Franciſci de Vetralla, & Eccleſiæ Cathedrali, in qua ſacellum ædificavit. Conſtruxit etiam in ingreſſu palatii Epiſcopalis quaſdam cameras, & fontem deſtructum reſtituit. Obiit anno mccccxcii. Ad Tranſilvanam in Hungaria, ſub Archiepiſc. Colocen. frater Gabriel Veronenſis, vir doctus & nobilis, in Germania non ſemel Obſervantum Præfectus, Joannis Capiſtrani ſocius, poſtea S. R. E. Cardinalis, per obitum Nicolai, xv. Kalend. Januarii. Ad Maſſanam in Etruria, frater Bartholomæus Roboreus Sixti ex fratre Raphaele nepos, Julii II. frater, die xvii. Aprilis. Anno ſequenti translatus eſt ad Ferrarienſem. His addo viros doctos, qui hoc anno florebant, & quorum memoriam reperio in regeſto Pontificio.

Fr. Hieron. de Signis.
Fr. Ferdin. de S. Martino.
Fr. Conradus.
Fr. Marcus Oliverius.

Hieronymum de Signis ſacræ Theologiæ profeſſorem, Vicarium Generalem Ordinis in regno Sardiniæ, a Pontifice Abbatia beatæ Mariæ de Paulis, Ordinis Ciſtercien. Turritana, donatum. Ferdinandum de ſancto Martino ſacræ Theologiæ profeſſorem publicum in Univerſitate Valliſoletana, Palentinæ tunc diœceſis, cui conceditur ut ſalarium cathedræ, quam per annos triginta rexerat, poſſet deinceps recipere, & in ſuos uſus convertere. Fratrem Conradum Seber, de Semer, de Majori, ſacræ Theologiæ Magiſtrum, Friderici Imperatoris ſacellanum. Marcum Oliverium, alias Sellardum Pontificis item ſacellanum.

Convent. S. Petri Montis aurei Romæ.

LXXXII. Multa ubique hoc anno ædificata vel reſtituta vel reformata Cœnobia. Romæ inſigne illud eſt quod in regione Trans-tyberina in Janiculi latere Urbi ſupereminet, & a ſancto Petro *Montis aurei* nuncupatur: Erat olim Monaſterium Monialium Ordinis ſancti Benedicti, ſed tunc incultum & derelictum, cum Sixtus Pontifex illud eum omnibns pertinentiis hoc anno beato Amadeo Hiſpano, ſibi cariſſimo, & ſociis conceſſit: *Sacræ Religionis zelus*. xiv. Kalend. Julii. Sed cum nono poſt hæc anno Fratres domus ſancti Clementis de Urbe, Ordinis ſancti Ambroſii ad Nemus, illud inſtanter repoſcerent, dicentes olim ſpectaſſe ad Monaſterium ſancti Pancratii, Ordinis Ciſtereienſis, quod ſuo ſancti Clementis fuerat unitum; Pontifex alio diplomate conceſſionem revalidavit, adjungens inſuper hortos & vineas circumadjacentes, aſſentiente Dominico, Eccleſiæ ſancti Clemen-

Digitized by Google

mentis Cardinali tutelari: *Ex injuncto nobis deſuper*. VII. Idus Maii. Prædicti Amadei precibus annuentes Ferdinandus & Eliſabetha Reges Catholici, ſpe maſculinæ prolis aſſequendæ, pulchrum illic ædificarunt Templum, ſacellis multis, egregiiſque picturis exornatum, & commodum adjunxerunt Cœnobium, quod infixa in Templi teſtitudine, & ſingulis ſacellis, atque in omnibus ferme Cœnobii officinis, opere concamerato fabricatis, eorum inſignia teſta ntur.

In Eccleſia jacent multi Cardinales & viri Principes: aliquorum epitaphia, ne cum aliis temporis injuria excidant, hic duximus exſcribenda.

In Choro a latere dextro.

Jeſu Chriſti Reſurrectionis & ſalutis auctori. Roberto Nobili Politiano, S. R. E. Diac. Cardinali, qui XIII. *annos natus ob egregiam virtutis indolem ab Julio III. Pont. Max. ejus magno avunculo Patribus univerſis adproban. in ampliſſ. collegium cooptatus, ardentiſſimo cum eſſet Religionis & litterarum ſtudio, ſemeſtri tabe ſumma patientia confectus, dum ſe jucundiſſ. mortem ſentire affirmaret, ſuoſque extremo ſpiritu mirifice conſolaretur, in cæleſtem vitam, quam aſſidue meditabatur, commigravit* XVI. *Kal. Febr.* M. D. LXI. *Vixit ann.* XVII. M. IV. D. XII. H. XVI. *Vincentius Pater filio opt. ac dulciſſ. F.* Epitaphiũ Card. Roberti Nobilis.

In medio Pavimenti Chori.

M. DC. XX. DOMINICI CARD. TUSCHI OSSA. Card. Tuſch.

In Sacello magno prope Altare Majus.

D. O. M. Antonio Fabiani F. de Monte S. R. E. Epiſc. Card. Portuen. qui ob ſingularem Cæſ. & Pont. Jur. peritiam Urbanis fere omnibus. Id. Magiſtratibus, Innocentio VIII. Alex. VI. & Julio II. Pontificib. Max. ſanctiſſ. geſtis ab eodem Julio per omnes dignitatis gradus in Cardinal. Ordinem adſcitus eſt, multiſque inde Reipub. munerib. domi foriſque præfectus, ac in Umbria ſemel Leonis X. & Clem. VII. in Urbe iterum Legatus, eam ſemper præ ſe integritatem, prudentiam, pietatem tulit, ut Romana & Catholica Eccleſia non jam fratrem ac membrum nobiliſſ. ſed caput ipſum & patrem ejus morte amiſiſſe viſa eſt. Vixit ann. LXXII. *e vita exceſſit an. Ch.* M. D. XXXIII. *Julius Pont. Max. patruo chariſſ. ac de ſe & Balduino fratre ſuo opt. mer. F.* Antonii Cardin. de Monte.

Ibidem.

Joannes Riccius Politianus S. R. E. presb. Card. S. Vitalis, memor officii ſui ſacellum hoc Deo dicatum, quo moneatur omnes inter humana negotia antiquiſſ. Dei cur. habend. poni cur. an. ſal. M. D. LXIII. Joan. Cardinal. Ricci.

Ibidem.

D. O. M. Fulvius Corneus Epiſc. Portuen. Card. Peruſinus, ſacellum hoc ab Antonio Card. de Monte erectum, & a Julio III. Pont. Max. avunculo ſuo ornamentis altari ſubminiſtrandis, duobuſque anniverſariis pro ſua & ejuſdem Antonii de Monte anima celebrandis locupletavit. Obiit die II. *Martii* M. D. LXXXIII. *ætatis ſuæ an.* LXVI. Fulvii Cardinal. Cornei.

In

In Templi pavimento prope ſacellum ſancti Sepulcri.

Principis Onelli.

D. O. M. HVGONIS MAGNI ONELLI PRINCIPIS, COMITIS TYRONIÆ OSSA.

Ibidem e regione Altaris Majoris.

Hugonis filii.

D. O. M. Hugoni Baroni de Donganan, Hugonis Magni Onelli Principis, & Comitis Tyroniæ primogenito, Patrem, & Rodericum Comitem Tireconelliæ avunculum pro fide Catholica quam multos annos contra hæreticos in Hibernia fortiter defenderant, relictis ſtatibus ſuis, ſponte exulantes ad communem Catholicorum aſylum, urbem Romam pro ſua ſingulari in Deum & parentes pietate ſecuto, cujus immatura mors ſpem de eo reſtaurandæ aliquando in illis partibus Catholicæ Religionis, ob ejus inſignes animi & corporis dotes ab omnibus conceptam abſtulit, ac dicto Roderico avunculo fato ſimili abſumpto conjunxit. Occidit tam ſuis, quam toti curiæ flebilis, IX. Kal. Oct. M.D.C.IX. *ætatis ſuæ* XXIV.

Ibidem.

Principis Odonalliæ.

D. O. M. Roderico Principi Odonalliæ, Comiti Tyreonalliæ in Hybernia, qui pro Religione Catbolica graviſſimis defunctus periculis in ſago pariter & toga conſtantiſſimus cultor & defenſor Apoſtol. Rom. fidei pro qua tuenda & conſervanda, e patria profectus, luſtratis in Italia, Gallia, Belgio præcipuis Sanctorum monumentis, atque ibidem Principum Chriſtianorum ſingulari amore & honore, ſanctiſſ. etiam P. ac D. Pauli PP. V. paterno affectu ſuſceptus in maximis Catholicorum votis de felici ejus reditu ſummum dolorem attulit ſuis & mœrorem omnibus in hac urbe ordinib. immatura morte, quam obiit III. *Kalend. Sextiles an. ſal.* M. D. CVIII. *ætatis vero an.* XXX. *Quem mox ſecutus eodem tramite, ut eadem cum eo beatitate frueretur, Calfurnius*

Calfurnii Fratris.

frater, periculorum & exilii ſocius, in ſumma ſpe & expectatione bonorum de ejus nobilitate animi, quam virtus & optima indoles exornavit, ſui reliquit deſiderium, & mœſtitiam conexulibus XVIII. *Kalend. Octob. proxime ſequentis, anno ætatis* XXV. *utrumque anteceſſit ætate & fati ordine frater primogenitus, Hugo Princeps, quem pie & catholice pro fide & patria cogitantem Philippus III. Hiſpaniarum Rex & vivum benevole amplexus, & in viridi ætate mortuum, honorifice funerandum curavit Valliſoleti in Hiſpania* IV. *Id. Septemb. an. ſal.* M.D.C.II.

Hic crucifixus S. Petrus.

LXXXIII. In Cœnobii aditu conſpicitur locus, in quo ſanctus Petrus Apoſtolorum Princeps cruci fuerat affixus. Pulcherrime glorioſi Martyrii memoriam reſtituerunt Reges Hiſpani, conſtructo ſuper crucifixionis locum nobili ſacello, figura rotundo, feneſtris octo duplici ordine diſpoſitis, multiplici colore variegatis, luminoſo. Portas habet tres, ad quas per gradus quinque in orbem ductos, e pavimento aſcenditur. Ab hac ſtatione conſurgunt columnæ ſexdecim in gyrum diſpoſitæ, & ab opere ſemotæ, quæ projecturam ſuſtinent ædificii, in modum coronæ columellis diſtinctam. Totum opus deſinit in Tholum plumbeis laminis coopertum, atqui hujus faſtigium regia inſignia Pario inciſa lapidi coronant. Ad Tholi fimbrias ea parte, quæ aream extimam reſpicit, hæc verba marmori inſculpta leguntur:

Apo-

Apoſtolorum Principi Philippus III. Hiſp. Rex tholum hujuſce ſacelli vetuſtate collabentem, diligentia ornatiſſimi viri Joannis Fernandez Pacheco, Marchionis Villenæ, piam operis aviti memoriam hæreditaria Religione renovavit. Anno M. D. C. V.

LXXXIV. Subtus illud ſacellum aliud anguſtius in veneratione habetur, cruſtis marmoreis, variique lapidis, & emblematis decorati, gypſi egregia variaque commixtione ante paucos annos diſtinctum. Illuc a tergo ſuperioris ſacelli per gradus tredecim deſcenditur. Aram habet Pontificum, præſertim Pauli III., pro animabus, quæ purgantur, liberandis, privilegio commendatam, a prædictis Regibus conſtructam, crate ferrea deaurata munitam, hiſque vetuſtæ inciſionis characteribus a fronte in tabula marmorea obſignatam.

Apoſtolorum Principis martyrio ſacrum Ferdinadus Hiſp. Rex & Eliſabetha Regina Catholici, poſt erectam ab eis ædem poſ. An. ſalutis Chriſtianæ M. D. II.

LXXXV. Ad cornu dextrum media conſpicitur columna, ad quam ligatum & flagellatum narrant Apoſtolum. In pavimento medio magnum eſt foramen ferreis clathris contectum, cui infixam obverſam Petri crucem enarrant. In fornicis circuitu ad recentis ornamenti memoriam hæc verba leguntur. *Ad honrem & gloriam martyrii Principis Apoſtolorum, anno* M. D. C. XXVIII. Etſi vero hoc in loco Apoſtolorum Principem martyrio affectum præ reliquis ſcribat, & probet Cardinalis Baronius; fuit tamen aliquis, qui ad eam Vaticani partem, in qua maxima totius Europæ Baſilica in Apoſtoli honorem conſtructa eſt, & prope locum in quo jacet, paſſum affirmet. At leviores ſunt ejus conjecturæ, quam quæ viros doctos a communi, peritiſque viris probata opinione poſſint removere. *Baron. Tom. 1. ann. 69.*

LXXXVI. Præ foribus Templi & Cœnobii ampliſſima in quadrum protenſa eſt area, in cujus meditullio amœnus fons copioſum aquarum aggerem altiſſimum ejaculatur. Ex hoc loco ab utroque latere jucundo flexu, & molli deſcenſu arboribus conſito, muris utrinque diſtincto, ad montis radices pervenitur, atque hinc in urbicam plateam per latiſſimam ſcalam affabre conſtructam, nobile opus Philippi III. pii Hiſpaniarum Regis, qui totum montis aſcenſum ſinuoſis ſemitis emollivit, multis ſacellis, variiſque decoravit picturis, & magnam molem ſupereminentis areæ fortiſſimo aggere, diſtributis eriſmis & latiſſimis pilis muros fulcientibus veluti in aere ſuſpendit. In medio ſemitæ, quæ montem circumdat, ad dexteram aſcendentis in aggeris fronte, hæc habetur inſcriptio, magnæ tabulæ marmoreæ inciſa.

Philippus III. Hiſpaniarum Rex eximiam majorum ſuorum munificentiam ac pietatem, & Oratoris ſui, viri præclariſſimi, Joannis Fernandez Pacheco, Marchionis Villenæ diligentia uſus, Apoſtolorum Principis in Aureo Monte memoriæ, cui Majores Catholici Reges Templum hoc, Cœnobiumque poſuerant, viam Regio ſumptu communivit, aream ad libellam æquavit, aggerem ad ſuſtinendam amplitudinem operis extruxit, Monimentum avitæ Religionis ornavit. M. DC. V.

LXXXVII. Scalas etiam duplicis aſcenſus ab area ad Templi januam Regiis ſumptibus prædictus poſuit Orator, in quarum fronte ita legitur: *Philippus III. Hiſpaniarum Rex.* Suis vero expenſis a latere dextro Tem-

pli cubicula quatuor conſtruxit, atque e tertio proſpectum in Eccleſiam aperuit, quo frequenter convenerat, ut mentem per graviſſimas curas diſtractam, ad pietatem revocaret. His adjunxit pulchrum deambulacrum, ex quo per magnas feneſtras quatuor in aream proſpicitur, latiſſimi campi, amœni colles, ſubterlabens fluvius, & quota quantaque eſt, ſpecioſiſſima Civitas Romana, jucundo, gratoque obtutu conſpiciuntur.

Ann. 1482.

LXXXVIII. Vixerunt in hoc Cœnobio Viri piiſſimi, Amadeus ſupradictus, ibique ſuam ſcripſit Apocalypſim, de qua dicemus infra opportunius, & in choro lapis eſt marmoreus quadrangularis, quo denotatur his verbis inſculptis: *Hic orabat beatus Amadeus*, locus, in quo aſſidue coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento ad Deum preces effundebat.

Fr. Angelus del Pas.

Angelus del Pas Catalanus Perpinianenſis, vir æque doctus & pius, qui ſub Sixto V. ejuſque ſucceſſoribus ſanctiſſime illic vixit, & doctiſſimos ſcripſit in Evangelia commentarios: ex quibus nos edidimus tria volumina, alia multa ejuſdem edituri opera, ſi per tempus licuerit, & juverint gentiles, quorum nunc eſt miſerrima conditio, ſub Hiſpanorum & Gallorum armis Provincia infeliciter attrita. Obiit anno M.D.XC.VI. die XXIII. Auguſti. Jacet in nobili ſepulcro marmoreo a terra elevato ad cornu dextrum Altaris majoris,

Fr. Bartholomæus Saluthio.

Bartholomæus a Saluthio, vir admirandæ vitæ & doctrinæ, ſpiritu prædictionis illuſtris. Habitabat cum ſocio ſolitarius in quadam capſula, Eremitorii inſtar, in collis jugulo a Fratrum conſortio ſeparatus. Tranſiit ex hac vita in Conventu ſancti Franciſci Trans-tyberim die XV. Novembris, anno M.DC.XVII.

Fr. Innocentius a Cluſis.

& Innocentius a Cluſis Siculus Laicus, propter vitæ candorem, & multiplicem virtutum ſplendorem in ſumma veneratione habitus a Romanis. Deceſſit anno M.DC.XXXI. die XV. Decembris, concurrente univerſa Urbe in odorem ſanctitatis, ut defunctum vivo pulchriorem tangerent, oſcularentur, venerarentur. Ad interiora clauſtri reducti corporis, ne a tanta multitudine irruente injuriam pateretur, annuente Urbano VIII. Pontifice, cuſtodes ſe exhibuerunt piiſſimæ & nobiliſſimæ fœminæ Conſtantia Barbarina, fratria Pontificis, & Anna Columnenſis Præfecti Urbis, Pontificii Nepotis conthoralis, penes quas facultas erat alias heroinas admittendi. Jacebat in choro, ſepulchro concamerato; inde tranſlatus eſt ad Templum ſancti Franciſci Trans-Tyberim. Vixit hic per aliquot annos vir doctus Joannes a Carthagena, ſcripſitque ſuos homiliarum libros, ab omnibus cum applauſu receptos. Illic etiam ego hoc Annalium opus inchoavi, per annos ibidem ſex commoratus; inde, etſi ægre, ſolitudinis quiete dimiſſa, digreſſus anno M.DC.XXV. ad jacienda ſtabiliendaque fundamenta hujus Collegii Religioſis adoleſcentibus meæ gentis & Inſtituti educandis.

S. Ignatius Cantaber hic docetur Dei parere voluntati.

Biderm. lib. 1. vita S. Ignatii cap. 16.

LXXXIX. Illic etiam ſanctus Ignatius e Loyola, Societatis Jeſu conditor illuſtris, ante ſtabilitam Sodalitatem, ſuam expiabat conſcientiam, a confeſſionibus, & Divinæ voluntati interpretandæ uſus fratre Theodoſio, quem Bidermanus Theophylum nuncupat, egregieque ſanctum affirmat. Huic definiendam commiſit controverſiam, religioſo conſcientiæ metu cum ſuis ſociis initam, dum collatam ab Electoribus Primatus dignitatem verebatur accipere. Rem ita narrat gravis diligenſque vitæ ſcriptor Maffejus:

Maff. lib. 2. vita S. Ignat. cap. 13.

Poſt multam denique altercationem ægre Ignatius tenuit, ut amplius in tertium diem obſecratione protracta, rurſus in ſuffragium iretur, quo die cum idem prorſus omnium conſenſus extaret, neque jam locus tergiverſationi videretur eſſe, tum Ignatius: Quandoquidem vos in me potiſſimum eligendo perſtatis, *inquit*, ego autem meæ conſcius infirmitatis, veſtro judicio ſalva Religione aſſentiri nequeo; reliquum eſt, ut hujuſce controverſiæ arbitrum

trum deligamus eum, qui mihi a confeſſionibus eſt, quoque, ut ſcitis, utor Divinæ voluntatis interprete (*is erat ante conditam Societatem frater quidam Theodoſius ex Ordine Minorum, Cœnobii, quod a ſancti Petri in Monte Aureo, qui fuit olim Janniculus, appellatur.*) *Quod, ne fruſtra diutius tenderent Patres, eo facilius conceſſere, quod minime dubitabant, quin ipſorum ſuffragii prærogativam ille quoque ſua ſententiu comprobaturus eſſet; neque eos fefellit opinio. Cum enim rem totam ad eum detuliſſet Ignatius, imbecillitatem ſuam corporis animique commemorans, dein etiam atque etiam obteſtans, ut ſe tanto onere levatum vellet; ille cognita re, tantum abfuit ut precibus Ignatii cederet, ut etiam objurgaverit hominem, quod tam explorata Divina voluntate, Spiritui ſancto diutius reſtitiſſet, & ſimul, ne diſſimulationi eſſet locus, ultro adiit Patres, ac de ſuo reſponſo certiores fecit. Quibus rebus denique victus Ignatius, omni ſpe in uno Deo rei bene gerendæ repoſita, dedit manus.*

XC. Loci ſitus amœniſſimus eſt, aer ſaluberrimus, proſpectus, uti dictum eſt, jucundiſſimus, latifundium ampliſſimum; undique enim qua totus uſquequaque Collis ab Aurelii porta uſque ad radices montis porrigitur, in Fratrum ceſſit poteſtatem. Pingues habent hortos, conſita viridaria, referta pomaria, opaca nemora, aquarum abundantiam, irriguum ſuperius & inferius, ita diſpoſitis canalibus, ut per montis jugum, declivia, & fimbrias irriguæ ducantur. Abunde hic hauriunt quidquid ad rem olitoriam attinet, & fructuum gratiſſimam varietatem. Commorantur hic Fratres ſtrictioris Obſervantiæ ſexaginta. Sub Pio V. tranſiit locus ab Amadei ſectatoribus ad Obſervantes provinciæ Romanæ. A Dominica Paſſionis uſque ad Octavam Reſurrectionis, magna illuc confluit populi multitudo, indulgentiam lucratura ſingulis diebus plenariam, a Paulo III. conceſſam.

Gonz. in Provin. Rom. Conv. 2.

XCI. In Umbria ad trecentos paſſus ab urbe Interamnenſi, in loco quodam accliviori Cœnobium eſt ſanctæ Mariæ de Gratiis, ita cognominatæ a beneficiorum frequentia ad conſpectum devotiſſimæ imaginis, quæ ibidem magna colitur veneratione, receptorum. Conſtruendi facultatem hoc anno a Sixto obtinuerunt Vicarius & Fratres provinciæ ſancti Franciſci, exponentes Pontifici, domum beatæ Mariæ Montis Auri, ſive ſanctæ Mariæ Auriæ, extra muros urbis ſeſquimilliarii ab iſta conſtructam, a Civibus ſub Eugenii IV. Pontificatum oblatam, fatiſcente ſolo fiſſiſque muris ruinam minitari, ſed accepta iſta, etiam priorem, de qua alias diximus, retinuerunt.

Conv. S. Mariæ de Gratiis Interamnen.
Idem in Provin. S. Franc. Conv. 13.
Tomo 11. anno 1458. n. 26.

XCII. In Piceno prope Civitatem Fori-Sempronii, non longe a Metauro fluvio, cives ex publicis facultatibus domum Fratribus Obſervantibus beatæ Mariæ Annunciatæ conſtruxerunt; amœnos hortos vaſtamque ſylvam addiderunt. Apud Inſubres non procul a Caravagio, Cremonenſis diœceſis oppido, partim nobilis familia Secchina, partim communitas Oppidanorum hoc anno Cœnobium, ſancto Bernardino ſacrum, Fratribus poſuerunt. Eccleſia anno MCCCCLXXXIX. die V. Aprilis a Franciſco Leone Minorita, Sitienſi Epiſcopo conſecrata eſt. Vixerunt hic viri religioſiſſimi, ex quibus hoc poſtremo ſeculo deceſſerunt Joannes a ſancto Georgio vir bonus, & timens Deum, magnus Obſervantiæ zelator, & Ægidius Laicus a Trivillio, qui ſancte vixit, ſuumque obitum prædixit.

Conv. Foriſempronii.
Idem in Provin. March. Conv. 48.
Conv. Caravagii.
Idem in Provin. Mediol. Con. 20.
Monument. MSS. ejuſd. Prov.
Fr. Franciſcus Leo Epiſcop. Sitien.
Fr. Ægid. a Trivillio.

XCIII. Diomedes Caraffa, (quem perperam Gonzaga Joannem Thomam appellat.) Mattalonenſium Comes, CCC. P. a Puteolis, Campaniæ Civitate, multis Romanæ potentiæ veſtigiis celeberrima, (cui nunc præeſt digniſſimus Epiſcopus frater Martinus de Leon & Cardenas, qui urbem Ec-

Gonz. in Provin. Terra labor. Con. 19.
Conv. Puteolanus.
Bulla originalis.

cleſiamque multis modis exornavit) hoc anno Cœnobium ſancti Joannis Baptiſtæ in eminenti loco, vulgariter nuncupato *l'acqua de Campana*, cœpit ædificare. Ut abſolvere, ornamentis Eccleſiaſticis, aliiſque neceſſariis inſtruere, & Obſervantibus tradere poſſet, facultatem conceſſit Sixtus IV. anno MCCCCLXXIX. XI. Kalendas Julii. Magnis terræ motibus, quibus illa regio cavernoſa & ſulphurea ſubjecta eſt, vehementer concuſſum, & ruinæ proximum Cœnobium, Petrus Toletanus Prorex anno MD. reſarcivit.

Conv. Neocaſtri. — Neocaſtri in Provincia Calabriæ, & Cuſtodia Cutronis Cœnobium habent Patres Conventuales, a ſancta Maria de Gratiis nuncupatum, quod hoc anno, annuente Nicolao V. conſtructum affirmat Rodulphus: ſed longe ante deceſſit Nicolaus. Prope Thermas in Sicilia, diœceſis Panormitanæ, hoc anno admiſerunt Obſervantes domum cum Eccleſia ſub invocatione S. Mariæ de Jeſu, pia Chriſtifidelium largitione oblatam. Conſtruendi ædificii locum Fratres Petrus & Jacobus Brunenſes deſignarunt.

Rodul. fol. 279.
Conv. Thermarum.
Gonz. in Provin. Sicil. Conv. 22. Lib. 5. bullar. fol. 75.

Conv. de Caçeres.
Gonz. in Provin. S. Mich. Conv. 2. Monum. MSS. ejuſd. Prov.

XCIV. In ea Hiſpaniæ parte, quæ Extrema Dura nuncupatur, prope oppidum Caçeres, Canrienſis diœceſis, Enecus Epiſcopus & oppidani Cœnobium ſub appellatione ſancti Franciſci conſtruxerunt. Cauſam miniſtravit frater Petrus Ferrerius Valentinus, beati Vincentii Ferrerii cognatus. Habitaverat cum duobus ſociis ad ſeſquiannum in ædicula quadam ab urbe remota, ſperans & cupiens Cœnobium ſuis Conſodalibus obtinere. Cum in caſſum laboraret, ſtatuit unde venerat redire. Obvium habuit Didacum ab Ulloa virum nobilem e villa revertentem, rogavitque ut jumenti ſarcinulis ferendis adlecti, veſtigium ſive ſoleam ferream fabro perſolveret. Reſpondenti ſe pecuniam non habere dixit, ut manum ſinui inferret, qua illata, inſperato nummum aureum invenit. Inopinato eventu attonitus, equo deſiliens occurrit in religioſi viri amplexus, reduxitque vel invitum ad oppidum. Relatis, quæ acciderant, Magiſtratui, perſuaſit, ut hominem Deo carum apud ſe retinerent, domoque donarent. Plenis votis omnes acquieverunt, quibus acceſſit ſupradictus Epiſcopus, qui in ſuam ſententiam etiam Reges Catholicos Ferdinandum & Eliſabetham attraxit. Omnium opera, Regum præſertim munificentia, & Petri Mendozii, Archiepiſcopi Toletani, brevi in ampliſſimum excrevit ædificium. In ſacello majori ad latus Evangelii jacet in arca marmorea prædictus Ferrerius, hoc inciſo Epitaphio: *Hic jacet R. P. bon. mem. F. Petrus Ferrerius, hujus notabilis Monaſterii fundator*. Caput in ſacrario cum veneratione aſſervatur.

Fr. Petrus Ferrerius.

Fr. Joan. de Turribus.

Ad oppoſitum latus prædicti ſacelli requieſcit frater Joannes de Turribus, nobili natus familia, Tribunus militum contra Carolum V. in magna illa, ſub *Communitatum* nomine, Hiſpaniæ commotione. Sedatis turbis, ut mortem ſibi ab Imperatore paratam evaderet, ad Religionis confugit aſylum anno ætatis quadrageſimo. Vitam duxit deinceps ſanctiſſimam. Obiit octogenarius, dignus quem omnes venerarentur, oſcularentur, & honorifico curarint condi ſepulcro.

Conv. Villabat.
E l. 26. bullar. Sixti fol. 36.

XCV. Ferdinandus de Bolanno, Miniſter Provinciæ ſancti Jacobi, ſignificavit hoc anno Pontifici, Fratres quoſdam ante multos annos obtinuiſſe, & inhabitaſſe abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, Eremitorium ſanctæ Mariæ de Villabat, Lucen. diœceſis, rogavitque, ut condonato errore, permitteret locum retinere, & in eo domum Regularem conſtruere. Commiſit Pontifex hæc examinanda Abbatibus de Lemos, & de Monte-forti, ejuſdem diœceſis. Nihil porro ab iis in hac re conceſſum puto; dum nullum reperio hujus domus aut Eremitorii veſtigium inter Cœnobia Provinciæ ſancti Jacobi, intra cujus terminos prædictus locus conſtituitur.

XCVI.

Conv. Cepten. *Ex l.28. fol.117*

XCVI. Civitatem Ceptenſem in Africa pro Alphonſo Rege Portugalliæ regebat Capitanei titulo Petrus Comes de Villa Regali, petiitque & obtinuit facultatem ædificandi ibidem Minoribus Cœnobium ſub invocatione beatæ Mariæ.

Conv. Lislen. *Lib.10. fol.71.*

Conv. Voſagi. *L.27. fol.225. Gonz. in Prov. Fr&. Pariſ. Con. 12.*

Fr. Claudius Roletus martyr.

XCVII. In Gallia ſimiliter conceſſa facultas nobili viro Ludovico de Cabillone, Domino loci de Lisle, Lingonen. diœceſis, ut ibidem domum Fratribus de Obſervantia conſtrueret. Necnon Nicolao Calabriæ & Lotharingiæ Duci, ut eiſdem domum alteram fabricari curaret ad oppidum Bavoni, Tullenſis diœceſis. Curavit ille ad radices Montis Voſagi, ſed anguſtam & pauperem juxta Fratrum deſiderium. Succreſcente incolarum numero, quidam vir pius Nicolaus Cachetius locum ampliavit, & in nobiliorem formam redegit. Conſecrata eſt Eccleſia anno MCCCCLXXIV. & myſterii memoria quotannis Dominica tertia poſt Paſcha celebratur. Hujus loci alumnus Claudius Roletus Sacerdos, cum a viſitandis liminibus divi Quirini rediret, ipſo die Inventionis ſanctæ Crucis anno MCCCCLXXI. in Calviniſtas incidit, a quibus plurima ludibria & tormenta perpeſſus, tamdem illuſtri martyrio coronatus eſt.

Conv. Civitatis Novæ. *Gonz. in Prov. Boſnæ Croat. Con. 5.*

XCVIII. In Germania & Carniolenſi Ducatu, Eliſabetha Chernovalia, devota matrona, Conventum ſancti Leonardi prope Civitatem novam ea lege Fratribus fundavit, ut Provinciæ Auſtriæ Vicario Obſervantum ſubeſſet. Poſt aliquot annos, cum ob Fratrum penuriam eo non indigerent Auſtriaci, dimiſerunt Fratribus Boſnæ Croatiæ, qui per incertas ſedes vagabantur, exuſtis eorum domibus per Turcas, qui regiones illas igne ferroque devaſtarant.

Conv. Crutzenaci.

Trithem. in Chronic. Spanheimen. anno 1480.

XCIX. Crutzenacum, Civitas olim Comitatus Spanheimenſis, nunc Palatinatus inferioris, Maguntinæ diœceſis, loco amœniſſimo ſita, & in Crucis modum a fluvio *Naqui* diviſa (unde ei nomen adhæſit) hoc tempore a Ducibus Bavariæ nobili Franciſcanorum Cœnobio illuſtratum eſt. Etenim hoc ipſo anno Sixtus Pontifex licentiam dedit germanis Fratribus Friderico Duci Bavariæ, Romani Imperii Electori, & Comiti Palatino Rheni, & Comiti Spanheimenſi, ibidem domum Fratrum Regularis Obſervantiæ conſtruendi: *Eximiæ devotionis*. III. Kalendas Junii. Illi ſtatim manus operi admoverunt, ita ut ſub annum MCCCCLXXX. ferme fuerit completum. Ita enim ſub eumdem annum de hoc Cœnobio ſcribit Trithemius: *Circa hæc tempora fundatum eſt Cœnobium Fratrum Minorum de Obſervantia in Crutzenachi per Fridericum Comitem Palatinum, Ducemque Bavariæ, ac Comitem in Spanheim Patrem Joannis Ducis in Siemem. hodie commorantis, cooperante oblatione fidelium. Nam Civis quidam præfati oppidi Crutzenacenſis imaginem parvulam ſancti Wolffgangi de ligno ſculptam, in Capellam ſeu Eccleſiam ejuſdem novæ fundationis poſuit, ad quam tantus in brevi populorum concurſus fieri cœpit, ac miracula prædicari, quod totum opus inceptum ex oblatione populi citiſſime fuit conſummatum. Nec miraculorum ceſſavit opinio quouſque Fratres, pacis & paupertatis amatores, imaginem depoſuerunt, & tunc ceſſavit fama ſignorum, ac concurſus populorum paulatim imminutus eſt.*

Fridericus Comes Palat. Rheni laudatur.

C. Sed antequam hi generoſi Principes opus abſolverent, ex hac vita deceſſerunt, & quidem primus, Fridericus Imperii Elector an. MCCCCLXXVII. ex humanis abiit, de quo ſic auctor prædictus: *Anno* MCCCCLXXVII. *die* XII. *menſis Decembris obiit illuſtris & Chriſtianiſſimus Princeps Fridericus Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ, ſacri Imperii Archidapifer, ac Princeps Elector, in habitu Minorum Heydelbergæ apud eos tum ingenti pompa ſe-*

ſepultus, amator Cleri, Monachorum omnium Obſervantualium promotor, defenſor pauperum & viduarum, Eccleſiarum advocatus integerrimus, qui tanta fecit quanta nullus in Germania Princeps in trecentis retro annis pro pace & defenſione ſuorum omnium adjutorium ejus poſtulantium. Qui (ut mea fert opinio) ſi Romanorum fuiſſet Imperator, non tot regna, tot Provincias, tot urbes a Chriſtianorum Dominio Turcus rapuiſſet, aut ſi Imperator fuiſſet, qualis iſte erat. Quo mortuo Excellentiſſimus Princeps noſter, hodie feliciter imperans, paternum Ducatum, quem ille poſt obitum patris tutorio nomine gubernaverat annis XXVI. *regendum hoc ipſo anno ſuſcepit, annum ætatis agens* XXVIII. *Princeps inclytas, manſuetus, ingenio clarus, & ſubtilis, non minus conſilio, quam armis valens, amator pacis, & ſubditorum ſuorum defenſor & tutor acerrimus.*

CI. Hujus autem Friderici filii, Philippus & Joannes, genitoris & patrui pietatem æmulati opus proſecuti, & anno MCCCCLXXXIV. undique conſummatum, hoc ſuo diplomate voluerunt Fratribus perpetuo conſignatum: *Nos Philippus, Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Archidapifer, & Princeps Elector, ac Bavariæ Dux; & nos Joannes, eadem Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, & Comes in Sponheim, recognoſcimus, & ad univerſorum quorum intereſt, ſeu in futurum quomodolibet intereſſe poterit, notitiam deducere volumus per præſentes, quod recolendæ memoriæ Illuſtriſſimi Principes & Domini, Dominus Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, ac Princeps Elector, & Fridericus etiam Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, & Comes in Sponheim, Patruus & Genitor noſtri, ſancto, uti credimus, inſtigante Spiritu, animadverterint, ſagaciterque perpenderint, tanto noviſſimis his noſtris temporibus magis neceſſaria virtutum & bonorum operum fore exempla, quanto amplius decor militantis Eccleſiæ incœpit offuſcari. Idcirco ad omnipotentis Dei & ſupradictæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, necnon totius cœleſtis Curiæ gloriam, in remedium & ſalutem omnium animarum fidelium, vivorum & defunctorum, ob ſingularem & præcipuum amorem, devotionem, reverentiam & venerationem, quam imis ſuis ex præcordiis, dum viverent, habebant ad ſeraphicum, ſanctum quoque Franciſcum, in oppido noſtro Cruitzenaco, Mogutinenſis diœceſis in proprio ſolo, eorum ære ad hoc empto & comparato, non ſine magnis ſumptibus & expenſis inſtituerunt, fundaverunt, & de novo a fundo erexerunt, & ædificare cœperunt domum & Conventum & locum pro uſu ac inhabitatione Fratrum Minorum de Obſervantia &c. Cum autem Illuſtriſſimorum illorum Principum recol. mem. superveniente obitu, ædificium ipſum pro loco & Conventu ſupradictorum Fratrum optatum, nondum fuerit completum, & perfectum. Nos, qui eiſdem in Dominio & hæreditate ſucceſſimas, volentes ut boni filii bonorum Parentum inhærere veſtigiis, non poteramus paternos labores & expenſas ferre hac in re habitos fruſtra eſſe, & fuiſſe factos, quinimo ſanctam illam & piam intentionem Illuſtriſſimorum Principum recol. mem. proſecuti ſumus, & ad effectum & finem deduximus optatum. Quapropter Conventum ipſum, ſeu locum ſupradictum, nunc quidem integraliter completum & perfectum, atque inhabitationi accommodum juxta & ſecundum voluntatem, animum & deſiderium ſupra memoratorum Illuſtriſſimorum Principum, concedimus & conceſſum eſſe volumus præſentium tenore, ad uſum & inhabitationem ſupradictorum Fratram de Obſervantia &c. Et quia convenit, ut hi, qui in domo Dei, viventi Deo die noctuque famulantur & inſerviunt, ab exteriori tumultu & ſtrepitu, quantum poſſibile eſt, immunes ſint & conquieſcant. Idcirco nos Philippus & Joannes præfati ex noſtra*

vo-

voluntate & certa ſcientia, ad ipſius omnipotentis Dei honorem, pro pace & quiete Fratrum ſub Regulari vita, forma & Obſervantia ſeraphici Franciſci militantium, pro nobis & hæredibus noſtris, nunc & in antea perpetuis futuris temporibus, ipſum locum, domum & Conventum cum omnibus ſuis annexis domibus, hortis & hortalitiis, ac aliis appendiciis, quocumque cenſeantur vocabulo, libertati donamus, ea quoque volumus privilegio, libertate, & immunitate gaudere, quibus gaudent alia loca conſecrata & Eccleſiaſtica. Inſuper ex ſingulari & ſpeciali favore & gratia volumus, & per præſentes ad perpetuam notitiam adducimus, ne ad ſpatium octo pedum præfatus locus ſeu Conventus hinc inde per gyrum ædificiis vel aliis negotiis ſecularibus quomodolibet occupetur vel moleſtetur. In quorum omnium voluntatem & deſiderium tam ſupradictorum Principum recol.mem. quam etiam noſtram in ſe continentes, juſſimus & fecimus ſigillo noſtro communiri. Datum Heidelbergæ IV. *menſis Auguſti, an. Dominicæ Incarnationis* MCCCCLXXXIV.

CII. Eccleſia, ambitus & cœmeterium conſecrata ſunt anno proxime numerato, magnaque ſemper floruit locus pietate, donec, irruente in partes illas hæreſi Lutherana, Conventus funditus eſt deſtructus. Victo autem & profligato per Ferdinandum II. Friderico II. Comite Palatino, qui Regnum Boemiæ, ſibi ab hæreticis oblatum, invadere tentavit, Palatinatus in poteſtatem Catholicorum devenit, & inferiori parte potiti ſunt Hiſpani, qui conſtructum elegans Cœnobiolum Fratribus Obſervantibus, quorum opera, auxilio & conſilio Civitas hæc ſe Romanæ ſubjecit Eccleſiæ, tradiderunt. Primi incolæ venerunt ex Conventu Maguntino anno MDCXXIII. & die XX. Maii poſſeſſionem acceperunt ſub invocatione ſancti Wolfangi. Schema Conventus parvum eſt, & omni ex parte perfectum. Incredibili cum fructu animarum ibi Fratres converſantur, & ſcholas alunt ſacræ Theologiæ.

CIII. Hoc anno ad oppidum Samboriæ in Ruſſia, ubi præterfluit Tyræ fluvius, dum Michael Bal Vicarium ageret Provinciæ Poloniæ, Conventum Obſervantibus ædificavit Joannes Odrovaſius, Præfectus Samborienſis. Proceſſerat ille in diebus ſuis cum pia conſorte, cui nomen Beata, nullis ſuſceptis liberis, quos ampli Patrimonii relinquerent hæredes. Itaque ad pietatis opera & propagandam inter Rhutenos fidem, totum ſtudium & animum convertunt; dumque in graviori ætate nihil amplius de prole penſitant, placuit Deo per merita ſancti Franciſci, quem interceſſorem conſtituerunt, eis duos filios & filiam unicam concedere. Beneficii auctori amplius gratificaturi, Bibliothecam libris, Sacriſtiam paramentis, reliquas officinas rebus neceſſariis inſtruxerunt. Eccleſiam ſub titulo Aſſumptionis beatæ Virginis Mariæ, & ſanctæ Catarinæ conſecravit Joannes Targovicius Epiſcopus Premyſlienſis. Acceptavit hunc locum auctoritate Apoſtolica Nicolaus de Monte Italus, Provinciæ Poloniæ Commiſſarius an. MCCCCLXXV. collocatis illic primis inſtructoribus Andrea Rejo, Joanni Capiſtrano familiari, Petro Candido & Nicolao de Tarnovia, viris virtute & doctrina ſpectatiſſimis. A Turcis & Tartaris devaſtatum locum prædicta Beata reficere cœpit anno MDXIII. & anno MDXVIII. conſummavit. Inſignes ibi aſſervantur Reliquiæ.

Conv. Samborien. Gonz. in Prov. Polon. Conv. 19. Monum. MSS. ejuſd. Prov.

CIV. In Hungariæ regno integras gentes, Filieſtros nuncupatas, Fratres Minores ad fidem perduxerunt Chriſtianam. Illi, ut ſuæ Religionis auctores haberent apud ſe, Cœnobium ædificarunt in oppido Bareno, Agrienſis diœceſis, ſub invocatione ſanctæ Mariæ, intercedentibus hoc anno Matthia Rege, fratre Fabiano de Igal Miniſtro provinciæ Hungariæ, & fra-

Conv. Barenſ.

& fratre Gregorio de Zarnaſt, Pontifex licentiam impertivit illud acceptandi: *Sacræ Religionis*. XV. Kalend. Junii.

Conv. Herendaliæ. *Joan. Gram. Antuerp. c. 6. Gonz. in Provin. Germ. infer. Con. 23. Mon. MSS. ejuſdem Provinciæ. Lib. 6. bullar. Sixti fol. 216.*

CV. Herendalia, Brabantiæ oppidum, milliari ab Antuerpia ſexto, ante hæc Batavorum cum Hiſpanis bella, pulchrum & frequens, nunc a Geuziis, tum etiam a Regiis alternatim occupantibus, miſere deſtructum. Olim hic Heroum fuere deliciæ, quas advehebant aer ſaluberrimus, nemora opaca, & Valles amœnæ, unde lingua Belgica idem ſignificat, quod latina *Vallis Heroum*. Hoc anno illic exordium habuit Conventus Minorum Regularis Obſervantiæ a Waltero ab Eel pio ſacerdote, ſancto Franciſco addictiſſimo, qui domum ſuam & adjacentem fundum ædificando dicavit. Carolus Audax, Burgundiæ & Brabantiæ Dux, paternæ pietatis & benignitatis in Ordinem Minorum conſtantiſſimus hæres, cum negotio faveret, facile Sixtus Pontifex ſuo diplomate comprobavit VII. Idus Maii, commiſſo rei examine Abbati Monaſterii ſancti Cornelii Edonien. & Officiali Cameracen. (illius enim diœceſis erat hic locus) quibus etiam auctoritatem impertivit, conſtructum tradendi Vicario & Fratribus Obſervantiæ, provinciæ Coloniæ. Acceſſere bonorum civium vota & ſubſidia, hortos & loca vicina liberaliter donantium, opportuna extruendo Monaſterio, quorum benevolentia ad Fratres hodieque perſeverat: Geuzii cum oppidum aliquandiu tenuiſſent, anno Chriſti MDLXXIX. Fratres noſtros fugant; Clerum nec ira multum poſt, cum Monialibus proſcribentes. Cunctas Cœnobii noſtri domus feraliter præter Templum vaſtaverunt, operibus conſonantibus eorum Evangelio: At Duce Parmenſe vicinis hoſtibus imminente, Geuzii timore fugati, locum Fratribus ceſſerunt anno MDLXXXIV. Julii die XXVI. a quo reparatus pedetentim Conventus, melior apparet, quam fuerat.

Conv. Glaſconen. *Gonz. in Provin. Scot. Conv. 5.*

CVI. In Scotia, civitatis Glaſconenſis Archiepiſcopus hoc anno propriis ſumptibus intra mœnia urbis Obſervantibus Cœnobium extruxit, & incolas, quoad vixit, magno amore & omni beneficiorum genere proſecutus eſt.

Monaſt. Rheginum. * *al. S. Proſperi. Lib. 6. bullar. fol. 123. Tom. 13. anno 1467. n. 34. Lib. 19. bullar. fol. 110.*

CVII. In Calabriæ urbe Rhegina, Philippus Abbas Monaſterii ſancti Spiritus * extra muros ejuſdem Civitatis, Ordinis ſancti Benedicti, Sororibus ſanctæ Claræ de Obſervantia, Corporis Chriſti nuncupatis, Monaſterium extruxit juxta ea quæ alias narravimus, quod cum illæ propter appoſitas conditiones, & loci incommoditatem admittere noluiſſent, dedit Monialibus Sanctorum Coſmæ & Damiani ejuſdem urbis, Ordinis ſancti Auguſtini. Paulo poſt, Archiepiſcopus & Communitas petiit a Sixto facultatem ædificandi in Civitate vel diœceſi Monaſterium ejuſdem Inſtituti ſanctæ Claræ, ſed Regularis Obſervantiæ, cui præfici optabant Euſtochium Abbatiſſam Monaſterii Montis Virginis Meſſanenſis, fœminam ſanctiſſimam, cujus vitam dabimus ſuo loco, & inde conduci primas Magiſtras diſciplinæ Regularis. Omnia hoc anno XI. Kalend. Maii, Pontifex libenter indulſit.

An. 1491.

Monaſt. Bergomen. *Lib. 32. bullar. fol. 41.*

CVIII. Sub Pontificatu Pauli II. convenerat Bartholomæus de Collionibus de Andegavia, Domicellus Bergomenſis, Imperator, ſeu Capitaneus Generalis gentium armorum dominii Veneti, cum Baptiſta de Collionibus de dimittenda ſibi domo & locis adjacentibus in oppido Martinengi, Bergomen. diœceſis, quæ ſpectabant ad Monaſterium de Galgari extra muros Bergomen. Ordinis Humiliatorum, cujus Baptiſta erat Commendatarius, & accipiendis in recompenſam aliis utilioribus poſſeſſionibus a prædicto Bartholomæo, qui ſtatuerat in dicto oppido, cujus ipſe erat Dominus tem-

temporalis, Monaſterium Clariſſarum ædificare. Conventionem hanc Sixtus approbavit, & licentiam conſtruendi conceſſit Monaſterii.

CIX. Similem etiam dedit licentiam Jolantæ Duciſſæ Sabaudiæ, Joanni Ludovico de Sabaudia, Eccleſiæ Gebennenſis Adminiſtratori, & Univerſitati Civitatis Gebennenſis, ut in loco congruo intra eamdem urbem Monaſterium conſtruerent Clariſſarum, ſecundum reformationem ſororis Coletæ.

Monaſt. Gebennen. *Lib. 19. fol. 200.*

„ CX. In Baronia Boxtellii apud Brabantiam, ſecundo a Buſco-Ducis
„ milliari, fundatum fuit hoc anno ab Henrico de Ranſt, Milite de Boxtel
„ & Roſſel Cœnobium Virginum Tertii Ordinis, quæ anno MDXII. au-
„ ctoritate Apoſtolica, procurante fratre Theodorico a Monaſterio, Ordi-
„ nem ſanctæ Claræ, ſub Regula Urbani IV. ſunt amplexæ, adductis e
„ Cœnobio Hoochſtratano (de quo ſuo loco dictum eſt) Monialibus, quæ
„ in moribus & vita prætirent. Furentibus Geuziis & propemodum totam
„ patriam vaſtantibus, anno MDLXXVIII. Buſcum-Ducis ſe contulerunt, &
„ in anguſta domo ad annos viginti tres latuerunt. Pactis induciis ad di-
„ reptum & devaſtatum rediere Cœnobium anno MDCXI. die XII. Julii,
„ ex quo iterum profligatæ ſunt.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Monaſt. Buſci-Ducis. Monaſt. Roſſel. Prov. German. Infer.

CXI. Ut tria Monaſteria Sororum Tertii Ordinis per Lotharingiam ædificare poſſet Gerardus de Huracourt de Garamma Olmenſis oppidi, diœceſis Tullenſis, Dominus, hoc anno Sixtus indulſit. Cœpit ille ſtatim intra Olmæ mœnia, aſſentiente Antonio a Novocaſtro, Tullenſe Epiſcopo, unum ædificare ſub cura Vicarii Fratrum de Obſervantia provinciæ Franciæ, cujus Eccleſiam quidam Epiſcopus Tullenſis ſuffraganeus conſecravit.

Domus Olmen. Sororum Tertii Ordinis. *Gon. in Provin. Franc. Pariſien. Monaſt. 12. Lib. 27. fol. 227.*

CXII. In civitate Forolivien. Sorores ejuſdem Tertii Ordinis, ſub Paulo II. domos duas, unam, *la Miſericordia* in regione ſancti Blaſii, alteram *la caſa della Torre* vulgariter nuncupatas, dederunt Alexandro Epiſcopo & Capitulo pro hoſpitale *della riva*, ut ibidem ſibi domum Regularem extruerent. Ut a ſuo prædeceſſore probatum comprobaret Sixtus, Primus de Ordelaſis, Romanæ Eccleſiæ in ea urbe Vicarius, hoc anno exoravit.

Domus duæ Forolivien. *Lib. 19. bullar. fol. 110.*

CXIII. Supplicante fratre Joanne Paulo Veronenſi, Vicario provinciæ Bononienſis, Congregationis Tertii Ordinis, Eccleſiæ Parochiali ſanctæ Mariæ de Caritate, Fratribus ejuſdem Ordinis conceſſæ, unitur altera parochialis ſanctæ Chriſtinæ etiam Bononienſis, ea adjecta conditione, ut dictæ Eccleſiæ per ſacerdotem ſecularem adminiſtrentur.

Domus Fratrum Bononien. *Lib. 20. fol. 165.*

CXIV. Plura conceſſa hoc anno privilegia hic breviter perſtringam. Fratribus Provinciæ Dalmatiæ in aliquibus Cœnobiis bona habentibus immobilia, & ſuppellectilem ditiorem, quam eorum deceat ſtatum, indulſit omnia diſtrahere, & ad Regulæ normam, juxta primævam Ordinis puritatem, vitam componere. Domum ſancti Franciſci de Campo Aquoſo prope oppidum Salvigniaci, Bituricen. diœceſis, tempore ſancti Franciſci (uti ait diploma) per Dominos Borbonii magnifico opere conſtructam, temporis injuria collabentem, commendat fidelium caritati, ut reſtaurantibus Fratribus manus porrigant adjutrices. Similiter exhortatur ad ſubveniendum domui Nivernenſi, quam intra Civitatem Joannes Comes in ædibus propriis ſuorumque progenitorum, opere ſumptuoſo cœpit ædificare; etenim domum alteram a nobis alias deſcriptam, & ſublimiter extra urbem conſtructam, ingruentibus bellis, hoſtes totaliter deſtruxerunt.

Varia privilegia. Reformantur Dalmatæ. Conv. Campi Aquoſi reſtauratur. Et Conventus Nivernenſis. *Tom. 8. anno 1158. n. 7. & 1161. n. 24.*

CXV. Sororibus Monaſterii ſancti Franciſci Tudertinæ urbis, Ordi-

Domus Sororum Tudertina.

nis ſanctæ Claræ, *Mons Sanctus*, ſive *Mons Maſcaranus* nuncupati, inſigne privilegium Alexandri IV. confirmavit, quod conſervandæ memoriæ rerum ad illud Monaſterium ſpectantium, & inſtitutionis ejuſdem dabimus in regeſto: *Ex Apoſtolicæ Sedis*. xv. Kalend. Martii. Monialibus Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ Mediolanenſis, Clariſſis ad religioſæ vitæ ſtrictiorem Obſervantiam aſpirantibus indulſit, ut bonis omnibus temporalibus renuncient, & ad primæ Regulæ ſanctæ Claræ præſcriptum vitam ducant regularem.

Monaſt. ſanctæ Eliſabethæ. Mediolani reformatur.

Domus Fratrum Antuerpien.

CXVI. Conceſſit fratri Danieli Benerino Miniſtro & aliis Fratribus domus Antuerpienſis, Tertii Ordinis de Pœnitentia, Cameracen. diœceſis, *Begordis* vulgariter nuncupatis, ut Generali Miniſtro Fratrum ejuſdem Inſtituti in diœceſi Leodienſi ſe ſubmittant, & ejus pareant præceptis. Sororibus domorum in Egra & Zellis ac Hallis ejuſdem Ordinis, Ratiſponen. Hildeſemen. ac Magdeburgenſis diœceſum indulſit, ut in manibus, & ſub gubernio Miniſtrarum tria vota ſolemnia poſſent emittere, in communi habitare, & mulieres e ſeculo fugientes in ſuum conſortium recipere.

Domus Sororum Egræ, Zellen. & Hallen.

Confirmantur Syndici Apoſtolici.

CXVII. Præter hæc, litteras Martini IV. & V. de inſtituendis Syndicis Apoſtolicis, qui nomine Romanæ Eccleſiæ Fratribus legata vel conceſſa recipiant, & in Fratrum uſus expendant aut commutent, ampliſſime confirmavit, adjecitque facultatem ſuccedendi in hæreditatibus, aliaque admittendi ac ſi Fratres forent in ſeculo. Hoc tamen poſtremum declaravit intelligendum de ſolis Conventualibus: *Dum fructus uberes*. pridie Kalen. Martii. Rogante Vicario Generali Ultramontano, declaravit, non obſtante conſtitutione Eugenii IV. de celebrando quotannis Capitulo, ſufficere in ſingulis trienniis duo Capitula: *Fuit nobis*. die xii. Decembris. Ad preces fratris Cherubini de Spoleto die xv. Auguſti, Pontifex in Conventu Tyburtino, ubi æſtivabat, conceſſit remiſſionem quartæ partis peccatorum iis, qui in habitu Minorum ſepeliuntur, ab aliis Pontificibus prius conceſſam, eique licentiam dedit, ubique hæc prædicandi, ut ipſe palam teſtatur. Illis, qui quemcumque trium Ordinum a ſancto Franciſco inſtitutorum ingrediuntur, in die ſuſcepti habitus indulgentiam elargitus eſt plenariam. Fratribus non perſolventibus rite officium Divinum in choro, aut aliquid ibidem ex defectu viſus vel auditus omittentibus remedium adhibuit, per recitationem unius pſalmi ex Pœnitentialibus. Die vii. Martii ad inſtantiam fratris Franciſci de Placentia conceſſit ut Moniales tam Clariſſæ, quam Tertiariæ purificatoria & Corporalia tangere & lavare poſſent, a Fratribus tamen prælota. Deprecante fratre Ludovico Vincentino, die viii. Januarii indulſit Prælatis Ordinis ut poſſint commutare legata Conventibus Minorum in alium uſum, dummodo non interveniat ſcandalum aut perturbatio illius, qui debeat ſolvere.

Quoties celebranda Capitula?

Indulgentiæ in habitu franciſcano ſepultorum.

Et Franciſcanis ſe adſcribentiũ.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Veneti movent caſtra in Mahumetem.

,, I. VEneti per ægre ferentes Calcidis excidium & amiſſionem, in
,, Turcarum Imperatorem omni conatu vindictam parantes, per
,, Catharinum Zenum Legatum, Uſſuncaſſanum Perſiæ Regem ſibi in
,, Turcam hoſtem ſacro fœdere obſtrinxerunt, & novi Pontificis, necnon
,, aliorum nonnullorum auxilia bellica expoſtulantes, primo vere hujus an-
,, ni Petrum Mocenigum valida Claſſe vallatum expedierunt, viginti tri-
,, remibus Pontificiis adaucta. Hoc anno igitur armorum Chriſtianorum
,, preſſa gemuit Pamphilia, Regio populoſa & dives; Smyrna quoque

Dogl. cit. fol. 455.

urbs

„ urbs poſt Epheſum primaria in Jonia ad Hermi fluminis oſtia, cecidit;
„ cum interea e Vaticani ſolio plura pro noſtris emanarent: Etenim
„ III. Nonas Januarii, Fratribus Lugdunenſibus conceſſo privilegio Miſſas
„ pro Legatis celebrandi, V. Idus ejuſdem menſis beneficium fratri Bar-
„ tholomæo contulit: *Religionis zelus &c.* & Beatricem de Otordeſillas *Indic. ex Vatic.*
„ Abbatiſſam Ciſtercienſem deſignavit Sixtus: *Sollicitæ conſiderationis &c.*
„ Fratri Fortunato ut in Senarum Civitate prædicaret, licentiam fecit:
„ *Non exigui &c.* die X. Januarii: deinde renuentibus Clariſſis Reginen- *Ex Copia.*
„ ſe Monaſterium acceptare, illud Auguſtinianis dari indulſit: *Apoſtolicæ*
„ *Sedis &c.* & expedito brevi pro Cæcilia Abbatiſſa Monaſterii ſancti Sal-
„ vatoris Camerini, urbis in Umbria: *Ex ſuſceptæ &c.* Gratiam Monialem *Ex Archiv. Coloniense.*
„ in Abbatiſſam Ciſtercienſem inſtituit: *Digna reddimur &c.* Idibus præ-
„ fati menſis; at XVII. Kalend. Februarii Philippæ Infantiſſæ Portugalliæ
„ conceſſo ingreſſu Monaſteriorum: *Devotionis tuæ &c.* pro Sororibus Ter-
„ tii Ordinis S. Franciſci de Egra, & Sellis, & Hallis Ratiſponenſibus lit-
„ teras expedivit: *Vota veſtra &c.* ac ſubinde ad beneficia obtinenda ha-
„ bilitato fratre Martino *Vetter*: *Religionis zelus &c.* XIII. Kalend. ejuſ-
„ dem; paulo poſt, nempe X. Kalend. licentiam conſtruendi domum *Ex Topogr. Ferrer.*
„ prope Firmum, urbem Archiepiſc. Piceni in colle, a littore Maris Ha-
„ driatici ad tres millia paſſus recedentem, conceſſit; & ſequenti die fra-
„ tri Archangelo de Farneſio beneficium contulit: *Religionis zelus &c.* *Ex Vatic.*
„ Kalend. Februarii. De poteſtate Cardinalis Protectoris noſtri Ordinis
„ Minorum Bullam edidit, cujus tenorem exhibeo.

SIXTUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ II. *Sacra Minorum Religio, quæ agrum Militantis Eccleſiæ ſanctis* Proœmium.
„ *operibus, & exemplis copioſiſſime fœcundat, & ſapientiæ ſplendore*
„ *Catholicam illuſtrat Eccleſiam, tanto uberioribus fructibus fertilior eſſe*
„ *conſpicitur, quanto in ſe quietior permanet & conſiſtit, & major prom-*
„ *ptiorque a ſubditis ejuſdem Ordinis Fratribus, ſuis Prælatis obedientia exi-*
„ *bibetur, nulliuſque extrinſeci impedimenti perturbationibus agitatur &*
„ *moleſtatur, quin in ea Caput unum ſit, & eſſe videatur, a quo omnia dictæ*
„ *Religionis negotia & cauſæ adminiſtrentur, & cui omnes & ſinguli dicti*
„ *Ordinis Fratres pareant, & illius ſubjaceant diſciplinæ.*
„ *Dudum ſiquidem Gregorius XI. Prædeceſſor noſter, cognito quod non-*
„ *nulli dicti Ordinis Protectores, dum majorem, quam eis ex ejuſdem Ordi-*
„ *nis Regula conceditur, auctoritatem vendicare, & uſurpare ſibi ipſi vo-*
„ *luerunt, vera ſubditorum præfati Ordinis ad ſuos Prælatos obedientia*
„ *ſubmovebatur, unde perturbationes, inconvenientia multa, inutiles Fra-*
„ *trum diſcurſus, & gravia ſcandala fuerint exorta in magnam ipſius Ordi-*
„ *nis jacturam, præjudicium, & detrimentum, litteras ſequentis edidit te-*
„ *noris:* Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei
„ memoriam. Cunctos Chriſtifideles &c. (Vide tom. VIII. ſub annum
„ 1373. n. 24.)
„ *Nos autem, cum in minoribus conſtituti, ipſius Ordinis Generalis no-*
„ *bis cura & adminiſtratio incumberet, ſaluberrimum & opportunum &*
„ *neceſſarium dicto Ordini eſſe conſpeximus, ut Protectores ultra præfixum,*

,, ac ejuſdem Ordinis Regulæ auctoritatem non extenderent; nam experti ſu-
,, mus & vidimus, quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda præ-
,, fato Ordini, ac Fratribus ejuſdem ex firma & inconcuſſa dictarum littera-
,, rum obſervantia provenerunt: quot & quantæ perturbationes, jacturæ
,, incommoda, damna, & gravia ſcandala in dicto Ordine ſuſcitata ſunt,
,, quoties dicti Ordinis Protectores ſuæ auctoritatis limites excederent, atten-
,, tantes in particularibus dicti Ordinis, & Fratrum ejuſdem cauſis &
,, negotiis ſe intromittere, & uſurpata ſibi auctoritate, ea videre, cogno-
,, ſcere, judicare, & decernere voluerunt.

,, Cupientes ut Religio & Ordo præfatus, quem affectuoſiſſima caritate
,, complectimur; utpote quia in ea a teneris annis enutriti, & doctrina, ac
,, Regularibus diſciplinis & moribus instructi fuimus; ac, ut firma fide te-
,, nemus, certiſſimiſque in nobis experimentis didicimus, ad officia & digni-
,, tates, ad quas in minoribus promoti fuimus, & ad hunc ipſius Summi
,, Pontificatus apicem, meritis & precibus Seraphici illius Patriarchæ Fran-
,, ciſci, ejuſdem Ordinis Patris & Fundatoris, provecti ſumus; quieto con-
,, ſiſtens ſtatu, & Chriſtianæ Reipublicæ augmentum & multiplicatio, ac
,, ſolidum fundamentum ex ejuſdem Ordinis Fratrum operibus & exemplis,
,, ſapientiæ ſplendore, & fructuoſis ſtudiis, & prædicationibus proveniant;
,, promptiſſimo & liberali animo, uti dignum cenſemus & debitum, ea, quæ
,, pro ipſius Ordinis quiete, pace, tranquillitate, & proſperitate a Roma-
,, nis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris provide ſtatuta & ordinata ſunt,
,, ut illibata perdurent, noſtræ approbationis munimine ſolidamus, inter-
,, pretamur, & declaramus, prout ipſius Ordinis tranquillitati conſpicimus
,, ſalubriter expedire.

,, Ut igitur de cetero ipſius Ordinis Profeſſoribus omnis evagandi extra
,, Religionem occaſio tollatur, & vera ſuis Prælatis obedientia, in qua
,, ipſius Religionis verias & ſolidum fundamentum & robur conſiſtit, ex-
,, hibeatur; præfatique Ordinis & Fratrum ejuſdem negotia, & cauſæ non
,, alibi, neque per alios, quam in ipſo Ordine, & ipſius Prælatos tractentur,
,, agitentur, judicentur & determinentur: Dilecti filii Zaneti de Utino,
,, Generalis dicti Ordinis Miniſtri, & totius Generalis Capituli in hac parte
,, ſupplicationibus inclinati, inhibitionem & litteras prædictas Prædeceſſo-
,, ris præfati, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore approbamus, &
,, robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus; & per eas Prote-
,, ctori præfato, qui in tempore erit (niſi in illis caſibus & articulis in Re-
,, gula dictorum Fratrum expreſſis, & præfati Prædeceſſoris litteris decla-
,, ratis) neque in illis non univerſi, ſed aliqui ipſius Ordinis Profeſſores in
,, quovis numero a Fidei unitate, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedien-
,, tia deviarent, vel Regulam præfatam non ſervarent; ſed de eorumdem
,, deviantium, & non obſervantium Regulam correctione aut reductione,
,, ac aliis quibuslibet cauſis & negotiis dicti Ordinis ſe impediat, inhibitum
,, fore dicta auctoritate decernimus, & declaramus.

,, Hortamurque illum, qui ad officium Protectoris hujuſmodi, quod in
,, præſentiarum per obitum fel. mem. Beſſarionis Epiſc. Sabinenſis, dicti Or-
,, dinis olim Protectoris nuper vita functi, vacat, aſſumi & deputari con-
,, tigerit, & ipſius Succeſſoris dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute
,, ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo inhibemus, ne extra prædictos arti-
,, culos, & caſus in Regula prædicta contentos & expreſſos, nec etiam in
,, illis, cum non univerſus Ordo, ſed aliqua ipſius pars & ſpecialis Perſona
,, erraret, ipſorum Fratrum querelas audire, ſeu de ipſorum cauſis & ne-

go-

gotiis, contra litteras & declarationes hujuſmodi, intromittere ſe quomodolibet præſumant: ſed curent, uti eſt eorum proprium offitium, & præfati ſancti Franciſci, & Apoſtolicæ Sedis intentio extitit, ipſum Ordinem in quieto, tranquillo & pacifico ſtatu conſervare & augere, & ab impugnantibus, moleſtantibus & perturbantibus defendere & tueri; ne ſecus agendo, Ordinem præfatum non ſolum non protegant, conſervent & exaltent, ut tenentur, ſed in Animarum ſuarum pernicem, & dicti Ordinis detrimentum & ſcandalum confundant & deſtruant.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. *v. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno* 1.

III. Interamna, ſeu Interamnia, vulgo *Teramo*, Civitas Epiſcopalis Aprutii, in finibus Prævitiorum, ac intra colles Apennini montis, cui id nomen contigit, quod inter Juvantium & Viciolam amnes ad eam confluentes ſita ſit, pro Minoritis novas excitaverat ædes; Pontifex vero veterem domum dimittendi, & novam recipiendi Fratribus licentiam fecit: *Digna exauditione &c.* pridie Nonas Februarii: & ſeptimo Idus ejuſdem menſis in officio Inquiſitionis confirmato fratre Bertrando Tremeſio: *Inter curas &c.* collato beneficio quodam fratri Alberto; *Proviſionis noſtræ &c.* XII. Kal. Martii, VI. Kal. ejuſdem fratrem Petrum de Ochania Epiſcopum Gadirenſem delegit: *Apoſtolatus officium &c.* Pridie vero Nonas ejuſdem ad beneficia habilitatio fratre Gerardo: *Religionis zelus &c.* fratrem Richardum Martyris Epiſcopum Limorenſem creavit: *Apoſtolatus officium &c.* VII. Idus ejuſdem: X. Kal. Aprilis, expedita facultate conſtruendi Monaſterium beatæ Coletæ in Sabaudia: *Piis fidelium &c.* & IX. Kal. ejuſdem pro erectione domorum in Inſula Sardiniæ: *Digna exauditione &c.* ad Epiſcopatum Famaguſtanum in Cypro fratrem Franciſcum evexit: *Dum ad univerſas &c.* pridie Kal. Aprilis; & pridie Nonas ejuſdem fratri Conrado *Seher* beneficium dedit: *Religionis zelus &c.* & VII. Idus pariter ejuſdem menſis alterum fratri Bartholomæo de Benedictis: *Religionis zelus &c.* & per conſimile breve, IV. Idus ad beneficia obtinenda habilitavit fratrem Joannem. Fratribus Provinciæ Dalmatiæ poſſe habere nonnulla bona indulſit: *Votis Domino &c.* XVIII. Kal. Maii; Reginenſibus ædificationem Monaſterii Clariſſarum: *Inter univerſas &c.* XI. Kal. Beneficium fratri Martino de Cherio: *Grata familiaritatis &c.* VI. Kal.; Kal. Maii fratri Seraphino de Squilacio, Viro docto & celebri, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Hydruntinus, ut poſſet conſtruere unam domum pro ſe & ſuis ſociis, auctoritatem conceſſit: *Religionis zelus &c.* deinde fratre Luca Guillelmo ad Eremitorium, quod expoſtulabat, dimiſſo: *Religionis zelus &c.* IV. Idus Maii; XII. Kal. Junii conſtructionem domus de Caſtro Cabino indulſit: *Sedis Apoſtolicæ &c.* Fratribus Joanni de Ghiſtella, & Nicolao *Langebicle* beneficia conceſſit: *Religionis zelus &c.* XVI. Kal. ejuſdem. Trium Cœnobiorum fundationis in Boemia e Vaticano emanavit licentia XIV. Kal. Julii: *Ad ea ex injuncto &c.* & erectionis Monaſterii Aquilarii de Campo, Diœceſis Burgenſis in Hiſpania; quod anno ſequenti a Catarina *Henriquez* Matrona Burgenſi de facultatibus a filia ſua ejuſdem nominis defuncta relictis, pro Clariſſis conſtructum aſſerit Annaliſta: *Inter cetera*

Indic. ex Vatic.

Harold. ad ann. 1480. n. 7.

Wad. ad ann. 1473.

ra &c. pridie Kalendas Julii; quo tempore frater Robertus de Unellis ad Epiſcopatum Achadenſem electus eſt: *Apoſtolatus officium &c.* & VII. Idus ejuſdem menſis, ad Eccleſiam Leſmenſem frater Thomas de Bettunto, ſicuti Soror Antonia ad regimen Monaſterii ſanctæ Catarinæ Aptenſis: Aptæ Monaſterium Sanctimonialium extitiſſe, ſicut indicatur a Petro de Alva & Aſtorga, ita ibidem Fratrum Cœnobium fuiſſe apparet Minorum e Catalogo Piſani de Provincia Provinciæ, & tertia Cuſtodia Avinionenſi, in qua ſextum locum occupabat: Apta vero, vulgo *Apt*, Oppidum in Comitatu Venuxino, milliaribus Gallicis quindecim ab Avenione in Orientem recedit, jacetque proxime fluvio *Coloa*, qui inde in Rhodanum defluit, aliis adauctus aquis. Poſt hæc decrevit Pontifex Moniales haud viſitari vel corrigi poſſe, niſi a Prælatis Ordinis: *Ut inter æternæ &c.* v. Idus Julii, quemadmodum in Firmamento legitur; quo tempore pariter conſtructionem Conventus pro Obſervantibus Perpiniani indulſit: *Piis ſupplicum &c.* Duo erant ibi Minoritarum Cœnobia, unum ſub invocatione S. P. Franciſci Conventualium intra Oppidum, & alterum extra, Regularis Obſervantiæ, quod bellorum cauſa deſtructum, Pius II. ad inſtantiam fratris Laurentii de Monte, Vicarii Provinciæ Narbonenſis, ut ab Oppidanis intus vel extra muros reædificari poſſet, licentiam fecerat anno MCCCCLXIV. at hoc anno ex nova conceſſione Sixti IV. apparet nondum reſtitutum fuiſſe. XVI. Kalendas Auguſti, ad inſulas Zaſienſes promotus eſt frater Joannes *Martinez*: *Apoſtolatus officium &c.* III. vero Kal. ejuſdem, & iterum pridie Kal. duo beneficia collata fuere, primum fratri Laurentio de Romanis, & ſecundum fratri Juliano de Vulterris: Cathedræ Valliſoletanæ reſtituto fratre Ferdinando: *Religionis zelus &c.* pridie Kal. Septembris anno II. VIII. Idus ejuſdem, decrevit Pontifex Seculares ſepeliendos in habitu Minoritico, patenter ad tumulum deferendos fore: *Apoſtolicæ manſuetudinis &c.* Pridie nonas Octobris conceſſo beneficio fratri Blaſio Buri de Caſtro Baveri: *Religionis zelus &c.* aliud contulit fratri Jacobo de Callio: *Religionis zelus &c.* XVIII. Kal. Decembris; & XV. Kalendas dimiſſo fratre Petro de Orta ad Chartuſianos: *Sedes Apoſtolica &c.* fratri Joanni de Birribis dato beneficio: *Dignum &c.* XIX. Kal. Januarii, ad Tranſilvanos deſtinatur Epiſcopus frater Gabriel: *Paſtoralis officii &c.* XV. Kal. ejuſdem menſis.

Ex Vatic.

Harold. ad ann. 1540. n. 47.

Ex Vatic.

Ex firmam. fol. 116.

Ex Vatic.

IV. Præfata & alia nonnulla minoris momenti prodierunt hoc anno ab Apoſtolica Sede: at in Ordine, Patres Conventuales, præſide Zaneto Utinenſe Miniſtro Generali, VIII. die Maii, Ferrariæ congregati, Capitulum celebrarunt: Aquilæ pariter congregati Patres Ciſmontanæ Familiæ Regularis Obſervantiæ, ſua etiam Comitia celebrarunt, in quibus in Vicarium Generalem Ciſmontanum elegerunt fratrem Angelum de Clavaſio virum doctrina & religioſitate notum: non tantum autem præfati ſed etiam Ultramontani de Obſervantia ſuos habuere Generales Congreſſus, ſed illis ſerius; cum enim anni proxime præteriti MCCCCLXXI. die I. Menſis Octobris Franciſcus *Blonde*, eorum Vicarius Generalis in Conventu Montis Lucii Provinciæ Burgundiæ occubuiſſet, ſecundum proviſionem Eugenii Papæ IV. venerandus Pater Vicarius Provincialis prædictæ Provinciæ duos viciniores Vicarios Provinciales, Aquitaniæ ſcilicet, ac Turoniæ accerſivit, ut ipſorum conſilio locum & tempus Congregationis Generalis aliis Vicariis Ultramontanæ Familiæ Obſervantibus indiceret; quamvis in antecedenti Capitulo ſuper his proviſum fuiſ-

Ex Vatic.

„ fuiſſet ; etenim timebant novitates ex nova electione ſummi Pontificis ſe-
„ quuta , exoriri in Ordine poſſe : quamobrem maturantes conſilium , con-
„ greſſum Generalem ſuis indixerunt habendum in Conventu Baſileæ
„ Provinciæ Argentinæ , & prn feſto ſancti Joannis Baptiſtæ hujus anni
„ MCCCCLXXII. Itaque tempore deſignato congregati Vocales , præſiden-
„ te fratre Simone Maſſei Vicario Provinciæ Burgundiæ , in Vicarium Ge-
„ neralem totius Ultramontanæ Familiæ Obſervantum fratrem Joannem
„ *Chroyn* , Provinciæ Vicarium in Provincia elegerunt , & plura in eo con-
„ ſeſſu decreverunt , ad bonum regimen univerſale ſpectantia , quæ nos Joannes Chroyn Vic. Generalis .
„ hic referre non pigebit , cum integre haud conſonent allatis in Orbe Se-
„ raphico .

„ V. *In eo igitur Capitulo Baſileæ , primo ordinatum eſt , quod Vicarii* *Ex Speculo fol. 54. 55.*
„ *Provinciales , Cuſtodes & Diſcreti diſcretorum , qui ad Generalem Con-*
„ *gregationem venire non poſſunt , de cetero ſuæ impoſſibilitatis teſtimonium*
„ *per litteras authenticas trium vel quatuor Patrum Guardianorum ſigillis*
„ *munitas , tranſmittant : & non de facili excuſentur , juxta præceptum Re-*
„ *gulæ , & noſtri Ordinis inſtituta : & nihilominus Commiſſarios loco ſui*
„ *mittant .*

„ *Item ordinatum eſt , quod Cuſtodes , ubi habentur , non continuentur :*
„ *vel ſi oporteat eos continuari pro cauſa rationabili , tunc quartum annum*
„ *non tranſeant .*

„ *Item declaratum eſt , de intentione Statutorum Generalium eſſe ,*
„ *quando in Capitulo Provinciali vel Cuſtodiali retentio , ſeu electio Guar-*
„ *diani propter rationabiles cauſas non confirmatur , quod non tenetur Ca-*
„ *pitulum electionem hujuſmodi ad Conventum remittere , ſed poteſt tali*
„ *Conventui de Guardiano providere . Secus de electione facta extra tempus*
„ *Capituli Provincialis vel Cuſtodialis , quam ſi Vicarius Provincialis vel*
„ *Cuſtos infirmaverit , tenetur eam ad Conventum remittere , niſi juxta te-*
„ *norem Statutorum , ſcienter elegerint indignum .*

„ *Item declaratum eſt , quod aſſerere Communitatem alicujus Conven-*
„ *tus congregatam , fore ſupra Guardianum , ſit præſumptuoſum & temera-*
„ *rium : & qui hoc pertinaciter ſuſtinere vellet , tamquam errans & ſubver-*
„ *ſor obedientiæ ſanctæ , carceri mancipetur .*

„ *Item declaratum eſt , quod canonice electus , & officium prælationis*
„ *pertinaciter renuens , niſi cauſam legitimam reddiderit ſuo Prælato , licet*
„ *occultam , cenſetur ſimpliciter & abſolute inobediens : & idcirco merito pu-*
„ *niendus ad arbitrium ſui Prælati cum conſilio Diſcretorum .*

„ *Item declaratum eſt , quod Vicarii Conventuum quomodocumque in-*
„ *ſtituantur , ſemper ſunt & cenſentur eſſe Vicarii Guardianorum , ita &*
„ *tales , quod non poſſunt Fratres congregare , nec Capitulum tenere , dum*
„ *Guardianus eſt in Conventu , ſed ſimpliciter tenentur facere voluntatem*
„ *Guardiani , & Conventus ſolus ſine Guardiano non poteſt tales Vicarios*
„ *deponere , nec ipſi Vicarii ſuo reſignare Vicariatui .*

„ *Item declaratum eſt , quod quando Vicarius Provincialis exit Provin-*
„ *ciam , licet Commiſſarium aliquem elegerint ipſe & Vocales Capituli Pro-*
„ *vincialis , qui regat Provinciam in ſua abſentia , nec deberet eorumdem*
„ *irritare vota ; de plenitudine tamen poteſtatis , ſi alium Commiſſarium*
„ *fecerit in ſuo exitu tollendo auctoritatem primi , ſecundus cenſetur verus*
„ *Commiſſarius .*

„ *Item declaratum eſt , quod Vicarii Provinciales , ſicut & ceteri , in*
„ *neceſſitate conſtituti , ad ſuum Prælatum poſſunt recurrere ; non tamen*
Pro-

„ *Provinciam extra Capitulum dimittere ſeu officio ſuo renuntiare. Nec*
„ *Vicarius Generalis extra præfatum Capitulum Provinciale poteſt dictam*
„ *renunciationem recipere, aut quod de alio provideatur mandare, cum hoc*
„ *habeat fieri in Capitulo Provinciali.*
„ *Item declaratum eſt, quod Vicarii Generales vel Provinciales non*
„ *poſſunt inſtituere Prælatum ordinarium in aliquo Conventu vel loco, ſine*
„ *conſenſu Conventualium vel majoris partis eorum, niſi in caſu, quem po-*
„ *nunt ſtatuta.*
„ *Item declaratum eſt, quod Commiſſarius ad viſitandam aliquam Pro-*
„ *vinciam miſſus, non poteſt Confeſſores vel Prædicatores inſtituere, aut*
„ *Fratres extra Provinciam ſibi commiſſam tranſmittere ad manendum, niſi*
„ *ſibi ſpecialiter fuerit commiſſum, & in ſua commiſſione ſpecialiter ex-*
„ *preſſum.*
„ *Item declaratum eſt, quod Irregularis, qui conſilium vel auxilium*
„ *dedit, etiam manu propria, ad homicidium, non impeditur a ſuſceptione*
„ *regiminis Fratrum, maxime Guardianatus; quamvis impediatur a ſuſce-*
„ *ptione Ordinum. His ad publicam regimen ſpectantibus ordinatis, etiam*
„ *circa Divinum Officium attente ordinatum eſt, ut ſequitur.*

Ex Speculo tract. 5. fol. 202.

„ *In feria quarta cinerum ſemper fiat de ipſa feria, etſi eadem die oc-*
„ *currat Feſtum duplex, juxta ordinationem Domini Clementis Papæ VI.*
„ *Item in Adventu Domini ſemper in quatuor temporibus fiat de feria, com-*
„ *prehenſa etiam feria quinta; pro eo quod Rubrica de reſponſoriis hoc vi-*
„ *detur innuere. Excipitur feſtum Expectationis Virginis Mariæ in Provin-*
„ *ciis, ubi celebratur, & feſtum ſancti Thomæ Apoſtoli, quæ feſta etiamſi*
„ *in quatuor temporibus venerint, ſuis diebus celebrantur: in aliis autem*
„ *diebus, etiamſi laudes habeant proprias, poſſint feſta retro dimiſſa collocari*
„ *ſeu transferri.*
„ VI. Expediti ab univerſalibus Ordinis, haud incongruum erit non-
„ nulla ſpecialiora referre, quæ magis hiſtoriarum amatoris animum oble-
„ ctare, vel etiam in bonum finem pruritare valeant. Et quidem primo
„ Savonenſium in Liguria pietas, & in Religionem Saraphicam devotio
„ mihi occurrit, quod his temporibus locum pro Fratribus Regularis Ob-
„ ſervantiæ, licet jam pridem pro Conventualibus ædes excitaſſet, ſtatuere
„ voluerit: oon eſt autem quod hujuſmodi Cœnobii oblitus Gonzaga fue-
„ rit, vel eum prætermiſerit Annaliſta, ſed quod rem mancam poſteris
„ conſignaverint, cum nec fundatorem, nec certum ejuſdem erectionis
„ tempus attigerint, licet forte utrumque ipſis facile innotuiſſe potuerit.
„ Ut ergo ſuppleamus: ex noviſſimis Reformatæ Provinciæ Januenſis,
„ anno a Chriſto nato MCCCCLXX. Illuſtriſſimi Guberoatores magni Ho-
„ ſpitalis Savonæ (vulgo il *Ssagno*) piis Patrum Regularis Obſervantiæ,
„ præcipue vero Provinciæ Januenſis Vicarii Patris fratris Joannis Baptiſtæ
„ de Salis, fervidis votis annuentes, Oratorium ſive ædiculam Divo Apo-
„ ſtolo Jacobo dicatam, ad dictum Hoſpitale pleno jure, veris & legitimis
„ titulis ſpectantem & pertinentem, cum territorio & ædificio quodam ad
„ centum paſſus ab urbe, in diſtrictu de Valoria appellato, vigore inſtru-
„ menti recepti in maou Bartholomæi Baſſi Notarii publici, ob Dei amo-
„ rem, & in Seraphicum Patrem devotionem, quam gerebant, dono dedere:
„ ſequenti anno MCCCCLXXI. die XXVII. Septembris, ſpectabiles & peril-
„ luſtres Urbis Antiani, D. Angelus Saccus Prior, & D. Chriſtophorus
„ Panitius Subprior, D. Joannes Baſſus, D. Lucianus de Gambarana,
„ D. Baptiſta Nuceto, D. Odoardus de Maria, & D. Lucianus de Mone-
lia

lia congregati in pleno & legitimo numero in Conventu Patrum Minorum Conventualium ſancti Franciſci intra mœnia commorantium, litteras Pontificias ſub forma brevis: *Promptum & benevolum &c.* VI. Idus Novembris anno VII. ad fratris Angeli de Clavaſio, aliorumque Fratrum Provinciæ Januenſis inſtantiam emanatas a Paulo II. intellexiſſent, eas a Bartholomæo Notario de *Manda* legente audiverunt directas R. D. Vicario Generali Archiepiſcopi Januenſis tamquam Commiſſario Apoſtolico earumdem Exequutore, quibus acceptandi & conſtruendi locum pro Fratribus Regularis Obſervantiæ facultas conceſſa exprimebatur: quamobrem conſtito prius de conſenſu præfati Vicarii Generalis Metropolitani, per Procuratorem Fratrum ad hoc ſpecialiter electum D. Baptiſtam de Umalo Genuenſem, ſervatiſque omnibus ſervandis, præfato Angelo de Clavaſio Vicario Provinciali, ut creditur, aliiſque Religioſis, ex publicis & privatis facultatibus libere oblatis novum conſtruendi Cœnobium & Eccleſiam ad laudem Dei, Religionis augmentum, & animarum ſalutem facultatem dederunt, ut ex publicis ſcripturis a præfato Bartholomæo Notario confectis, & in Archivo Civitatis conſervatis conſtat. Itaque primo anni MCCCCLXXII. tempore ad ædiculam ſancti Jacobi Angelus a Clavaſio pro novis ædibus conſtruendis fundamenta adeo feliciter poſuit, ut poſt aliquot annos Civibus, quæ neceſſaria erant, abunde ſubminiſtrantibus, in eam evaſerint perfectionem, quæ etiam ultimis his temporibus mei laboris plurimum intuentium animos oblectet.

Indic. ex Vatic.

Ex Mon. MSS. Prov. Jan.

VII. Surgit Savonenſis Conventus eminentiori ex colle Valloriæ regionis territorii, totæque Civitati imminens, pelago ſubjecto invigilat: ex ſitu gratiſſimus, & optima fruens aura; Cœli clementia gaudet: ad fere omne liguſticum mare patens proſpectus, in ea parte, qua portum proſpicit, pulcherrimum habet Xiſtum (vulgo *Belvedere*) quo nihil delectabilius Religioſis incolis & advenis occurrere poteſt. Ejus haud horrifica, ſed grata ſolitudo, ſolique amœnitas, dum exhilarant animum, ad myſteriorum Divinorum contemplationem alliciunt, & circumfuſa jucunditas in floribus & fructibus terræ innocentiſſime corpus recreat, & malo ſe habentes animo reficit. Religioſorum Incolarum habitatio, ædificiorum profligata ſuperbia & vanitate ſuperfluitatis, his conſtat, quibus illis commode ſufficiat; duplici nempe dormitorio, ad Ortum uno, & ad Meridiem altero, religioſæ paupertati Regularis Obſervantiæ Minorum ex integro reſpondentibus: illis ſubeſt Clauſtrum duplex, teſtudinatum quidem, ſed nulla ſuperfluitate profanum. Conventui hujuſcemodi attigua eſt mœſta quidem viſu, at devotiſſima denſiſſimarum quercuum virore & horrore ſacro referta ſylva, quam religioſæ deambulationis gratia, ſtrata via, hinc inde ordinatis cupreſſibus vallata, dirimit: in ea ad congregandas & continendas aquas pluviales, pro irrigando ſiccitatis tempore horto, nutriendis ſervandiſve etiam piſcibus, excavata piſcina cernitur, Religioſorum ad otium fugiendum opus: in ejus etiam meditulio fere Eremitoriolum viſitur, vitæ aſceticæ percommodum & opportunum, quod Marcus Antonius de Auria aliquando Gubernator urbis, Fratribus, qui libentius ab aliis ad tempus ſemoti divinorum contemplationi vacare vellent, pia liberalitate conſtruxit: omnium vero ædium pars ſuprema eſt Eccleſia, pluribus Sacellis hinc & hinc ornata, omnibuſque neceſſariis ſupellectilibus ad cultum Divinum abunde inſtructa, & ampla ſatis platea exterius decora. In his ſacris ædibus aliquando ſub diſciplina R. P. Joannis Baptiſtæ Boſii a Petra ſo-

Vide ad ann. 1598.

lertiſſimi Lectoris, & religioſitate laudabilis, in lectionibus ſacræ Theologiæ proficere ſtudebamus.

Pingon. eum dicit VIII. fol.58. in arbore.

VIII. Amadeus IX. Sabaudiæ Dux, qui Præceptorem & Conſiliarium a Ludovico Patre fratrem Joannem Fauzonum habuerat, ejuſque ſalubri ac optima diſciplina, gratia Deo juvante, in omni virtutum genere profecerat, & noſtris in ſua Civitate Auguſtæ Prætoriæ ædes fundaverat, obiit Vercellis hoc anno MCCCCLXXII. III. Kal. Aprilis, ſepultus in majori æde D. Euſebii, & miraculis celeberrimus, cum vixiſſet annos trigintaſeptem, menſem unum, regnaſſetque annis ſeptem, tamdem inter Divos habitus: & quidem quis, qualiſve inter vivos fuerit, vel etiam a buſto ſibi prælecto, ac ſimbolo trium Clavium, cum corona ſpinea præornato ſub hac epihraphe: *Animam hic, corpuſque devovi*, qui legit & meditatur, dignoſcere poteſt: ejus autem audito glorioſiſſimo obitu, Fratres Yporegienſis Conventus ſancti Bernardini, qui ſub ejus præpotenti patrocinio vivebant, paucis poſt menſibus, quando Yolantis Duciſſæ ejus relictæ mœror juſtiſſimus potuiſſe minui videbatur, Yporegia Vercellas evolarunt, ab eadem continuationem protectionis defuncti in terris humiliter expetituri: his ergo ſupplicibus perhumane auditis piiſſima Duciſſa, nec minimum remorata gratiam, infraſcripti tenoris litteras patentes expediri juſſit.

Yolanta Duciſſa Sabaud. recipit Fratres.

YOLANTA primogenita & Soror Chriſtianiſſimorum Franciæ Regum, Duciſſa Sabaudiæ, Tutrix, & tutorio nomine illuſtriſſimi filii noſtri cariſſimi Philiberti Ducis Sabaudiæ, Chablaſii, Auguſtæ, ſacri Romani Imperii Principis, Vicariique perpetui, Marchionis in Italia, Principis Pedemontium, Niciæque, Vercellarum, & Friburgen. Domini.

Ex Origin. quod ſervatur in eo Conv.
Has dedimus ad an. 1466.

UNiverſis ſerie præſentium facimus manifeſtum, quod nos, viſis litteris bonæ memoriæ Illuſtriſſimi Domini Contboralis mei metuendiſſimi, bene dilectis noſtris Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia Regulari, Conventus ſancti Bernardini prope Civitatem Yporegien. ſituati, merito conceſſis, præſentibus annexis &c.

Supplicationi itaque ipſorum bene dilectorum oratorum noſtrorum ſuper his nobis factæ benevole annuentes, litteras ipſas ratas & gratas habentes, confirmamus, ratificamus & approbamus tutorio nomine prædicto, & quatenus opus ſit, eiſdem de novo concedimus & confirmamus per præſentes. Dilectis noſtris poteſtatibus Yporegiæ & Bugellæ, Bailivoque Vallis Auguſtæ, ac Caſtellaris Bardi, Quarti, Citi, Caſtri Argentei, & Montis Joveti, ac ceteris univerſis & ſingulis dilecti filii noſtri Officiariis fidelibus & ſubditis mediatis & immediatis, ad quos præſentes pervenerint, ſeu ipſorum Officiariorum loca tenentibus, & cuilibet eorumdem propterea mandantes ſub pœna centum librarum fortium pro quolibet, quatenus ipſas his annexas ſalvaguardiæ & protectionis, & has noſtras confirmationis litteras dictis ſupplicantibus teneant, attendant, obſervent, & per quoſcumque obſervari faciant illæſas, in nulloque contrafaciant quomodolibet, vel opponant, per quantum dictam pœnam incurrere formidant. Dat. Vercellis die XXVII. Octobris, anno Dom. MCCCCLXXII.

Cimarella par. 4. Chron. lib. 5. c. 8. Firm. in tract. 1. memorial. ſub 37. Generali. Marian. l. 5. c. 38. Joannes Gualterus, & Tilietus.

IX. His temporibus florebant in Ordine quamplures, quorum memoriam tenent Annales Waddingi, præter quos, ex diverſis colligendos memorandoſque reperio Bartholomæum de Stradis virtute & religione conſpicuum apud Cimarellam ſub IV. Nonas Aprilis: Joannem Gualterum

„ rum Gallum natione, ſocium beatorum Bernardini Senenſis & Joannis
„ de Capiſtrano, & alterum Joannem Tilletum pariter Gallum, ſimiliter
„ præfatorum Beatorum Virorum ſocium, quorum amborum digna & ho-
„ norifica extat memoria in firmamento trium Ordinum. Maſſeum item de *Fr. Maſſeus.*
„ Terracina, diſcipulum quondam beati Thomæ a Florentia, virum quem a
„ pluribus virtutibus commendat Marianus. Ex Tertio Ordine S.P.Fran-
„ ciſci mihi occurrit Joannes ab Æthiopia, vir a ſanctimonia vitæ lauda- *Joan. ab Æthiopia.*
„ tus a Julio Magnano.
„ X. Ex infirmiori etiam ſexu ſtupenda nimis, & nullo pacto reticen- *Annal. Bavar. impreſ. Monachii an. 1662. par. 2. l. 8. n. 32.*
„ da, ſub eadem tempeſtate occurrunt. Etenim ſplendidiſſimum virgini-
„ tatis & innocentiæ, Monachii in *Anger* ad ſanctum Jacobum inter Soro-
„ res Clariſſas jubar emicuit, cujus præter Annales Bavariæ gentis, Pater
„ Matthæus Raderus Societatis Jeſu in Bavariæ ſanctæ volumine ſecun-
„ do pie meminit, eleganterque ſcripſit in hæc verba: *Barbara Albertum* *Raderus in Bavaria ſancta t. 2. fol. 384. & ſeq.*
„ *cognomento Pium, Bojorum Principem habuit Patrem, Matrem Annam*
„ *Erico Regulo Brunſvvicenſi natam, germanos fratres Albertum II. di-*
„ *ctum IV. cui Sapientia cognomen fuit, quique Patri vita functo in Prin-*
„ *cipatu ſucceſſit; Joannam, Erneſtum, Sigiſmundum, alterum Albertum,*
„ *Chriſtophorum, Wolfgangum; Sorores Eliſabetham Erneſto Saxoni Se-*
„ *ptem-Viro Imperii nuptam, Margaretam Friderico Dynaſtæ Mantuano*
„ *deſponſam. Albertus Pater Regnum Bohemiæ ſibi oblatum cum ingenti*
„ *modeſtiæ laude repudiavit, auſus contemnere, quod alii per ignes & fer-*
„ *rum petunt, utqui probe intelligebat, quanto majus ſit Regnum faſtidire,*
„ *quam accipere.*
„ *Patris exemplum ſequuta Filia, cum animum ad Cæleſtem in terris*
„ *vitam in ſanctæ Claræ contubernio agendam applicuiſſet, & quinquennis*
„ *ſepta Clauſtri ingreſſa eſſet, poſt paucos annos, ubi primum matura viro*
„ *videri potuit, priuſquam in verba Antiſtitæ juraret, ad ſocietatem Regni*
„ *Galliæ per connubium ab Legatis Regis ambitioſiſſime invitatur. Albertus*
„ *Bojorum Princeps, defuncto dudum Patre, Sorori quid Francus petitum*
„ *venerit, exponit, ipſiuſque voluntatem explorat: Barbara, petito ad deli-*
„ *berandum triduo, in Odæo Templi ad principis Aræ gradus in faciem ab-*
„ *jecta, Deo ſola identidem ſupplex conſulit, qui ſibi auctor eſſet, Regi ne*
„ *Chriſtianiſſimi & potentiſſimi poſtulatis annueret, an in cœpto Religioſæ*
„ *diſciplinæ inſtituto perſeveraret? Senſit mox Supremi Numinis Divinos*
„ *nutus, Intelligitque ſibi numquam ab illibato Regis Regum thalamo di-*
„ *vertendum, qui immortalia pro mortalibus Regna donare conſuevit: nec*
„ *diutius illa morata, omnem præſentis felicitatis umbram æternæ beati-*
„ *tatis gloriæ poſthabendam ſibi putavit: Fratri reſpondet ſe genus illud*
„ *vitæ proſecuturam, ad quod a Parentibus eſſet deſtinata: Deo ſe nuncu-*
„ *patam, a Deo numquam receſſuram: Albertus, ubi conſtantem Sororis*
„ *animum cognovit, laudata virtute ejus, veritus ne clam a Legatis Regis*
„ *ſurriperetur, Cœnobii aditus omnes claudi accurate ſervarique præcepit:*
„ *ita deſperata Virgine, reque infecta, Galli, unde venerant, redierunt.*
„ *Barbara florem pudoris intactum Cælo non diu poſt intulit: dederant*
„ *Parentes Parthenium Cœtum adeunti lætiſſimum odoratiſſimi amaraci vi-*
„ *ridarium, una ſtirpe natum, quo feſſos vigiliis ſenſus reficeret; Aviarium*
„ *quoque ingens, in quo diverſæ ſortis Alites muſicum quaſi concentum effi-*
„ *ciebant, uti grata ſymphonia reſidentis in cellæ ſolitudine otium ſubinde*
„ *leniret, aureſque non inconceſſis deliciis gratæ cantatrices paſcerent, or-*
„ *narant, & pendulo collo torque, quem bona præſidis venia intra Religio-*

„ *ſam veſtem gratum Parentum mnemoſynon geſtabat. Cui eum ultima fati*
„ *neceſſitas immineret, quartodecimo die ante obitum, prima nocte Sampſu-*
„ *cum ſeu Amaracum omne repente exaruit: altera, quotquot aluerat Aves,*
„ *mortuæ perierunt: tertia, tortilis ex auro catenula ab collo ſuſpenſa ru-*
„ *pta diſiliit; quibus illis tamquam prodigiis, & certis fati nuntiis co-*
„ *gnitis:* Ego, *inquit*, petor: mors præ foribus Cellam meam pulſat, ce-
„ dendum eſt vita. *Sacris expiata, cum ſeptimum decimum ageret annum,*
„ *duodecimque in Monaſterio exegiſſet, ad æternos Cæleſtis Sponſi thalamos*
„ *profecta, præmium ſpreti Regni, & nuptiarum, imperium Cæleſte ſem-*
„ *per auguſtum & ſemper felix ſortita eſt. Sed hoc memorabile & ſingu-*
„ *lare eſt, quartodecimo inde die, alteram ex eodem contubernio ſacram*
„ *Virginem Barbaram ſecutam: deinde poſt idem intervallum alteram, &*
„ *alteram, donec viginti eodem ordine e vita migrarent, ut quas in terris*
„ *habuerat ſocias afflictæ vitæ, haberet in Cælo conſortes gaudii & trium-*
Monum. MSS. Provinciæ Bavariæ de eo Mon. „ *phi*. Hucuſque Raderus. Ceterum, ut ex Chronicis Provinciæ Refor-
„ matæ Bavariæ conſtat, beata Barbara præfata peſte ſublata eſt hoc anno
„ MCCCCLXXII. in feſto ſancti Joannis Baptiſtæ, & juxta beatam Agnetem
Vide ad annum 1152. & ad annum 1480. „ in Choro ſepulta jacet: idque memoria ſatis dignum, centum ſeptua-
„ ginta poſt ejus obitum annos, dum pro Choro ampliando operarii fun-
„ damenta polituri, terram effoderent, cryptamque præfatarum offende-
„ rent, adeo mirabilem & optimum odorem inde ſpirantem ſenſerint, ut
„ rei novitate attoniti, ab opere ceſſarint; delato enim ocyus ad loci Con-
„ feſſarium, & ab eo ad Abbatiſſam caſu, eorumdem prudenti mandato,
„ locum obſtruxerunt.
Pierona Hergodſa. „ XI. Ex tertio pariter Divi Patris Franciſci Viridario, ſub his tem-
„ poribus miræ pulchritudinis, atque odoris flos virginitatis emerſit. Pie-
„ rona Hergodſa hæc eſt, incluſa Tertii Ordinis præfati Alumna, quæ in
„ *Immelverdoghem* villa Flandriæ, juxta oppidum Gerardi Montenſe a
„ parentibus pauperibus originem ſumpſit. Cum eſſet annorum fere de-
„ cem & ſeptem, quibus annis caro excandeſcere ſolet, Gandavi inſtitu-
„ tum Sororum ſub tertia Regula S. P. Franciſci degentium ingreſſa eſt,
„ ut inibi mortificata petulantia ipſius, Deo purius inſerviret, liberiuſque
„ pœnitentiæ operibus vacaret, gnara ſic errata in lege diluenda non tan-
„ tum, ſed etiam in poſterum præcavenda eſſe prudenti. In iis perfectio-
„ nis Evangelicæ exercitiis, veluti perennem extinctura fornacem, fontem
„ lacrymarum adeo copioſum habuit, ut ſemper a ploratu ejus oculi, ve-
„ luti panni rubro colore tincti apparerent: itaque Prælatis ſuis obediens
„ omnino, vere pauper florebat rerum mundi, ſtudebatque toto conamine
„ amatiſſimæ caſtitati, qua veluti Angela cœleſtis, mente & corpore omni-
„ no mundam ſe cuſtodiebat. Cum vero illic aliquandiu ſancte admodum
„ converſata fuiſſet, ex licentia Abbatiſſæ loci ad Eremitorium, ſeu clau-
„ ſuram extra muros, in Cœmeterio ſancti Nicolai ſituatam ſe contulit,
„ ibique admirabili ſanctitate, vitæ auſteritate, patientia in primis, ac inde
„ miraculis claruit: mirum erat, eam frequentiſſime arcana mentium, ſe-
„ cretave cordium, vel animorum cogitatus, quos & ſæpius ad animi bo-
„ num patefaciebat, clare a Deo edoctam experiri. Obiit anno Chriſti
„ MCCCCLXXII. ætatis ſuæ quinquageſimo: Corpus ejus Mechliniæ in Bra-
„ bantia honorifice jacet.

AR-

ARGUMENTUM.

Sixtus proſequitur bellum contra Turcas, hortaturque Hungariæ Regem, ne cum eis amice paciſcatur; cujus genitrix petit canonizari Capiſtranum. Jacobus Picenus mittitur Neapolim, ibique hærere jubetur Rege rogante. Ingenti animarum fructu prædicant Fortunatus Peruſinus, Cherubinus Spoletanus, & Bernardinus Feltrenſis. Componuntur lites Conventualium & Obſervantum. Clareni in duas partes ſcinduntur. Fiunt Epiſcopi; conſtruuntur Cœnobia.

I. GLORIÆ Sixti Pontificis non parum conducit, quod glorioſe redierit hoc anno ad XXIII. diem Januarii Cardinalis Oliverius Caraffa, claſſis Pontificiæ contra Turcas Præfectus. Ovans Urbem ingreſſus, duodecim camelos præda Turcica onuſtos & XXV. Turcas ex præcipua nobilitate captivos, totidem generoſis equis inſidentes, in triumpho duxit. Vexilla & ſigna quam plurima de hoſtibus capta circumtulit, & una cum his partem catenæ ferreæ refractæ in portu Sataliæ, qui integra claudebatur, in memoriam occupati per vim ejus portus, ante fores Baſilicæ Vaticanæ ſuſpendit. Inde Sixtus Pontifex ad ſacrum bellum continuandum animatus, Laurentium Ruvereum, Patriarcham Antiochenum, fratris filium claſſi Legatum præfecit, numeratiſque in præſens LXV. millium nummum aureorum, ad ſocios vela facere præcepit. *Sixtus Pontifex victoriã ex Turcis reportat. Panvin. in vita Sixti. Nota diaria inſcura.*

II. Cum vero audiret Matthiam Hungariæ Regem pacem cum Turcarum Imperatore, quibuſdam non adeo æquis conditionibus inire velle, extempore ſcripſit ad Laurentium Epiſcopum Ferrarienſem, apud Regem Sedis Apoſtolicæ Nuncium, ut ab iniquis & rei Chriſtianæ pernicioſis pactionibus revocaret: cui etiam ſequentem Epiſtolam Regi tradendam tranſmiſit. Digniſſimam puto, quæ ab omnibus legatur; in ea quiſque Pontificis zelum & vigilantiam perſpiciet, & quid Principes deceat Chriſtianos, addiſcet. *Monet Regem Hungariæ ne indignas cum Turca ineat conditiones.*

Cariſſimo filio Matthiæ Hungariæ Regi Illuſtri.

III. *DIlecte fili &c. Pro conſuetudine noſtra plane tecum loquimur, nil reticentes, quod ad filium patri conveniat. Ut non pigebit nos, quæ nunciantur perſcribere, ita nec te gravet audire. Quæ dicimus, ad ſalutem omnia ſunt & tuam & noſtram, Chriſtianæ quoque reipublicæ. Quidquid autem eſt tale, delectare fidelem mentem debet, non angere. Significatum eſt nobis, miſiſſe te nuper Oratores ad Chriſti hoſtem Turcam, eoſque ad ſextam decimam Aprilis viſos ſub Nandoralba tranſire Danubium. Eſſe autem quemdam Antonium Catharenſem Ordinis Minorum, Abbatem certi Monaſterii non longe a Buda, & Joannem Huniſchi Boſnenſis originis: mandatorum quoque, quæ a te acceperunt, ſummam hanc dici. Pacem te Turcæ fœduſque offerre, ſi ille Boſnam Serviamque aut harum alteram tibi permittat. Item & in Uſſon-Caſſanum ex regno auxilia, ſi pecuniam tuæ ſerenitati ſuppeditet. Referimus ſingula, ut ſine cauſa a nobis ſcribi non putes. Nos tamen ad ea credenda animum accommodare non poſſumus: aliena cognoſcimus a conſuetudine tua, contraria ſcimus fidelibus operibus tuis, indigna quoque tanti nominis Rege. Quomodo enim credi fas ſit, eum, qui conſtanter in neceſſitate ſe habuit, in rebus jam mitioribus mentem demittere, & qui armis* *Ex reg. Vatic.*

non

non potuit, turpibus nunc conditionibus allici? Incredibilia ſunt, & a piis mentibus aliena. Noſque, ut diximus, indignæ famæ habere fidem non poſſumus; ſed tamen cariſſime fili, quod velocibus nunciis ſignificata ſunt nobis, & a magnis auctoribus prodeunt, movent nos aliquantulum, plus noſtri officii eſſe putantes multis vanis rumoribus decipi, quam certo uno affligi. Es tu, cariſſime fili, homo ut ceteri, errare potes & labi, & cadere, & humanis deſideriis trahi; lucis etiam ſpecie, tenebris peccatorum involui. Agemus tecum non tamquam cum eo, qui cum infideli ſit paratus ſentire, ſed tamquam cum eo, qui ſi aliquando paratus eſſet, noſtrum de ea re judicium habeat. Matthia Rex glorioſe, attende primum, quæ fides eſſe tibi de fallace homine poteſt. Tu Chriſtum ſequeris, ille Mahometi inſaniam. Tu pro Evangelio contra eum in hunc diem pugnaſti; illius arma contra te ad tuendam dæmonum ſectam intenta ſemper fuere: memento pugnaram a patre Vaivoda, & te toties commiſſarum: cædium quoque, quæ de Turcis multæ ſunt factæ. Scit ille tua in primis virtute per hos annos obſtitum, quominus tantum imperio potuerit progredi, quantum optavit. Unum te odio habet, atque unum te perditum cupit, quo ſublato, nihil non de Chriſtianis ſperandum ſibi cognoſcit. Si quid blandietur interim, aut ſi quid tibi permittet, non alia ratione id faciet, quam ut & conſulat ſibi, & in omnem occaſionem te opprimat: exempla infidelitatis ſuæ non ſunt longe petenda; te tuumque regnum circumdant. Recogita quæ noſtra memoria in Servia & Boſna ſunt geſta, quibuſve fallaciis miſeri Chriſtiani nimiæ pœnas fiduciæ ultimas dederint. Videbis, ſi deſint cetera, hæc ſatis eſſe ad ceterorum documentum & tuum. Credendum illi non eſt. Merces amicitiæ ab eo nulla quærenda. De Religione contenditur: ille tuetur ſuam, tu tuam. Diverſitas hæc cauſæ conciliare animos veſtros nullis pactionibus poteſt: aut tibi dimittendus eſt Chriſtus, aut Turca ſuſpectus ſemper habendus. Adde, quod negligendum non eſt, quo animo Principes Hungari, quo etiam populi pacificationem hanc ſunt accepturi. Fidelis Deo ſemper tua gens fuit, militavit nomini Altiſſimi, cupidiuſque ad pugnam, quam ad nuptias ceteri, eſt ſemper profecta. Quid judicaturos de te illos exiſtimas, intuentes nulla urgente neceſſitate, ſola cupiditate aut Serviæ aut Boſnæ non modo cum execrando hoſte ſentire, ſed ad oppugnandos oppugnatores ſuos, copias jungere? Non omnium intra Hungariam fortaſſe pacati tibi ſunt animi; eſt facile, ut multos tua virtus offendat, multos etiam gloria urat. Danda non videtur occaſio, ut qui de te ſentiunt bene, ſentire jam male incipiant, & qui criminari opera optant, etiam exagitandi facultatem aperte accipiant. Religione & conſtantia & in periculis fide, quibus regnum paraſti, in poſterum tibi eſt retinendum. Proximam quoque Bohemiam tot jam annos a te oppugnatam, nonne dicturam agnoſcis, non pro judicio Romanæ Sedis, tollendiſque erroribus, ſed ad ſolam ampliandæ poteſtatis curam tamdiu bellatum eſſe, tantamque rerum atque hominum editam ſtragem, quando pro Servia & Boſna non cum hæreticis, ſed quod fœdius eſt, pacem procuratam cum infidelibus inſpicient? Retinendum ubique etiam inter tuos eſt nomen bonum, fili cariſſime, ideoque non modo anteponendum ceteris rebus, ſed morte etiam, ſi expediat, redimendum: qua in re animadverti quoque oportet, quantum Cæſar, & circumſtantes Germaniæ Principes probaturi factum hoc ſint, quantumque miraturi mutationem hanc ſubitam, tantæque jacturæ. Creſcet haud dubie illis ſuſpicio, in te amor non creſcet. Novorum forte etiam conſiliorum cauſam præſtabis, quæ qualia futura ſint, arbitrari tu melius potes, cui ſunt nota propinqua. Nos de te ſolliciti ſine metu eſſe non poſſumus, & libenter quæ ſentimus, eloquimur, quia

& nos quoque a quibus ſumme diligeris, cum te hoſti noſtro conciliatum videbimus, Chriſtianiſque viribus illi adeſſe, haud ſane ii eſſe ad res tuas poterimus, qui cuperemus. Reſpectas tam abominandæ ſocietatis neceſſario mentem noſtram a multis averteret. Sequi erit neceſſe conſenſum Eccleſiæ, nec blandiri illi, quem illa non probet: etenim aſſiſtens Turcæ, Dominicum gregem oppugnas. In Uſſun-Caſſanum mittens arma, venientem defenſorem debilitas: ſentit ille nobiſcum, ſentit cum Venetis, id quærens ut malignus hoſtis nec fidelibus nocere, nec infidelibus poſſit. Quam ob cauſam nos atque illi non modo certos in exhortationem ſuſcepti operis noſtris nominibus miſimus, ſed claſſem quoque cum ſapientiſſimo Rege Ferdinando emiſimus, qua diſtractus Turca, minus ad reſiſtendum efficax fuit; & tu novo conſilio ad impediendum conſentientem Italiam, turbandamque ultionem de inimicis noſtris, cum inimicis paratus pacem facere, & præſidium mittere, & præſentem Chriſtianorum ſpem intervertere cogitas? Ne neglige, quæſumus, famam tuam, Matthia Rex. Crudelis eſt, qui illius curam non habet. Nulla re tam clarere magni Principes ſolent, quam opinione conſtantis virtutis: In quo illam homines intuentur, dignum ſummis honoribus ducunt. Eam quidem commendationem facta ingentia tibi hactenus peperere præterita. Repete enim, qua animi magnitudine regnum paraſti, qua conſervaſti, quibus etiam prœliis Turcarum impetus retudiſti, quanta demum laude Bohemicam hæreſim, judicio Romanæ Sedis damnatam, armis victricibus attrivisti. In ore hæc omnium ſunt, atque omnium vocibus & litteris feruntur in cœlum. Quid aliud nunc eſt moliri quæ de te nunciantur, quam de tantæ gloriæ gradu cadere, laborum præteritorum fructum amittere, athletæ Chriſti nomen rejicere, & conſenſoris infidelium ſumere? Miſeram commutationem, o fili, atque omniam judicio & noſtro miſerrimam! pro gloria ignominiam, pro ſalute infelicitatem, pro gratia indignationem, pro ſpe retributionum metum ultionis mutare. Etenim ſi hunc cum hoſte conſenſum, & ferendum auxilium, ingratum Deo non putas, erras vehementer. Odibile illi erit atque infectum, nec talem putabit, pro tantis in te meritis retribui gratiam debuiſſe. Quo in loco etiam attendi eſt opus, quid inde conſequi & formidari merito poſſit. Scis poteſtatem humanam omnem a Deo eſſe, per illum dari & adimi. Majorem eſſe, qui in cœlis regnat, quam qui in terra: Dominus, *inquit * Propheta*, pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat. *Quæ manus miſericorditer aſtitit tibi laboranti pro fide, ac cadere numquam permiſit, eadem indignata ſi remittetur, quo te in duris rebus præſidio munies, aut quem alium ſublevatorem parabis? Cantat Eccleſia:* Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. In manu ſua ſunt omnes fines terræ, *& ſine ejus ope inanes ſunt conatus noſtri. Noli tantum fidere viribus tuis, tantumque ſpei in armis reponere, ut valere contra indignantem Dominum aliquid credas:* Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereunt peccatores a facie Dei. *Defenſorem illum tibi conſerva, quo etiam propugnatore & duce, diſſipaſti ſemper impiorum conſilia; idque age, ut in omnibus viis tuis illum cogites, & illi ſervias ſoli: ſervire autem ſoli non potes, ſi te cum hoſte ſuo conjungas. Sacri enim eloquii eſt verbum:* Nemo poteſt duobus Dominis ſervire; *ſi non duobus dominis, utique duobus hoſtibus minus. Increpat Apoſtolus Paulus:* Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? aut quæ conjunctio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut qui conſenſus templo Dei cum idolis? *Summa eſt omnium, fili cariſſime, ad quam hæc ſcripta referimus. Si cogitaſti, quod fertur, frange funeſtum conſilium, & conjunge te Deo. Nulla te in præſentia-*

Marginal notes: 1. Reg. 2. 7. — * Anna Propheriſſa. — Pſal. 126. 1. — Pſal. 94. 4. — Pſal. 67. 3. — Matth. 6. 24. — 2. Cor. 6. 14.

tiarum neceſſitas ad paſſiones has urget. Si non cogitaſti, etiam lætare, tantam de te & rebus tuis apud nos curam eſſe. Colloquimur tecum in caritate Chriſti, ſicque agimus libere, ut cum eo eſt Rege agendum, quem ſemper laudavit & dilexit Eccleſia, quique vocem Patris patienter poſſit audire. Nil quod nunciatum eſt credimus, ad ſollicitì paſtoris officium omnia ſcripſimus. Dominus ſit in corde tuo, & greſſus tuos dirigat in ſemitam rectam. Creſcere te faciat omnibus diebus vitæ tuæ, & dominum inimicorum ſuorum ad gloriam ſuam conſtituat.

Eliſabetha genitrix Regis Hungariæ petit canonizari Joann. Capiſtranum.

IV. Eliſabetha hujus Matthiæ Regis pia genitrix, prudentiſſima virago, ſui filii regno tutelarem & patronum procuratura, devincire voluit nobili obſequio Joannem Capiſtranum, olim ejuſdem regni fortiſſimum propugnatorem. Scripſit itaque ad Sixtum Pontificem litteras ſequentes, humiliter deprecans, ut eum cathalogo adſcriberet Sanctorum.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Domino Sixto Divina providentia ſacroſanctæ Romanæ, ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino noſtro clementiſſimo.

Ex ipſo originali.

BEatiſſime Pater, & D. noſter clementiſſime. Poſt ſanctitatis veſtræ pedum oſcula beatorum. Non latet ſanctitatem veſtram notitia fratris Joannis Capiſtrani, quondam eximii Prædicatoris, laudabili & celebri memoria digna haberi. Hic enim vir vivens in toto orbe Chriſtiano celeberrimus, ut præco Evangelicus varias mundi partes tam Chriſtianorum, quam ſchiſmaticorum & hæreticorum evangelizando verbum Dei pertranſiit, & a fide alienos ad ſinceram fidem quampiurimos ſuis reduxit ſermonibus. Signis etiam nonnullis claruit adhuc vivens, & adverſus crucis Chriſti inimicos Turcos ſæviſſimos cum populo vulgari perſonaliter proficiſcens, populi turmas ad viriliter pro fide Catholica pugnandum aſſiduis exhortationibus animavit, ut intrepide & audenter contra validiſſimum Turcorum exercitum ſe opponerent, ita, ut quidam de ipſis Chriſtianis, depoſitis armis ſe munientibus, ſolis enſibus ſeu gladiis manibus arreptis, fortiſſimas exercitus Turcorum acies intrepidi penetrarent, & cædem maximam in exercitu Paganorum confligendo efficerent, nec ſe timebant morti tradere pro Chriſti nomine ad exhortationem viri præfati; ubi parta glorioſa victoria, & inimicorum fugata grandiſſima multitudine, lucrum reportatum fuit ex ſpoliis Paganorum non minimum: quibus ipſe frater Joannes infirmitate correptus, victorioſa ſimul & glorioſa morte debitum ſolvit humanitatis. Hic etſi ex hoc mundo migravit, tamen quaſi vivens adhuc etiam poſt mortem crebris miraculis coruſcans, populorum turmis per impenſa eis beneficia aſſidue prædicat, cujus canonizationem & ad cathalogum Sanctorum per veſtram Sanctitatem adſcriptionem univerſa Chriſtianorum numeroſitas, non ſolum Regni Hungariæ, verum etiam aliorum regnorum Chriſtianorum populi, affectu permaximo deſiderant. Sed & nos cum filio noſtro Illuſtri Rege Matthia, idipſum a ſanctitate veſtra perfici maximo deſiderio optamus. Quapropter eidem ſanctitati veſtræ humillimis precibus ſupplicamus, quatenus more ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, dignetur ſanctitas veſtra aliquibus Catholicis Prælatis Eccleſiarum iſtius deſideratæ rei inchoationem committere, qui examinatione facta, & reperta veritate, ſanctitatem veſtram valeant plenius informare de his, quæ ad canonizationem hujuſmodi neceſſario requiruntur. Quibus rite repertis & approbatis, rogamus adhuc inſtantius ſanctitatem veſtram cum omni prorſus cordis affectu, ut præfatum virum, quem gens Chriſtiana proclamat eſſe Beatum & Sanctum,

etiam

etiam ſanctitas veſtra celebri adſcriptione in cathalogo Sanctorum eumdem in toto orbe Chriſtiano divulgare dignetur, tamquam vere Sanctum ab omnsbus venerandum. In qua re, beatiſſime Pater, Domine clementiſſime, grandis revera honor Dei erit; venerabitur nempe & coletur ipſe Deus in Sancto ſuo, ſi canonizatus fuerit, ab omnibus cultu devotiſſimo, & Chriſtianus populus in fidei Catholicæ ſinceritate per hoc plurimum firmabitur & ſtabilietur, & nihilominus gens ſchiſmaticorum, quorum inibi, ubi corpus præfati viri jacet tumulatum, maxima, & circumquaque multitudo per hoc vel vocante Domino convertetur, vel ſaltem in ſuis erroribus ruborem incurret, & ſacræ Chriſtianæ fidei honorem veritati præſtabit. Inſuper nobis & regno Hungariæ in hoc opere canonizationis rem valde utilem ſanctitas veſtra efficiet, & Apoſtolicæ largitionis gratiſſimum munus eadem ſanctitas benigne conferet, quam rem per ſanctitatem veſtram impleri ac perfici indubie confidimus & ſperamus: non deerunt autem, beatiſſime Pater, ex hoc regno etiam adjutoria, quæ ad hujuſmodi opus neceſſario requiruntur. Altiſſimus conſervet ſanctitatem veſtram diu feliciterque pro regimine Eccleſiæ ſuæ ſacroſanctæ. Datum Veteri Budæ, VIII. *die menſis Auguſti, anno Domini* MCCCCLXXIII.

E. S. E. *Devota filia Eliſabet genitrix illuſtris Regis Hungariæ.*

V. Magna hoc anno eluxit pietas Chriſtierni Daciæ Regis, quem die VII. Aprilis Religionis cauſa in Urbem venientem, ſummis honoribus Sixtus excepit, turba omni aulicorum miſſa in occurſum. Patres ad portam congreſſi, medium illum per Urbem ad Baſilicam Vaticanam ſancti Petri, inde ad Sixtum perduxere juridicundo tum publice præſidentem. Procubuit is in genua ad illius pedes, neque ante ſe erigi paſſus eſt, quam ſalutationi & ſermonibus ſuis eſſet reſponſum: redeunti in cubiculum Sixto, exeuntique ad Divina ſemper adfuit, lavanti manus pelvim præbuit: denique ſumma in eo pietas, ſummaque religio enituit. Anno eodem Roma excesſit die x. Septembris, centum equitibus comitatus.

Sixtus honorifice excipit Regē Daniæ.
Diarium Sixti Diacon. in Sixto.

VI. Ferdinandus Rex Neapolitanus, audita inſigni virtute & ſingulari doctrina Jacobi Piceni, miſſo ad Pontificem Sixtum Oratore, impetravit eum deſtinari numeroſiſſimæ Civitatis præceptorem, & Eccleſiaſten. Hoc anno illuc profectus, ut in conſpectum urbis pervenit, converſus ad Venantium ſocium: *Ecce*, inquit, *Neapolim: tu jam cogita de Marchia repetenda*. Reſpondenti, *quomodo ſine te abibo? Tecum ex illa regione diſceſſi, tecum in eamdem regreſſurus ſum*; inquit Jacobus: *At ſine me profecto ibis. Ego hic emoriar, & tu in patriam redibis*. Illic itaque per quatuor ferme annos commoratus, ſarcinam depoſuit corporis, poſtquam gentis mores mirabiliter compoſuit, & multa patravit miracula, quæ in ſuum locum ſub vitæ terminum ſervamus enarranda. Habitabat in Conventu ſanctæ Crucis, atque inde ibat ad inſigne ſanctæ Mariæ Novæ Cœnobium, Verbum Domini prædicaturus ſingulis diebus feſtivis. Summopere Regi placuit ejus doctrina & converſatio, verituſque ne regredi vellet in Patriam, egit cum Pontifice, ut juberet longiores illic moras perducere. In hunc modum id Sixtus præcepit.

Jacobus Picenus rogante Ferdinando Rege mittitur Neapolim.
Marc. 3. p. l. 6. c. 17.
Venant. in vita MSS.

Dilecto filio Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia.

VII. *Dilecte fili, ſalutem &c. Deſideravit multum, ut nobis exponi fecit, cariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus, Siciliæ Rex Il-*

Ex autographo; Jubetur illic hærere.

Illuſtr. ut populus Neapolitanus prædicationibus tuis inſtrueretur, propter devotionem ſuam & celebrem famam virtutum tuarum. Quare cum id videatur aſſecutus eſſe, & tamquam Rex Catholicus cupiat vehementer Evangelica doctrina populum ſuum in dies a te magis inſtrui, Devotionem tuam in Domino exhortamur, & nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipiendo mandamus, ut ſicuti facis, iſtic Neapoli prædicationes tuas juxta gratiam deſuper tibi datam, quandiu præfatus Rex te iſtic eſſe voluerit, continues, & de bono in melius, aſſiſtente Divina gratia, perſeveres. Erit id tibi meritorium, Majeſtati ſuæ jucundiſſimum, ac nobis longe gratiſſimum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die II. *Junii* MCCCCLXXII. *Pontificatus noſtri anno* II.

Fortunatus Peruſinus jubetur Piſtorienſibus prædicare. Cherubinus Spoletanus inſtituitur Prædicator Apoſtolicus.

VIII. Similes ferme dedit litteras ad fratrem Fortunatum Peruſinum inſignem hujus temporis concionatorem, ut in Etruria, præſertim in urbe Piſtorienſi, prædicaret, & populum ad unitatem & pacem excitaret; fratri vero Cherubino Spoletano nullos limites præſcripſit, ſed ut ubique Apoſtolice Verbum Dei fidelibus proponeret, hoc honorifico diplomate perſuaſit.

Dilecto filio Cherubino de Spoleto, Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex originali.

Dilecte fili, ſalutem &c. Sanam doctrinam tuam, ſingularemque probitatem cognitas & ſpectatas habentes, confidenteſque, quod, Divina tibi gratia aſſiſtente, bonum fructum in agro Dominico verbo afferes & exemplo, inducimur non immerito ad ea tibi paterno concedenda affectu, per quæ animarum lucrum uberius facere, & talentum tibi a Domino creditum utilius valeas diſpenſare. Itaque, ut aſſumptis tecum quatuor tui Ordinis Fratribus, quos duxeris eligendos, in omnem Provinciam tam in Italia, quam extra Italiam, cum ipſis ſociis te conferre, Verbumque Dei & Evangelicam doctrinam in quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, & locis licite & libere prædicare, alias tamen juxta conſtitutionem fel. record. Clementis V. prædeceſſoris noſtri, poſſis ac valeas, harum ſerie, Apoſtolica auctoritate tibi concedimus facultatem: decernentes ac volentes, quod ſuper hujuſmodi ſocios tuos, quos tecum ducendos duxeris, eamdem habeas auctoritatem ac poteſtatem, quam Generalis Miniſter Ordinis antedicti in Fratres ſibi ſubditos habet. Quibuſcumque in contrarium facientibus, non obſtant. Tu itaque fili exalta ſicut tuba vocem tuam, & quantum tibi ex alto permittitur, ad ſalutem animarum fidelium confer, ut a Deo præmium, & a nobis uberem commendationem conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIX. *Novembris* MCCCCLXXIII. *Pontificatus noſtri anno* III.

L. Griſus.

Bernard. Feltren. fratrem germanum ad ſodalitium trahit. *Legen. MSS. Bernard. cap. 6. Legen. altera MSS.* Bernard. incipit cum laude prædicare.

IX. Bernardinus Feltrenſis hoc anno ad Religionis conſortium attraxit fratrem ſuum germanum Antonium, qui religioſiſſimam Bernardini æmulatus eſt vitam. Admiſſum in Sodalitium a Patribus Capituli hoc anno Venetiis celebrati, ſecum duxit factus in iiſdem Comitiis Guardianus Conventus Tridentini. Ea in urbe in æde Cathedrali Adventus conciones habuit, quadrageſimales Civitatulæ, ita præcipiente Ludovico Gonzaga Fratrum Vicario. Anno ſequenti prædicavit Mantuæ per anni curriculum, &; Dominicis Adventus; per Quadrageſimam vero in oppido Arcignani, diœceſis Vincentinæ.

X. Frequenter hoc tempore oriebantur contentiones & diſcordiæ inter

ter Patres Conventuales & Obſervantes propter tranſmigrationem Fratrum ab una Congregatione ad aliam, repetentibus Superioribus ſuos ſubditos, qui abſque licentia aut ſufficienti cauſa eorum declinabant imperium. Hujuſmodi incompoſitos tranſitus prohibuit Paulus prædeceſſor, ſed cum oblitterari ejus conſtitutionem Sixtus perſpiceret, renovandam duxit, aliaque addenda, quæ ſtabiliendæ paci videbantur opportuna. Diploma ſubjicio.

Ad perpetuam rei memoriam.

Specul. Minor. tract. 2. fol. 71.

Regimini univerſalis Eccleſiæ, quamquam immeriti, diſponente Domino præſidentes, curis perurgemur aſſiduis, ut juxta creditæ nobis deſuper diſpenſationis officium, quieti ſubditorum quorumlibet, præſertim ſub Regulari Obſervantia, ſtudio piæ vitæ vacantium, in quorum utique proſperitate reficimur, jugi, quantum nobis ex alto conceſſum fuerit, ſollicitudinis ſtudio intendamus; & ut illa, quæ pro Religionis incremento, concordia interveniente, provide facta ſunt, in perſeverationis obſervantia perſiſtant, nulluſque ultra quam Religionis regularia inſtituta permittunt, vendicare præſumat, noſtræ ſollicitudinis partes interponimus efficaces. Dudum ſiquidem fel. record. Paulus Papa II. prædeceſſor noſter, de noſtri, qui tunc in minoribus conſtituti, Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum fungebamur officio, & dilecti filii Marci de Bononia, tunc noſtri in Ciſmontanis partibus ſuper Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos, Vicarii Generalis, ac Generalis Procuratoris Conventualium, & Commiſſariorum de Obſervantia nuncupatorum, tam citra, quam ultramontan. Fratrum prædictorum in Romana Curia expreſſo conſenſu, inter alia inhibuit, ne dicti Ordinis profeſſores Conventuales & de Obſervantia nuncupati, Generali dumtaxat, ſeu etiam Provincialibus Miniſtris dicti Ordinis ſubditi, eorumque Prælati Fratres de Obſervantia nuncupatos, ſub Vicariis vivere ſolitos, transfugas, ſeu ad eos fugientes, niſi oſtendant litteras ſuæ licentiæ a Prælato ſuo per eos obtentas, in quibus contineatur nomen domus, a qua receſſiſſent, & illius ad quam remiſſi eſſent, etiam ſub prætextu cujuſcumque licentiæ ſuper hoc ipſis Fratribus Conventualibus, & aliis dictis Vicariis non ſubditis, eorumque Prælatis, ab Apoſtolica Sede conceſſæ, quam idem Paulus prædeceſſor quoad hoc penitus revocavit, acceptare quoquomodo præſumerent, ſed illos ad Prælatos ſuos, juxta quarumdam aliarum litterarum piæ memoriæ Pii II. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editarum, quas idem Paulus prædeceſſor voluit obſervari, continentiam, remittere tenerentur. Neve ejuſdem Ordinis profeſſores, de Obſervantia nuncupati, & ſub Vicariorum obedientia vivere ſoliti, ſcandaloſos & criminoſos Fratres Conventuales nuncupatos, diſciplinam Ordinis ſubterfugientes recipere, ſed ſimiliter ad Prælatos ſuos remittere deberent, prohibuit, ſervata tamen fel. record. Eugenii Papæ IV. & Pii II. prædictorum prædeceſſorum noſtrorum aliarum litterarum, quoad hoc editarum, forma; alioquin ex tunc contra inhibitionum prædictarum omnium transgreſſores tam Conventuales, quam alios de Obſervantia, ac alios Fratres prædictos, eiſque in præmiſſis omnibus dantes auxilium, conſilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, cujuſcumque conditionis, ſtatus vel dignitatis forent in Ordine prædicto, excommunicationis ſententiam promulgavit, a qua non poſſint niſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium obtinere. Si vero illi Fratres, qui de Obſervantia nuncupantur, & ſolum Miniſtro Generali

Paulus II. prohibuit ne Conventuales recipiant abſque licentia Obſervantes.

Neque Obſervātes recipiant Cōventuales.

ſubſunt, inhibitioni prædictæ contravenerit, ultra præmiſſas pœnas, per Miniſtros Provinciales, eorumque Vicarios, a Miniſtro ſupra illam Provinciam exiſtente, ad omnem ipſorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub Vicariis viventium requiſitionem, non obſtante quacumque per Sedem Apoſtolicam vel alias conceſſa exemptione, coerceri, & ad ſatisfaciendum in præmiſſis compelli poſſent & deberent remediis opportunis. Præterea idem Paulus prædeceſſor, cum intellexiſſet nonnullos dicti Ordinis profeſſores ſub obedientia, quam voverant, variis prætenſis coloribus, etiam mediantibus litteris Apoſtolicis, ſibi procuraſſe domos & loca, in quibus ſine Superiorum obedientia degerent, omnes & ſingulas per eoſdem Fratres ſic receptas domos, aut Generali & Provincialibus Miniſtris, ſeu Vicario de Obſervantia nuncupatorum Fratrum dicti Ordinis ſubeſſe debero decrevit, ac Fratres qui illas inhabitabant, ut infra certum terminum tunc expreſſum, eligerent ſub teſtimonio publica, utrum Generali & Provincialibus Miniſtris, an vero Vicariis de Obſervantia nuncupatis ſubeſſe mallent. Statuit quoque quod ex tunc nullus talis Frater aliquam domum, etiam quarumcumque litterarum obtentu, recipere valeret, niſi de licentia Generalis, ſeu Provincialium Miniſtrorum, vel Vicarii de Obſervantia nuncupatorum Fratrum illius Provinciæ, in qua domus conſiſteret; & ſi reciperet, ſi ipſe ſubeſſe mallet Vicariis de Obſervantia nuncupatorum Fratrum prælibatis, alioquin ipſis Generali ſeu Provincialibus Miniſtris ſubeſſe deberet, ut ſupra eſt expreſſum; & ſi forte recuſarent, domos ipſas ſic receptas Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, prout in quibuſdam litteris ipſius prædeceſſoris deſuper confectis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Generalis Ultramontani, & Provincialium Provinciarum, in Caſtellæ, Legion. Aragoniæ, Portugalliæ, Valentiæ, & Navarræ Regnis & Principatu Cataloniæ, & reliquis Hiſpaniarum partibus, ſecundum morem dicti Ordinis conſiſtentium Vicariorum eorumdem Fratrum de Obſervantia nuncupatorum petitio continebat, quod dilectus filius Alphonſus de Bolano dicti Ordinis profeſſor, in Granatæ, Guineæ, Africæ, ac omnibus in mari Oceano ſitis inſulis pro converſione infidelium Apoſtolicæ Sedis Nuncius, & nonnulsi alii ejuſdem Ordinis profeſſores in Regnis & Principatu & reliquis Hiſpaniarum partibus prædictis, ſub obedientia Miniſtrorum aut Vicariorum Provincialium dicti Ordinis tam Conventualium, quam de Obſervontia nuncupatorum, eſſe & vitam ducere recuſant, & quoſcumque ab eiſdem Fratribus ſub obedientia Miniſtrorum aut Vicariorum degentibus, pro tempore recedentes abſque Prælatorum ſuorum licentia, recipiunt & retinent inter eos, & perſæpe indoctos ad Ordines & inhabiles, ad officia etiam prædicationis & confeſſionis, ad ſtudia promovent, & promovere præſumunt, illoſque mittunt ad loca eis grata, & ad quæ nonnumquam propria trahit eos affectio, bona cauſa non præcedente, aſſerentes præmiſſa facere poſſe ex Apoſtolica conceſſione eis facta ex variis & diverſis cauſis, & præſertim pro converſione infidelium partium earumdem, quamquam in Regula dictorum Fratrum contineatur, quod quicumque Fratrum Divina inſpiratione voluerint ire inter Sarracenos & alios infideles, petant inde licentiam a ſuis Miniſtris Provincialibus. Miniſtri vero nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis, quos viderint eſſe idoneos ad mittendum; *& Fratres Conventuales nuncupati, ſub obedientia Miniſtrorum Proviucialium degentes, illos dicti Ordinis profeſſores, qui ſuas profeſſiones in domibus eorumdem Fratrum de Obſervantia emiſerunt, ſine licentia ſuorum Superiorum recedentes, & ad eoſdem Conventuales confugientes, recipere & retinere non verentur, contra dictarum litterarum Pau-*

li

Juſſitque ut omnes Fratres vivant ſub obediétia Superiorum Cooventualium vel Obſervantum.

Alphonſus de Bolano Nuncius in multis partibus.

Jubetur ut prædicta obſervet.

Reg. 2. Min. c. 12.

Quantumvis aliter facere prætendat prætextu converſionis infidelium.

Statuitur ut Viſitatores Monialiũ fiant juxta Regularia inſtituta.

li prædeceſſoris præfati coutinentiam. Quædam vero Abbatiſſæ & Moniales diverſorum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ & Minoriſſarum, ac aliæ domorum Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia nuncupatæ Sorores, in communi viventes ſub certa cura Fratrum eorumdem de Obſervantia, ac etiam aliæ non viventes ſub eorum cnra, vigore quarumdam litterarum Apoſtolicarum, etiam, ut aſſerunt, conceſſarum, ſibi ipſis Viſitatorem quem volunt, ſine couſenſu eorumdem Fratrum Cuſtodiæ, intra quam Monaſteria & domus earum conſiſtunt, dumtaxat habere & eligere præſumunt, & deputatos eis idoneos confeſſores & viſitatores in Provincialibus Capitulis, aut alias juxta morem & ritum dicti Ordinis, vel ſaltem eorumdem Fratrum de Obſervautia admittere recuſant, in Religionis opprobrium, & pernicioſum exemplum & ſcandalum plurimorum, ac contra regnlaria inſtituta, ritus & mores dicti Ordinis, ſecundum quos, promotiones prædictæ cum magna maturitate, ac de perſonis idoneis & habilibus fieri debent ſolum in Capitulis Provincialibus Ordinis prælibati eorumdem Fratrum de Obſervantia. Fuit quoque pro parte Generalis Ultramontani & Provincialium Vicariorum Regnorum, Principatus & partium prædictarum nobis humiliter ſupplicatum, ut pro conſervatione & manutentione Ordinis memorati, & Chriſtifidelium devotiouis ad illum in partibus eiſdem, ne de cetero præmiſſa fiant, ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis inhibere, ac receptos Fratres prædictos abſque ſuorum Superiorum liceutia, poſt concordiam prædictam, juxta Pauli prædeceſſoris formam litterarnm, & quos in futnrum contra illam recipi contigerit, eiſdem Generali & Provincialibus Vicariis Provinciarum, Regnorum, & partium prædictorum illos repetentibus reſtitui, præfatoſque alios Fratres Miniſtris & Vicariis nou obedientes, ad eligendum an ſub Miniſtris vel Vicariis eſſe velint, parendumque illis, ſub quibus eſſe decreverint, & ad ducendum vitam juxta Regularia dicti Ordinis inſtituta, obſervandumqne contenta iu prælibatis litteris Pauli prædeceſſoris præfati: Abbatiſſas quoque, Moniales & Sorores prædictas ad recipiendum confeſſores & Viſitatores juxta ſtatuta Religionis, pro tempore per ipſos Generalem & Provinciales Vicarios Provinciarnm, Regnorum, Principatus & partium prædictorum, ut præfertur, pro tempore deputatos compelli, ac alios, quos aliter deputari contigerit, amoveri mandare, aliaſque eis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremnr. Nos igitnr, qui dicti Ordinis, & illius profeſſorum proſperitatem & pacem intenſis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus incliuati, volumus & Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore declaramus, quod in præmiſſis omnibus & ſingulis quoad Fratres ſerventur litteræ prædictæ Pauli prædeceſſoris præfati; qnoad Moniales vero ſerventnr ſtatnta Ordiuis. Et nihilominus venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliorum locorum Ordinariis iu eiſdem Regnis, & Principatu, ac partibus conſtitutis, etiam mandamns, quatenus quilibet eorumdem, qui deſuper fuerit requiſitus, in præmiſſis omnibus & ſingulis nobis expoſitis faciat auctoritate noſtra in ſua Civitate & diœceſi ejuſdem Pauli prædeceſſoris præfati litteras, & in eis contenta quoad Fratres, & ſtatuta Ordinis & Religionis, qnoad Moniales & Sorores hujuſmodi, per quoſcnmqne inviolabiliter obſervari &c. auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocaudo etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſecularis: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, coutrariis quibuſcumqne: ſeu ſi Alphonſo præfato, aut quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede prædicta indultum

Digitized by Google

tum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut ultra vel extra certa loca ad judicium vocari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de induito hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, Alphonſo præfato, vel quibuslibet aliis conceſſis, & pro tempore concedendis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri poſſet aliquando vel differri, & de quibus, quarumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, quibus omnibus, etiamſi in illis contineretur, quod illis per quaſcumque conceſſiones & litteras ac clauſulas, ſpecialem mentionem importantes non cenſeretur eſſe derogatum, quad præmiſſa, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, mandati, conſtitutionis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIII. *Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno* III.

Fr. Franciſc. de Aragonia. *Fulgoſ. lib.6.memorab. c. 2.*

XI. Florebat hoc tempore litteris & virtute frater Franciſcus Aragonius, nobili ortus familia, Sixto ante Pontificatum familiaris. Cum hoc anno ex Hiſpania ad ſupremam dignitatem evecto congratulaturus veniſſet, oſtendiſſetque ei domeſtica quadam humanitate Pontifex nonnulla quæ pretii erant ingentis, jocoſe ſubjungens: *Hem frater mi, non æque nos ac Petrus dicere poſſumus*: argentum & aurum non eſt mihi; *libere, & ea, quæ viris probis & ſanctis ineſt auctoritate, dixit: neque tu quidem, Pater ſancte, dicere poteris claudo*: ſurge & ambula, *uti Petrus imperavit*; hac dicendi libertate oſtendens quemadmodum ille Petrum Apoſtolum opibus ſuperabat, ita ipſe a Petro ſanctitate vitæ vincebatur.

Apposite reſpondet Sixto divitias oſtendenti.

Marian. lib. 5. c. 40. Tom.5. an.1294. n. 9.

Cógregatio Clarenorum in duas partes diviſa.

XII. Nova hoc tempore ſuccrevit in Ordine Congregatio Clarenorum, antiquitus a Cœleſtino V. protecta, & ſub nomine *pauperum Eremitarum fratris Angeli de Clareno* confirmata, de quo nos tunc egimus diffuſius. A Religione abſciſſa, locorum Ordinariis ſubjecta, multas acquiſivit domos in diœceſi Firmana, Aſculana, Fulginate, Spoletana, Amerina, Narnienſe, Aquilana, & Reatina, habitumque Fratres præferebant diſtinctum a veſte Franciſcana. Hoc anno, qui inter eos erant præcipui, inito conſilio, decreverunt ſe Minoribus aggregare, & ſub Generali Miniſtro militare. Petrus Hiſpanus, vir ſagax omnium nomine pervenit ad Sixtum, & aſſumpto ex ejus manibus Minorum habitu, facile iſthæc impetravit, utque eis liceret ſibi unum ex ſua ſodalitate ſibi præficere, a Miniſtro Generali confirmandum. Datis eis duabus bullis Apoſtolicis, quas hic ſubjiciam, Sixtus dedit inſuper hoc anno domum ſancti Hieronymi in Urbe, quam uſque ad illud tempus Fratres Tertii Ordinis de Feſulis incolebant. Diſplicuit tamen multis a priſtina vita & veſte, quam *beeba* vocabant, recedere, diviſaque ſtudia in contraria congregatione, pars manſit ſub Ordinariis, pars altera ſub Generali Miniſtro. Hæc deriſorie & contumelioſe vocabatur ab illa *Congregatio Exclarenorum*, quaſi Clarenorum exuerint veſtem & Inſtitutum. Omnes tamdem ſub annum MDXIV. aggregati ſunt familiæ Obſervantum, eodemque anno in vigilia Nativitatis Domini per Conſervatores Urbis, mandati Pontificii Executores, eiſdem Obſervantibus conceſſa eſt præ-

prædicta domus ſancti Hieronymi, in qua ferme centenarius præfatus Petrus jacebat. Diplomata autem Sixti ita ſe habent.

Ad perpetnam rei memoriam.

XIII. D*Ominus Noſter Jeſus Chriſtus inter alios, quibus felicitatis æternæ præbuit augmentum, beatos eſſe dixit* Pauperes ſpiritu, *Ex lib. 25. reg. Sixti fol. 154. & ex bulla origin.* quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *Idcirco hujuſmodi conditionis profeſſores pia at paterna charitate proſequimur, illorumque votis, quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum, & univerſorum* Pauperum Eremitarum, *Presbyterorum & Laicorum Societatis quondam fratris Angeli Chiarini nuncupatæ, in Firmana, & nonnullis aliis diœceſibus commorantium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi qui hactenus ſub Ordinariis locorum degerunt, attendentes, quod in habitu, vita, moribus & Regula ut plurimum inhærent regularibus inſtitutis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & ut fama eſt, a certis Fratribus Minoribus, qui antiquitus ſalutis æternæ deſiderio accenſi, vitam ſolitariam elegerunt, originem habuerunt, pro majori eorum pace & quiete, & ut dicto Ordini Fratrum Minorum ſe magis conforment, deſiderant ſub cura Miniſtri Generalis dicti Ordinis deinceps perpetuo Altiſſimo famulari. Quare pro parte pauperum eremitarum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eos curæ & regimini Generalis Mi-* Subjicitur Congregatio Miniſtro Generali. *niſtri dicti Ordinis, qui fuerit pro tempore ſubjicere, ita quod ipſi unum ex pauperibus dictæ Societatis ſingulis tricnniis in Generali Congregatione pauperum dictæ Societatis, in eorum ſuperiorem, qui præfati Generalis Miniſtri vices gerat, & Vicarius nuncupetur, eligere, electionemque hujuſmodi eidem Miniſtro Generali pro tempore præſentare, & ab eo electionis hujuſmodi confirmationem abtinere poſſint & debeant, ſtatuere & decernere, ac alias ipſis & eorum ſtatui in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut fervor dictorum pauperum in humilitatis ſpiritu quotidie magis incaleſcat, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus pariter & decernimus, quod pauperes eremitæ prædicti Clerici & Laici, præſentes & futuri, curæ & regimini præfati Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum deinceps perpetuis temporibus ſubſint, eique pareant & intendant; ita quod ipſi eremitæ unum ex pauperibus dictæ Societatis Clericum ſingulis trienniis, in eorum Generali Congregatione celebranda, in ipſorum & dictæ Societatis Superiorem, qui præfati Miniſtri ſuper eos vices gerat, & Vicarius, ut præmittitur nnncnpetur, eligere, electionemque de dicto Vicario factam per præfatum Miniſtrum, illa ſibi præſentata, confirmari facere libere & licite poſſint & valeant. Et inſuper pauperibus Eremitis hujuſmodi Clericis & Laicis, ac eorum domibus, quas nunc habent, & in poſterum eos canonice obtinere contigerit, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, favoribus, gratiis & indultis, dicti Ordinis Fratrum Minorum domibus & perſonis in genere quomodolibet conceſſis, & pro tempore concedendis tam ſpiritualibus, quam temporalibus uti & gaudere libere & licite valeant, perinde ac ſi eidem Societati, & illius domibus, ac perſonis nominatim conceſſa forent, dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Societatis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.*

que. Per hoc autem modum vivendi dictæ Societatis aliter approbare non intendimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, conſtitutionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. V. *Idus Martii, Pontificatus noſtri anno* II.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex lib. 59 fol. 118.

XIV. P*ia nos excitat & inducit affectio &c.* Servire valeant Creatori. *Dudum ſiquidem inter alia ſtatuimus pariter & decrevimus, quod pauperes Eremitæ, Presbyteri & Laici Societatis quondam fratris Angeli Chiarini nuncupatæ, in Firman. & nonnullis aliis diœceſibus commorantes, qui tunc erant, & pro tempore forent, curæ & regimini Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum pro tempore exiſtentis ex tunc perpetuis futuris temporibus ſubeſſent, eique parerent & intenderent, ita quod ipſi Eremitæ unum ex pauperibus dictæ Societatis clericum, ſingulis trienniis in eorum Congregatione celebranda, in ipſorum & dictæ Societatis Superiorem, qui præfati Miniſtri ſuper eos vices gereret, & Vicarius nuncuparetur, eligere, electionemque de dicto Vicario factam, per præfatum Miniſtrum, illa ſibi præſentata, confirmari facere poſſent; conceſſimuſque eis, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. Ordinis Fratrum Minorum domibus & perſonis in genere quomodolibet conceſſis, & pro tempore concedendis tam ſpiritualibus, quam temporalibus uti & gaudere valerent, perinde ac ſi eidem Societati, & illius domibus ac perſonis nominatim conceſſa forent; prout in noſtris inde*

Et ſorores ejuſdem Congregationis.

confectis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum univerſarum ſororum pauperum Societatis prædictæ, in Spoletana & nonnullis aliis diœceſibus commorantium petitio continebat, ipſæ Sorores, quæ in habitu, vita, & moribus ut plurimum inhærent regularibus inſtitutis Ordinis Fratrum Minorum, & ut fama eſt, ab eiſdem Fratribus ſolitariam vitam eligentibus, antiquitus originem habuerunt, deſiderent pro earum proſpero & felici regimine ſimiliter ſubjici curæ præfati Generalis Miniſtri, & poſſe unum idoneum Fratrem dicti Ordinis in earum eligere confeſſorem, qui pro commiſſis per eas pro tempore peccatis, eis abſolutionis beneficio provideat. Nos cupientes, ut Sorores ipſæ tanto ferventius Divinis beneplacitis ſe coaptent, quanto propterea cognoverint per Sedem Apoſtolicam amplius ſe confoveri, earumdem Sororum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore, Sorores prædictas, quæ nunc ſunt & pro tempore erunt dictæ Societatis, ab omni dominio, ſuperioritate, jurisdictione & poteſtate Ordinariorum locorum prorſus eximimus, & totaliter liberamus; ac volumus, & eadem auctoritate ſtatuimus, quod ejuſdem ſocietatis Sorores præfatæ, quæ nunc ſunt & pro tempore erunt, perpetuis futuris temporibus ſub cura & regimine dicti Miniſtri vitam ducere debeant, poſſintque unum dicti Ordinis profeſſorem ætate, ſcientia & moribus idoneum in earum eligere Confeſſorem, qui poſtquam per dictum Vicarium confirmatus fuerit, earum confeſſione diligenter audita, cuilibet earum pro commiſſis per eas exceſſibus & peccatis, niſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, de abſolutionis beneficio providere valeat, & pœnitentiam injungere ſalutarem: eiſdem quoque ſororibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. dicti Ordinis domibus & perſonis

Digitized by Google

nis quomodolibet in genere, & per dictas alias noſtras litteras dictis pauperibus eremitis conceſſis, & pro tempore concedendis, tam ſpiritualibus quam temporalibus uti & gaudere libere & licite valeant, eadem auctoritate concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſocietatis & Ordinis prædictorum, juramento &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Per hoc autem non intendimus ſocietatem prædictam, ſeu eorum vitam aliter approbare. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCLXXIII. XIV. *Kal. Novembris anno* III.

XV. Hoc anno hi creantur Epiſcopi. Famaguſtanus in Cypro, ſub Arch. Nicoſienſi, frater Franciſcus de Perniſiis de Vicheria, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Petri, pridie Kal. Aprilis. Achaden. in Hibernia, ſub Arch. Tuamen. frater Robertus Wellys, per obitum Cornelii, prid. Idus Julii. Paphen. in Cypro, ſub Arch. Colocen. frater Antonius Mazonius, per obitum Guillelmi, XV. Kal. Decembris. Aſſiſienſis in Umbria immediate ſub Pontifice Romano, frater Andreas Ægidii in eadem urbe natus, ſacræ Theologiæ Magiſter, per obitum Carnli, VI. Kal. Decembris. Vixit uſque ad annum MCCCCLXXVII. Almerien. in Hiſpania, ſub Arch. Granaten. frater Bartholomæus de Soria, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum N. eodem die. Bellicen. in Thracia, ſub Archiepiſcopo Philippopolitano, frater Daniel Zehender, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum N. III. Non. Decembris: Factus eſt ſuffraganeus Hermanni Epiſcopi Conſtantienſis. Archiepiſcopus Florentinus, frater Petrus Riarius, Sixti Pontificis Nepos, aliis etiam, quas anno diximus præterito onuſtus Eccleſiis, quibus adde etiam Archiepiſcopatum Hiſpalenſem in Hiſpania, & Patriarchatum Conſtantinopolitanum in Græcia.

Fr. Petrus Epiſc. Famaguſt. — Fr. Rober. Achaden. — Fr. Anton. Paphen. — Fr. Andr. Aſſiſien. — Fr. Barthol. Almerien. — Fr. Daniel. Bellicen. — Fr. Petrus Arch. Florentin. & Hiſpalen. & Patriar. Conſtantinop.

XVI. Crevit hoc anno Inſtitutum multis adjunctis domiciliis. Extra Civitatem Caſtelli, alias *Tifernum* in Umbria, circa Tyberis originem, ut Obſervantibus conſtrueretur cœnobium, fundum conceſſit Abbas Schalochienſis, Ordinis ſancti Benedicti. Ædificium adjecerunt Tifernates, Sixto aſſentiente ſub initium anni ſequentis. Extra oppidum Calderolæ, diœceſis Camerinenſis, in loco quo præerat Capella ſancti Petri de Antiquis, a Plebe de Favara dictæ diœceſis dependens, oppidani Minoribus Conventualibus hoc anno conſtruxerunt Conventum, renunciante ad hunc effectum prædictam Capellam in manus Pontificis Dominico Petri, Fratribus addicto. Similiter Nobilis vir Gabriel Franciſci de Farneſio, domicellus, Caſtrenſis diœceſis in Provincia Romana, extra & prope Caſtrum Canini, dictæ diœceſis, domum ſub invocatione ſancti Franciſci Obſervantibus poſuit, quibus Michael Caſtren. Epiſcopus Capellam beatæ Mariæ Annunciatæ dictæ domui propinquam, quæ de jurepatronatus erat Univerſitatis hominum dicti Caſtri, adjudicavit.

Conv. Tifernl. *Gonz. in Prov. S. Franc. Conv.* 10. *Lib. 42. bul. fol.* 107. — Conv. Calderolæ. *Lib. 52. bul. fol.* 104. — Conv. Canini. *Lib. 25. fol.* 310.

XVII. Conceſſa hoc anno facultas incolis Liguſtici oppidi ſancti Romuli, Albinganen. diœceſis, ut domum eiſdem conſtruerent. Ita factum ſub Invocatione ſanctæ Mariæ de Conſolatione ad CCC. P. ab oppido. Illic jacet Balthaſſar a Vigono, vir religioſiſſimus, cujus corpus poſt multos annos exhumatum, incorruptum apparuit, atque in hunc diem perſeverat.

Conv. S. Romuli. *Gonz. in Prov. Gen. Conv.* 17. *Lib. 25. fol.* 152.

XVIII. Pinarolii, Pedemontanæ urbis fortiſſimæ, cives prope Civitatem hoc anno ſub titulo ſanctæ Mariæ de Angelis, iiſdem Cœnobium conſtruere cœperunt. Licentiam Obſervantibus tradendi conceſſit Sixtus anno ſequenti. Ogenti, quod & Uxentum, in Apulia, diximus alias a Raymundo Baucio Urſino, Tarentinorum Principe conſtructum Obſer-

Conv. Pinarolii. *Gonz. in Prov. Gen. Conv.* 18. *Lib. 59. fol.* 251. — Conv. Uxenti. *Tom. 10. ann.* 1430. *n.* 43.

Lib. 30. fol. 31.

vantium domicilium, ſed hoc anno Anglibertus Comes Ogentinus obtinuit a Sixto Pontifice, ut legata a Maria ſua conjuge pro ædificanda quadam capella per ſex Presbyteros colenda, liceret in conſtructionem domus Obſervantum, ſub titulo Conceptionis beatæ Mariæ convertere.

Hoc anno n. 8.
Conv. Aſilli.
Lib. 31. fol. 140.
Conv. Drepani.
Gonz. in Prov. Sicil. Conv. 32.
Lib. 42. fol. 98.
Conv. Agrigentinus.
Tom. 10. ann. 1416. n. 18.
Lib. 67. fol. 49.

XIX. Bernardino Feltrenſi, de quo paulo antea diximus, indulſit Pontifex, ut in villa Criſpignacæ, oppidi de Aſillo, Tarviſinæ diœceſis, domum & fundum cum ſuis pertinentiis, ſacerdotio in Eccleſia beatæ Mariæ de Aſillo fundato applicata, admitteret, ut domum ſuis Conſodalibus ædificaret. In Sicilia Drepani Incolæ, diœceſis Mazarienſis, impetrarunt hoc anno facultatem conſtruendi Obſervantibus domicilium. Id poſtea factum non longe a mœnibus, juxta templum ſanctæ Mariæ Græcorum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu. Verum cum ab Africa anno MDXXXVI. illuc appelleret Carolus V. & judicaret inde hoſtes poſſe urbi nocere, Cœnobium in urbem ad Eccleſiam ſancti Juliani curavit transferri, cui tamen primum nomen adhæſit. In eadem inſula in urbe Agrigenti diximus fundatum perſuaſionibus beati Matthæi Agrigentini Conventum S. Nicolai. Sed hoc anno diploma occurrit, quo refertur, eumdem poſt annos quadraginta a Fratribus fuiſſe relictum, & Religioſis beatæ Mariæ de Mercede a Domino Epiſcopo conceſſum, jubetque Pontifex Minoritis Obſervantibus reſtitui: *Piis ſupplicum votis*. Kal. Junii.

Conv. Aſtigii.
Gonz. in Prov. Bætica Conv. 13.

XX. Hoc anno in oppido Aſtigii, vulgo Hiſpanico *Ecija*, in Provincia Bætica, abſolutum eſt capaciſſimum pro Obſervantibus Cœnobium, non tamen ſine magna contradictione, adverſantibus quibuſdam Religioſis, qui præcipuos heroes, & inconditum vulgus in Fratres adeo concitarunt, ut ſemel & iterum muros in altum productos proſtraverint. Oppoſuerunt ſe tanto furori tres nobiles Equites, Fridericus Manriquius, Ferdinandus Aquilarius, & Joannes Ferdinandus Galindus, & evaginatis gladiis non abſque vitæ diſcrimine operi aſtiterunt & faverunt, donec totum compleretur; Fratribus interim in Eremitorio ſancti Georgii extra oppidi muros commorantibus, & a prædictis tribus Benefactoribus vitæ neceſſaria recipientibus. In præmium autem laborum & beneficiorum obtigerunt eis per ſortes tria potiora templi ſacella, majus primo, quod dextram tenet ſecundo, ad lævam vero Galindo, in quibus pulchra mauſolea ſibi ſuiſque poſteris exædificarunt.

Conv. Luſurgii.
Idem in Prov. Valent. Conv. 4.
Conv. Sancturcæ.
Ex lib. 42. fol. 148.
Tom. 13. ann. 1464. n. 48.
Conv. Sateren.
Lib. 31. fol. 85.

XXI. In regno Valentiæ haud procul a Luſurgii oppido, communi ære, ſub hunc annum Conventus ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Angelis Obſervantibus conſtructus eſt. In Caſtella & diœceſi Burgenſi convenerunt duorum oppidorum Portugalletæ & Sancturcæ incolæ ad conſtruendum Conventum unum in territorio eorumdem pro Fratribus Obſervantibus Provinciæ Caſtellæ, Cuſtodiæ citra Portus, vel de Sanctoijo. Facultatem hoc anno Pontifex conceſſit; an vero illi ea uſi ſint, non comperio. Virtute conceſſionis Apoſtolicæ Pii II. quam alias indicavimus, ut in Sardiniæ inſula tria admitterent Fratres Obſervantes domicilia, Petrus Antonius, Archiepiſcopus Turritanus Eccleſiam ſancti Petri de Serqui extra muros Sateren. Turritanæ diœceſis tunc derelictam, ad menſam Archiepiſcopalem Turritanam legitime pertinentem, cum ſuis pertinentiis circa dictam Eccleſiam exiſtentibus, Fratribus irrevocabiliter donavit, ut ibi domum ſibi conſtruerent. Hoc anno poſt inſtauratam Eccleſiam, & conſtructum ſibi domicilium, Fratres donationis confirmationem a Pontifice impetrarunt. Eam vero poſtea dereliquiſſe ſuſpicor; non enim in cathalogo Cœnobiorum illius Provinciæ recenſetur.

XXII. In

XXII. In Gallia nonnulli incolæ oppidi Pontis Audomari, Lexovien. diœceſis, Obſervantibus domum ædificarunt extra muros, quod primum anno præterito Pontifex conceſſit, & hoc anno probavit. Poſt biennium Ludovicus XI. Galliarum Rex, tunc ibi vigentibus bellis, totam pro ipſius oppidi & Ducatus Normandiæ ſecuritate demolitus eſt, & infra oppidi muros juſſit transferri. Aſſentiente Sixto Pontifice, ipſe inchoavit ædificium, abſolvit filius Carolus Octavus. Eccleſiam ſub nominibus ſanctæ Mariæ de Angelis, ſancti Michaelis Archangeli, & ſancti Franciſci die v. Junii anno MDIX. conſecravit Gabriel Veneur S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Lexovienſis.

Conv. Pontis Audomari. *Lib. 6. fol. 117. lib. 11. fol. 91. lib. 42. fol. 172. Gonz. in Prov. Franc. Conv. 16.*

XXIII. Hoc anno aſſerit Gonzaga conſtructum in tractu Lugdunenſi Conventum Baſtiæ per Claudium de Urſe, & Catarinam de Poliniaco. Sed ad annum MCCCCXCIV. per Petrum de Urſe, Catarinæ conjugem, & Petri genitorem hoc referunt Claudius Picquetus, & Jacobus Fodereus. Cœnobiolum eſt humile, ſed commodum, in loco ſaltuoſo & plano, & circumfluentibus rivulis amœno fabricatum. Promovit apud Petrum opus iſtud frater Andreas, vir religioſus, quem ille Hieroſolymis, quo peregrinationem ſuſcepit, invenit, & in patriam reduxit. Huic ſacras veſtes, eaſque pretioſas & decoras munificentiſſime contulit, ſed ſepulturam ſibi extra templi veſtibulum delegit, reputans ſe indignum, qui intra limen reciperetur, quippe qui contra Chriſtianos ſub Turcarum imperio aliquando meruerit. Illic buſtum ejus conſpicitur lapideum, tabula cuprea coopertum, diffuſo hoc inſculpto Epitaphio, quod ex Gallico damus Latinum.

Conv. Baſtiæ. *Idem in Prov. S. Bonav. Conv. 9. Picquet. & Foder. in ead. Prov.*

Hic jacet Dom. Petrus de Urſe qui Eques S. Sepulchri fuit, & inſignia in obſidione Hidrontina contra Turcas, & infideles anno 1480. *cepit, Conſiliarius & Camerarius Regis Caroli VIII. & Ludovici XII. magnus Scutifer Franciæ, & Britanniæ, Seneſchallus Beaucarii, Capitaneus quinquaginta lancearum, ordinariæ militiæ Franciæ fuit, Ordinem ſancti Michaelis a præfatis Regibus accepit, Eques numeri prædicti Ordinis fuit, inſignia uſque ad diem Martis* 10. *Octobris portavit, quo translatus in locum de la Baſtia, in uxorem Dominam Catharinam de Poliniaco in ſuis primis nuptiis, & poſt deceſſum prædictæ Catharinæ de Poliniaco Dominam Anthonettam de Beauvoy, ſibi deſponſavit. Placeat intrantibus Eccleſiam, ipſi aquam benedictam infundere.*

XXIV. Ejus prima uxor Catarina quieſcit in templo ſub æneo tumulo egregie figuris æreis, inſignibus argenteis decorato, hac adjuncta inſcriptione.

Hic jacet Domina Catharina de Poliniaco, uxor Domicelli Petri Domini de Urſe, Conſiliarii, magni Scutiferi Franciæ, Balliſi de Foreſt. Quinque annis cum dimidio creſcentes in amore & fidelitate ad invicem, vitam duxere. Ipſa charitativa & eleemoſynaria fuit, & ante deceſſum decem mille Miſſas in Obſervantia S. Franciſci legi, & multas eleemoſynas diſtribui curavit. Simul conventum hunc fundarunt, & in habitu S. Franciſci mori voluit die 5. Februarii.

XXV. Nobili viro Bertrando a Turre & Ludovicæ Tremolliæ conjugibus, ineunte hoc anno, conceſſit Sixtus facultatem Conventum, ſub ſanctæ Marthæ nomine ad Vicecomitis oppidum, Claromontenſis diœceſis fa-

Conv. Vicecomitis. *Gonz. citat. Conv. 29.*

Pieq. pag. 99. Feder. pag. 834.

fabricandi: cœperunt XVII. Martii, & tamdem perfecerunt, ſed adauxit Joanna Vandomea, Borbonii Ducis relicta, & multis affecit beneficiis. Eccleſiam conſecravit anno MCCCCLXXXIV. Bertrandus Epiſcopus Bethleemitanus, in quo prædictæ Joannæ in habitu Ordinis ſepultæ, & Joannis Stuardi, Albaniæ Ducis, & Scotorum Regis cognati corpora requieſcunt. Catarina Medicea, Henrici II. conjux, & Franciſci II. Caroli IX. & Henrici III. genitrix Viridarium addidit amœnum, ambitus ampliſſimi, multis fontibus & rivulis irriguum. Per omnes Cœnobii officinas fiſtulis & canaliculis derivatur aqua, magno religioſorum commodo. Proſpectus totius loci valde omnibus placet, a Meridie Huſſonia arce fortiſſima, a Septentrione Aureis, ab Oriente Foreſiis aliiſque montibus terminatur.

Conv. Cadanen. *Gonz. in Prov. Boem. Conv. 18.*

XXVI. Legatum Pontificium agebat hoc anno apud Boemos Marcus Barbus Venetus, tituli ſancti Marci Cardinalis, conceſſitque licentiam Cadanenſis oppidi incolis, Conventum ſub invocatione quatuordecim Auxiliatorum conſtruendi, quod illi communibus facultatibus impigre præſtiterunt.

Conv. Dunangallien. *Monumen. MSS. Prov. Hiberniæ.*

XXVII. Hoc anno ſive ſequenti, cœpit ædificari in Hibernia ad Occidentalem partem Ultoniæ, prope mare Conventus Dunangallien. diœceſis Rapoten. per Hugonem Odovail, Conalliæ Principem, qui totum ſuis ſumptibus abſoluit, & magnificentiſſime donariis multis locupletavit. Ejus uxor Nola Conchubair, filia Caroli, & ſoror Conni y Concbubairi Failghe, viri illuſtris, & in Lagenia Principis, cupiens, nec potens habere Fratres Obſervantes, qui populum ſuum in viis mandatorum Domini docerent, acceſſit ad Capitulum, quod in Conventu de Roſſ-Riel celebrabatur, adeoque inſtanter oravit & peroravit, ut Capitulares denegantes, ſibique adverſantes, in ſuam ſententiam, objecta eis Divina ultione, ſi ſuorum ſubditorum animæ illorum culpa & duritia in denegandis Fratribus perirent, viriliter attráxerit. Ipſa autem & Hugo conjux, eorumque poſteri Ordini addictiſſimi, nihil hujus Cœnobii Fratribus deeſſe permiſerunt. Hugo aliquot annis ante obitum, & alii conſanguinei habitum ſuſceperunt, omnes in eo deceſſerunt. Obiit ille anno MDV. ibidem ſepultus. Multæ familiæ nobiles illic ſepulturam ſibi delegerunt. O Buiil ex progenie Arthuri Oneill, Mac Crajiorum ex Termondia, Mac Guidhir, Oſtanaiganorum, & aliorum antequam conſtrueretur Cœnobium Leaſagabaile Fearmanaich, fundatum a MacGuidbiro Mac Cuconachti. Anno MDLXXXVIII. die XXIII. Aprilis ab hæreticis expilatus eſt, ibique tunc occiſus R. P. N. Buighil, concionator inſignis, illius domus Guardianus. Paulo poſt illuc abiit eodem anno Juſtitiarius Hiberniæ cum Exercitu, Eccleſiaque uſus pro ſtabulo, imagines confregit, & picturas delevit. Anno MDCI. ab Exercitu Anglicano, admoto igne, totum Cœnobium, præter muros & turrim campanariam periit incendio. Anno MDCXVII. Frater Nigellus O Bujil ibidem ab hæreticis obtruncatus eſt.

Conventus Daniæ reformantur.

XXVIII. Sub hoc tempus cœpit reformatio Ordinis in regno Daciæ, maxime in Conventu Ottonienſi, eam approbante Zanetto Miniſtro Generali. Eam porro ad alios Conventus, præſertim Swineborgen. & Nijeſtetden. transfundi cupiens Chriſtiernus, Daciæ & Gothorum Rex, petiit a Pontifice eamdem confirmari, aſſenſitque Sixtus, dato diplomate: *Inter curas multiplices*. Pridie nonas Februarii. Reformatus eſt hoc anno (Gonzaga aſſerit ſequenti) Conventus Bolſvardiæ, Friſiæ Occidentalis oppidi, qui Provinciæ Germaniæ inferioris extremus eſt, & olim ſub Patribus Conventualibus ad Provinciam ſpectabat Coloniæ. Anno MDLXXVII. inde Fratres pulſi profligatique fuerunt.

Item Conv. Bolſvardiæ. *Monum. MSS. Prov. Colon. Gonz. in Prov. Germ. inferior. Conv. 14.*

XXIX.

XXIX. Catarina Henriquez, devota Matrona Burgenſis, hoc anno pridie Kalendas Julii obtinuit a Sixto Pontifice facultatem, ut ſibi liceret Monaſterium Clariſſarum ſub Regulari Obſervantia conſtruere prope flumen Cametæ M. L. P. ab oppido Aquilarii de campo, diœceſis Burgenſis, in loco ubi erat quoddam Eremitorium, ſanctæ Mariæ de Cameſia nuncupatum, cui fabricando Catarina ejus filia defuncta bonam ſummam legaverat pecuniarum, quo etiam temere abſque ſuperiorum licentia confluxerant ex aliis Monaſteriis aliquot Sorores cohabitaturæ. Parcitum his voluit Sixtus, ſcriptis litteris ad Epiſcopum Burgenſem, cui negotium commiſit examinandum & decidendum. Decennio tamen elapſo, cum Moniales probarent, flumen vicinum valde ſibi obeſſe, & in ſolitudine habitantibus eleemoſynas & ſubſidia deeſſe fidelium, rogarunt eumdem Pontificem anno Pontificatus XII. ut liceret ab illo loco tranſire ad Cœnobium Patrum Conventualium prope dictum oppidum, a nobili viro Joanne Manrique Caſtaneti Comite olim conſtructum, quod ejus filius Garſias, Aquilariani oppidi Dominus, conſentientibus Minoritis, tradi Sororibus curavit, & ab illo tempore ſanctæ Claræ Monaſterium cœpit appellari.

Mon. Aquilarii Campenſis. *Lib. 25. fol. 117. Gonz. in Prov. Concept. Mon. 19. Lib. 108. bul. fol. 181.*

XXX. Leonora de Cancellario, Vidua Terræ Salemi, diœceſis Mazarien. domum quamdam in dicta Terra, loco commodo & opportuno ſitam, pro uſu & habitatione Monialium ſanctæ Claræ donavit, ut in Monaſterium erigeretur; & poſtea conſentiente Epiſcopo Mazarienſe, conſtructum eſt illic Oratorium, juxta quod Conſtantia de Syracuſa & tres aliæ Moniales ejuſdem Ordinis, ex licentia Miniſtri Provincialis Minoritarum cohabitabant. Hoc anno, rogante Magiſtratu & Communitate Terræ prædictæ, conceſſit Sixtus ut Oratorium in Monaſterium erigeretur. Deprecantibus etiam Abbatiſſa & Sororibus Monaſterii ſancti Silveſtri de Capite in Urbe, ejuſdem Ordinis, declaravit Eccleſias ſanctæ Coronæ de Canapina, diœceſis Ortanæ, & ſancti Salvatoris de Valerano, diœceſis Caſtellanæ eidem Monaſterio fuiſſe unitas.

Mon. Salemi. *Lib. 47. fol. 31.*

Mon. S. Silveſtri in Urbe. *Lib. 17. fol. 319.*

XXXI. Decrevit Fratres & Sorores Tertii Ordinis debere gaudere libertate, privilegiis, & immunitatibus perſonarum Eccleſiaſticarum: *Sacroſancta Romana Eccleſia*. XII. Kalendas Decembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. IN Aula Divi Petri Romæ dum plura machinaretur Sixtus in Ec-
,, cleſiæ bonum, Cypri Regnum Regem Jacobum, aliquando Ec-
,, cleſiaſtem, amiſit, & pro Rege Rempublicam Venetam habuit, Petro
,, Mocenigo ſolerter agendo; poſt quam in Caramania regione Sichinum,
,, Coricum, & Seleuciam ad Tigrim fluvium Civitatem, opus quondam
,, Seleuci Syriæ Regis, & ſucceſſorum ſuorum conatibus ſupra Babilonem
,, amplitudine, & populorum numero exaltatum, domuiſſet, & Caſſaneto
,, regionis Domino reſtituiſſet. Interea ab alto Vaticani exiit facultas re-
,, cipiendi Eccleſiam Fratrum de Martina in Apulia: *Injunctum nobis &c.*
,, pridie Nonas Januarii: quarto vero Kalendas Martii pro Conventu Re-
,, gularis Obſervantiæ in oppido de Laredo, Burgenſis Diœceſis, in Hiſpa-
,, nia: *Sic decet &c.* cujus Conventus ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ
,, memoriam lego tantum in Catalogo Provinciarum Regularis Obſervan-
,, tiæ anni MDXVI. apud Haroldum in Provincia Caſtellæ & Cuſtodia Bur-
,, genſe; cuidam fratri Antonio conceſſo Eremitorio ad Aſceticam vitam:
,, *Pia deſideria &c.* Nonis Martii; Sororibus Tertii Ordinis de Campeſio
poſ-

Reſpublica Veneta ſuſcipit Regnum Cypri. *Dogl. fol. 456.*

Harol. ad ann. 1540. n. 87. Indic. ex Vatic.

Harol. ad ann. 1524. n. 13. ,, poſſe habere Oratoria indultum eſt: *Devotionis veſtræ &c.* octavo Idus
,, præfati menſis. Hujus domus eſt memoria in Annalibus, ſub an. MDXXIV.
,, tantum; cum nihilominus etiam ante hunc annum MCCCCLXXIII. in Vil-
,, la ſanctæ Crucis de Campeſo, ſeu Campeſio hujuſmodi Sorores Tertii
,, Inſtituti domum habuiſſe, ex hoc Vaticani teſtimonio convincatur; con-
Indic. ex Vatic. ,, ceſſum eſt etiam fratri Joanni de Pergamo poſſe vivere in Eremitorio:
,, *Pia deſideria &c.* VI. Idus Martii; & fratri Antonio de Monte collatum
,, beneficium ſequenti die: *Religionis zelus &c.* ac aliud fratri Jacobo Pe-
,, tri de Monte-Flaſcone: *Sedes Apoſtolica &c.* XIV. Kalendas Aprilis:
,, ad Andrimitanam Eccleſiam frater Watrdicus de Ulma miſſus eſt Epiſco-
,, pus, X. Kalendas ejuſdem: *Apoſtolatus officium &c.* & ipſis Kalendis præ-
,, fati ad Modinenſem Eccleſiam frater Ludovicus de Senis: *Divina diſpo-*
,, *ſitione &c.* fratri Antonio de Medices conceſſo beneficio: *Religionis ze-*
,, *lus &c.* XVI. Kalendas Maii. X. Kalendas ejuſdem frater Petrus de
,, Guardia Eccleſiæ Gradienſi præficitur: *Paſtoralis officii &c.* & Meſſanenſi
,, frater Jacobus: *Quam ſit onuſta &c.* X. Kalendas Junii. Incolis vero Pi-
,, niaci, Tholonenſis Diœceſis conceſſa eſt facultas conſtruendi Cœnobium:
,, *Ex devotionis veſtræ &c.* pridie Idus Julii; quid vero factum fuerit, non
,, apparet. Conſtat autem Eccleſiam ſancti Salvatoris de Unda, ſive Pontis
,, Sixti conceſſam fuiſſe hoc anno Conventualibus: *Decens reputamus &c.*
,, IV. Nonas Auguſti: & Fratribus de Aracœli poſſe alienare poſſeſſionem
Ex Copia. ,, ſibi legatam: *Neceſſitatibus veſtris &c.* die XVI. Auguſti. XVI. Kalen-
,, das Septembris permiſſum eſt Eremitorium ſancti Raphaelis fratri Nico-
,, lao: *Religionis zelus &c.* & datum beneficium fratri Chriſtophoro de
Originale in Aracœli. ,, Montorio: *Religionis zelus &c.* XIV. Kalendas Decembris, ſed duode-
,, cimo Kalendas ejuſdem voluit Sixtus Tertiariorum Religionem omnibus
,, privilegiis gaudere expedito diplomate, cujus tenorem referre placet.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Bullar. Rod. fol. 171. &c. Proemium. ,, 1. *SAcroſancta Romana Eccleſia ſub Religionis habitu Domino famu-*
,, *lantes ex aſſuetæ pietatis officio propenſius diligere conſuevit; & ne*
,, *indebitis agitentur moleſtiis, tamquam pia Mater, opportunis favoribus*
,, *confovere.*
,, 2. *Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Fratrum, & di-*
,, *lectarum in Chriſto filiarum univerſarum Sororum Tertii Ordinis S. Fran-*
,, *ciſci, de pœnitentia nuncupatorum, per Italiam conſiſtentium, nobis nu-*
,, *per exhibita petitio continebat: quod licet plures ſummi Pontifices præde-*
,, *ceſſores noſtri diverſa & plura pro immunitatibus eorum conceſſerint privi-*
,, *legia, & plures ſolemniſſimi utriuſque juris Doctores teneant, quod ipſi*
,, *Fratres & Sorores debeant gaudere libertate & immunitate Eccleſiaſtica,*
,, *ut perſonæ Religioſæ; nihilominus Communitates Civitatum, Poteſtates,*
,, *aliique Officiales Seculares locorum Italiæ, non ceſſant in dies nova eis*
,, *tam in rebus, quam in Perſonis inducere gravamina, libertati Eccleſiaſti-*
,, *cæ contraria: quare pro parte eorumdem Fratrum & Sororum nobis fuit*
,, *ſupplicatum humiliter, ut eiſdem Communitatibus, Poteſtatibus & Offi-*
,, *cialibus, ne hujuſmodi gravamina inferant, inhibere, aliaſque eis ſuper*
,, *hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

3. *Nos*

„ 3. *Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Communitatibus, Poteſtatibus & Officialibus præfatis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto per Poteſtates & Officiales ipſorum, ac ſingulares perſonas earumdem Communitatum, ſi contrafecerint, incurrenda, ne eiſdem Fratribus & Sororibus gravamina aliqua, libertati Eccleſiaſticæ contraria inducere, aut ipſos Fratres & Sorores quominus gaudeant privilegiis & immunitatibus tam fori, quam perſonæ, & rerum, ſicut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, quomodolibet impedire præſumant, Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore inhibemus.*

„ 4. *Et nihilominus univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, & quibuslibet perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, necnon Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis pro tempore exiſtentibus in Communitatibus & locis prædictis & cuilibet eorum, qui deſuper fuerint requiſiti ab aliquo Fratrum vel Sororum ſupradictarum, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præmiſſa, ubi & quando eis expedire videbitur, ſolemniter publicantes, non permittant eoſdem Fratres & Sorores contra inhibitionis noſtræ hujuſmodi tenorem, per quoſcumque, quavis auctoritate, indebite moleſtari, & eos, quos propterea hujuſmodi excommunicationis ſententiam eis conſtiterit incurriſſe, excommunicatos nuncient, faciantque ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari, donec ab hujuſmodi indebitis moleſtiis per eos dictis Fratribus & Sororibus illatis, cum effectu deſtiterint. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.*

„ 5. *Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus, necnon locorum municipalibus ſtatutis, juramento, conſuetudine, conſtitutione, ſeu confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate vallatis, contrariis quibuſcumque: ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.*

„ 6. *Ceterum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus Fratres & Sorores prædicti illis indigerent, deferri, volumus & præfata auctoritate decernimus, quod earum tranſumpto, manu Notarii publici, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, aut alicujus Epiſcopalis, vel Archiepiſcopalis ſigillo munito, ea prorſus in judicio vel extra, ubicumque exhibitum vel oſtenſum fuerit, fides adhibeatur, ac ſi ipſæ originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ.*

„ 7. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, mandati, voluntatis, & Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXIII. XII. *Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno* III.

„ II. Fratrem Ægidium Aſſiſinatem, & fratrem Andream Almerinenſem Epiſcopos eodem tempore, & ſub eodem fere tenore litterarum deſignatos fuiſſe, VI. Kalendas Decembris: *Apoſtolatus officium &c.* reperio: indultumque Fratribus Burgenſibus & Calaguritanis nonnullas domos in deſertis fabricatas retinere: *Romani Pontificis &c.* V. Kalendas Decembris: emanarunt etiam litteræ circa ſuſpenſiones gratiarum: *Nuper*

Indic. ex Vatic.

Mon. Ord. fol. 52.

„ *per nobis &c.* die xxx. Novembris, quas exhibent Ordinis monumenta.
„ III. De Sanctorum quatuordecim Auxiliatorum Conventu in Civi-
„ tate Cadanæ apud Boemos, agit Waddingus ſub hoc anno; ſed rem al-
„ tius ſcrutari oportet. Joannes de Capiſtrano, quem modo Sanctum
„ univerſa veneratur Eccleſia, anno mcccclii. Boemis in Civitate
„ *Brix* vel *Ponto* Evangelium declamans, & libenter a populo auditus &
„ dilectus, ab his edoctus, & occaſione ſumpta, cum Plebano, Senatori-
„ bus, Senioribuſque Civitatis Cadanæ per Epiſtolas amicitiam opportune
„ contraxit; eoſque ut Vicarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ, veluti
„ Religionis benemeritos, gratia filiationis, & ſuffragiorum ſpiritualium,
„ cujus authenticum & originale in Archivo Provinciæ Boemiæ ſervatur,
„ Dat in *Brix* die feſto ſancti Georgii martyris mccccLii. ſibi & Religioni
„ adſtrinxit: ſubinde fertur acceſſiſſe Cadanam Boemiæ Civitatem, & fon-
„ tem benedixiſſe, qui etiamnum ibi in Conventu viſitur: verumtamen
„ locum Sanctorum quatuordecim Auxiliatorum extra Civitatis mœnia
„ nonniſi hoc anno ipſo die Paſchatis per P. fratrem Paulum de Moravia
„ Vicarium Provinciæ & Concionatorem Apoſtolicum, cum aſſenſu Six-
„ ti IV. & Ladislai Boemiæ Regis, pro Fratribus de Obſervantia acceptum
„ fuiſſe habetur, qui ſuo tempore communibus Civium eleemoſynis in hu-
„ mile Cœnobium crevit, ut Monumenta illius Provinciæ narrant: at de
„ Conventu ſanctæ Barbaræ apud Oppolium Civitatem Ducalem prope
„ Oderam fluvium, verſus Poloniam, Diœceſis Wratislavienſis, ex litte-
„ ris Illuſtriſſimi Bernardi Ducis Oppolii ad ſanctum Joannem de Capi-
„ ſtrano agens Waddingus, ejus fundationem rejicit in annum mccccLv.
„ Veruntamen, ut enarrat in ſuis Chronicis Religionis R. P. *Sannig* Pro-
„ vinciæ Boemiæ pluribus nominibus clarus, huic anno ejuſdem præfati
„ Cœnobii conſtructio attribuenda eſt; etenim, ait, venerabilis P. Jacobus
„ de Glogovia majori exiſtens Guardianus Wratislaviæ, de mandato ſui
„ P. Vicarii Provincialis, ad crebram inſtantiam Illuſtriſſimi Ducis Nico-
„ lai, ejuſque Conthoralis, Dominica v. poſt Paſcha, an. mccccLxxiii.
„ extra Civitatem Oppolium ſuſcepit locum pro ſtabiliendo ibidem domi-
„ cilio Regulari Obſervantiæ noſtrorum, quod memoratus Dux ſuis ſum-
„ ptibus deinde conſtruxit. * Huic novæ Coloniæ fortiter ſe ſe oppoſuit
„ quidam Magiſter Thomas Curatus Eccleſiæ Parochialis & Collegiatæ: ſed
„ ejus oppoſitiones eliſæ fuerunt interventione Reverendiſſimi Domini
„ Epiſcopi Wratislavienſis & repentina morte dicti Magiſtri, ex levi cica-
„ trice in pede cauſata; ita citatus *Sannig*. Hæc circa mihi dicendum vi-
„ detur, Capiſtranum quidem oblatum locum ab Illuſtriſſimo Bernardo
„ Oppolii Duce acceptaſſe anno mccccLv. etenim legitime poterat; cum
„ ſub an. mccccLiii. a Nicolao V. facultatem haberet recipiendi plures
„ Conventus in variis Provinciis, ut notavit Waddingus: ſed poſt annos
„ decem & octo Nicolaum itidem Ducem, ſive ejus filium, vel nepotem,
„ conceptam ſuorum majorum pietatem exequutioni demandaſſe.

Monum. MSS. Provin. Reform. Boemiæ.

Vide Harold. ad an. 1455. n. 22.

Chron. MSS. P. Sani Prov. Ref. Boemiæ.

Wadd. ad ann. 1455. fol. 35. ſub Nicolao V.

** Num quæ de hoc Conventu refert P. Meliſſanus ſubſiſtat, perpende lector ex ipſa epiſtola quã Bernardus Oppolia Dux ſcribit S. Joanni de Capiſtrano, quam habes tom. 12. ſub an. 1455. n. 101.*

A R-

ARGUMENTUM.

Multa glorioſe peragit Sixtus Pontifex; ſed vehementer triſtatur morte fratris Petri Riarii Cardinalis ſui nepotis. Per hujus obitum fit Protector Ordinis Julianus Ruvereus Cardinalis. Jacobus Picenus ſuadet Hungariæ Regi bellum contra Turcas. Moritur Barnabas Interamnenſis. Florent viri docti. Pacificandis Sodalibus, aliiſque Religionibus contra adverſarios muniendis, unam & alteram diffuſam edit Pontifex conſtitutionem. Creat Epiſcopos. Propagatur Religio.

I. SIXTUS Pontifex multa hoc anno peragit memoranda. Marcum Barbum Venetum, Patriarcham Aquilejenſem, tituli ſancti Marci Cardinalem, e legatione Germanica, Polonica, Boemica, Hungarica revertentem, in pleno Senatu honoriſice excepit, longam diuturnæ peregrinationis ſeriem enarrantem patienter audivit, atque ob res bene geſtas, gratiis & honoribus affecit. Veneti ut Claſſem contra Turcas educerent, effecit, Hungari Regis, & Uſun-Caſſani Perſarum Principis Oratores in ſpem bonam erexit magna contra Turcarum Imperatorem moliendi, decretis in belli ſumptus Matthiæ Hungariæ Regi pecuniis, & Perſæ promiſſo aut permiſſo Trapezuntii Imperio. Caſtellæ & Aragoniæ Reges diro bello acriter diſſidentes, Cardinalis Seguntini Archiepiſcopi Toletani, aliorumque uſus opera dextere compoſuit. Percuſſo fœdere cum Ferdinando Neapolitano Rege, & Galeatio Mediolanenſi Duce, ut Regulos Italiæ bonis Eccleſiæ incubantes comprimeret, Fridericum Feltrium, Urbinatem Regulum, Joannis Pontificii Nepotis ſocerum, S. R. E. Vexilliferum, & Urbini Ducem declaravit. Annum ſalutarem, quem Jubilæi vocant, ad vigeſimum quintum contractum, in pervigilio Nativitatis Dominicæ auſpicatus eſt ſolemni cæremonia, toto anno ſequenti continuandum. Multi annonam abundantiſſime coacervarunt lucri gratia in annum ſequentem MCCCCLXXV. qui erat Jubilœi; decepti tamen fuere, quod bellis in Gallia, Burgundia, Germania, Hungaria, Polonia & Hiſpania ſævientibus, rariſſimi in Urbem acceſſerunt. Jubilæi annus MCCCCL. Nicolai V. initio abundantiſſimus, in fine indigentiſſimus; contra Sixti IV. cara annona initio, propter bella autem & raritatem ventitantium in fine fertiliſſimus fuit.

Sixtus Pont. res magnas aggreditur. Panvin. in ejus vita. Ciacon. in Sixto.

II. Grave tamen in ipſo limine hujus anni, III. ſcilicet Nonas Januarii, vulnus Sixtus accepit funeſta & inſperata morte Petri Riarii Cardinalis Nepotis, ſibi cariſſimi, penes quem non tam Vicaria, quam plena regendi poteſtas reſidebat. Eſt qui ſcribat, veneno ſublatum ab iis, qui Sixto conſultum volebant, nec amplius tolerare poterant vaniſſimi adoleſcentis effrænem ambitionem eo uſque aſcendentem, ut per fas aut nefas ſublato e medio Sixto ſuo patruo, & dignitatis auctore, ad ſummum Pontificatum aſpiraret. Huc tendere ſuſpicati ſunt legationem ad Venetos & Galeatium Mediolanenſem Ducem ſuſceptam, dum, celerrimi curſoris more, per omnes Principes Italiæ circuibat, quorum conciliatis animis, ambitioſus juvenis facilem ſibi ſomniabat ad Pontificatum acceſſum. Alii voluptatibus confectum, & luxu tabidum in ætatis flore emarcuiſſe conſpirant. Tantam certe ſibi aſſumpſit vivendi licentiam, ut nihil genio, nihil gulæ aut ſenſibus denegarit; nihil corpori non indulſerit, nihil pauperis Monachi, aut vitæ religioſæ retinuerit. Mira referunt de illius pompa, magnificentia, apparatu, aulæis, curribus, equis, aulicis & familia, quæ profanum potius

Moritur Frat. Petrus Riarius Cardinalis. Brut. lib. 5. hiſtor. Florent. Marian. lib. 5. c. 31. §. 16. Ciacon. in Sixto. Qualis fuerit.

Principem, aut potentiſſimum Regem, quam Eccleſiaſticum Prælatum, aut Monachum deceant mendicum. Ædes habebat regio apparatu inſtructas, aureis & argenteis vaſis, omnique ornatus genere ditiſſimas. Emit Immolam, & Comitatum octuaginta aureorum millibus, deditque Hieronymo fratri germano, necnon cantharos argenteos viginti quinque, quos in uſum fœminarum conflari curavit. Perdendæ pecuniæ natus videbatur: ducenta aureorum millia in victu abſumpſiſſe, ſexaginta duo millia æris alieni contraxiſſe, argenti cælati ccc. pondo reliquiſſe narratur. Qui ſub illud tempus ſcripſerunt, non indigne prorſus in eum calamos acuerunt, aliqui rem magnificarunt. Cardinalis Papienſis diffuſe ſatis & eloquenter convivium ſplendidiſſimum Oratoribus Gallis exhibitum deſcripſit, *quo*, inquit, *ſolemnius aliquid vetuſtas tota, nec gentilitas quidem unquam audivit*. At ille ſolemnius aliud appoſuit Leonoræ Ferdinandi Regis filiæ, Herculi Ateſtino Ferrarienſium Principi deſponſatæ: *Exceſſit*, inquit idem auctor, *non modo credendi fidem, ſed facultatem narrandi*. Ut quid vero hæc omnia vanitatis prodigia profuerunt, quæ cito evanuerunt, & mortem luctuoſam non retardarunt, ſed accelerarunt? Multis præmiſſis contritionis indiciis, deceſſit anno ætatis xxviii., ſepultus ad ſanctorum Apoſtolorum, in ſacello Riario. Sixtus ſepulcrum poſuit, & iſtud Epitaphium.

Papien. ep. 542.

Petro Saonenſi ex gente Riaria, nobili ac vetuſta, ex Ordine Minorum Card. ſancti Sixti. Patriarchæ Conſtantinop. Archiep. Florentino, Peruſii Umbriæque Legato. Sixtus IV. Pont. Max. Nepoti B. M. P. vixit annis xxviii. *menſ.* viii. d. vi. *gratia, liberalitate, ac animi magnitudine inſigni, totius Italiæ legationibus perfunctus, moritur, magno de ſe in tam florida ætate deſiderio relicto, quippe qui majora mente conceperat, & pollicebatur, ut ædes miro ſumptu apud Apoſtolos inchoatæ oſtendunt.* mcdlxxiv.

III. Sixtus præ teneritudine amoris ſe continere non potuit, quin ad ſepulcrum, adhibitis luctuoſis veſtibus trecentis, die ſancti Antonii Abbatis accederet, & ſuper defuncto unice dilecto ploraret, & molliter nimis filiolum, & ſpem ſuam inclamaret. Negari non poteſt juvenem gnaviter & animoſe ſeni adlaboraſſe, maximam in ſe oneris partem ſuſcepiſſe, & gravia negotia adeo dextere peregiſſe, ut ferme otiari, & nihil egiſſe videretur. Rerum humanarum inconſtantiam, & infelicem hujus magnanimi juvenis occaſum, ſi quis pia conſideratione velit temperare, Epiſtolam pando Celſi Veronenſis Canonici Regularis, tunc Bononia ad Cardinalem Papienſem exaratam. Qui legerit, non pigebit.

Cardinali Papienſi S.

Habetur inter Epiſtolas Papien. 589.

IV. *Ex litteris Benedicti Maffæi, Nepotis mei, cognovi id quod etiam ſine litteris intelligebam, & ſtudium erga me tuum, & judicium de me ſingulare. Doleo profecto, neque me parem pro tuis in me meritis gratiam referre poſſe, neque ea in me eſſe, quæ opinioni tuæ, judicioque reſpondeant. Te enim ſemper laudis dignitatiſque meæ cupidum novi, itidem ego ego ubique locorum & gentium de tua excellenti virtute & gloria, cujus rei habeo locupletiſſimos teſtes. Sed de his alias. Quid autem, Reverendiſſime Domine, in hac tam miſera & fallaci vita admodum cupere debeamus, non ſatis intelligo. Quid vera timendum ſit, plane cognoſco. Quotidie nova oboriun-*

riuntur exempla, quibus inſtruimur, nihil eſſe hac vita miſerius. Nam cum nuper de obitu Cardinalis ſancti Xiſti & multorum litteris & nunciis accepiſſem, cœpi mecum agitare variam rerum humanarum ſortem, mirabilemque ſimul ac miſerabilem hominis conditionem fuiſſe cognovi. Nam qui paulo ante in vita feliciſſimus omnium putabatur, in morte omnium miſerrimus apparuit, quando ea, quæ viventi gloriam & ſplendorem attulerant, morienti pœnam ac cruciatum inferrent, & ea, quæ ante, dum poſſiderentur, jucunda & dulcia eſſe videbantur, eadem, dum relinquerentur, triſtia & amara eſſe putantur. Quid enim hoc biennio huic quod optaret, aut viventi defuit, aut morienti profuit? Hei miſeram nimis hominis conditionem, dum ea, quæ in vita tanto labore parantur ad voluptatem, in morte tanto dolore relinquuntur ad pœnam! Et quæ prius longis erant quæſita vigiliis, ut eſſent oblectamento, brevi tempore magno ſunt amiſſa tormento. Nihil huic homini adjumenti dignitas, nihil ſplendor, nihil aurum, nihil argentum, nihil vaſa pretioſa, nihil opes, nil nitor gemmarum, nil favor auræ popularis, nil turba clientum, nil denique Principatus tanto præſidio ſtudioque vallatus prorſus attulit ad ſalutem: ſed e contrario, cum corpus ſævis doloribus cruciatum torqueretur, hæc omnia, quoniam relinquenda erant, animum quoque diris & cruentis morſibus lacerabant, ut mihi profecto fortunatiſſimi eſſe videantur, qui vel nullam cum rebus tam cito perituris ſortem acceperunt, vel acceptam virtute ipſa contemptam penitus abjecerunt. Sic enim fit, ut animus noſter, & adhuc in corpore poſitus, nullis rerum præſentium delinitus illecebris, rerum æternarum cogitatione paſcatur, & dum migrat a corpore, nullis vinculis irretitus, aut ſordibus inquinatus, liber ac mundus evolet in ſuperna, & nullo dolore relinquat, quod miro ardore contempſit. At me quidem jam pridem totum in hanc cogitationem erectum, cum varii rerum humanarum multiplicesque caſus tum viri, de quo dico, tam repentini tamque inſperati eventus, ſubitæque procellæ confirmarunt. Quid enim? Floruit hic paucis diebus, pluſque mea ſententia aſſecutus eſt, quam vel ulli ſperare, aut ei fas eſſet optare; quandoquidem ex loco tam humili, tamque abjecto, ad tam excellentis gloriæ culmen, altitudinemque potentiæ evectus eſt. Et ecce mi Pater ac Domine, dum huic ad vota ſuccedunt omnia, parum dico, imo dum vota ſucceſſu rerum ſuperantur; dum nihil optat, quod non ſperet; dum nihil ſperat, quod non quærat; nihil quærat, quod non aſſequatur; dum ei cuncta arrident, in ipſo primordio juventæ, in media florentis gloriæ curſu, ſubita atque inſperata morte corripitur. O fluxam rerum humanarum labilemque naturam! O fallacem vitæ ſpem! O miſeram conditionem! Quid eſt, quod animos noſtros excitet, aut alliciat ad hanc rerum tranſeuntium, & tam cito labentis vitæ gloriam appetendam, cum vel res nobis, vel nos rebus tam inopinato eventu, tamque ſubito caſu ſubſtrahimur? Igitur, humaniſſime Princeps, ab his rebus, quæ tam cito pereunt, meus avocandus eſt animus, atque illic ſpes mea cogitatioque locanda, ubi vita perpetua, ubi pax æterna, ubi immortalis beatitudo, ubi ſempiterna felicitas, ubi Deus noſter eſt premium, ac vita & merces noſtra magna nimis. Hæc tuæ Reverendiſſimæ D. ſcripſi &c. ex Bononia XII. *Kal. Februarii* MCCCCLXXIV.

V. Per obitum Petri, tranſlata eſt Protectio Ordinis Minorum in Julianum de Ruvere de Abizzola, tituli ſancti Petri ad Vincula Cardinalem, Sixti ex fratre nepotem, quem ipſe ſecum ſemper aluit in Conventibus Religionis, & dum Miniſter eſſet Generalis, collocavit in Cœnobio Peruſino, ut ea in urbe ſtuderet. Triginta tribus annis Protectorem egit Ordinis, donec ad ſummum Pontificatum ſub nomine Julii II. evectus eſt.

Julianus de Ruvere Protector Ordinis. *Marian. lib. 5. c. 37.*

Fr. Julianus Volaterranus.

Perquam carum habuit fratrem Julianum Volaterranum, provinciæ Tuſciæ Magiſtrum, Sixti Pontificis olim dilectum diſcipulum, qui eidem ſuggeſſit ut Julianum hunc ſimul cum fratre Petro purpura donaret. Beneficium compenſavit Julianus ſua apud Sixtum opera interpoſita, ut ad Archiepiſcopatum Raguſinum eveheretur; & prorſus Cardinalem renunciaret, quando Pontificatum obtinuit, niſi nimia ſenectute gravatum, & lumine captum conſpexiſſet.

Beatus Jacobus Picenus hortatur Hungariæ Regē ad bellum contra Turcas.

VI. Beatus Jacobus Picenus, inſtigante Pontifice, ab urbe Neapolitana, ubi Ferdinando Regi gratiſſimus continuas habebat conciones, ad Matthiam Hungariæ Regem, ſibi olim, antequam ad Regnum aſſumeretur, valde familiarem, & poſt adeptum Regni diadema ſupra modum addictiſſimum, graviſſimam ſcripſit epiſtolam exhortatoriam ad bellum ſociale contra Turcas ſuſcipiendum. Wratiſlaviæ in Sileſia Regi traditam, Gabriel Veronenſis, Epiſcopus Albenſis Tranſilvanus, Regni Hungariæ Cancellarius, olim Capiſtrani, mox ipſius Jacobi in Germania ſocius, interpretatus eſt. Ita ipſe his litteris ſignificavit, quibus breviuſculum Regis ſubnectimus reſponſum.

Reverendo in Chriſto Patri fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia, Prædicatori celeberrimo, Patri Colendiſſimo.

Ex autographo. Epiſcopi Albenſis ad eumdem litteræ.

VII. R*Everende in Chriſto Pater, filiali commendatione præmiſſa. Quanta cum devotione & animi lætitia viderim litteras V. R. P. ad regiam Majeſtatem datas, quas & me exponente, magna cum animi voluptate, & etiam devotione audivit, exprimere litteris non poſſum; ſed quod V. R. P. mihi vel unam parvam litterulam non miſerit ingemiſco, timens ne exciderim a memoria & amore V. R. P. a quo, etſi indignus, ſocius Viennæ aſſumptus fui, & fuiſſe, dum vixero, gloriabor. Precor itaque V. R. P. ne me pauperem, & in hunc locum innocenter miſſum relinquere velit, ſed in ſuis ſanctis orationibus & frequentius commendatum habere, quo magis mari procelloſo expoſitus, præſidiis alienis ſuſtentari egeo. Sum, inquam, Pater mi, ventis terribilibus commiſſus, ſum undique agitatus, cui id ſolum refrigerii eſt, quod erga ſanctam familiam* * *jam idem animus, quem prius habui, mihi ſervatur; ut Angelos, Fratres cerno, non tantum quos mecum continuos habeo, ſed & quoſcumque alios; nec in vita eſt mihi quidquam refrigerii, niſi cum apud ipſos commorari poſſum, apud quos lumen vitæ ſuſcepi, quod ne extinguatur in me paupere, iterum iterumque ut Deum V. P. roget, humiliter peto, cui & me humiliter commendo, ex Wratislavia, 1. die Novembris, anno Domini* MCCCCLXXIV.

* ſc. Obſervantia.

Gabriel Epiſcopus Alben. Tranſilvanus, Regni Hungariæ Cancellarius &c.

Venerabili fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia devoto nobis ſincere dilecto &c. Matthias Dei gratia Rex Hungariæ, Boemiæ &c.

Ex autographo. Item Regis Hungariæ.

VIII. V*Enerande Pater, devote nobis, ſincere dilecte. Grata admodum nobis fuere, quæ V. P. meminit in litteris ſuis, gaviſique ſumus, intellexiſſe bonam ejuſdem P. V. valetudinem. Speramus, Deo cooperante, illud quod ad honorem ipſius, te exhortante, proponimus fauſtum, ad*

Re-

Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem futurum, quod ut ita fiat, rogamus P. V. ut pius interceſſor eſſe velit, ac nos cum Regnis noſtris in ſuis orationibus habere commendatos, quam bene valere ſemper optamus. Ex Civitate noſtra **Wratislavien.** *ultimo die Octobris, anno Domini* MCCCCLXXIV. *regnorum noſtrorum anno Hungariæ* XVII. *Boemiæ vero* VI.

IX. Hoc anno deceſſit in Cœnobiolo Carcerum in monte Subaſio, prope Aſſiſium, Barnabas Interamnenſis, vir venerabilis, qui litteris humanioribus ornatim excultus, in Philoſophia non mediocriter eruditus, & in Medicina Doctoris Lauream adeptus, humana cuncta caduca reputans, Deo inſervire conſtituit ſub Minorum Inſtituto. Theologiæ addiſcendæ poſtquam diligenter incubuit, prædicare cœpit eo fructu & populorum applauſu, ut ubique deſideraretur; ſed cum vehementi cruciaretur capitis dolore, conciones intermittere oportuit, totumque ſe orationi & contemplationi cœleſtium addixit. His aſſidue intentus, ſingulis noctibus per duas vel tres horas, antequam pulſaretur ad Matutinum, in oratione perſeverabat, brevique tempore levavit ſe ſupra ſe, perfectum contemplationis ſtatum aſſecutus. Hinc vehementer indoluit, & de Superioribus conqueſtus eſt beatus Jacobus Picenus, quod Præfecturis frequenter addixerint, cui Dominus tantam ſolitariæ & contemplativæ vitæ gratiam indulſit. Etenim propter ejus humanitatem, morum ſuavitatem, in regimine prudentiam, continuo vel Guardiani munus ſubibat, vel Definitoris, aut Provinciæ Rectoris ſeu Vicarii dignitatem præferebat. In hoc poſtremo officio conſtitutus, ut ipſi aliqua daretur requies, & ne alii perpetua munerum ſucceſſione premerentur, legem ferri curavit, ut officio functis unus ſaltem annus vacationis præſcriberetur.

Moritur Barnabas Interamnen. *Marian. lib.* 5. c. 40. §. 17. *Marc.* 3. *p. lib.* 5. c. 58.

Ejus virtutes & vita.

Sæpe ad Ordinis dignitates aſſumptus.

X. Regularis Obſervantiæ Inſtitutum conſilio, doctrina, & raro vitæ exemplo plurimum promovit. Suum corpus rigide affligens, aliis ſe mitiſſimum exhibuit, atque omnibus omnia factus, caritatem in univerſos homines exercuit, erga infirmos potiſſimum officioſus. Chriſti paſſionem ſemper mente verſabat, & crucifixi Domini dolor ſæpe lacrymas abundanter expreſſit. Exitus ſui diem præ oculis habebat, nullumque ei frequentius, quam de morte colloquium. Senio confectus, tria a Deo inſtanter petebat, ne ſcilicet in prælatione moreretur, ne diuturna aut conſociis moleſta infirmitate gravaretur, & tertio, ut corporis exuvias deponeret in Cœnobiolo montis Subaſii. In omnibus his exauditus eſt; nam ab officiis vacans, dum ad Primam pſalleret in choro, ægrotare cœpit, atque in cellam ductus, hora ſexta in Domino requievit. In Eccleſiæ pavimento lapideo cum excavari ſepultura non poſſet, a parte extera prope murum Templi, collacrymantibus Fratribus, ſepultus eſt. Eo in loco civis Peruſinus, Barnabæ familiaris, ſacellum extruxit, ubi & corpus colitur religioſe.

Tria ante mortem petit, & cõſequitur.

XI. Inſigne illud opus per univerſas Italiæ urbes receptiſſimum, quo pauperum ſubvenitur indigentiis per mutuatas ex monte Pietatis pecunias, primus omnium iſte excogitavit. Cum enim Peruſii ſub Pii II. Pontificatum prædicaret, videretque omnem pauperum ſubſtantiam per Judæorum intolerabiles uſuras exhauriri, remedium adinvenit, ut ex cumulo pecuniæ pie collecto, exinde *Mons pietatis* nuncupato, mutuum præſtaretur egenis, accepto pignore, & denariolo vel ſumma aliqua per ſingulos menſes detentæ pecuniæ, convertendis in ſtipendium Miniſtrorum, qui pio huic operi inſerviunt, aliarumque expenſarum levamen. Adinventionis conſilium iniit cum Fortunato de Copolis Peruſino, viro doctiſſimo, Juris Cæſarei olim Doctore celeberrimo, qui paulo antea, defuncta uxore, ad Re-

Primus inventor Montis Pietatis.

Fr. Fortunatus de Copolis.

Religionem tranſierat; ille vero rem inſolitam diligenter expendens, poſt maturam difficultatis diſcuſſionem, ſtatuit opus eſſe pium & laudabile, ab omni uſuræ labe alienum. Ne vero errare contingeret, tutius dixit Academiæ Magiſtris dubium exhibere. Atqui hi omnes, nemine dempto, cogitatum approbarunt. Cœpit itaque Barnabas ea in urbe Hebræorum deteſtari inſatiabilem cupiditatem, & uſurarios condemnare contractus, per quos, veluti ſanguiſugæ, totum pauperum Chriſtianorum ſanguinem ac facultatem exſugebant: mox pios viros & locupletes cives exhortatus eſt, ut collatis eleemoſynis, cumulum ſeu montem erigerent, perpetuo conſervandum, ex quo miſeriis pauperum ſublevandis pecuniæ erogarentur, in eumdem montem iterum congerendæ. Peruſinorum pietati non fuit opus hnc miſericordiæ genus & ſacrum pauperum levamen diu inculcare; ad primam enim concionem ita liberaliter & prompte ſuas facultates cives congeſſerunt, ut montem, eumque omnium primum, illic erexerit.

Obſtant aliqui Montiũ erectioni.

XII. Sed, uti aſſolet, res hæc nova viſa eſt, ſtatimque ſuos habuit contradictores non paucos, præſertim ex Ordine Prædicatorum, qui contractum judicantes uſurarium, vehementer obſtiterunt. Re ad publicam concertationem coram magiſtris & Scholaſticis Univerſitatis, coram Prioribus Civitatis, coram Clero & religioſis Ordinibus deducta, acriter diſputatum eſt. Sed tamdem lata pro Minoribus (quorum præcipui defenſores erant Barnabas & Fortunatus) ſententia, confeſtim cives, præmiſſa ſolemni ſupplicatione, & pingui oblatione, opus ſtabilierunt, & exercendo Miniſtros præfecerunt. Elapſo anno, detractis expenſis & Miniſtrorum ſtipendiis, tot ſuperfuerunt pecuniæ, ut iterum diſcutiendum fuerit, in quos uſus deberent converti. Ea tamdem fuit opinio cujuſdam Doctoris, viri eruditiſſimi, & propter doctrinæ excellentiam, *Doctor Veridicus* appellati, ut nulla præcedente cum Miniſtris pactione circa ſtipendia, illud anni reſiduum inter illos diſtribueretur. Ita illic tunc factum, ſed aliis in locis, pro perſonarum diſcrimine rerumque exigentia, aliter excreſcentes pecuniæ diſtrahuntur.

Sed fruſtra.

XIII. Ad inſtar hujus Montis Peruſini cœperunt alii multis iu urbibus Italiæ ſalubriter inſtitui, ſed ubique contradictum; eo vero proceſſit contentio, ut ſermonibus publicis, & conſcriptis libris fuerit reſpondendum, & demum decretis Apoſtolicis controverſia decernenda. Præter alios, prolixum tractatum ſub Alexandro VI. anno MCCCCXCVIII. edidit Caetanus, adhuc Monachus ad ſanctum Apollinarem in urbe Ticinenſi, qui inter ejus opuſcula, atque inter tractatus juris circumfertur, quo ultra principalem ſortem, denarii ſolutionem acriter condemnat, & uſurariam appellat. Scripſit in eum aliquanto vehementius Bernardinus de Buſtis Mediolanenſis, dedicato tractatu Bernardino Carvagialio, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbytero Cardinali, Alexandri Pontificis a latere Legato. Et quidem pauci aut nulli Caetani & conſodalis Soti adſtipulantur opinioni: qui de hac re ſcribunt, in adverſam abeunt ſententiam. Neque id mirum; cum tot Pontifices peculiarium montium erectiones ſuis litteris confirmaverint. Montem Urbis Veteris Pius II. anno MCCCCLXIV. Peruſinum Paulus II. anno MCCCCLXVII. Viterbienſem Sixtus IV. an. MCCCCLXXII. Savonenſem anno MCCCCLXXIX. Mantnanum Innocentius VIII. anno MCCCCLXXXVI. Cæſenatem anno MCCCCLXXXVIII. Parmenſem eodem anno. Patavinum Alexander VI. MCCCCXCIII. & demum Leo X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ. x. pium hoc inventum bulla, quæ incipit: *Inter multiplices*, approbavit, & qui contrarium prædicaverint, Eccleſiaſticis afficit cen-

Vide Filiuc. tract.14. c.9.q.2. Bonacin. de contractib. diſp.3. q. 2. puncto 12.

cenſuris. A Barnaba inchoatum Inſtitutum, valde ubique promoverunt Minoritæ: in his præcipui Marcus Bononienſis, Michael a Carcano, Cherubinus Spoletanus, Jacobus de Marchia, Antonius Vercellenſis, Angelus a Clavaſio, Bernardinus Feltrenſis.

Præcipui promotores Montium Pietatis.

XIV. Floruerunt hoc tempore in Gallia quatuor viri, religione & doctrina conſpicui, per Italiam ſub Bernardini Senenſis & Joannis Capiſtrani diſciplina inſtructi, in patriam regreſſi, multos ad pietatem erudierunt. Guillelmus Abrincus in inferiori Neuſtria natus, Joannes Filleti) fortaſſis Joannes Vayleti, quem Inquiſitorem ſcripſimus Avenionenſem) Nicolaus Amantis, Joannes Gualterius, de quibus, etſi apud Firmamentum Trium Ordinum honorifica mentio habeatur, non eſt qui amplius quidquam recenſeat. Occurrit hoc anno memoria Mariani de Bon Raguſæi, ſacræ Theologiæ profeſſoris in Univerſitate Pariſienſi, quem Pontifex in ſuum admiſit Capellanum, multiſque affecit privilegiis. Alia conceſſit fratri Antonio de Medicis Florentino, viro docto & nobili, quem ad Epiſcopatum aſſumpſit Marſicanum. Ad hunc annum abſolvit ſuam hiſtoriam ſub titulo *Speculi Ordinis*, quam *Franciſchinam* communiter nuncupant, Jacobus Oddo Peruſinus, qui plano & ſincero ſtylo ſub duodecim capitibus ſeu titulis vitas & acta præcipuorum Ordinis virorum, virtute, doctrina, dignitate uſque ad ſua tempora illuſtrium, rudi ſermone Italico perſtrinxit. Pauca reperiuntur hujus libri exemplaria; unum habetur ad ſanctæ Mariæ de Angelis Aſſiſii, quod legunt Fratres inter reficiendum, aliud ego accepi ex Conventu Montis Peruſini.

Firmam. Trium Ordinum ſub 37. General.
Marc. citat. c. 37.
Fr. Guillelmus Abrincus.
Fr. Joannes Vayleti.
Fr. Nicolaus Amantis.
Fr. Joannes Gualterius.
Fr. Marianus de Bon.
Fr. Antonius de Medicis.
Fr. Jacobus Oddo auctor Franciſchinæ.

XV. In ea urbe Peruſii ut hoc anno prædicaret frater Fortunatus, de quo ſæpe locuti ſumus, juſſit per Breve peculiare Pontifex, motus repetitis precibus Magiſtratus & populi, qui hujus ſui concivis inſigni doctrina cupierat erudiri. Sed dum conciones Quadrageſimales exorditur, pro gravi aliquo negotio Romam evocatur per has litteras Pontificias.

FortunatusPeruſinus Romam evocatur.

Dilecto filio Fortunato de Peruſio, Ordinis Minorum de Obſervantia.

DIlecte fili, ſalutem &c. Non libenter a tam ſancto prædicandi opere te retrahimus; tamen, quia pro re non levi tua nobis præſentia opus eſt, mandamus tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, ut viſis præſentibus, te ad iter accingas, & continuato itinere, ad nos venias, Superioris tui ſuper hoc licentia minime requiſita. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die v. Martii MCCCCLXXIV. *Pontificatus noſtri anno* III.

Ex originali.

XVI. Sixtus Pontifex per ſequentem conſtitutionem conſultum voluit omnibus quatuor Ordinum Mendicantium Conventualium (hæc enim ſciſſura ſeu differentia Conventualium & Obſervantum ſub hoc tempus ad alias ſe diffudit Religiones) domibus, & prælatis, inhibendo Laicis omnibus, ne domos ipſorum invaderent, eis legata retinerent, lites aut diſcordias contra eos excitarent, aut alia inferrent gravamina, vel in odium ipſorum, aut favorem Obſervantum.

Sixtus prohibet inferri Conventualibus gravamina.

Ad perpetuam rei memoriam.

DUm ſingulos Regulares Ordines, & loca ſanctimoniæ dedita, illorumque perſonas paterno conſpicimus intuitu, ad eas præcipue noſtræ dirigimus conſiderationis affectum, quæ mundanis abdicatis illecebris, ſpiritum paupertatis aſſumentes, eleemoſynarum eis erogandarum quæſtu potius,

Ex autographo.

quam copiis divitiarum victam quærentes, jugiter præſtant Domino famulatum, ſuiſque vitæ ſanctimonia & ſalubribus prædicationibus populum Dei ad bene devoteque vivendum inducunt, illoſque, prout ex injuncto nobis cælitus ſervitutis officio congruit, ab omni conamur vexatione tueri, ut noſtri miniſterii præſidio, eorum ſtatus proſperetur ubilibet, & perſonæ ipſæ, propulſis, quibus obrui poſſint, diſpendiis, felicis ſtatus ejuſdem ſuſcipiant incrementa. Sane dudum, cum in minoribus conſtituti, in Ordine Fratrum Minorum Generalis Miniſtri fungeremur officio, intelleximus, & poſt noſtram ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptionem, dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & B. Mariæ de Monte Carmeli Ordinum Generalium Magiſtri, Miniſtri & Priorum, qui pro tempore fuerunt, & aliorum dictorum Ordinum profeſſorum relatione, non ſine querela accepimus, quod Laici in diverſis mundi partibus conſtituti, propriis incumbentes affectibus, dum Magiſter, Miniſter, Priores, & ipſi tam Generales, quam Provinciales, & domorum eorumdem Ordinum Cuſtodes, Guardiani & Fr. Conventuales nuncupati, dictarumque domorum jura proſequuntur, ac pecunias & bona ad licitos uſus eorumdem Fratrum, pia Chriſtifidelium largitione eis pro eorum domibus & Ordinibus relicta ſeu legata, aut alias debita, ab eiſdem Laicis exigere curant, aut ipſarum domorum bona præfatis Laicis pro eorum beneplacito & voluntate concedere, ſeu civiles Laicorum eorumdem diſſenſiones, particulares diſcordias, & rationes ſequi, vel alias in iis, quæ Laici ipſi a Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Guardianis, & Fratribus memoratis licite poſtulant, eiſdem Laicis complacere recuſant, ac ipſi alias, dum Laici Magiſtrum, Miniſtros, Priores, Cuſtodes, Guardianos & Fratres aliis variis plerumque occaſionibus, ea, qua debent, affectione non proſequuntur, ut ſe de eiſdem Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Cuſtodibus, Guardianis & Fratribus Conventualibus nuncupatis valeant vendicare, aut occupatorum per ipſos laicos bonorum ad domos eorumdem Fratrum pertinentium reſtitutionem differre, & ſi domus ipſæ ad Fratres dictorum Ordinum, de Obſervantia nuncupatos, proveniant, bona illorum eis accommoda emere, & pro minori pretio quam valeant, habere poſſint, exquiſitis mediis curant, quod domus ipſæ Ordinum eorumdem per dictos Fratres Conventuales longo tempore poſſeſſæ & inhabitatæ, Fratribus de Obſervantia, vel alio nomine nuncupatis, eorumdem Ordinum, concedantur, novas gabellas & onera, a quibus Fratres ipſi exempti ſunt, ab eis exigere; varia gravamina eis inferre, & alias injurias irrogare præſumant, ex quo plurima eiſdem Fratribus Conventualibus incommoda proveniunt: nam metu moleſtiarum hujuſmodi, quas eis inferri formidant, exigendo & proſequendo domorum ſuarum jura, timidiores redduntur, & eoſdem laicos vereri ultra quam decet, & a libere prædicando, quod illos tangit, abſtinere, & illis, ultra quam ipſorum qualitas exigat, & Ordinum prædictorum utilitas perſuadeat, differre coguntur inviti, non abſque divinæ Majeſtatis offenſa, & Ordinum eorumdem gravi præjudicio & jactura, adeo ut per incommoda prædicta etiam aliqui dictorum Ordinum profeſſores nonnumquam domos deſerant, & ad alios non Mendicantium Ordines ſe transferant, tales moleſtias evitare curantes, aliqui vero, qui Ordines ipſos ingrederentur, ab ingrediendo abſtinere cernantur, quod in eorumdem Ordinum perniciem paulatim cedere manifeſte dignoſcitur. Nos igitur, qui, dum Generalis Miniſtri dicto fungeremur officio, pro quiete univerſorum profeſſorum dicti Ordinis Fratrum Minorum tam Conventualium, quam de Obſervantia ſeu bulla, aut alias juxta diverſarum regionum conſuetudinem nuncupatorum, procuravimus, quod felicis recordationis Paulus Pa-

Papa II. prædeceſſor noſter, ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis tunc expreſſis inhiberet univerſis Fratribus prædictis, ne prædicti Fratres, de Obſervantia nuncupati domos eorumdem Fratrum Conventualium Ordinis Fratrum Minorum, aut illas pro eorum habitatione quærere vel recipere, aut quod Monaſteria Monialium curæ eorumdem Fratrum Conventualium commiſſa, ipſorum Fratrum de Obſervantia curæ committerentur, etiam quærere præſumerent, prout in ejuſdem prædeceſſoris litteris deſuper confectis plenius continetur; tot malis, quot Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum ſanctæ Mariæ, Ordinum Mendicantium profeſſores prædicti Conventuales nuncupati, quorum ſcientia & doctrina militans Eccleſia continua ſuſcepit incrementa, ex præmiſſis patiuntur, prout tenemur, obviare cupientes, motu proprio, non ad prædictorum Magiſtri, Miniſtri, Priorum, Cuſtodum, Guardianorum & Fratrum Conventualium, vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione & certa ſcientia, litteras prædeceſſoris hujuſmodi ratas habentes, & innovantes, omnibus & ſingulis clericis & religioſis, de bulla, vel alias de Obſervantia nuncupatis, Ordinum quorumcumque, ac laicis utriuſque ſexus, cujuſcumque dignitatis, gradus, Ordinis vel conditionis fuerint, etiam ſi Marchionali, Ducali, Comitali, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, & alia quacumque Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate & auctoritate, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, eo ipſo toties, quoties illos contra facere contigerit, incurrenda, ne quod domus & loca profeſſorum dictorum Ordinum Conventualium nuncupatorum, aut Monaſteria Monialium eorum curæ commiſſa, aliis Fratribus, Monialibus ſeu Sororibus, etiam ejuſdem Ordinis, quovis nomine nuncupatis, quomodolibet concedantur, aut quod amotis exinde Fratribus & Sororibus illos & illa inhabitantibus, reformentur, & alii Fratres aliæve Moniales ſeu Sorores, eorum loco ſubrogentur & ſubſtituantur ibidem, ſeu quod Monaſteria prædicta aliorum curæ committantur, procurare, quærere aut tentare, niſi apud Magiſtrum, Miniſtros & Priores Generales, vel Provinciales dictorum Ordinum pro tempore exiſtentes, qui teneantur & debeant, quoties opportunum fuerit, & poſtquam fuerint requiſiti, infra annum domos ipſas debite reformare, & quæ correctione & emendatione indigebunt, corrigere & emendare, nec ad effectum hujuſmodi amotionis eorum a domibus ſuis eiſdem Fratribus Conventualibus, & eorum curæ commiſſis Monialibus injurias aut gravamina aliqua inferre, ſeu ab eiſdem Fratribus, pro rebus & bonis, quæ habent, & negotiationis cauſa non deferrent, pedagia, guidagia, gabellas, aut alia, quovis nomine nuncupata, nova onera petere, exigere vel levare quoquo modo præſumant, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore diſtrictius inhibemus: & volumus, & motu ac ſcientia prædictis ſtatuimus & ordinamus, quod ipſi Fratres Conventuales ac ſorores, & alii quicumque reformationibus, quas fieri continget per Generales aut Provinciales prædictos, acquieſcere, illaſque obſervare omnino teneantur & debeant; quodque laici prædicti in faciendis reformationibus prædictis aliiſque, ut præfertur, nullatenus ſe intromittant, aut ne faciant, opponant vel contradicant, neque poſtquam ſunt factæ reformationes, ut alterentur vel mutentur, aut in eis aliquid ultra addatur, quærere audeant, ſub eadem excommunicationis ſententia, ſi contra faciant, eo ipſo ex tunc incurrenda: decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis etiam Apoſtolica auctoritate, ſcienter vel ignoranter, harum non inſerto tenore, contigerit attentari. Et nihilominus præſentibus & futuris pro tempore di-

dictorum Ordinum Protectoribus, omnibuſque & ſingulis Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis in dignitate conſtitutis, necnon Eccleſiarum Cathedralium etiam Metropolitanorum Canonicis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & quilibet eorum per ſe vel per alium ſeu alios reſpective, dictis Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Cuſtodibus, Guardianis & Fratribus Conventualibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ac præmiſſa omnia & ſingula, ubi & quando expedire cognoverint, fuerintque deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, non permittant eos, vel eorum aliquem contra præſentium tenorem, per quoſcumque quomodolibet inquietari ſeu moleſtari, ac illos omnes & ſingulos, quos eis hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurriſſe conſtiterit, quoties ſuper hoc pro parte aliquorum ex Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Cuſtodibus & Fratribus prædictis Conventualibus fuerint requiſiti, in Eccleſiis & aliis locis, ubi eis videbitur, excommunicatos publice denuncient, faciantque ab aliis denunciari, & arctius ab omnibus evitari, donec, prævia debita ſatisfactione, meruerint ab eadem excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium obtinere; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: non obſtantibus privilegiis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus: quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio præſentibus habenda foret, tenore præſentium, quoad præmiſſa, ſimili ſcientia derogamus, & illa pro inſertis haberi volumus, contrariis quibuſcumque: aut ſi perſonis, aut Fratribus prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Poſtremo, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingulas Provincias originaliter deſtinore, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod tranſumptis earum, manu Notarii publici, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, aut alicujus Epiſcopalis vel Archiepiſcopalis ſigillo munitis ea prorſus in judicio & extra, ubicumque exhibita vel oſtenſa fuerint, fides adhibeatur, ac ſi propriæ originales litteræ exhibitæ forent vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innovationis, inhibitionis, ſtatuti, ordinationis, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIV. V. *Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno* IV.

Multa & magna concedit Pontifex privilegia Minoritis.

XVII. Religioſæ educationis, & beneficiorum in Ordine Minorum gratam oſtenſurus memoriam, multa voluit Fratribus a ſe conceſſa, & confirmata omnino per ſuos prædeceſſores data privilegia. Ampliſſimum itaque edidit diploma, aliorum Pontificum litteras complectens, quibus pleraque adjunxit indulta. A multitudine & qualitate privilegiorum, *Mare magnum* communiter hæc appellatur conſtitutio, Ordinariis Eccleſiarum Prælatis, & Parochis ſatis inviſa. Totam exſcribo.

Ad

Ad futuram rei memoriam.

REgimini Univerſalis Eccleſiæ, meritis licet inſufficientibus, diſponente Domino, præſidentes, curis perurgemur aſſiduis, ut juxta creditæ nobis deſuper diſpenſationis officium, quieti ſubditorum quorumlibet, præſertim ſub religionis habitu ſtudio vacantium piæ vitæ, in quorum utique proſperitate reficimur, jugi, quantum nobis ab alto conceditur, ſollicitudinis ſtudio intendamus; & ut ea, quæ pro Divini cultus & Religionis incremento, animarumque ſalute, a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus provide facta ſunt, ſublatis ambiguitatibus, quæ exinde emerſiſſe noſcuntur, in ſua integritate perſiſtant, noſtri miniſterii partes interponimus efficaces. Dudum ſiquidem a ſel. recor. Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro litteræ emanarunt, tenoris ſubſequentis. Specul. Ord. Minor. tract. 2. fol. 59.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet debitum paſtoralis officii omnibus regularem vitam profeſſis, ut in ſuis conſerventur privilegiis, nos reddat favorabiles & benignos, ad ſacrum tamen Ordinem Fratrum Minorum, quorum præclara Religio, veluti ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum, ad laudem Dei, & fidei incrementum ſemper attulit & affert quotidie verbo & exemplo in populo Chriſtiano, dirigentes præcipue velut pius Pater oculos mentis noſtræ, dignum cenſemus & debitum, ut ipſum Ordinem, ejuſque in odorem ſuavitatis Altiſſimo deſervientes perſonas, in ſuis privilegiis, præſertim per Romanos Pontifices conceſſis, debite conſervemus, ac illa, ne de illorum robore ullatenus hæſitari valeat, Apoſtolicæ confirmationis munimine roboremus. Hinc eſt quod nos dilectorum filiorum Guillelmi de Caſali, Generalis Miniſtri Ordinis & Fratrum prædictorum ſupplicationibus inclinati, litteras quaſdam ſel. record. Clementis Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, dicto Ordini conceſſas, quarum tenorem de verbó ad verbum inſerius deſcribi fecimus, ac omnia & ſingula in eis contenta, pro ipſarum ſubſiſtentia firmiori, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor vero prædictarum litterarum ſequitur & eſt talis.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem &c. Virtute conſpicuos ſacri veſtri Ordinis profeſſores, qui contemplationi cœleſtium ferventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicæ circumſpectionis auxilium ſic provide dirigi & ſollicite confoveri, ut alicujus prætextu calumniæ, nullum internæ pacis excidium, nullumque religioſi ſtatus perferant detrimentum, ſicque in his robur & vigorem habeant, per quæ circa cultum Divini nominis devotis & quietis mentibus invaleſcant. Hinc eſt quod cum, ſicut nobis exponi curaſti, tu fili Generalis Miniſter & prædeceſſores tui, juxta ejuſdem Ordinis conſuetudinem obſervatam hactenus, & a Sede Apoſtolica toleratam, ſtatim poſtquam electi ſecundum prædicti Ordinis Regulam, & conſtitutiones Ordinis extitiſtis, Fratrum ipſius curam geſſeritis, Miniſterii officium plene ac libere in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis devote & humiliter obediverint, & intenderint reverenter; & in eadem Regula ſit expreſſum, ut Generalis Miniſter, qui pro tempore fuerit, a Miniſterii officio amoveri valeat a Provincialibus miniſtris & Cuſtodibus in Generali Capitulo congregatis: Nos volentes ambiguitatis ſcrupulum in Clemens IV.

hac parte de veſtris cordibus amputare, ac Ordinem ipſum a Sede Apoſtolica approbatum, religioſa honeſtate floridum, præclarum ſcientia, & virtute fœcundum, privilegio Apoſtolicæ gratiæ attollere ſingulari, veſtris

Concedit ut Miniſter Generalis ſtatim poſt electionem, regimen aſſumat.

ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtræ, ut ſucceſſores tui, fili Generalis Miniſter, qui erunt pro tempore, ſtatim poſtquam electi ſecundum Regulam & conſtitutiones fuerint ſupradictas,eo ipſo veri ejuſdem Ordinis Generales Miniſtri effecti, curam animarum Fratrum ipſius Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipſoſque Fratres auctoritate propria ligare ac ſolvere, necnon in eodem Ordine illa agere valeant, quæ ipſi Miniſtri & Definitores ad hoc electi, juxta prædictas conſtitutiones, eiſdem Ordini &

Et ab officio ubi expedierit, abſolvatur.

Fratribus ſecundum Deum viderint expedire, aliaſque poſſint officium Miniſterii licite in omnibus exercere, iidemque Fratres tibi Generali Miniſtro & ſucceſſoribus ipſis devote ac humiliter obediant & intendant, & præfati ſucceſſores, & tu Generalis Miniſter a Provincialibus Miniſtris & Cuſtodibus, ſecundum Regulam & conſtitutiones ipſius Ordinis, abſolvi & amoveri poſſitis, auctoritate Apoſtolica indulgemus: ratum habentes & firmum quidquid ſuper præmiſſis per te Generalis Miniſter, dictoſque prædeceſſores Fratres & Definitores factum & obſervatum eſt hactenus, conceſſa tibi exequendi officium Miniſterii,,quoad præmiſſa omnia & alia, libera facultate.

Electoribus non præſcribitur tempus ad comitia veniendi limitatum.

In electionibus quoque Generalis & Provincialium Miniſtrorum ipſius Ordinis, Fratribus, qui debent electionem hujuſmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire, tempus ſuper hoc a jure ſtatutum non currat, nec ipſi in hac parte juris hujuſmodi regulis coarctentur.

Cuſtodes & Guardiani quocúque modo inſtituti habeantur pro veris prælatis.

Cuſtodes vero & Guardiani, qui ſecundum ſtatuta ejuſdem Ordinis, aliter quam per electionem inſtituuntur, poſt ipſam inſtitutionem ſeu proviſionem de ipſis factam, curam animarum Fratrum ſibi ſubditorum ipſius Ordinis habeant, ipſoſque ligare ac ſolvere poſſint, juxta ipſius Ordinis inſtituta.

Lectores Theologiæ libere poſſint inſtitui.

Fratres autem de Ordine veſtro, quos ſecundum conſtitutiones ipſius Ordinis Conventibus veſtris deputandos duxeritis in lectores, ſine cujuſcumque alterius licentia, libere in domibus prædicti Ordinis legere ac docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget ſtudium Generale, ac etiam quilibet in facultate ipſa docturus ſolemniter incipere conſuevit.

Reg. c. 9.
Et Prædicatores.

Et quia, prohibente Regula veſtra, nulli Fratrum veſtrorum eſt licitum populo prædicare, niſi a Generali Miniſtro veſtri Ordinis examinatus & approbatus fuerit, & ſibi officium prædicationis ab ipſo conceſſum; Nos prædictorum Fratrum laboribus & periculoſis diſcurſibus evitandis, necnon ut animarum ſalus poſſit inde facilius provenire, ſuper prohibitione hujuſmodi opportune proviſionis remedium apponentes, ut ſinguli Provinciales Miniſtri in ſuis Provinciis cum Definitoribus in Provincialibus Capitulis congregati, Fratres in ſacra pagina eruditos examinare ac approbare, & eis officium prædicationis, Deum habendo præ oculis, committere valeant, ſicut ex forma Regulæ Miniſter poterat Generalis, plenam, auctoritate præſentium, concedimus facultatem.

Et ordinandos quibuſcumque Epiſcopis præſentare poſſint Miniſtri.

Et quia ejuſdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipſius Ordinis ſæpius tranſmittuntur, propter quod ſtabilem & perpetuam in certis & determinatis ejuſdem Ordinis domibus non faciunt manſionem, quia etiam bonos & idoneos, ac approbatos a vobis Fratres facitis ad Ordines promoveri; liceat vobis ordinandos Fratres ejuſdem Ordinis quibuſcumque malueritis Catholicis Antiſtitibus, communionem & gratiam Apoſtolicæ Sedis habentibus præſentare, ipſiſque Pontificibus præſentatos a vobis Fratres, ſine qualibet examinatione per eoſdem Pontifices facienda, & abſque omni promiſſione vel obligatione ipſo-

Habere itẽ Oratoria.

ipſorum ordinandorum Fratrum, ad Ordines promovere. In locis quoque, in quibus degetis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari portatili poſſitis Miſſarum ſolemnia, & alia Divina officia celebrare, ac etiam

Et celebrare tẽpore Interdicti.

Eccleſiaſtica recipere Sacramenta. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, in Eccleſiis & Oratoriis veſtris ac aliis quibuſcumque, cum ad loca perveneritis Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, clauſis januis, interdictis & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce vobis liceat celebrare Divina, & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta; dummodo cauſam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis ſpecialiter interdici, neque Eccleſiæ & Oratoria eadem fuerint ſpecialiter interdicta.

Servis Fratrum Sacramenta miniſtrare.

His vero, qui in veſtris immorantur obſequiis, cuncta libere miniſtrare poſſitis Eccleſiaſtica Sacramenta, & ipſos, cum decedunt, in veſtris cœmeteriis ſepelire. Si quando in terras, in quibus reſidetis, vel earum perſonas excommunicationis ſeu interdicti ſententias contigerit promulgari, pueri veſtris ſervitiis deputati, negotiorum quoque veſtrorum procuratores, &

Qui etiam a cenſuris latis ſunt immunes.

operarii, qui in veſtris locis eorum operibus perſonaliter continue inſtiterint, hujuſmodi ſententiæ obnoxii minime habeantur, ibique poſſint audire Divina, juxta formam, quæ ipſis locis in eo caſu a Sede Apoſtolica eſt conceſſa, niſi iidem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter ſeu interdici contigerit eoſdem.

Liceat Fratribus in excommunicatorum terris morari.

Et quia vos extremam patientes pro Chriſti nomine paupertatem, exhortationis pio ſtudio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis ſemitam laudabiliter revocatis, concedimus, ut in excommunicatorum terris libere commorari, & ab eis tunc, & etiam quando per ipſas vos tranſire contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere ac recipere valeatis.

Et ſuper gravibus exceſſibus a ſuis ſuperioribus abſolvi.

Generales quoque & ſinguli Provinciales Miniſtri & eorum Vicarii, ac etiam Cuſtodes in Provinciis & Cuſtodiis ſibi commiſſis prædictis Fratribus conſtitutis ibidem, necnon & Fratribus aliis ejuſdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus undecumque, abſolutione & diſpenſatione indigentibus, ſive priuſquam intraverint Ordinem, ſive poſt in caſibus exceſſerint, pro quibus excommunicationis vel interdicti, aut ſuſpenſionis incurrant ſententias, a jure vel judice generaliter promulgatas, & hujuſmodi ſententiis innodati, aut in locis ſuppoſitis Eccleſiaſtico interdicto Divina officia celebrantes, vel ſuſcipientes Ordines ſic legati, notam irregularitatis incurrunt, abſolutionis & diſpenſationis beneficium valeant impertiri, niſi adeo fuerit gravis & enormis exceſſus, quod ſint ad eamdem Sedem merito deſtinandi.

Et Superiores a confeſſorib. aliis electis.

Fratres etiam veſtri, quos pro tempore vos Generalis & Provinciales Miniſtri, necnon & vices veſtras gerentes, ac etiam Cuſtodes in proprios habueritis confeſſores, abſolutionis & diſpenſationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impertiri, juxta formam conceſſionis ſuper abſolutione & diſpenſatione Fratrum ejuſdem Ordinis ſuperius vobis factæ.

Et habitum ſuſcipientes abſolvi a Prelatis majoribus.

Ad hæc, volentibus veſtro aggregari Collegio, qui ſuſpenſionis vel interdicti vel excommunicationis ſententiis, a jure vel judice promulgatis generaliter, ſunt ligati, abſolutionis beneficium, obſervata forma canonica impertiri, ipſoſque in Fratres recipere, ac eos qui poſt aſſumptum habitum vel profeſſionem emiſſam recoluerint ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententiis innodatos, ſecundum formam ipſam, vos Generalis & Provincialis Miniſtri, & præfati Cuſtodes, ac vices veſtras gerentes valeatis abſolvere, & cum irregulari diſpenſare, ſi forſan talibus innodati ſententiis, vel in locis interdicto ſuppoſitis, Divina præſumpſerint officia celebrare, vel Ordines recipere; ita tamen, quod ſi aliqui ex hujuſmodi eiſdem ſententiis propter debitum ſint adſtricti, ſatisfaciant, ut tenentur. Volumus autem

nihi-

nihilominus, quod poſtquam fuerint abſoluti, hujuſmodi volentes aggregari Collegio ſupradicto, niſi mox Ordinem intraverint, etiamſi ſuper hoc induciæ eis a Prælatis ejuſdem Ordinis concedantur, eo ipſo in priſtinas ſententias, a quibus eos totaliter abſolvi contigerit, relabantur. Ceterum veſtra diſcretio caute provideat, ut Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum, & Ordinariorum locorum in abſolutionibus hujuſmodi ſcandalum evitetur. Porro quieti veſtræ providere volentes, quod per litteras Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum, ſeu delegatorum ipſius conveniri a quoquam minime valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non poſſitis inviti per litteras ipſius Sedis de cetero impetrandas. Quodque nullus veſtrum correctionis ſeu viſitationis vel inquiſitionis officium Monaſteriis vel Eccleſiis, ſeu quibuſcumque perſonis impendere, vel ad cognitiones cauſarum, citationes partium & denunciationes ſententiarum interdicti & excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, ſeu Religioſarum quarumlibet perſonarum teneatur per Apoſtolicas litteras impetratas & impetrandas in poſterum, niſi hujuſmodi Apoſtolicæ litteræ de hoc indulto & Ordine veſtro expreſſam fecerint mentionem, auctoritate vobis Apoſtolica indulgemus. Concedimus etiam, ut ad viſitandum aliqua Monaſteria Monialium cujuſcumque Ordinis, vel ad audiendum confeſſiones earum compelli aliquatenus non poſſitis, nec ad recipiendum commiſſiones cauſarum, ſeu ſententiarum executiones, vel alia contingentia cauſas ipſas per litteras præfatæ Sedis, in quibus non facta fuerit de indulgentia hujuſmodi mentio ſpecialis, ſive per legatos vel delegatos ipſius, vel etiam per quoſcumque. Nullus inſuper Archiepiſcopus vel Epiſcopus, nulluſque alius Prælatus Eccleſiaſticus, nec eorum Vicarii vel Officiales ad portandum ſeu deferendum litteras, vel exequendum vel denunciandum ſententias contra Principes ſeculares, Communitates, populos, ſeu quoſcumque benefactores veſtros; nulluſque delegatus vel ordinarius judex ad faciendum citationes, vel commiſſiones recipiendas, ſive quod ſint in cauſis aliquibus aſſeſſores, ſeu ad lites & controverſias contingentia in cauſis, quæ coram ipſis tractantur, quempiam veſtrum compellere valeant ſine prædictæ Sedis mandato vel licentia ſpeciali, expreſſam faciente de hac indulgentia mentionem; nec quiſquam veſtrum parere vel intendere teneatur ſuper his monitionibus, mandatis aut juſſionibus eorumdem, aut facere vel implere, quod in hac parte duxerint injungendum. Ceterum Generalis & Provinciales Miniſtri, & ipſorum Vicarii illos ex Fratribus, de quibus, auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum ipſius, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac aliis quibuſcumque proviſum extitit, vel in poſterum contigerit provideri, corrigere, ac etiam, non obſtante contradictione aliqua, poſſint ad ſuum Ordinem revocare, nec per litteras ejuſdem Sedis aut Legatorum ipſius jam obtentas, vel de cetero obtinendas, aliquos de Fratribus ipſius Ordinis præfatis Archiepiſcopis & Epiſcopis aut aliis teneantur in ſocios deputare, niſi dictæ litteræ obtinendæ de indulto hujuſmodi, & Ordine ipſo expreſſam fecerint mentionem, & alias id honeſtati Ordinis, & illorum ſaluti viderint expedire. Nullus autem Legatus, niſi de latere noſtro miſſus, auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ ſpecialem de hoc indulto & Ordine veſtro non facientium mentionem, nulluſque Prælatus, nec aliqua perſona religioſa vel ſecularis de hujuſmodi Fratribus ad ſua vel alterius negotia procuranda, vel ad ſecum manendum aliquem aſſumere valeat, niſi quos Generalis vel Provincialis Miniſter ipſorum tamquam idoneos & diſcretos ſibi duxerit aſſignandos,

Quod Fratres nõ poſſint a quoquã conveniri, aut ad alia oneroſa compelli.

Superiores majores poſſint corrigere & revocare Fratres Epiſcoporũ ſocios.

dos, quos etiam ſubjacere volumus Ordinis diſciplinæ. Illos vero ipſius Ordinis Fratres, qui ad prædicandum crucem, vel inquirendum contra pravitatem hæreticam, ſeu ad alia hujuſmodi negotia ſunt vel fuerint a Sede Apoſtolica deputati, tu fili Generalis Miniſter, tuique ſucceſſores removere ſeu revocare, & penitus transferre, ipſiſque quod ſuperſedeant injungere, alioſque ſubſtituere, cum expedire videritis, licite ac libere valeatis, & in eos, ſi contravenerint, cenſuram Eccleſiaſticam exercere; ac quilibet Miniſter Provincialis, vel ejus Vicarius ejuſdem Ordinis, idipſum in ſua Provincia circa Fratres ipſius Ordinis quibus ab eadem Sede ſimilia committi contigerit, etiam illa committi facere poſſit, non obſtantibus aliquibus litteris vel indulgentiis Apoſtolicis impetratis, vel etiam in poſterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem. Inhibemus quoque, ne quis poſt profeſſionem in Ordine veſtro factam, ſine Generalis vel Provincialis ſui licentia diſcedat ab ipſo; diſcedentes vero abſque cautione litterarum alterius ipſorum, prætextu alicujus privilegii Apoſtolicæ Sedis, nullus audeat retinere, quod ſi forte retinere præſumpſerit, vobis, Generalis & Provinciales Miniſtri dumtaxat licitum ſit, in ipſos diſcedentes Fratres ſententiam excommunicationis promulgare. Si vero aliqui de Fratribus veſtri Ordinis poſt obtentam licentiam a Sede prædicta, aut a vobis ad Religionem aliam transeundi, infra duos vel tres menſes, ſe ad illam Religionem ſuæ ſaluti congruam non contulerint, & ipſius non ſuſceperint habitum Regularem, licitum ſit vobis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac vices veſtras gerentibus contra ipſos, tamquam contra alios Ordinis veſtri apoſtatas procedere, ſecundum quod honeſtati ipſius Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui poſt ſuſceptionem habitus alterius Religionis, infra tempus probationis, in illa profeſſione facta, inde præſumpſerint reſilire. Apoſtatas quoque veſtri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & alias ſubdere diſciplinæ rigori poſſitis per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu eos contigerit inveniri, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Inhibemus etiam ne Fratres quos ab Ordine veſtro pro ſuis culpis per Generalem ſeu Provinciales Miniſtros aut Cuſtodes expelli contigerit, vel qui egreſſi fuerint proprio ſuo motu, prædicare, confeſſiones audire ſeu docere præſumant, niſi ad alium Ordinem, in quo licite exercentur hujuſmodi officia, tranſierint de veſtra vel dictorum Miniſtrorum licentia ſpeciali. Quod ſi forte ipſi contra hujuſmodi inhibitionem veſtram aliquid ſuper præmiſſis temere attentare præſumpſerint, Miniſtri ac Cuſtodes, & eorum Vicarii, in illos, quos infra fines ſuarum Provinciarum & Cuſtodiarum, juxta conſuetudinem Ordinis veſtri præſcriptos, invenerint talia præſumentes, monitione præmiſſa, anctoritate noſtra excommunicationis ſententiam valeant promulgare. Ejectos autem de Ordine veſtro vel egreſſos, qui a receptione in eodem Ordine ſuis culpis exigentibus reddiderint ſe indignos, & alios Fratres ejuſdem Ordinis ex rationabili cauſa ad quoſcumque Ordines approbatos, præterquam ad beati Auguſtini, Templariorum, Hoſpitalariorum, & aliorum religioſorum arma portantium, ad vitandam occaſionem evagandi, Generalis & Provinciales Miniſtri, cum ſuis teſtimonialibus litteris, auctoritate noſtra, licentiandi liberam habeant facultatem. Nos enim diſtrictius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter tranſire, vel aliqui eos recipere ſeu retinere præſumant, abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, faciente de hoc plenariam mentionem. Inhibemus etiam ut nulli, ſive ſit in Religionis Ordine, ſive extra Ordinem conſtitutus, habitum aut ita con-

Necnon Crucis Prædicatores & Inquiſitores.

Nullus poſt profeſſionem ab Ordine reſiliat neque ab aliis excipiatur.

Dimiſſi ad alias Religiones tranſeant infra tres menſes.

Plena confertur auctoritas Apoſtatas corrigēdi.

Expulſi honoribus & officiis privantur.

Miniſtri poſſint illis licentiā dare ad alias Religiones tranſeundi.

Nulli liceat habitum Ordinis Minorum aut ei ſimilem portare.

conſimilem, quod propter eum Frater Minor credi poſſit, deferre liceat abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali: & ut dicta inhibitio majorem conſequatur effectum, ſtatuimus, ut ii, qui habitum veſtrum, vel ſibi prædicto modo conſimilem deferre præſumpſerint, ad deponendum ipſum per diœceſanos locorum, cum a vobis requiſiti fuerint, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellantur. Ceterum cum humilitas veſtra ſibi de latitudine Orbis terræ nihil præter domos & hortos cum virgultis, præmiorum obtentu cœleſtium, duxerit reſervandum; Nos pie volentes, quod illorum fructus integre veſtræ paupertatis uſibus applicentur, ut de dictis hortis & virgultis veſtris nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate præſentium indulgemus, diſtrictius inhibentes, ne quis a vobis de præmiſſis aliquid exigere vel extorquere præſumat. Quia vero nonnulli veſtræ Religionis habitum aſſumentes, diverſis perſonis, quæ ſciri & inveniri non poſſunt, interdum aliqua bona reſtituere tenentur, vobis Miniſtris & Cuſtodibus, ac Vicariis prædictis concedimus, ut ſinguli veſtrum in locis ſibi commiſſis, bona ipſa in pios uſus convertere valeant, prout ſecundum Deum viderint expedire. Sepulturam quoque in Eccleſiis veſtris concedimus, & eam liberam eſſe cenſemus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi excommunicati aut interdicti, aut publice uſurarii fuerint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia Eccleſiarum illarum, a quibus corpora mortuorum aſſumuntur; diſtrictius inhibentes, ut nulli Religioſi vel ſeculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in veſtris cœmeteriis ſepelire, aut in Eccleſiis veſtris Miſſarum ſolemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca veſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare ſine veſtro aſſenſu & voluntate præſumant. Inhibemus inſuper univerſis Fratribus veſtri Ordinis, ne aliquis eorum, niſi neceſſitatis urgente articulo, alii quam Prælatis ſuis peccata ſua confiteri præſumat, vel aliis ejuſdem Ordinis ſacerdotibus ſecundum Regulam & ipſius Ordinis Inſtituta. Univerſis autem Eccleſiarum Prælatis & aliis inhibemus, ne confeſſiones veſtras, vobis invitis, audire, vel compellere vos ad Synodos ſeu convocationes ſuas accedere, vel cum eis extra Civitates vel intra proceſſionaliter exire; aut ſuis conſtitutionibus ſubjacere, vel Capitula, ſcrutinia, & inquiſitiones in locis veſtris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem juramento firmatam, & manualem obedientiam a Miniſtris, Cuſtodibus vel Guardianis veſtris exigere, aut de ipſorum inſtitutione vel deſtitutione, ſive de ſtatutis veſtri Ordinis, ſe aliquatenus intromittere, ſeu prohibere, ne ad Civitates vel villas, ubi religioſe & honeſte morari poſſitis, a populis evocati, audeatis accedere, ibique pro veſtris uſibus conſtruere ædificia ſeu Eccleſias aut Oratoria, aut in accedentes Fratres, ſeu in conſtruentes hujuſmodi, vel receptatores ipſorum, excommunicationis ſententias ferre præſumant. Concedimus quoque vobis de his, quæ in ornamentis, aut pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, aut aliis ad perpetuum cultum Divinum, ſeu pro pittantiis, aut victu ad ſuſtentationem veſtram, vel indumentis, necnon pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ domus veſtri Ordinis obligatæ noſcuntur, & de domibus, prædiis & hortis, aliiſque locis vobis ſecundum inſtituta veſtri Ordinis opportunis, aut de iis, quæ pro hujuſmodi domibus, prædiis, locis, & hortis emendis vobis legantur, dummodo præmiſſa non convertantur in uſus alios, ſed in illos duntaxat pro quibus relinquuntur, aut alios etiam qui in hac conceſſione vel indulgentia continentur, nulli canonicam juſti-

tiam,

Neque de hortis Fratrũ decimas exigere.

Liceat debita incertis creditoribus in pios uſus convertere.

Et liberam volentibus in Eccleſiis Minorum tradere ſepulturam.

Prohibetur Fratribus extra Religionem confiteri.

Eximuntur ab Ordinariorum mandatis.

Et a Canonica portione.

tiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere, & ne quis a vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium hæredibus de præmiſſis aliquid exigere vel extorquere præſumat, diſtrictius inhibemus.

Tranſeuntibus a veteribus ad nova Cœnobia, liceat ſua cuncta transferre.

Ad hæc liceat Fratribus veſtri Ordinis, cum de prioribus locis ſuis ad alia loca ſe transferunt, ædificia, ſeu omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt, dedicatis Eccleſiis dumtaxat exceptis, quam libros, calices & paramenta ſecum ad alia loca transferre, ac ædificia ipſa cum ſolo & aliis ad eadem loca pertinentibus, præter Eccleſias, per perſonas ad hoc a Sede Apoſtolica deputatas vendere, ipſorumque pretium in aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres ſe transferunt, ædificationem, ſeu alias in eorum utilitatem convertere, ſecundum quod eis melius videbitur expedire; cum ipſa priora & alia loca Fratrum ad nos & Sedem Apoſtolicam ſpecialiter & immediate pertinere noſcantur: Et ne aliqui Archiepiſcopi vel Epiſcopi, aut alii Eccleſiarum Prælati, ſeu quævis alia perſona Eccleſiaſtica vel ſecularis prædicta loca ſeu bona occupare, accipere vel uſurpare, aut quoquomodo ſibi vendicare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, diſtrictius inhibemus.

Liberantur a ſolutione ſubſidiorum quorumcumque.

Indulgentes vobis ut ad præſtationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nunciorum ipſius, ſeu diœceſanorum locorum, aut exactionum vel collectarum ſeu ſubſidiorum, vel proviſionum quorumcumque minime teneamini, nec ad ea ſolvenda per litteras dictæ Sedis, aut Legatorum vel Nunciorum ejuſdem, ſeu Rectorum terrarum Eccleſiæ Romanæ impetratas ſeu in poſterum impetrandas, cujuſcumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli poſſitis, niſi dictæ Sedis litteræ impetrandæ plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi & dicto Ordine fecerint mentionem.

Et a ſubjectione Ordinariorũ circa delicta & caſus reſervatos.

Ceterum, cum felicis recordationis Innocentius Papa prædeceſſor noſter, olim duxerit ſtatuendum, ut exempti gaudeant quacumque libertate, nihilominus tamen ratione delicti ſeu contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite poſſint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi, quoad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere, Nos vobis, ut occaſione conſtitutionis hujuſmodi, nullum libertatibus & immunitatibus, vobis & Ordini veſtro per privilegia & indulgentias ab Apoſtolica Sede conceſſis, præjudicium generetur, auctoritate præſentium indulgemus. Decernimus ergo irritum & inane quidquid contra tenorem conſtitutionum, conceſſionum & inhibitionum hujuſmodi per quoſcumque fuerit attentatum, & interdicti, ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conſtitutiones, conceſſiones & inhibitiones eaſdem in vos vel veſtrum aliquos, aut loca veſtra, ſeu benefactores veſtros vel executores aut hæredes prædictos in poſterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum conſtitutionum, conceſſionum & inhibitionum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIX. IV. Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno IX.

Sixtus IV. confirmat omnia privilegia Minoribus conceſſa.

Nos igitur, qui dicti Ordinis Fratrum Minorum, in quo Generalis Miniſtri fungebamur officio, dum ad Cardinalatus honorem aſſumpti fuimus, perſonarum ejus ſtatum proſperum & tranquillum, propter fructus quos Ordo ipſe, multa reſulgens gloria meritorum, & gratia redolens ſanctitatis, in agro Eccleſiæ militantis, in propagatione Religionis & fidei Orthodoxæ hactenus produxit utiliter & producit, ac in futurum etiam producturum ſpe firma tenemus, palmites ſuos a mari uſque ad mare, & etiam ad bar-

barbaras extendendo nationes, intenſis deſideramus affectibus, Clementis & Eugenii prædictorum, ac aliorum prædeceſſorum noſtrorum, qui Ordinem prædictum Fratrum Minorum aliis variis privilegiis non immerito decorarunt, veſtigiis inhærentes, motu proprio, non ad eorumdem dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum, vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate & deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, prædictas Clementis & alias quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum litteras, dicto Ordini Fratrum Minorum, & illius domibus, & profeſſoribus in genere, ſub quacumque forma verborum conceſſas, quas, ac ſi de verbo ad verbum una cum prædictis litteris Eugenii prædeceſſoris præfati præſentibus inſertæ forent, haberi volumus pro expreſſis, ac omnia & ſingula in illis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus; ac pro potiori cautela, omnia & ſingula per Clementem ac Eugenium alioſque prædeceſſores prædictos, in eiſdem litteris, pro & in favorem dicti Ordinis Fratrum Minorum quomodolibet ordinata, ſtatuta, decreta, conceſſa & indulta, fieri & ſervari deberi, auctoritate, motu & ſcientia prædictis, de novo ordinamus, ſtatuimus, atque decernimus, ac eidem Ordini Minorum, illiuſque domibus & profeſſoribus concedimus & indulgemus. Et quia, ſicut accepimus, noſque ipſi experientia didicimus in minoribus conſtituti, præfati Ordinis curam gerentes, circa litteras & privilegia hujuſmodi, nonnulla dubia poſtmodum ſunt exorta, habita ſuper illis conſultatione decenti, motu, auctoritate & ſcientia ſimilibus, litteras ejuſdem Clementis prædeceſſoris in ea parte, in qua concedit dicti Ordinis profeſſoribus, ut liceat eis in locis, in quibus degunt, habere Oratoria, & in eis cum Altari portatili, etiam tempore interdicti januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, Miſſarum ſolemnia & alia Divina officia celebrare, & quod eorum inſiſtentes obſequiis, cenſuris generaliter promulgatis non ligentur, cum contingat eos perſæpe requiri, ut etiam extra Oratoria ſuper hujuſmodi Altari portatili celebrent Divina officia, & ad illa interdicti tempore, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de pœnitentia nuncupati Fratres & Sorores, & ſuos & illorum procuratores admittant, extendentes concedimus eiſdem Fratribus, ut non ſolum in Oratoriis & locis, in quibus degunt, ſed etiam in quovis alio loco congruenti & honeſto poſſint ſuper Altari portatili hujuſmodi Miſſas & alia Divina Officia libere & licite celebrare, exceptis Eccleſiis ab Ordinarii juriſdictione non exemptis, quoties id eiſdem Fratribus per Ordinarios ex cauſa contigerit inhiberi, & ut liceat eis tempore interdicti, Fratres & Sorores dicti Tertii Ordinis beati Franciſci, de pœnitentia nuncupati, necnon ipſorum Fratrum Minorum, ac Fratrum & Sororum dicti Tertii Ordinis, & Monialium ſanctæ Claræ procuratores, & negotia gerentes utriuſque ſexus admittere ad Divina. Præterea, quia idem Clemens prædeceſſor in dictis ſuis litteris Generali & Provincialibus Miniſtris, & eorum Vicariis ac Cuſtodibus abſolvendi Fratres ejuſdem Ordinis, necnon Fratribus dicti Ordinis, quos ipſi Miniſtri, Vicarii & Cuſtodes habuerint pro tempore in confeſſores, abſolvendi ipſos Miniſtros, Vicarios & Cuſtodes ab exceſſibus & cenſuris, niſi talia perpetraſſent, propter quæ eſſent merito ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi, ac cum eis deſuper diſpenſandi facultatem concedit, & propterea qui ſint deſtinandi, perſæpe revocetur in dubium; ut abſolventium & abſolvendorum, diſpenſantium & diſpenſandorum pro tempore puritati conſcientiæ conſulamus, declaramus, hæreticos, relapſos, ſchiſmaticos, & qui litteras Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infide-

Declarat quædã dubia exorta circa conceſſiones Clementis & Eugenii IV.

les probibita detuliſſent, dumtaxat ad Sedem Apoſtolicam merito deſtinandos; reliquit vero omnibus, etiam Simoniæ pravitate qualitercumque irretitis, poſſe per illos, quibus inibi conceditur, abſolutionis & diſpenſationis beneficium & gratiam juxta caſuum exigentiam impertiri. Eam vero partem litterarum ejuſdem Clementis prædeceſſoris, in qua ſepulturam in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis liberam eſſe voluit, ſalva juſtitia Eccleſiarum, a quibus corpora mortuorum aſſumuntur, declarantes libertatem hujuſmodi intelligi debere, etiam quoad hoc, ut Fratres ipſi, nullius ſuper hoc petita licentia, parochias in quibus corpora prædicta forent, cum cruce proceſſionaliter ingredi, ac corpora ipſa levare, & ad eorum Eccleſias ſepelienda deferre poſſint, ubi hoc fieri conſuetum foret: vel ſi presbyteri de levatione requiſiti, id facere recuſarent, ne cogantur inviti, etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, ipſi vel defunctorum conſanguinei illa ad parochiales Eccleſias, aut alia loca deſerre, & cum illis vel ſine, inibi celebrare, vel celebrari facere pro eiſdem defunctis aliqua Divina officia ante vel poſt ſepulturam eorumdem. Juſtitiam autem Eccleſiarum, a quibus corpora ipſa ſumuntur, juxta ejuſdem Clementis prædeceſſoris voluntatem, ſalvam eſſe debere decernimus eo caſu, quo dumtaxat apud loca ipſorum Fratrum corpora ipſa ſepeliuntur; ſi vero non apud eos, ſed alios Mendicantium Ordinum profeſſores corpora ipſa contingeret ſepeliri, ex iis, quæ ad Fratres prædictos, apud quos tunc corpora ipſa non ſepelirentur, de bonis defunctorum quomodolibet obvenirent, quovis particulari vel univerſali titulo, directe vel per obliquum, nullam Canonicam aut parochialem portionem dare teneantur; nec ſimiliter aliqua portio debeatur de iis, quæ ad certos & determinatos uſus eiſdem Fratribus vel eorum domibus in genere vel in ſpecie, etiam de bonis eorum, quorum cadavera apud eos contigerit ſepeliri .... nec etiam in caſibus in quibus per ejuſdem Clementis, & aliorum prædeceſſorum noſtrorum ſpecialia privilegia Fratres ipſi ab hujuſmodi ſolutione quartæ ſunt exempti, nec aliquo caſu de candelis, quæ ad manus Fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In reliquis vero caſibus, quam in præmiſſis, in quibus quarta ipſo ſolvenda veniret, conventiones, ſi quæ ſint inter Fratres prædictos & locorum Ordinarios & aliorum Rectores initæ, laudabiles & honeſtæ in poſterum obſerventur. Etſi forte per nos vel Sedem Apoſtolicam de pie legatis, diſpoſitis & relictis in genere vel in ſpecie, decima vel alia portio ſeu quarta alteri piæ vel non piæ cauſæ, ex quavis cauſa hactenus conceſſa foret, aut in poſterum concedi & ſolvi aut dari mandari contingeret, Fratres prædictos & illorum domos, ac eis legata & relicta, aut alias in eorum favorem diſpoſita, in conceſſione & mandatis hujuſmodi decernimus & volumus non includi, niſi de ipſis & præſenti decreto, ac voluntate noſtra non per generales clauſulas, quæ etiam ſpecialem mentionem importare viderentur, ſed vera & ſpecifica mentio fiat in eiſdem. Indultum vero ejuſdem Clementis prædeceſſoris de decimis non ſolvendis, ad quæcumque bona dictorum Fratrum & quaſcumque decimas, etiam quas vulgus Papales appellat, & Apoſtolica Sedes pro Chriſtianæ fidei defenſione, aut aliis imminentibus perſæpe neceſſitatibus indicit, & quæcumque alia onera, motu & ſcientia prædictis extendimus: decernentes ipſos Fratres Minores, etiamſi per quoſcumque exemptos & Mendicantes ſolvi mandarentur, cum quibuſvis derogatoriis & fortioribus clauſulis, ad illarum ſolutionem non teneri, & ab illarum ſolutione ceſſando, cenſuras & pœnas aliquas non incurrere, niſi præſentibus, non per generales aut alias clauſulas ſpecialem mentionem importantes, ſed alias ſit derogatum, ſpecifice earum de verbo ad verbum inſerto tenore. Et ne prætextu conſtitutionis

Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Volentes, *locorum diœceſani & alii Ordinarii, & alii quicumque in perſonas aut loca Fratrum prædictorum contra ejuſdem Clementis prædeceſſoris in fine litterarum prædictarum ordinationem, ſibi quamcumque juriſdictionem aut ſuperioritatem vendicare præſumant; diſtrictius inhibemus, ne quiſpiam, abſque dictæ Sedis ſpeciali commiſſione aut auctoritate, in perſonas, domos & loca dicti Ordinis Fratrum Minorum, utpote prorſus exempta, aliquas excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias ſpecialiter & generaliter quomodolibet promulgare, aut in perſonas, domos & loca hujuſmodi aliquam præeminentiam, ſuperioritatem & juriſdictionem quomodolibet exercere præſumant, etiam ratione contractus, vel delicti ſeu rei de qua ageretur, ubicumque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipſa conſiſtat. Decernimus quoque ex nunc, quaslibet excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias, & quoſcumque proceſſus quaſvis pœnas & ſententias generales vel ſpeciales continentes, quos & quas promulgari vel haberi, & omnia, quæ contra Fratres, domos & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, utpote notoria, non aliter allegata, nullius roboris vel momenti eſſe, & pro infectis prorſus haberi debere. Præterea, quia parochialium Eccleſiarum Rectores præfati erga illos, qui dictis Fratribus Ordinis Minorum eorum peccata confitentur, perſæpe ſe reddunt in exhibitione Eucharistiæ & extremæ Unctionis difficiles, concedimus ipſis Fratribus Ordinis Minorum, ut eiſdem perſonis eis confeſſis, quibus Rectores præfati ſine rationabili cauſa denegaverint, ſeu malitioſe diſtulerint Eucharistiæ ſeu extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare, ſuper quo eorumdem Confeſſorum aſſertioni ſtare debeant, illa petentibus poſſint impune exhibere.*

Concedit facultatem miniſtrandi ſibi confeſſis Eucharistiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta.

Et cum aliquando contingat, Monaſteria Monialium ſanctæ Claræ & Minoriſſarum, ſeu ſancti Damiani nuncupatarum, Monialibus deſtitui, adeo ut de eorum reformatione ſpes nulla ſuperſit, convenientiuſque ſit, quod illorum ſic deſtitutorum bona ad ipſos Fratres deveniant, quorum erant curæ commiſſa, quam ad alios, illa quæ ſic deſtituta exiſtunt, & deſtitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis uſibus Fratrum domus dicti Ordinis Minorum, eiſdem deſtitutis Monaſteriis propinquioris applicamus, ita ut Fratres ipſi poſſint de illis & eorumdem Monaſteriorum ſtructuris & ædificiis pro eorum voluntate diſponere; proviſo quod illorum Eccleſiæ & Oratoria ad prophanos uſus non redigantur, ſed in illis quandoque Divina celebrentur officia.

Applicat Minoribus bona Monaſteriorum Monialibus deſtitutorum.

Inſuper, cum nonnulli ad Ordinem prædictum Fratrum Minorum ſpecialem gerentes devotionis affectum, ordinent eorum cadavera cum habitu Fratrum Minorum auc Sororum dicti Ordinis de Pœnitentia ſepeliri, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, Ordini & Fratribus prædictis injuriæ irrogentur, decernimus apud tales Fratres ipſos eſſe ſepeliendos, etiamſi alibi elegiſſent ſepulturam ſuam, nec poſſe etiam in loco per eos electo cum habitu quomodolibet ſepeliri, aut ad ſepeliendum portari, abſque Fratrum domus loci, in quo tales deceſſerint, expreſſa licentia & aſſenſu.

Decedentes cum habitu Minorum in illorum Eccleſiis ſepeliātur.

Ceterum ne, ſi ratione parochialium Eccleſiarum, apud quas domus eorumdem Fratrum conſtructæ fuere, aut conſtruentur in poſterum, locorum Ordinarii in eoſdem Fratres aliquam ſuperioritatem vendicare tentarent, Fratrum eorumdem quies in aliquo perturbaretur, concedimus eiſdem Fratribus, ut in ſic conceſſis, & quas eis concedi contigerit, curatis Eccleſiis poſſint per Capellanum per eos, pro eorum nutu ponendum & amovendum, curam hujuſmodi exercere: qui quamdiu Capellanatus hujuſmodi fungetur officio, ac ſi dicti Ordinis Minorum profeſſor exiſtat, dictorum Fratrum Minorum libertate & exem-

Parochiales Eccleſiæ Fratrum Minorum ab eis libere regantur.

Digitized by Google

exemptione fruatur; Eccleſiæ vero prædictæ & illorum bona illa, qua domus Fratrum dicti Ordinis prærogativa lætentur. Et ut dicti Ordinis profeſſoribus omnis vagandi tollatur occaſio, & ad Apoſtolicam Sedem recurrendi ſubtrabatur pro poſſe neceſſitas, Generali & Provincialibus Miniſtris dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicariis diſpenſandi cum dicti Ordinis Minorum profeſſoribus defectum natalium, ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario & illicito coitu proveniente, patientibus, necnon cum iis, qui ex quavis cauſa, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ & mutilationis membrorum, irregulares forent, poſtquam Ordinem ipſum profeſſi fuerint, ut, defectu & irregularitate hujuſmodi non obſtante, irregulares ipſi ad quoſcumque etiam ſacros Ordines promoveri, & in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & tam ipſi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti ad quaſcumque adminiſtrationes & officia dicti Ordinis eligi, recipi & aſſumi, illaque gerere & exercere libere & licite valeant, motu, ſcientia & auctoritate prædictis concedimus per præſentes.

Superioribus liceat diſpenſare circa defectus natalium.

Rurſus intelleximus, quod, etſi bonæ memoriæ Joannes Papa XXII. prædeceſſor noſter illorum opinionem, qui aſſerebant, quod confeſſi Fratribus prædicti Ordinis, & aliorum Ordinum Mendicantium, ad audiendas confeſſiones juxta juris diſpoſitionem deputatorum pro tempore, tenebantur eadem peccata Rectori eorum parochialis Eccleſiæ iterum confiteri, reprobaverit, & contra talia aſſerentes tamquam de hæreſi ſuſpectos, per locorum Ordinarios inquiri & procedi mandaverit, ac ſucceſſive piæ mem. Nicolaus PP. V. ſimiliter prædeceſſor noſter, geſta in præmiſſis ab eiſdem Joanne & Eugenio prædeceſſoribus, robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit; nihilominus adhuc nonnulli, eorum inhærentes proterviæ, opinionem prædictam, & deſuper factos damnatos, & male ſonantes, ac reprobos articulos veros eſſe affirmare non verentur; ut talium præſumptuoſa temeritas tanto minus invaleſcat, quanto plurium erit Superiorum correctioni ſubjecta, conceſſam contra tales per ejuſdem Eugenii prædeceſſoris litteras locorum Ordinariis facultatem, ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis extendimus, ac volumus, quod Inquiſitores ipſi quicumque fuerint, eadem, qua Ordinarii contra tales auctoritate fungantur.

Vide an. 1321. & c. 2. de hæret. inter extr. communes.

Quod confeſſi Minoribus non teneantur eadem peccata ſuis parochianis confiteri.

Poſtremo, cum Prædicatorum ſicut & prædicti Minorum Ordinum profeſſores pro fidei Catholicæ dilatatione continue indefeſſe laborent, fructuſque afferant in Dei Eccleſia ſalutares, & propterea fuerint variis per Sedem prædictam privilegiis decorati; ut quos pares labores, pariaque merita conjungunt, paria conjungant privilegia & favores, eiſdem Ordinis Minorum profeſſoribus, ut conceſſis Fratribus Prædicatoribus, & eiſdem Prædicatorum Ordinis Fratribus, ut præmiſſis aut aliis conceſſis prædictis Fratribus Minoribus privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus & indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus a prædictis & aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & aliis auctoritatem habentibus, quæ omnia, ac ſi nominatim exprimerentur, haberi volumus hic pro expreſſis, & noſtræ approbationis munimine ſolidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri & gaudere poſſint & debeant perpetuis futuris temporibus in omnibus & per omnia prorſus, & ſine ulla differentia, perinde, ac ſi quæ uni ex Ordinibus prædictis ſunt conceſſa, utrique ſimul nominatim conceſſa fuiſſent, aut concederentur in poſterum; & quæ de Magiſtro Generali & Provincialibus prioribus dicti Ordinis Prædicatorum, ac Monaſteriis Monialium ſub eorumdem Fratrum Prædicatorum cura, & ſecundum ipſius Ordinis Prædicatoram inſtituta viventium, ſunt ſtatuta, de Generali & Provincialibus Miniſtris & Vicariis dicti Ordinis Fratrum Minorum, & Monaſteriis Monialium dicti Or-

Communicantur invicem privilegia Minorum & Prædicatorum.

Ordinis ſanctæ Claræ & Minoriſſarum, & ſancti Damiani nuncupatarum, & e contra, cenſeantur eſſe ſtatuta: diſtrictius inhibentes eiſdem locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis a regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum ac parochialium Eccleſiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa & alia in poſterum obtinenda, pœnis, eo ipſo per eos, qui contra fecerint, incurrendis, ne Ordines prædictos Fratrum Prædicatorum & Minorum, & illorum domos & profeſſores præter aut contra prædictarum Clementis aut Eugenii prædictorum & aliorum quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum & præſentium litterarum noſtrarum tenorem inquietare ſeu moleſtare; & eos, aut teſtamentorum ultimarumque voluntatum executores, & hæredes prædictos, ſeu quoſcumque alios directe vel indirecte ad ſolutionem alicujus quartæ parochialis ſeu canonicæ, vel alterius portionis ſeu oneris, & ad faciendum celebrari aliquod officium in eorum Eccleſiis, vel alibi, dum apud ipſos Fratres decedentium cadavera tumulantur, ante vel poſt eorum ſepulturam cogere; nec confeſſis dictis Fratribus Prædicatoribus & Minoribus pro tempore, Euchariſtiæ ſeu extremæ Unctionis ſacramenta, ſine rationabili cauſa denegare, vel illorum exhibitionem malitioſe differre, aut eorum parochianis, ne dictis Fratribus confiteantur, prohibere vel perſuadere, nec etiam ad præmiſſa ſeu aliquod præmiſſorum auxilium, conſilium vel favorem dare directe vel indirecte quoquomodo præſumant. Et nihilominus cuilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonico per univerſum Orbem, qui deſuper per dictorum Ordinum Priores, aut Guardianos & Fratres, ac per illorum, ſeu ad commodum eorum, Romanæ Eccleſiæ Syndicos requiſitus fuerit, per Apoſtolica ſcripta inſolidum mandamus, quatenus per ſe vel alium ſeu alios præmiſſa, ubi & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, & eiſdem Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus, & illorum domibus ac profeſſoribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos pacifica poſſeſſione, vel quaſi, privilegiorum & conceſſionum hujuſmodi gaudere: Non permittentes eos, ſeu teſtamentorum Executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem, per Ordinarios & Rectores prædictos, aut quoſcumque alios indebite moleſtari, aut eis gravamina, injurias, atque damna inferri, ſeu quomodolibet irrogari: ac etiam ſummarie, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, contra quoſcumque, cujuſcumque qualitatis vel conditionis exiſtant, ac quacumque Eccleſiaſtica etiam Patriarchali, Archiepiſcopali & Epiſcopali vel mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuſcumque cauſis per eos movendis, quacumque ratione vel cauſa quæ excogitari poſſit, miniſtrent eis juſtitiæ complementum, exequendo, quod per eos fuerit ordinatum, & illos, quos cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe conſtiterit, illis irretitos eſſe declarent, & faciant & mandent interdictos, ſuſpenſos & excommunicatos publice nunciari, & ab omnibus arctius evitari, & legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent. Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus recol. mem. Bonifacii Papæ VIII. quibus cavetur ne quis extra ſuam Civitatem & diœceſim niſi in certis caſibus exceptis, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati, extra Civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis

in

in Concilio Generali, necnon quæ incipiunt: Super Cathedram *Bonifacii, &* Dudum *Viennenſis Concilii, ac recol. mem. Calixti Papæ III. etiam prædeceſſoris noſtri litteris, aliiſque Apoſtolicis, atque etiam provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus: Necnon & Octonis & Octoboni olim in regno Angliæ Apoſtolicæ Sedis Legatorum conſtitutionibus, Eccleſiarum quoque ac locorum quorumlibet ſtatutis & conſuetudinibus, & inter quoſcumque dictorum Ordinum Fratrum Prædicatorum & Minorum profeſſores, ac locorum Ordinarios, ſeu Rectores prædictos initis, & concluſis, ac hactenus obſervatis pactis & conventionibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; necnon omnibus & ſingulis, quæ Clemens & Eugenius præfati in prædictis eorum litteris voluerunt non obſtare, contrariis quibuſcumque: quibus omnibus illa, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, & derogatoriarum derogatorias clauſulas in ſe continerent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſſe derogamus. Aut ſi Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Rectoribus præfatis, ſeu quibuſvis aliis communiter vel diviſim, a Sede præfata indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut ultra vel extra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus earum & conceſſa eis juriſdictionis executio impediri poſſet, quomodolibet vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis: Nos enim ex nunc illa, & quæcumque alia quæ in futurum per nos vel Sedem Apoſtolicam quomodolibet concedi, ſtatui, decerni vel ordinari contigerit, contra Clementis, Eugenii, aliorumque prædeceſſorum prædictorum, & præſentium litterarum hujuſmodi tenorem, necnon ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irrita & inania, nulliuſque roboris vel momenti eſſe decernimus. Et quia difficile foret præſentes litteras ad ſingulas Provincias originaliter deſtinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod tranſumptis earum, manu Notarii publici, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, aut alicujus Epiſcopalis vel Archiepiſcopalis ſigillo munitis, ea prorſus in judicio & extra, ubicumque exhibita vel oſtenſa fuerint, fides adhibeatur, ac ſi originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum approbationis, conſtitutionis, ordinationis, ſtatuti, decreti, conceſſionis, indulti, voluntatis, applicationis, inhibitionis, extenſionis, ſolidationis, mandati & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXIV. *pridie Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno* IV.

XVIII. Magna diſſenſio hoc anno exorta eſt inter Fratres Dalmatinos, & Raguſinos ejuſdem Provinciæ Conſodales. Cauſa inde ſumpta, quod inſtitutus ſit Vicarius utriuſque gentis Silveſter de Raguſio, qui non adeo Dalmatinis videbatur propitiari. Dalmatæ numero plures, Cœnobiorum multitudine præſtantiores, & Veneti Senatus dominio ac patrocinio potentiores, ægre ferentes Raguſini imperium, exemplo allecti Brixienſium, qui titulo diverſi dominii politici a Mediolanenſibus ſe diviſerunt (ita fit ut uno malo exemplo multi attrahantur) apud Senatum egerunt, ut Raguſini to-

Diſſidium inter Dalmatas & Raguſinos.

Vide quæ diximus Tom. 13. an. 1467. n. 5. & an. 1468. n. 1.

toto dominio Veneto pellerentur. Excepit hæc in Apulia Vicarius Generalis, citoque per Mare Adriaticum Venetias evolans, convocatis præcipuis Patribus in Cœnobium Vinearum, ſecunda Junii dum diſſidentes conciliare ſtudet, a Senatu admonetur ut diviſos velit Raguſinos, gentem exteram a ſuis ſubditis Dalmatinis. Ut Duci & Senatoribus obſequeretur, omnemque turbarum amoveret occaſionem, præfecit Dalmatinis in dominio Veneto conſiſtentibus fratrem Gaſparem Longinum Venetum, ſub titulo Commiſſarii, donec in Comitiis Generalibus, quid agendum eſſet, plene ſtatueretur, redacto regimine fratris Silveſtri ad ſolos Raguſinos, qui etiam curaverunt, ut a ſuæ Reipublicæ Conſulibus omnes item Fratres Dalmatæ & Veneti in ſuum dimitterentur dominium.

Componitur.

Fr. Jacob. Archi. Meſſanen.

XIX. Vacaverat hoc anno Archiepiſcopatus Meſſanen. in Sicilia, per ceſſionem Juliani de Ruvere, tit. ſancti Petri ad vincula Presbyteri Cardinalis, Sixti Pontificis nepotis, cui ille pridem Archiepiſcopatus dederat adminiſtrationem. Huic ſuffectum voluit, x. Kal. Junii fratrem Jacobum a ſancta Lucia, ſacræ Theologiæ profeſſorem, & Provinciæ Siculæ Miniſtrum. Sed cum Capitulum ſuis ſuffragiis cooptaret Leontium Chryſafum, Ordinis ſancti Baſilii Archimandritam, & Rex Ferdinandus præponi vellet Petrum de Luna, Artalis de Luna Calatabilloctæ Comitis filium, multæ ortæ ſunt diſſenſiones & tumultus, nec Jacobus potuit pacificam poſſeſſionem adipiſci. Demum ſactus eſt Epiſcopus Pactenſis. Ad Eccleſiam Minorenſem in regno Neapolitano, ſub Arch. Amalfitano, per obitum Nicolai, electus eſt frater Ludovicus de Senis, Kal. Aprilis. Ad Guardien. in eodem regno & Provincia Terræ Laboris, ſub Arch. Beneventano, frater Petrus de Guardia Camprelari, ſacræ Theologiæ profeſſor, per translationem Joannis ad Civitaten, x. Kal. Maii. Ad Andriamitan. in partibus infidelium, frater Udalricus de Ulma, per obitum Jacobi, x. Kal. Aprilis. Ad Otthanen. in Sardinia, ſub Arch. Turritano, frater Hieronymus de Secchis, Theologiæ Magiſter, per obitum Antonii, VII. Idus Septembris.

Pyrrus in not. Meſſan.

An. 1479.

Fr. Ludov. Epiſc. Minoren.

Fr. Petrus Guardien.

Fr. Udalric. Andriamitanus.

Fr. Hieron. Otthanen.

XX. Multas hoc anno domos reperio Fratribus Obſervantibus fabricatas, præſertim in Italia. Spellates in Umbria, diœceſis Spoletanæ ſe conſtruxiſſe domum Obſervantibus, ſub Invocatione ſancti Hieronymi, referunt Pontifici, illamque eis tradendi petunt facultatem. Libenter ille conceſſit hoc anno V. Kal. Aprilis. Gonzaga tardius valde, anno ſcilicet MCCCCXCIV. a Braccio Ballionio Peruſino conſtructam recenſet. Adhæreo Pontificis narrationi; forſitan potiorem partem ſumptus Ballionius adhibuit, vel opus ab oppidanis intermiſſum complevit.

Conv. Spelli. Lib. 52. bullar. fol. 116.

Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 36.

XXI. Prope urbem in amœni collis clivo, Reatini cives domum ſub vocabulo ſancti Antonii Obſervantibus ædificarunt. Ut eis traderetur, Sixtus hoc anno XIII. Kal. Decembris facultatem conceſſit. Prius inſervierat tyronibus educandis, nunc infirmis curandis.

Conv. Reatin. Idem in Prov. Rom. Conv. 8. Lib. 41. fol. 98.

XXII. Robertus Sanſeverinus, Salernitanorum Princeps, ejuſque pia genitrix ſancti Severini Comitiſſa, Monaſterium Pietatis ruinæ proximum, a Monialibus Benedictinis derelictum, intra oppidum Diani, in Provincia Principatus non ignobile, aſſentiente hoc anno Sixto, in commodum Fratrum Obſervantum habitaculum adaptarunt. In eadem provincia aliud ſub titulo ſancti Franciſci acquiſiverunt Fratres hoc anno domicilium intra Montes, ſeu inter medios fines Tramontanos, vulgo *Tra-monti*, in medio variorum pagorum per amœnos montes & colles diſperſorum, diœceſis Amalphitanæ. Constructum eſt ex facultatibus in eum uſum a pio viro Matthæo Angeli relictis, ut Ordinis Minorum Obſervantibus vel Prædicatorum

Conv. Diani. Gonz. in Prov. Princip. Conv. 18.

Conv. Tramonti: Indid. Conv. 7.

Lib. 53. fol. 136.

rum domus ædificaretur. Incolæ Tramontis delegerunt Minoritas, & quæ defuerunt domui complendæ, ex communi ærario ſuppleverunt. Sixtus hoc anno Nonis Aprilis præbuit aſſenſum.

XXIII. In Provincia Apuliæ ante aliquot annos inchoatum diximus Cœnobium Gravinenſe: hoc anno XVII. Kal. Julii Sixtus ſcriptis litteris ad Epiſcopum, Archidiaconum & Decanum Gravinenſes, conceſſit facultatem ut Minoribus Obſervantibus, etſi opere adhuc imperfecto, concederetur. Eodem die, alio miſſo diplomate ad Archiepiſcopum & Archidiaconum Brunduſinos, & Archipresbyterum Caſalis novi, Brunduſinæ diœceſis, indulſit ut prope dicti Caſalis novi oppidum, aliud Obſervantibus ædificaretur domicilium, ſub ſancti Franciſci appellatione. Ut in oppido Martinæ, diœceſis Tarantinæ, Minoribus ædificaretur domus prope Eccleſiam ſanctorum Philippi & Jacobi, a Petro de Guida & Gregorio de Martina conſtructam ſufficienterque dotatam, pridie Non. Januarii conceſſit. Se ad hanc concedendam Eccleſiam presbyteri, & ædificandam promotos aſſerunt cives ob exemplarem vitam Fratrum, ſed potiſſime fratris Lucæ de Licio Vicarii, viri religioſiſſimi. Conſtructionem ad annum MCCCCXCVII. producit Gonzaga, & a ſancto Stephano nuncupari recenſet.

Tom. 12. ann. 1450. n. 22. Conv. Gravinen. *Ibid. fol. 236.* Conv. Caſalis novi. *Ibid. fol. 201. Gonz. in Prov. S. Nicol. Conv. 24.* Conv. Martinæ. *Lib. 59. fol. 114. Gonz. ibid. Conv. 30.*

XXIV. Carolo de ſancto Severino, Comiti Militen. XI. Kal. Decembris, commiſſo rei, & loci examine Epiſcopo Neocaſtrenſi, conceſſit ut intra dominium ſuum domum Obſervantibus conſtitueret. Illam puto quam Gonzaga ſancti Antonii Cacuminis, vulgo *del Pizzo*, diœceſis Militen. hoc anno ab eodem Carolo conſtructam indigitat. Eam extra oppidi vallum ſibi dari cupiebant Fratres, ut a turbis ſecularibus remoti, Deo liberius vacarent, ſed conſultius judicavit vir Princeps intra oppidum ædificari, ne Turcarum pyratarum, quorum frequens illuc acceſſus, injuriis exponerentur. Cito domicilium abſolviſſe comperio ex Indulgentiis a Sixto conceſſis anno MCCCCLXXX. Eccleſiam viſitantibus.

Conv. del Pizzo. *Lib. 61. fol. 211. Gonz. in Prov. 7. Martyr. Conv. 18.*

XXV. Monachi Ciſtericenſes Monaſterii beatæ Mariæ de Ripaldo, ſub hoc tempus hoſpitium a ſe ante plures annos ſub Nicolao V. conſtructum prope oppidum Serræ, derelinquerunt. Ferdinandus Neapolis Rex obtinuit hoc anno a Sixto Pontifice, ut traderetur Cypriano Troyano & Samueli a Gulonifio, ſuis Conſodalibus Obſervantibus adaptandum. Id anguſte nimis præſtiterunt; ſed locum ampliavit Annibal a Lovara ex ſpoliis Nemoſiani Ducis exercituſque Gallorum, quem, inſigni parta victoria prope Carinolam anno MDIII. profligavit, Eccleſia ſub ſancti Angeli nomine conſtructa.

Conv. Serræ. *Gonz. in Prov. S. Angeli Conv. 12.*

XXVI. In Provincia Baſilicatæ, regni Neapolitani, tot Obſervantum ſtructuris hoc anno fœcundi, ut aliud ſub nomine ſancti Franciſci accederet Cœnobium, non longe ab oppido Petræ pertuſiæ, diœceſis Acheruntinæ Sixtus conceſſit. Communi ære oppidani totum conſtruxerunt. Scripſit hoc anno VI. Idus Novembris Pontifex ad Cantorem, Archidiaconum & Decanum Eccleſiæ Mazarenſis, ut examinatis, quæ proponebant cives circa ædificandam Obſervantibus domum extra Civitatem, in loco idoneo, ubi erat Eccleſia Annunciatæ diruta, & per Joannem (ſcilicet de Monte aperto & Claramonte) Epiſcopum ad hoc determinato, licentiam impertirent. Aliud ejuſdem Inſtituti Obſervantum præextitiſſe domicilium, ſub titulo ſanctæ Mariæ a Jeſu ad D. P. extra urbem tempore beati Matthæi Agrigentini anno MCCCCLXXVI. ab Amico de Juncta, regio Milite, & Mazaræ Gubernatore conſtructum, Rocchus Pyrrus affirmat. Sed quomodo hæc conſtare poſſunt? præterquam enim quod Cives Mazarenſes eam potiſſimam-

Conv. Petræ pertuſiæ. *Idem in Prov. Baſilicata Conv. 10.* Conv. Mazaræ. *Lib. 63. bullar. fol. 2. Pyrr. in not. Mazar. pag. 516.*

nam pro impetranda Pontificis facultate huic domui ædificandæ cauſam expoſuerint: *Quod ipſi non habebant Monaſterium ſive domum alicujus Regularis Obſervantiæ*; ſub Matthæi Agrigentini anno MCCCCLI. defuncti tempus Cœnobium non potuit ædificari ab Amico de Juncta ſub annum MCCCCLXXVI. niſi fortaſſe (quod vere ſuſpicor) error irrepſerit in notas numerorum, vel interpunctiones. Utcumque ſit, domus in littore maris conſtructa, Turcarum patet incurſionibus, a quibus ſemel miraculoſe liberatam ita Gonzaga recenſet. Clauſis urbis januis, nocte intempeſta, dum Turcæ præ Cœnobii foribus clam adeſſent ut illo expilato, Fratres captivos abducerent, ſacriſta præter morem caſu expergefactus, nihil horum cognoſcens, ante conſuetam horam campanam pro matutinis horis pulſavit. Pyratæ audito ſonitu, ſe detectos, ſibique inſidias paratas arbitrantes, ad navigia revertentes, fuga ſibi conſuluerunt.

Gonz. in Prov. Sicil. Conv. 25.

Conv. Buxeti. *Idem in Prov. Bonon. Conv. 18. Lib. 60. fol. 35.*

XXVII. Ludovico Pallavicino Marchioni Buxeti, Galliæ Ciſalpinæ oppidi, hoc anno Idibus Octobris Sixtus conceſſit, ut intra ejuſdem oppidi ſepta Conventum ſub titulo beatæ Mariæ de Angelis Obſervantibus fabricaret. Alteri Ludovico Marchioni Salutiarum, ſimiliter XIV. Kal. Februarii indulſit, ut ad urbem ipſam Salutiarum, Marchionatus (de quo tanta fuit inter Reges Gallorum & Duces Sabaudiæ controverſia) Metropolim, Conventum ſub ſancti Bernardini nomine conſtrueret. Atque ut intra mœnia Civitatis Montis Regalis in regione Pedemontana, Magiſtratus & cives alium eiſdem ædificarent ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratiis, IV. Kal. Auguſti conceſſit. Elegans eſt ædificium, & in ſacrario corpus Balthaſſaris a Caſtro novo, viri religioſiſſimi, ab incredibili vitæ candore & puritate, a miraculis multis commendati, conſervatur magna veneratione. In Corſicana inſula prope Brandi oppidum ædificatum eſt communibus facultatibus Cœnobium Obſervantum ſub titulo ſancti Franciſci.

Conv. Salutiarū. *Idem in Prov. Genuæ Conv. 35. Lib. 63. fol. 60.*

Conven. Montis Regalis. *Idid. Conv. 22. Lib. 59. fol. 182.*

Conv. Brandi. *Idem in Prov. Corſicæ Conv. 16.*

Conv. Belalcazari. *Gonz. in Prov. Angel. Conv. 2. Monum. MSS. ejuſd. Prov. Lib. 52. fol. 191.*

XXVIII. Nobilis mulier Elvira, ſeu Eliberia de Stuniga, Domina oppidi de Belalcazar, diœceſis Cordubenſis, impetravit hoc anno a Sixto Pontifice facultatem Conventum ſub titulo *de la Columna* ædificandi pro triginta Fratribus Obſervantibus, non longe ab eodem oppido, illumque aggregandi cuicumque, quam mallet, Cuſtodiæ: *Sinceræ devotionis.* III. Nonas Julii. Aliis privilegiis commendatam domum brevi conſtruxit, & Cuſtodiæ Valliſoletanæ aggregavit; ſed non diu illic Fratres permanſerunt; nam cum Eliſabetha & Leonora nobiliſſimæ Virgines, Alphonſi a Soto majori Comitis Belalcazarenſis filiæ, ſummo affectu erga domum iſtam ferrentur, in eaque cuperent Religionis ſanctæ Claræ Inſtitutum ſubire, Tereſia Enriquez Comitiſſa obtinuit anno MCCCCXC. ab Innocentio VIII. licentiam ædificandi domum alteram CC. P. ab oppido diſſitam, ſub titulo ſanctorum Berardi & ſociorum protomartyrum Ordinis Minorum, ad quam tranſlati ſunt Fratres, relicta Monialibus priori D. P. diſtanti. Frater Joannes de la

An. 1480.

Puebla, Belalcazarenſis olim Comes, de quo inferius, cum Cuſtodiam inchoaſſet Angelorum, Alphonſus a Soto majori, ejus ex fratre nepos, Conventum hunc a cuſtodia Valliſoletana ad iſtam revocari curavit, annuente anno MCCCCXCIII. Alexandro VI. Pontifice. Habet Conventus hic, & merito quidem, patronos Comites Belalcazarenſes, quorum inſignia præcipuis totius Cœnobii locis conſpiciuntur, & Mauſoleum eorumdem conſurgit vetuſtum in ſacello majori, in quo univerſorum ferme Comitum corpora requieſcunt. In aula capitulari ſepulti ſunt aliquot illorum filii, qui Sodalitio nomen dederunt, præſertim frater Joannes de la Puebla ſupradictus, cujus lapideo monumento hoc inciſum eſt Epitaphium.

Hic

Hic jacet R. bo. me. Pater frater Joannes de la Puebla hujus ſanctæ Mariæ Angelorum Cuſtodiæ auctor. Obiit anno MCCCCXCV.

Et ſtatim ſubjicitur.

Hoc fieri præcepit magnifica Domina D. Maria a Velaſco Comeſtabilis filia, & Belalcazaris Comitiſſa.

XXIX. Sub eodem lapide corpora conteguntur fratris Alphonſi a Cruce, olim Belalcazaris Comitis, fratris Antonii a Cruce, & fratris Ludovici a Cruce, ejuſdem Alphonſi filiorum. De illuſtribus hujus domus Clariſſis infra dicetur. Rara & incredibilis fuit ſemper & perſeverat hujus illuſtriſſimæ familiæ erga univerſum Inſtitutum propenſio, maxime autem erga Provinciam Angelorum & domum iſtam, in qua provincialia Comitia prædictorum Comitum ſumptibus celebrantur. Sæpe inferius varia pietatis gentis hujus occurrent argumenta. Ad cornu Evangelii pulchrum habetur ſacellum ſanctorum Joachimi & Annæ, nobilis familiæ Borgiarum, inſtitutis ibidem ſacerdotiis, deſtinatiſque ſacellanis ſtipendiariis, illuſtre. Hic perpetuo viget ſtudium ſacræ Theologiæ.

XXX. Alphonſus Meſſiæ Laicus Eremitorium beatæ Mariæ de Beroal prope oppidum de Cardenoſa, Abulen. diœceſis, quod jure patronatus pacifice poſſidebat, dedit, juſque præſentandi ad illud perſonam idoneam donavit fratri Franciſco Flores Minoritæ Conventuali, qui facultatem accepit a Pio II. illud dum viveret, poſſidendi. Ille vero totis his annis colonum ibidem agens, Eremitorium in ſtructuris reparavit, ædiñciis auxit, fructus & proventus ampliavit. Ad ſenium declinans, decrevit locum dare Fratribus Obſervantibus Conventui ædificando. Interpoſuit ſuas preces apud Pontificem hoc anno Eliſabetha Regina Siciliæ ultra Farum, & Princeps Caſtellæ & Legionis, aſſerens Fratrem ſuum Alphonſum, certo modo nominatum Regem eorumdem Regnorum, in dicto oppido Cardenoſæ diem clauſiſſe extremum, & propterea ſe ſummopere deſiderare, ut illic conſtrueretur domus Fratrum Obſervantum, & ſubjiceretur Cuſtodiæ Valliſoletanæ. Annuit votis Pontifex hoc anno XIX. Kal. Januarii. Ego vero Cœnobium iſtud in aliorum recenſu non invenio.

Conv. Cardenoſæ. Lib. 61. fol. 20.

XXXI. Neque item reperio inter Conventus inſulæ Sardiniæ alterum in diœceſi Plonacenſi, cujus fabricandi Sixtus licentiam conceſſit hoc anno V. Kalendas Novembris, in loco ubi præerat Abbatia ſancti Michaelis de Salvenor, Ordinis Vallis Umbroſæ, quam ruinoſam & collapſam in ſtructuris Franciſcus Abbas donavit Commiſſario & Fratribus Obſervantibus Sardiniæ, accedente Sedis Apoſtolicæ faculrate & Matthæi Abbatis Monaſterii ſanctæ Trinitatis Florentini Vicarii Generalis, habentis ad hoc, ut aſſerebat, ab eodem Generali ſpecialem per illius litteras facultatem. Aliquod ſuſpicor impedimentum interveniſſe, ne hujuſmodi fieret tranſactio.

Conv. Plonacen. Lib. 70. fol. 123.

XXXII. Incolæ oppidi Piniaci, diœceſis Tolonen. vallis uberrimæ & amœniſſimæ, a mari Mediterraneo non longe diſtantis, conſtructa jam Eccleſia pro Fratribus Obſervantibus in territorio Caſtri Regalis ad M. P. a Piniaco, domum etiam cum neceſſariis officinis adjicere cupientes, hoc anno pridie Idus Julii facultatem a Sixto impetrarunt. Reſtiterunt fabricæ nimio conatu Canonici Eccleſiæ Collegiatæ; ceſſerunt tamen auctoritati Renati Regis Siciliæ, Lotharingiæ & Andegavenſium Ducis, tunc in Provincia agentis, ejuſque locum tenentis Palamidis de Soleriis. Eccleſiam conſecravit Dionyſius Baſſonetus, Epiſcopus Tolonenſis: ſed irruente illa colluvie

Conv. Piniaci. Lib. 48. fol. 278. Gonz. in Prov. S. Ludov. Conv. 12.

luvie Hugoniſtica in Galliæ perniciem, quidam Soreda equitum ductor, illam reduxit in ſtabulum, Fratribus fugatis. Ille autem miſerabili morte pœnas luit ſceleris commiſſi.

Conv. de Breyo. Lib. 68. fol. 219. Gonz. in Prov. Franc. Pariſ. Conv. 15.

XXXIII. Conſtruxerunt Fratres Tertii Ordinis in nemore ſeu ſilva de Breyo, diœceſis Metenſis, Eremitorium cum adjuncta capella in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, ſub annum MCCCCL. & Calixtus III. indulgentias eamdem viſitantibus anno MCCCCLVI. conceſſit. Favit impenſe ſupradictus Renatus Rex, in cujus dominio erat Eremitorium, deditque quoddam terræ ſpatium, & licentiam cædendi omnia ligna, fabricæ & uſui ſex Fratrum commorantium neceſſaria. Poſtea vero, ut Divinus illic cultus augeretur, & religioſa vigeret diſciplina, conſentientibus ipſis Tertiariis, tradi curavit Fratribus domus Metenſis Regularis Obſervantiæ. Translationem Sixtus confirmavit hoc anno XVIII. Kalendas Octobris, cui ſubſcripſiſſe anno MCCCCLXXX. Renatum Ducem, Renati Regis filium, ejuſque conjugem Jolandam refert Gonzaga, qui plane in annis fundationis Eremitorii, & translationis ad Obſervantes diſcrepat a diplomate Pontificio. Locus eſt contemplationi & vitæ regulari ſatis opportunus, in eoque vixerunt multi viri religioſiſſimi.

Conv. Coletæ. Lib. 68. fol. 214. Gonz. in Prov. S. Bonav. Conv. 28.
** Al. Selletæ.*

XXXIV. Ante vel circa annos viginti ſex, Ludovicus Abbas Monaſterii Marthiaci, Ordinis Cluniacenſis, diœceſis Claramontenſis, quamdam capellam ſeu Eremitorium oppidi Celetæ, * ejuſdem diœceſis, infra limites Parochialis Eccleſiæ de Burgo, in quodam loco vaſtæ ſolitudinis & pene hominibus inhabitabili conſtructum, Vincentino de Longa-Villa, aliiſque Fratribus Obſervantibus, ſolitariam vitam ducere cupientibus, ſub quibuſdam tamen pactis & conditionibus conceſſit. Illi vero poſtquam diu ibidem inhabitarent, ruinoſi ædificii damna repararent, atque alia adjicerent ædificia, non impetrata prius venia Sedis Apoſtolicæ, hoc anno XI. Kal. Decembris a cenſuris & conditionum, quas obſervare non poterant, gravamine abſolvi impetrarunt. Poſt quadriennium converſum hoc Eremitorium in commodum Conventum a Jacobo Lupi, Monſengenſium Domino, Gonzaga recenſet, & Eccleſiam ſub titulo ſancti Michaelis fuiſſe conſecratam.

Conv. Conini. Lib. 66. fol. 14. Gonz. in Prov. Fland. Conv. 16.

XXXV. Abbas Monaſterii de Foreſia, nobiles viri Ludovicus de Enghien Miles, & Guillelmus de Fontaine, Dominus loci de Melleu, Ægidius de Brandeburg, & Margarita Comitiſſa de Vernenbuer, & de Sombres, locorum diœceſis Leodienſis, communibus votis, collatiſque facultatibus, decreverunt domum Minoribus ædificare: facultatem hoc anno pridie Idus Novembris a Sixto impetrarunt. Quis ſit, vel ubi hic conſtructus Conventus, ignoro: neque enim inter reliquos Provinciæ Flandriæ, quæ Leodienſem etiam diœceſim comprehendit, habetur; niſi illum dicere velis, quem ſancti Michaelis Conini Gonzaga appellat, dicitque in loco ſilvatico ejuſdem diœceſis, ab omni domo, pago & oppido per milliare Germanicum diſtante, a Franciſco de Furna ſub annum MCCCCLXXXVI. conſtructum. Fortaſſis & prænominati ſunt cooperati.

Conv. Biezi. Indid. Conv. 13.

XXXVI. In eadem Provincia Joannes Biezenſis, miles Hieroſolymitanus, fundum contulit ædificando Conventui in Biezi, oppido diœceſis Bononienſis in Picardia. Illum conſtruxit Iſabella Burgundiæ Duciſſa, Regis Luſitaniæ filia, ſub nomine ſui gentilis ſancti Antonii, a Padua communiter nuncupati. Bis ab hæreticis dirutus fuit, toties a Catholicis reſarcitus. Floruit ſemper hic regularis diſciplina.

Conv. Gruppiæ. Idem in Provin. Boem. Conv. 19.

XXXVII. In oppido Gruppiæ in Boemia conſtructus hoc anno Conven-

ventus omnium Sanctorum, commiſſo prius Rodulpho, Vratislavienſium Epiſcopo, rei examine, an ſcilicet expediret? Gnaviter deſuadant Fratres, ut Gruppianos, alioquin ſibi beneficos, in officio & fide Catholica contineant.

XXXVIII. In Scotia & Areæ oppido, ad Occidentalem inſulæ plagam conſtituto, hoc anno, communi & Mercatorum ære inchoatus Conventus Obſervantum, brevique abſolutus eſt. Imago beatæ Virginis Mariæ illic in veneratione habita, multis coruſcabat miraculis.

Conv. Areæ. Idem in Provin. Scotiæ Conv. 6.

XXXIX. Volaterræ in Etruria ſub hoc tempus ab hoſtibus obſeſſæ, magnam paſſæ ſunt ædificiorum extra muros jacturam. Atque inter hæc, Monaſteria ſanctæ Claræ & ſancti Joannis de Uticaſſo, Ordinis ſancti Benedicti ad miſerabilem ſtatum devenerunt. Primum quidem ſolo æquatum eſt, & Sorores per domos ſecularium diſperſæ ſunt; in ſecundo remanſit una duntaxat Monialis octuagenaria. Rogarunt itaque Clariſſæ, ut ad Uticaſſi, ſuppreſſo ibidem Ordine ſancti Benedicti, liceret tranſmigrare. Annuit Sixtus pridie Idus Novembris.

Mon. Volaterranum. Lib. 61. fol. 54.

XL. Nicolaus olim tituli ſancti Petri ad Vincula Cardinalis, Epiſcopus Brixinenſis, reformaverat Monaſterium prædictæ urbis Clariſſarum, in moribus diſſolutum, evocatis ex Monaſterio Nurenburgenſi, Provinciæ Argentinenſis Monialibus in vita & diſciplina regulari religioſe inſtructis, eaſque exemit ab obedientia & regimine Prælatorum Provinciæ Auſtriæ, Ordinis Minorum, ſubjecitque Vicario Fratrum Obſervantum Provinciæ Argentinenſis. Timentes Sorores ne per varias moleſtias traherentur ad priſtinum, petierunt a Pontifice ut confirmare placeret reformationem a Cardinale mature peractam. Placuit Sixto pridie Nonas Septembris.

Mon. Brixinen. reformatur. Lib. 87. fol. 70.

XLI. Eliſabetha Roderici de Cardenas, mulier vidua, Giennenſis diœceſis, in urbe Fori-Julienſis, ſive Iliturgi, vulgo *Andujar*, domum ſuam in Monaſterii formam reduxit: adjectis ſacello cum Altari, cœmeterio, campanili, aliiſque neceſſariis, habita prius Giennenſis Epiſcopi licentia, ibique cum nonnullis piis fœminis, quibus plurima bona mobilia & immobilia donavit, ſtatuit vivere ſub tertia Regula ſancti Franciſci, modo Pontificis Romani accederet conſenſus. Petiit & obtinuit hoc anno VI. Idus Januarii.

Domus Sororum Iliturgi. Lib. 42. fol. 248.

XLII. Similirer fecit Andiſia de Pactis in Civitate Licienſi in Apulia, reducto quodam ſuo hoſpitio in Monaſterium Sororum ejuſdem Inſtituti, ſub invocatione ſancti Matthæi, quibus omnia ſua bona moriens legavit; & domum cum Oratorio, reliquiſque attinentibus aſſignavit Mariæ de Corono, quæ tunc aliis Sororibus præſidebat. Hæc autem Maria cum Anaſtaſia de Corono, aliiſque decem, quarum nomina in diplomate recenſentur, petierunt a Pontifice, ut vellet hujuſmodi donationi ſeu aſſignationi Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere. Adjecit Kalendis Octobris.

Domus Licienſis. Lib. 98. fol. 174.

XLIII. Hoc anno Pinus Ordelaffius, hujus nominis tertius, intra Civitatem Fori-Livii, cui præerat, Monaſterium beatæ Mariæ de Ripa, annuente Pontifice, Sororibus Tertiariis extruxit, primumque jecit lapidem Alexander Homalius, ejuſdem urbis Epiſcopus. Deflectentes autem Moniales has ad laxiora, evocatæ ex ſancti Guillelmi Ferrarienſi Monaſterio, unde exciderant, reduxerunt. Colitur ibi magna veneratione imago beatæ Mariæ Virginis, quæ, inundante ſemel fluvio Schiettino, ſuoque rapido curſu omnia evertente, ſola immobilis remanſit. A Foro-livienſibus anno MCCCCXCV. die XXVI. Martii maxima cum religione tranſlata eſt ad locum decentiorem.

Domus Fori Livii. Gonz. in Prov. Bonon. Mon. 12. Vide ann. 1472. n. 112.

XLIV.

Varia privilegia. *Breve originale.* *An. 1472. n. 117.*

XLIV. Jacobus Lellius, civis Romanus, legaverat Fratribus Conventus de Aracœli quaſdam vineas & terras, quas per Procuratorem ſeu Syndicum vendi conceſſit hoc anno Pontifex, ut pretium converteretur in fabricam dormitorii, quod tunc extruebatur. Omnibus Fratribus Obſervantibus facultatem dedit, omnium fidelium confeſſiones audiendi, & Sacramentum Euchariſtiæ, præterquam in die Reſurrectionis miniſtrandi: *Veſtris in hac parte.* die XI. Junii. Declaravit facultatem a ſe Fratribus Minoribus factam, ut ſuccedere poſſint defunctis ab inteſtato, quod ſuperius narravimus, non eſſe intelligendam de Fratribus Obſervantibus: *Licet nos dudum.* die VII. Aug. Eugenius IV. aliique Pontifices conceſſerunt varia privilegia Sororibus S. Claræ, de non ſolvendis decimis, primitiis aliiſve exactionibus: ea Sixtus voluit confirmata: *Ut internæ beatitudinis*. pridie Non. Julii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Dogl. 457. *Hiſt. Guic. c. 29.* *Indic. ex Vatic.* *Harold. ad ann. 1475. n. 15.* *Indic. ex Vatic.* *Origin. in Aracœli.* *Ex Vatic.* *Harold. ad ann. 1450. n. 51.*

„ I. AUro Veneto motus Matthias Rex, a Daciæ confinibus Solima-
„ num Natoliæ Beljerbeum devictum abegit: at Mahometus II.
„ licet in Pannonia infelix & ipſe, nihilominus in Taurica Cherſoneſo
„ Caffam, priſcis Theodoſiam, Coloniam Januenſium, non vi, at dolo
„ quorumdam inimicorum Galeatii Sfortiæ ſubegit, ac ita inde Fratres
„ Minoritæ exulare coacti fuere: interea Sixtus Pontifex expedito Breve
„ Apoſtolico Philiberto Sabaudiæ Duci, enſem & roſarium benedictum
„ dono miſit; cum pro Ordine Minorum plura diſponeret determinaret-
„ que ſubinde ſuis temporibus: & quidem collato beneficio fratri Anto-
„ nio de Valentia ſanctæ Mariæ Saonen: *Solet Sedes &c.* pridie Idus Ja-
„ nuarii; VIII. Kalend. Martii aliud contulit fratri Antonio de Saponaria:
„ *Religionis zelus &c.* & VII. Idus ejuſdem Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ
„ erectionem Conventus apud oppidum *Dubretz* in diœceſi Monenſi in-
„ dulſit: *Sinceræ devotionis &c.* cujus tamen incolæ poſtea, exceptis pau-
„ cis ibidem relictis ad eremiticam vitam ducendam, ad Cœnobium oppi-
„ di Monaſterioli, in diœceſi Ambianenſi a Philippo & Margarita Ducibus
„ conſtructum, tranſierunt, ut notavit Haroldus. Paulo poſt, ideſt v. No-
„ nas Aprilis fratrem Jacobum *Bal* Eccleſiæ Darenſi præfecit: *Divina di-*
„ *ſponente &c.* & IV. Idus ejuſdem domum Tertii Ordinis ſancti Franciſci
„ ad Moniales Trajectenſes ſanctæ Mariæ de Nazareth, tranſtulit: *Ut in-*
„ *ter æternæ &c.* & v. Kalend. Maii erectionem Collegii Dublinenſis in
„ Hibernia indulſit: *Copioſus in miſericordia &c.* ac etiam Hoſpitali Flo-
„ rentino Tertii Ordinis privilegia: *Etſi locorum &c.* Epiſcopo Brixienſi
„ Vicario Urbis manendi in Conventu Pallazolæ licentiam dedit die
„ XXVIII. Aprilis: *Gratum eſt nobis &c.* & venditionem bonorum ſancti
„ Franciſci de Serra approbavit VI. Nonas Maii: *Ad ea ex Apoſtolatus &c.*
„ confirmavitque erectionem Monaſterii de Martinengo paulo ante conceſ-
„ ſam: *Ut ea quæ &c.* XIII. Kalend. Junii; ſed aliud ſanctæ Claræ in Inſu-
„ la Cretæ ſuppreſſit: *Dignum &c.* x. Kalend. ejuſdem, & poſtea VIII. Ka-
„ lend. fratri Joanni Porretæ de Averſa beneficium dedit: *Religionis zelus*
„ *&c.* & VII. Kalend. Monaſterium Ciſtercienſe Salernitanum ad Minoritas
„ tranſtulit: *Eximiæ devotionis &c.* & v. Kalend. fratrem Ægidium de Por-
„ tu Epiſcopum Folien. creavit: *Apoſtolatus officium &c.* & pridie Kalend.
„ donationem Ludovici de Balbuena ſactam Monialibus S. Agnetis Hiſpa-
„ len. admiſit: *Romanus Pontifex &c.* Kalen. vero Junii data Indulgentia pro
„ Fratrum Conventu Mutinenſi, pro ejuſdem reparatione licentiam diſtra-
„ hendi nonnonnulla bona conceſſit: *Apoſtolicæ Sedis &c.* VIII. Idus Junii
fra-

,, ſratri Roderico de *Sanctaren* dato beneficio: *Religionis zelus &c.*
,, v. Kalend. Julii Moniales Clariſſas tranſire ad reformationem beatæ Co-
,, letæ indulſit: *Ut inter eternæ &c.* frater Ludovicus a Sala, ſeu *Saya* a
,, Nicolao V. impetrata facultate mille paſſus ab oppido Flawio Brigæ,
,, vulgo *Bilbao*, prope antiquam ædiculam ſancti Mamertis paucis ab hinc *Ex Vatic.*
,, annis Conventum excitaverat: ſed Oppidani ut eum propius haberent in
,, adverſa parte fluminis oppido adlabentis, licentiam a Sixto impetrarunt:
,, *Sacræ Religionis &c.* pridie Ibus Julii.
,, II. Hoc item anno ſanctæ Claræ Sorores in Civitate Papiæ apud Ti- *Ex Monu. MSS. Provin. ref. ſancti Didaci.*
,, cinum, ad aliud perantiquum Monaſterium Ciſtercienſium, quod ſup-
,, primebatur, tranſlatæ fuerunt: illud vero Ciſtercienſe ſub invocatione
,, ſanctæ Mariæ hortorum extitiſſe, ex quadam bulla Innocentii IV. *Reli-*
,, *gioſam vitam eligentibus &c.* Dat. Januæ anno MCCXLIV. XIII. Octo-
,, bris evincitur: in ea ſiquidem perplura privilegia continente, & a ſeptem
,, ſubſignata Cardinalibus, ſequens clauſula legirur: *Et Monaſterium ſanctæ*
,, *Dei Genitricis, & Virginis Mariæ, ac ſancti Primi Papienſis, in quo*
,, *Divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri, & noſtra protectione*
,, *ſuſcepimus*; quod etiam ex ſubſequentibus Sixti IV. litteris, virtute
,, quarum ſuit ſuppreſſum, & Clariſſis conceſſum, luculentius habetur.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Marini Papien. ſalutem, & Apoſtolitam benedictionem.

,, *INjunctum nobis deſuper, meritis licet inſufficientibus, Apoſtolicæ*
,, *ſervitutis officium nos exeitat & inducit, ut opem & operam,*
,, *quantum poſſumus, impendamus, quatenus perſonarum, & locorum Re-*
,, *ligioſorum ſtatui valeat ſalubriter provideri; ipſæque perſonæ, præſertim*
,, *fæminei ſexus, ſublatis quibuſvis incommoditatibus, & quæ in deformita-*
,, *tis opprobrium erumpere cernuntur, noſtri præſidio miniſterii, honeſtatis*
,, *candore niteſcant, ac felicibus, auctore Domino, proficiant incrementis.*
,, *Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis Papienſis, & di-*
,, *lectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii Monia-*
,, *lium ſanctæ Eliſabethæ Papienſis, Ordinis ſanctæ Claræ, nobis nuper exhi-*
,, *bita poſtulatio continebat, quod Monaſterium ipſum in ſuis ſtructuris &*
,, *ædificiis non modica eget reparatione, & in illius ſepta eſt adeo arctum &*
,, *anguſtum, quod Abbatiſſa & Moniales ipſæ in eo ſub Regulari Obſervan-*
,, *tia viventes, commode earum vota Creatori reddere nequeunt: illius au-*
,, *tem fructus, reditus & proventus, utpote tenues & exiles, ad reparatio-*
,, *nem, ædificationem, & ſeptæ hujuſmodi ampliationem faciendam, non*
,, *ſufficiunt: Abbatiſſa vero & Moniales Monaſterii ſancti Bernardi, ſeu*
,, *ſanctæ Mariæ inter hortos, ſeu de Medio Papienſi, Ciſtercienſis Ordinis,*
,, *de incontinentia apud graves perſonas plurimum diffamatæ exiſtunt; quod-*
,, *que ſi in dicto Monaſterio ſancti Bernardi, Ordine prædicto Ciſtercienſi*
,, *ſuppreſſo & extincto, Ordo præfatus ſanctæ Claræ erigeretur, & Abba-*
,, *tiſſa ac Conventus præfati Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ ad præfatum Mo-*
,, *naſterium ſancti Bernardi transferrentur, & in illo, cujus ſtructuræ &*
,, *ædificia ampla, & ad commodam earumdem receptionem ſufficientia ſunt,*
,, *in poſterum habitarent, Abbatiſſa & Moniales dicti Monaſterii ſancti*
Ber-

„ *Bernardi ſeſe reformare, & ſecundum Regularia Inſtituta dicti Ordinis*
„ *ſanctæ Claræ cum eiſdem Abbatiſſa & Conventu Monaſterii ſanctæ Eliſa-*
„ *bethæ vivere vellent, ad ipſam Ordinem ſanctæ Claræ transferrentur, &*
„ *in eodem Monaſterio ſancti Bernardi ſic reformatæ remanerent; alioquin*
„ *ad alia Monaſteria Monialium, in quibus benevolas receptrices inveni-*
„ *rent, transferrentur; ſeu in aliqua parte ædificioram ipſius Monaſterii*
„ *ſancti Bernardi collocarentur & recluderentur, eiſque congrua portio de*
„ *ipſius Monaſterii ſancti Bernardi fructibus, reditibus & proventibus pro*
„ *earum decenti ſubſtentatione aſſignaretur, exinde profecto utriuſque Mo-*
„ *naſteriorum dictarum Monialium ſtatui cum Divini cultus augmento, &*
„ *animaram ſalute opportune conſuleretur, ceſſarentque murmurationes in*
„ *Populo Papienſe, propter dictarum Monialium ſancti Bernardi enormes*
„ *exceſſus provenientes: quare pro parte Communitatis, Abbatiſſæ & Con-*
„ *ventus Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ prædictorum, aſſerentium, quod ſan-*
„ *cti Bernardi, quod a Monaſterio de Cereto, præfati Ciſtercienſis Ordinis*
„ *Mediolanen. dependet, centum & quadraginta, & ſanctæ Eliſabethæ*
„ *Monaſterii prædicti fructus, reditus & proventus triginta florenorum auri*
„ *de Camera, ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum non*
„ *excedunt; Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in ſanctæ Eliſabethæ ti-*
„ *tulum & nomen Monaſterii, ac dignitatem Abbatiſſalem, & ſanctæ Cla-*
„ *ræ, ac in ſancti Bernardi Monaſteriis prædictis, Ciſtercienſis Ordinis ſup-*
„ *primere ac penitus extinguere, & in eodem Monaſterio ſancti Bernardi Or-*
„ *dinem hujuſmodi ſanctæ Claræ erigere, ipſaſque Abbatiſſam & Moniales*
„ *Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ, cum omnibus earum bonis mobilibus &*
„ *immobilibus, ad ipſum Monaſterium ſancti Bernordi transferre; præfatas*
„ *vero Monaſterii ſancti Bernardi Abbatiſſam & Moniales, quæ ſe refor-*
„ *mare, & ſub Regularibus Inſtitutis dicti Ordinis ſanctæ Claræ vivere*
„ *voluerint, ad ipſum Ordinem ſanctæ Claræ; illas vero, quæ ſic ſe refor-*
„ *mare noluerint, ad alia Monaſteria Monialium, in quibus benevolas re-*
„ *ceptrices invenerint, transferre, aut in aliqua parte ipſius Monaſterii*
„ *ſancti Bernardi collocare, & eis congruam portionem de fructibus, re-*
„ *ditibus & proventibus prædicti Monaſterii ſancti Bernardi aſſignare;*
„ *quodque ipſæ Abbatiſſa & Conventus Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ, etiam*
„ *poſt earum translationem, hujuſmodi ſtructuras & ædificia dicti Mona-*
„ *ſterii ſanctæ Eliſabethæ, dadum eis per quamdam Agnetem de ſancto*
„ *Nazario, mulierem Papienſem ea lege & conditione, quod in illis habi-*
„ *tare tenerentur, alioquin illis carere; illaque forſan in eventum hujuſmo-*
„ *di ad olia etiam pia loca, ſeu alias perſonas devenire deberent; pia dona-*
„ *ta retinere poſſent, concedere, aliaſque eis in præmiſſis opportune providere,*
„ *de benignitate Apoſtolica dignaremur.*
„ *Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi*
„ *ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta manda-*
„ *mus, quatenus ſi (vocatis Abbatiſſa & Monialibus prædicti Monaſterii*
„ *ſancti Bernardi, & aliis qui fuerint evocandi) de præmiſſis tibi legitime*
„ *conſtiterit, in ſanctæ Eliſabethæ nomen & titulum Monaſterii, & Ab-*
„ *batiſſalem dignitatem, ac ſanctæ Claræ, & in ſancti Bernardi Monaſteriis*
„ *prædictis, Ciſtercienſis, Ordines & dependentiam hujuſmodi, auctoritate*
„ *noſtra ſupprimas ac penitus & omnino extingaas, ac dictum Ordinem ſan-*
„ *ctæ Claræ in eodem Monaſterio ſancti Bernardi erigas: præfataſque Ab-*
„ *batiſſam & Moniales Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ, ac dictum Monaſte-*
„ *rium ſancti Bernardi cum omnibus juribus ſingulis earum bonis, Abbatiſ-*

ſam

Digitized by Google

ſam vero & Moniales Monaſterii prædicti, ſi ſeſe reformare, & ſub obedientia ejuſdem Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ Abbatiſſæ vivere voluerint, ad dictum Ordinem ſanctæ Claræ, alioquin ad alia Monaſteria Monialium, in quibus benevolas invenerint receptrices, eadem auctoritate transferas, aut infra ſepta dicti Monaſterii ſancti Bernardi, in aliqua illius parte, de qua tibi videbitur, ita ut alias in Moniales nullatenus recipere poſſint, ac honeſtam & laudabilem vitam ducant, recludere & collocare, ac eiſdem ſic translatis, ſeu in eodem Monaſterio ſancti Bernardi, ut præfertur, collocatis, de ejuſdem Monaſterii ſancti Bernardi fructibus, reditibus & proventibus congruam portionem, de qua, quoad vixerint, ſe ſuſtentare valeant, aſſignare eadem auctoritate procures: Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, Monaſteriorumque & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & litteris Apoſtolicis contrariis quibuſcumque: ſeu ſi Abbatiſſæ aut Conventui dicti Monaſterii ſancti Bernardi, necnon dilectis filiis Abbati & Conventui dicti Monaſterii de Cereto, aut quibusvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim, ſi ſuppreſſionem & translationem prædictas per te, vigore præſentium fieri contingat, præfatis Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ, ut etiam poſtquam ad præfatum Monaſterium ſancti Bernardi ſic, ut præfertur, translatæ fuerint, domos, ſtructuras & ædificia dicti Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ perpetuis futuris temporibus retinere poſſint, etiamſi in eiſdem aliter non habitaverint, præfatæ Agnetis voluntate & ordinatione ac conditione in earum donatione, ſeu Legato prædictis adjectis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, Apoſtolica auctoritate concedimus; necnon ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIV. XII. *Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno* III.

III. Hoc eodem anno Brevi Apoſtolico rite & legitime executo, Clariſſæ ad prædictum Monaſterium ſanctæ Mariæ inter hortos translatæ fuerunt; Monialibus Ciſtercienſibus interim in Monaſterio ſanctæ Eliſabethæ, quod reformationem non admitterent, collocatis: poſt hæc nihilominus pacifice geſta, lites ac turbæ ſubſecutæ ſunt, de quibus commodius agetur. Interea fratri Franciſco de Ungarellis collatum eſt beneficium: *Religionis zelus &c.* Kalend. Auguſti; & quidam frater Joannes Abbas Bonæ-Vallis, Ciſtercienſis Ordinis: *Summi diſpoſitione &c.* IV. Kalend. ejuſdem: Monaſterium Clariſſarum de Bruneſta incorporatum fuit Monaſterio Jugi Sillarum, vulgo *Tordeſillas*, diœceſis Palentinæ XVII. Kalend. Septembris: *Paſtoralis officii &c.* & reſtituto Conventualibus quodam Cœnobio VI. Kalend. ejuſdem: *Cum utriuſque &c.* ipſis Kalendis Septembris fratri Alexandro de Mantua beneficium decretum eſt: *Religionis zelus &c.* Et fratrem Joannem Vailettum, quem paulo ante in officio Inquiſitoris confirmaverat ad vitam, ad obtinenda beneficia habilitavit Pontifex pridie Nonas Septembris: *Religionis zelus &c.* Porro Martinus V. anno II. ſui Pontificatus conceſſerat, ut Metis erige-

Vide ad annum 1466. infra ad ann. 1480.

Indic. Vatic.

Harold. ad ann. 1472. n. 10. Harold. ad ann. 1428. n. 4.

„ retur Cœnobium Fratribus Regularis Obſervantiæ, & confeſtim ere-
Indic. ex Vatic. „ ctum ejuſdem Pontificis indicabant litteræ ſequentis anni: Verumtamen
„ reperio Sixtum hoc anno Fratribus Metenſe Cœnobium in Floreſta de
„ Brejo conſtructum donaſſe: *Sedis Apoſtolicæ &c.* XVIII. Kal. Octob. Por-
Ex Topogr. Ferrer. „ ro Metis, vel Metæ, vulgo *Metz*, Civitas eſt Epiſcopalis Galliæ Belgicæ
„ antiqua, ad Moſellam fluvium interlabentem, mœnium & propugnaculo-
„ rum firmitate munita, media inter Muſopuntum, & Theodonis Villam,
„ proxima oppida. Frater Antonius de Monte ſancti Petri beneficium ob-
Ex Vatic. „ tinuit: *Solet Sedes &c.* VI. Idus Octobris; & aliud frater Catharinus de
„ Pena: *Religionis zelus &c.* XIV. Kalend. Novembris: Indulta etiam
„ erectione Conventus *Mazanere*, vulgo, alias Pomerii pro Obſervanti-
„ bus: *Piis fidelium &c.* VI. Idus Novembris: Præſtat autem hic admonere
„ Lectorem, Conventum Pomerii unum eorum quatuor eſſe, quos Mar-
„ tinus V. in provincia Aragoniæ ſelectos, in unam Cuſtodiam ſub titulo
„ ſanctæ Mariæ *de la Vega*, & proprio Cuſtode, licet Miniſtro Provinciæ
„ ſubjectam, approbavit, ac zelatoribus Obſervantiæ indulſit.

ARGUMENTUM.

Sixtus Pontifex Chriſtianos Principes pacificat, abbreviatoque termino Jubilæi, hunc annum celebrando indixit. Admittit Principum preces pro Bonaventura Cardinale canonizando. Tria celebrantur Comitia Generalia, inſtituiturque totius Ordinis Miniſter Franciſcus Nanis Samſonius. Quidam perfectioris vitæ cupidi novam excogitant Congregationem: ſed in ipſo Exordio diſſipatur. Moritur Griſo Belga, cujus acta referuntur. Committitur Vicario Generali cura gentis Maronitæ. Florent Bernardinus Feltrenſis & Ludovicus a Barga. Vita fungitur Michael Bal Ruthenus. Inſtituuntur Epiſcopi: conſtruuntur Cœnobia.

Bonfin. dec. 4. lib. 1. Cromer. lib. 28.

I. MAGNUM incuſſit hoc anno metum Turcarum Imperator Matthiæ, Hungariæ Regi, formidadili conſcripto exercitu in Hungaros movendo. Miſſo itaque ad Sixtum Pontificem, qui ſuppetias peteret tanto bello ſuſtinendo, Rex numeroſum comparavit militem, quem hoſti opponeret. Sixtus tanto rei Chriſtianæ diſcrimini deeſſe noluit, opportuneque amandavit Dominicum Alerienſem Epiſcopum cum nonaginta tribus millibus aureorum. His fretus Rex, expeditionem contra Turcas, extremas jam oras Hungariæ ingreſſos ſuſcepit, & redire coegit. Sed cum neglecto bello Turcico, mallet cum vicinis Regibus Poloniæ & Boemiæ digladiari, per eumdem Epiſcopum eum officii admonuit, & ad pridem cum eiſdem inita pacta ſervanda ferocientem induxit.

Sixtus mittit Hũgariæ Regi ſuppetias contra Turcas.

Imperatorem & Burgundum pacificat. *Papien. Epiſt. 160.*

II. Fridericum Imperatorem, & Carolum Burgundiæ Ducem inter ſe diſſidentes, & poſt unum aut alterum conflictum, cum validiſſimis & ferociſſimis exercitibus jam ad congreſſum paratos, per Alexandrum ſuum Legatum reconciliavit, ſuſcepta in ſe Noveſii, de quo contendebatur, cuſtodia & controverſiæ deciſione. Eumdem etiam Carolum convocatas Angliæ vires in Ludovicum Galliæ Regem moventem, & Ludovicum cum auxiliaribus copiis Sigiſmundi Auſtriaci, ac Renati Lotharingi ferociter occurrentem, miſſo Nicolao Mutinenſi Epiſcopo, viro virtutis & ingenii præſtantis, compeſcuit, arma omnibus extorſit, pangique curavit novem annorum inducias. Per eumdem etiam Legatum revocavit Ludovicum prædi-

Item Burgundum & Gallum. *Æmil. in Ludov. XI. Papien. ep. 621.*

Gallum etiam & Aragonum.

di-

dictum, ne Aragoniæ Regem Joannem, immiſſa magna Gallorum manu, in Catalonia infeſtantem, amplius moleſtaret, eaque parte bellum extinxit, ſtabilitis ad menſem ſeptimum induciis, omnique controverſia ad Sedem Apoſtolicam delata. *Lib. Secretorum Sixti hujus anni.*

III. Præter tot reconciliatos Principes, totieſque in variis Provinciis pacem ſtabilitam, celebrem hunc annum reddidit Sixtus, magna illa ſeculari venia peccatorum, ſeu ſolemniſſimo omnium Indulgentiarum Jubilæo, quem ad annum quemque vigeſimum quintum reduxit. Inter reliquos, qui magno numero in Urbem confluxerunt, Ferdinandus Rex Neapolitanus ætate ingraveſcente ad ſextum Januarii diem, Catarina Regina Boſnæ ad xxv. Aprilis, & Regina Daciæ uxor Chriſtierni Regis laudabili exemplo, & magno Religionis ſtudio acceſſerunt. Jubilæum indixit, & ad annum 25. reduxit. *Inſixura in Diario Sixti.*

IV. Cœpit ſub hoc tempus renovari memoria ſancti Bonaventuræ, ita exigentibus virtutum meritis, ſingulari doctrina, & frequentibus miraculis, quæ per eum Deus patrabat, volens ut digne coleretur in terris, quem dudum glorificavit in cœlis. Sixtus ejus doctrinæ valde addictus, libenter opus promovebat, neque ingrate Principes pro Canonizatione deprecantes audiebat. Præ reliquis ardentiores hoc anno invenio Ferdinandum præfatum, & Alphonſum filium, Calabriæ Ducem, qui miſſis Oratoribus, ſcriptiſque litteris, honorem hunc Bonaventuræ collatum cupiebant. Ferdinandi litteræ perierunt, Alphonſi ſuperſunt, qualeſque fuerint paternæ, patenter inſinuant. Iſtas exſcribo. Agitur de canonizando ſancto Boneventura.

Sanctiſſimo & beatiſſimo Domino noſtro Papæ.

V. *Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater. Poſt humilem filii commendationem, & pedum oſcula beatorum. Ex litteris Sereniſſimi Domini Regis genitoris mei colendiſſimi, exploratiſſimum erit Sanctitati Veſtræ, quanti faciat Majeſtas ſua, ut vir celeberrimus quondam Bonaventura, qui ex ſacroſancto Cardinalium Senatu fuit, inter Sanctos connumeretur & reponatur, & ad hoc impetrandum quibus verbis, ſtudio, pietate, animi fervore & devotione moveatur, ut nihil gratius ſibi concedi poſſit, neque propterea ad Sanctitatem Veſtram mihi verba facienda eſſent. Verumtamen, Pater beatiſſime, ut mihi ipſi ſatisfaciam, qui Religioni Divi Franciſci deditus ſum, in qua dictus Bonaventura profeſſus erat, exiſtimo virum illum propter ejus vitam, ſanctimoniam, doctrinam, digniſſimaque in re Chriſtiana merita & exempla, cœleſti patria donatum, ſanctitatis nomine gloriaque merito decorandum; & propterea eo, quo majori poſſum ſtudio, Sanctitati Veſtræ ſupplico, ut huic tam ſancto viro, & de Deo Chriſtianoque nomine optime merito, hoc Sanctitatis nomen aſcribere & concedere dignetur, ut ea devotio confirmetur & augeatur, qua a pleriſque in præſentiarum pro Beato colitur & veneratur, ſibique, ut viris ſanctis decet, Divini honores valeant referri, nam multi ad Divinum cultum & ad Religionem ipſam hoc exemplo magis accendentur. Si enim Sanctitas Veſtra his meis precibus cum paternis regiis conjunctis tam æquiſſimis honeſtiſſimiſque annuerit, ut mihi firmiter perſuadeo denegari non debere, mihi & Religioni eſſatæ erit ſummum jucundiſſimumque beneficium. Datum in regio paterno Caſtello Capuano Neapolis, die 27. Julii* MCCCCLXXV. Epiſtola Ducis Calabriæ. *Ex autographo.*

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ humilis & obedientiſſimus filius, Dux Calabriæ, Alphonſus.

Jacob. Picenus petit licentiam in Urbem abeundi.

VI. Beatus Jacobus de Marchia, qui Neapoli degebat, multiſque modis ſanctæ converſationis, ſalutaris doctrinæ, & frequentium miracolorum Regis filiique conciliaverat animos, credens brevi ſecuturam canonizationem, petiit a Pontifice licentiam in Urbem abeundi, ut vel ſua opera rem acceleraret, vel mox futuram præſens conſpiceret. Poſtulatis ita Pontifex reſpondit.

Dilecto filio fratri Jacobo de Marchia Ordinis Minorum.

Ex originali.

Differtur.

Dilecte fili, ſalutem &c. Accepimus dulciſſimas tuæ devotionis litteras, cum ſumma in Domino conſolatione, quibus ſignificas deſiderium tuum eſſe veniendi Romam, propter ſanctæ memoriæ Bonaventuræ de Balneoregio futuram canonizationem, meritis ejus, ac miraculis vitæque exemplaris ſanctimonia & doctrina ita exigentibus. Laudamus ſatis deſiderium tuum, quippe qui pro tuo recto inſtituto & ſanctimonia, tunc maxime lætaris, cum ſanctorum virorum, & præſertim plantularum beati Franciſci Patris noſtri, bonum odorem ad Chriſtum ſpirare animadvertis. Nos autem pro majori cauſæ hujus, ob tanti actus ſolemnitatem, inſtructione miſimus dudum ad partes Galliarum, qui omnia inquiſita diligentius nobis reportent, quia ibi ipſe Bonaventura ex hoc ſeculo migravit. Jamque ſuper hoc cum venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium collegio quædam communicavimus. Similiter cohortamur caritatem tuam, ut ſi quid habes aut reperire potes, in quo tuam requirimus diligentiam, & plurimum incitamus, quod ad hujuſmodi rei inſtructionem faciat, velis nobis intimare, quo demum cum Dei auxilio poſſimus canonizationi prædictæ, cum tempus advenerit, intendere: tunc enim rebus paratis ad te ſcribemus, ut huc venias, quoniam tuam præſentiam multi facimus tamquam Deo gratam, & proinde valde optamus te huic myſterio intereſſe. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXV. *Januarii* MCCCCLXXV. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Zanettus Miniſter Generalis creatur Archiepiſc. Thebanus & Epiſcop. Tarviſinus.
Marian. l. 5. c. 41.
Marc. 3. p. l. 6. c. 60.
Regiſtr. Ordinis.
Capitulum Generale 55. Urbini.
Fit Miniſter Franciſcus Samſon.
Quis & qualis fuerit.

VII. Decrevit Pontifex labores virtutemque Zanetti Utinenſis Archiepiſcopatus Thebanenſis titulo, & Epiſcopatus Tarviſini honore compenſare, juſſitque ad Comitia Generalia Urbinum electores convocari. Ea habita ſunt in feſto Pentecoſtes die XIV. Maii, omniumque ſuffragiis adſcitus eſt in Generalem Miniſtrum Franciſcus Nanis, agnomento *Samſon*, provinciæ Tuſciæ Miniſter, vir quidem hoc munere, etſi quo alio illuſtriore dignisſimus. Honeſtis Brixiæ ortus parentibus, patre Brixiano, matre Senenſi, puer octennis a matre Deo ſub tutela ſancti Franciſci oblatus, in Cœnobio Senenſi Minorum Conventualium avidiſſime litteris incumbebat. Et quia proprios, neque unde emeret, non habebat, aliorum libris, dum dormirent, utebatur, ad dormitorii lucernam præ nimia rerum egeſtate longas protrahens vigilias. Tanta ſtudiorum ſolertia feliciter per omnes, religioſo viro dignas, ſcientias percurrit, ab humanioribus litteris ad Rhethoricam, Philoſophiam & Theologiam veloci greſſu conſcendens, ut brevi vir eruditiſſimus evaſerit, magiſterii gradum ſit aſſecutus, & nobili conſortio Theologorum Collegii Bononienſis adſcriptus. Coram Sixto Pontifice in graviſſima doctorum virorum diſputatione eas partes ſuſtinuit, eaque dexteritate adverſantium nodos, objectioneſque diſſolvit, ut Samſon a Pontifice meruerit audire, quia vincula, quibus illi ligatum putabant, facile diſrupit. Miniſter Terræ ſanctæ anno MCCCCLXIX. die XXVII. Maii renunciatus, cum in Conventum Senarum adoptatus, juriſdictioni & filiationi provinciæ Mediolanenſis renunciaſſet, ad Hetruſcæ provinciæ re-

gi-

gimen anno MCCCCLXX. aſſumptus eſt. Morum gravitate & integritate, prudenti ſuavique regimine non ſolùm Confratrum animos, verum & Principum gratiam ſibi conciliavit. In ſuprema hac præfectura omnibus gratus, placide Sodalitium annis viginti tribus (duos adjunxit Roduphus) menſibus quinque, diebus duodecim gubernavit. Obſervantum familiam ſuis legibus permiſit, nullo tempore voluit turbari, quod dum alii objicerent, invidiam & odium declinans, jocoſe reſpondebat: *Ut quid me pediculoſis Fraterculis immiſceam? neque eſt cur vos tanti illos faciatis, ut miſellos amplius contriſtetis*. Obiit Florentiæ, ut ſuo loco commodius referemus.

Rodul. fol. 194.

Anno 1499. n. 1.

VIII. Ultramontanæ familiæ Obſervantes hoc eodem tempore in feſto Pentecoſtes ſua celebrarunt Generalia Comitia in Conventu Audomarenſi Provinciæ Franciæ, ubi abſoluto Joanne Croym, qui laudabiliter per triennium rexit, ſuffectus eſt Joannes Philippi Vicarius ejuſdem Provinciæ, alias hoc munere Vicarii Generalis digne perfunctus. Altercatum eſt in hoc capitulo circa novum Conventum prope Burgum ſancti Andeoli, diœceſis Vivarienſis, cui Provinciæ deberet adſcribi, an Burgundiæ, an potius Provinciæ? lata eſt ſententia pro poſteriori. In recenſu Fratrum a poſtremo capitulo mortuorum, ſpecialis facta eſt mentio Nicolai de Orbellis, viri doctiſſimi in Provincia Turoniæ, & Joannis Brugmani diſertiſſimi concionatoris, in Provincia Coloniæ defunctorum.

Capitulum Generale 13. Obſervant. Ultramont.

Regiſtr. Ordinis.

Vicarius Generalis Joan. Philippi.

Moritur Nicol. de Orbellis.

IX. Ciſmontani etiam Obſervantes ſuum Capitulum Generale celebrarunt Neapoli, in Conventu ſanctæ Crucis die XIX. Maii infra octavam Pentecoſtes. Deſignatus eſt Vicarius Generalis Petrus de Neapoli, Diſcretus Provinciæ ſancti Antonii, de quo ſuperius diximus, vir doctus, magnanimus, Regularis Obſervantiæ zelator, qui abſolutis in Univerſitate Patavina ſtudiis, matura ætate ad Sodalitium acceſſit. Primo hoc triennio (nam & ſecundo iſtud munus obivit) familiam pedes luſtravit, humiliter in omnibus adimplens miniſterium. Interfuit his Comitiis beatus Jacobus Picenus, ſubrogatus a Fratribus Provinciæ Marchiæ, ut pro ipſis tamquam Diſcretus ferret ſuffragium; continuo enim ea in urbe habitabat, a Pontifice juſſus, uti diximus, ut Ferdinandi Regis adeſſet obſequio. Hic cum videret virum venerabilem & religioſiſſimum, Marcum Bononienſem per Cœnobium incedentem, & a capitulo excluſum, indignari cœpit vehementer, quod Bononienſes hominem ſanctiſſimum adeo neglexerint, ut inter tot Diſcretos ad capitulum miſſos, huic nullum commiſerint ſuffragium, dixitque ſe nullatenus adfuturum, ubi Marcus prudentiſſimus, tertium familiæ director abeſſet. Rogavit itaque, ſeu potius ea, qua præſtabat apud omnes auctoritate præcepit, ut pro ſe admitteretur ſuffragaturus. Ea fuit Marcus vitæ integritate, & diſciplinæ retinendæ conſtantia, ut ferre non poſſet mollioris aut laxioris vitæ ſectatores; a quibus proinde male habebat, præſertim a Vicario Bononienſi, qui multis modis viri virtutem exercebat, litteras intercipiebat, & indiſcretorum ſuperiorum in Cœnobiolis ſolitariis inſipientiæ committebat. Sub uno ex iſtis homuncionibus multa paſſus eſt, & in electione Diſcreti Conventus prælatus eſt alius. Dedit itaque reverſuro novus Vicarius Generalis religioſa quæque privilegia, juſſitque, ut ad ſequens capitulum, tamquam Ordinis Pater & prudens rector omnino veniret.

Capitul. Generale 13. Obſervan. Ciſmontan. Vicarius Generalis Petrus a Neapoli.

An. 1472. n. 5. & 6.

An. 1473. n. 6.

X. Inſtituti ſunt Commiſſarius in Curia Romana Jacobus de Agello (cui proprium ſigillum conceſſum eſt, & injunctum, ut in regeſtum redigeret omnia Ordinis acta, præſertim quæ in Romana fiunt curia) Guardianus Hieroſolymitanus Jacobus de Alexandria Provinciæ Etruriæ. Vicarius

Officiales in hoc Capitulo deſtinati.

Can-

Inſtituitur Vicaria Brixienſis.

Candiæ Bartholomæus de Colle inſignis prædicator, ejuſdem Provinciæ. In hoc capitulo inſtituta eſt Vicaria Brixienſis, ſeparatis a Provincia ſancti Antonii, quibus Apoſtolica auctoritate unitæ erant, & a Mediolanenſi diſciſſæ, domibus Brixien. Bergomate & Cremenſi, cum reliquis adjunctis locellis, ita urgente Dominio Veneto, & ad tempus cedentibus Mediolanenſibus, donec diſſidentium animi pacificarentur. Confirmatus eſt in Commiſſariatu Brixienſium Petrus Maurocenus. Antonius de Gotolengo, eorumdem Procurator & Diſcretus, ſe accuſavit coram toto capitulo de turbis, & quibuſcumque culpis in hujuſmodi controverſia commiſſis.

Provinciæ Brixiæ ſitus & magnitudo. *Gonz. in exord. Prov. Brixiæ.*

XI. Hoc exordium habuit Provincia Brixienſis, quæ ab Oriente ſancti Antonii, ab Occidente Mediolanenſi, atque a Meridie Bononienſi Provinciis contermina eſt. A Septentrione vero nullam prorſus Provinciam, ſed editiſſimos montes, quibus ex Italia in ſuperiorem Germaniam itur, tantummodo reſpicit. Ejus latitudo, quæ a Piſcaria, Veronenſi oppido, uſque Endennam Bergomatum oppidum, ſumenda venit, LXVII. milliaria: longitudo vero, cujus fines ſunt Caſale majus, Cremenſe oppidum, atque ad Padi fluminis famoſi ripam ſitum, & Burnum Brixienſe oppidum, XC. milliaria continet. Complectitur præterea hæc Provincia III. Civitates, Brixiam ſcilicet, Bergomum, atque Cremam, & IV. lacus, piſcium feraciſſimos, nempe Benacum, Iſchium, Endennium, ſive Spinonium, atque Idrim, & V. flumina, Cliſſim videlicet, Mellam, Serrim, Oleum, atque Bremum.

Quædam in hoc Capitulo ſtatuta. Conv. Mazaræ. *Num. 26.*

XII. In eodem capitulo Philippus de Termino, prædicator Siculus egit de dividenda Siciliæ Provincia, ſed Patribus diſplicuit, rigideque præceperunt, ne quidpiam de hac re amplius tractaret. Fluctuabant Patres Siciliæ circa receptionem Conventus Mazaræ, de quo diximus anno præcedenti, ſed inſtigante Rege Ferdinando, decretum eſt ut admitteretur. Conceſſa eſt inſuper facultas ut religioſæ Sorores Monaſterii Montis-Virginum urbis Maſſanenſis transferrentur ad locum in eadem urbe commodiorem. Inter Provincias Boemiæ & Saxoniæ controverſum eſt circa loca ædificanda in Sileſia, utri ſcilicet eſſent adjudicanda, remiſeruntque Patres rei deciſionem Vicario Generali, qui ex conſilio peritorum virorum illarum partium, quid cuique Provinciæ dandum eſſet, pronunciaret. Boemis autem interdictum eſt, ne fines invaderent Provinciæ Poloniæ, aut intra limites Cracoviæ deinceps eleemoſynas colligerent.

Conv. Spinazzolæ. Conv. Atellæ.

XIII. Adjudicatus eſt Conventus Spinazzolæ in regno Neapolitano, paulo antea fabricatus, Provinciæ Apuliæ, conceſſa inſuper facultate Franciſco de Rocchetta Vicario ejuſdem Provinciæ, ut transferret Conventum Atellæ ad alteram partem Civitatis, ubi erat Eccleſia ſanctæ Mariæ de Angelis, quorumdam Eremitarum Tertii Ordinis; prohibita tamen cura Hoſpitalis ſanctæ Catarinæ in Caſtro ſancti Petri, quam in ſe ſuſceperunt Fratres, jubente rege Ferdinando. Eodem etiam inſtigante, & obnixe rogantibus Alfonſo, Duce Calabriæ, & Paſcale Regis adminiſtro, promiſerunt Patres Civibus Liparitanis Fratres Provinciæ Calabriæ accepturos Conventum Liparis; ſed cum paulo poſt reſciverunt, quam offerebant domum, Patrum eſſe Conventualium, Petrus Vicarius ſcripſit Regi, Alfonſo filio & Paſcali, ſe nolle dictos Patres offendere, nec ſtabilitam pacem perturbare. Decretum eſt, ut Commiſſarii Apoſtolici vices ſubeat poſt electionem capitularem, non ille, qui Vicarii functus eſt eatenus officio, uti diſponunt bullæ Eugenii IV. & Pii II. ſed ille, qui noviter eligitur, impetrata tamen facultate Pontificia. Dum enim Miniſtri Generalis longius abſen-

Quis poſt electionem capitularem debeat vices Commiſſarii Apoſtolici ſubire?

abſentis expectatur confirmatio, aliquando bini aut terni menſes elabuntur, quo tempore oportebat Vicarium electum a regimine ceſſare. Viſum eſt itaque commodius, ut novus Præſul hoc Commiſſarii Apoſtolici nomen & poteſtatem, donec advenerit confirmatio, ſuſtineat.

Num.18. Approbatur diviſio Dalmatatam & Raguſinotam.

XIV. Miſſi a Senatu Veneto, qui apud Patres Capitulares agerent, ne amplius commiſcerentur Raguſini cum Dalmatinis, quorum ſeparationem eos feciſſe diximus anno præcedenti. Adfuerunt viciſſim ex Raguſinis alii, qui ſeparationem probabant, ſed omnimodam volebant: adeoque a Dalmatinis & Venetis dividi cupiebant, ut utriuſque nationis Cœnobia in diſtinctas abirent Provincias. Iſtud poſtremum non placuit Patribus: ne vero rixæ aut diſſentiones foverentur, ſub duobus Commiſſariis ſupranominatis, Gaſpare Longino Dalmatarum & Silveſtro Raguſinorum juſſi ſunt permanere. Regimen autem & proviſiones officiorum pro hoc triennio commiſſa ſunt Vicario Generali, qui, aſſumptis in conſilium quatuor Patribus Dalmantinis, Guardianos inſtituit ex ipſa gente per loca Dalmatiæ & Albaniæ, totidemque adhibitis conſiliariis ex altera natione, ubique per Reipublicæ dominium Raguſinos præfecit.

Deſideratur Capiſtrani canonizatio.

XV. Relatis in capitulo multis miraculis a Joanne Capiſtranenſi patratis, ſcriptum eſt Gabrieli Veronenſi, Epiſcopo Albenſi in Tranſilvania, mox Agrienſi, & demum S. R. E. Cardinali, olim ejuſdem Capiſtrani ſocio, ut mirabilia illius operа colligeret, & cum Rege ac Principibus Hungariæ, de viro optimo, Eccleſiæ utiliſſimo Miniſtro, per Pontificem inter cœlites connumerando, ſerio tractaret. Suam operam Albenſis adhibuit, ſed furor bellorum, & Pontificis in Bonaventuræ canonizationem propenſio opus iſtud retardavit.

Rex Ferdinandus in his Comitiis munificus.

XVI. Toto Comitiorum tempore Rex Ferdinandus abunde omnia miniſtravit, terque quaterque Patres ſua dignatus præſentia, familiarem valde ſe exhibuit, & gratias egit, quod urbem illam gravi pioque tantorum virorum conſeſſu honoraverint, in ea natum univerſæ familiæ delegerint Primicerium, & demum pro ſua ſuorumque ſalute multis propitiati ſint ſuffragiis. Æternum ſe horum memorem fore promiſit, rogavitque ut tamquam Religionis filius deinceps ab omnibus haberetur. Convenerant ferme octingenti Fratres, quorum plurimos paupertatis zelus ſtimulabat, ſed qui condiebat cocus, inter ollas ſuperbiens, & in humili miniſterio vanæ gloriæ auram captans, ſupra modum in ferculorum numero & qualitate excedebat. Acriter reprehenſo, nec a ſua vanitate deſiſtenti, Jacobus a Marchia eo, quo fervebat vitæ Regularis ardore, maledixit, pauloque poſt e Sodalitio recedens, quod vates prædixit, miſere periit.

Cocus paupertatis metas tranſiliés graviter corripitur.

Marian. citat. Marc. citat. c. 62. Anton. a Caſtro S. Joannis novam meditatur Cógregationem.

XVII. Dum Capitulum celebraretur, frater Antonius e Caſtro ſancti Joannis, in Provincia Tuſciæ, ad majorem perfectionem aſpirans, ſtatuit in locis pauperculis ſecundum Regulæ puritatem, & primævum Ordinis ſpiritum, abſque privilegiorum munimine, aut declarationum patrocinio, nudæ formulæ a ſancto Franciſco præſcriptæ inhærere. Sui conſilii participes clanculum aliquos effecit, qui alios in ſua vota traxerunt. Relictis ultra triginta ad vitam iſtam ſubeundam paratis, aſſumptiſque ſociis quinque, noctu ſuceſſit in montem Argentarium. Inde poſt aliquot dies, adhibito itineris comite quodam Eremita, Romam omnes abierunt. Fuit qui aditum ad Comitem Hieronymum Ruvereum, Pontificis Nepotem, aperiret, ejuſque imploraret patrocinium. Non defuturum promittens Comes, pro voto illorum diploma impetravit Pontificium, miſitque ad Serram Comitis in Piceno, ſibi ſubjectam, ut juxta facultatem ſibi conceſſam domum

adi-

ædificarent. Interim a Pro-Vicario Tuſciæ per litteras monitus, qui Commiſſarii Curiæ vices agebat, patefacto negotio Patribus e capitulo redeuntibus, vires omnes exeruit, ut conatus illorum diſſiparentur. Cum Hieronymo potentiſſimo fautore agendum erat, cujus auribus talia inſtillavit Vice-commiſſarius, ut manum penitus Hieronymus retraxerit. Ita deſtitutos miſellos, dum quo pergerent, non haberent, domum redire oportuit, & Vicarii correctioni ſemet ſubjicere. Erat ille Petrus Paulus Senenſis, cognomento Barbaroſſa, qui Capriolæ exceptos, carcere, compede, fame & ſiti per aliquot menſes maceravit. Qui rei exitum feliciorem præſtolabantur, ut in paria vota tranſirent, Vicario patefacti, leviores pœnas ſubierunt. Aliquot ex his ſanctiſſime obierunt. De Antonio agemus inferius.

Sed diſſipatur.

An. 1482.

Marian. cit. c. 24. Marc. cit. l. 3. c. 36. Surian. de reb. Hieroſol. fol. 41.

Moritur Fr. Griſo Belga Vir doctus.

XVIII. Obiit hoc anno frater Griſo Belga, magnus Theologus, Doctor Pariſienſis; Anno ætatis vigeſimo ſecundo cathedram magiſtralem aſſecutus, annis ſeptem ſacram legit Theologiam. Aſſiſium & Romam profectus, votum concepit vitæ ſtrictioris. Ad Obſervantes itaque tranſiens, in ſumma humilitate vixit, latere ſummopere inter Italos deſiderans. Sed cum Mantuæ aliquando cuidam interfuiſſet diſputationi, vimque inferri veritati conſpexiſſet, proſiliens in medium, quid ſentiendum eſſet, luculenter oſtendit. Inde cognitus quantus qualiſque eſſet, deinceps majorem venerationem eſt aſſecutus. Hieroſolymas abiens, multaſque miſere cæcutire videns nationes Orientales, ut eas ad Chriſtianæ veritatis lucem facilius attrhaere poſſet, ſeptem annis Græcis, Chaldaicis & Arabicis litteris diligenter operam navavit. His ſufficienter inſtructus, palam aliquando, ſecreto frequentius plurimos edocebat, multiſque ad fidei normam efformatis diſciplinis, ipſe proficiſci ſtatuit ad excolendam & plenius inſtruendam propinquam gentem Maronitam. Ita illa nuncupata non a Marone hæretico, ut perperam Prateolus & alii ſuſpicati ſunt, ſed a ſancto Marone, ſub cujus appellatione inſigne eſt in Syria Mnnaſterium, cujus Archimandrita primo loco ſubſcripſit actis in quadam Synodo Tyri, ſub annum Chriſti DXVIII. celebrata. Etſi vero aliquando varios Eutychetis, Dioſcori & Monothelitarum errores ſint ſecuti Maronitæ, tamen ab Eymerico Antiocheno Patriarcha plene inſtructi, ad communionem Romanæ Eccleſiæ redierunt, eorumque caput ſub Innocentio III. interfuit Concilio magno Lateranenſi. Ab illo tempore ſat integram fidem retinuerunt, etſi in ritualibus, & Sacramentariis aliqui abuſus irrepſerint, & ex commixtione cum finitimis gentibus infectis, pauci quandoque errores aliquibus adhæſerint. Præterquam enim quod totum Montis Lybani ambitum ſeptingentorum millium paſſuum occupent, per Patriarchatum Antiochenum, Cypri inſulam, Civitates Damaſci & Aleppi diſperſi, ſuo Patriarchæ in Monaſterio Montis Lybani reſidenti, Chriſtiane & reverenter obediunt, in officiis Divinis Chaldea, in reliquis lingua utentes Arabica.

Orientalium nationum inſtructor.

Maronitarum præſertim.

Quales illi? *Vide Baron. an. 518. tom. 7.*

Fr. Franciſc. Barcinonen. Griſonis ſocius.

XIX. Ad illos itaque anno MCCCCL. profectus Griſo, ſocio Franciſco Barcinonenſi, qui varias linguas, præſertim Orientales, ex longiſſimo illarum partium incolatu callebat, multa egregie ibi præſtitit, errores ablegavit, ritus compoſuit, Eccleſias inſtauravit, novam faciem rebus obduxit. Tantæ reformationi rerumque innovationi durius obſiſtens, qui Principatum gentis obtinebat, tamdem die Aſſumptionis glorioſæ Virginis Mariæ facile aſſenſit, motus ignito Griſonis ſermone, inſignique portento, quo ſolem jam ad occaſum tendentem, a toto auditorum conſeſſu conſpici fecit in Oriente, radiis ingredientibus per feneſtram, quæ in capite Eccleſiæ prominebat ad Orientem, qui paulo ante collucebant in feneſtra, quæ in

Griſo retrogradi ſolis portento Maronitas commovet.

in templi fronte vergebat ad Occidentem. Hujus rei memoriam perpetuo agunt Maronitæ in ſolemniis prædictæ feſtivitatis.

XX. Magnam ſubeſſe novi difficultatem circa repedationem aut regreſſum ſolis, quam alias accurate expenderunt viri doctiſſimi circa ſolſtitium ſeu ſtationem ſolis, a Joſue præceptam & impetratam, ac circa regreſſum ſolaris umbræ per decem linearum gradus in horologio Achaz, in ſignum reſtitutæ ſalutis Regi Ezechiæ. Sunt enim qui dicant tam in illis ſacræ Scripturæ portentis, quam in aliis, quæ vel ab Ethnicis vel a Chriſtianis ſcriptoribus de ſtatione aut recurſu ſolis & lunæ referuntur, non ita intelligenda eſſe, ut ipſamet aſtra, ſpecioſiſſima mundi luminaria, in curſu ſuo aliquando retardentur, aut violenter retrogredi vel reverti ab intelligentia movente cogantur; ſed ita inſtitutum ſuum curſum ſolem ſemper tenuiſſe, ut tamen Meteorologicis impreſſionibus umbra ſive lux mutari aut circumferri potuerit. Et in hoc noſtro caſu quid prohibet quin Angelus, ſive ille, cujus ordinatione regitur & perſeverat dies, nubium in inferiore loco exiſtentium denſitate ad Occidentem radios impedire, aliorumque excelſiorum ad Orientem oppoſitione eoſdem reflectere, aut ſplendorem repercutere, perque Orientis feneſtram poſſet imittere, lucentemque globum in conglomerata nube, ſolis inſtar, objicere? Plurimi hujuſmodi Divinæ potentiæ ſuppetunt modi, quibus valeat ad ſalutem animarum, gentiumque converſionem, ſive ad ſervorum ſuorum ſolatium aut ſubſidium, diei lucem protrahere vel abbreviare, umbras immittere vel retroagere, ſolis ſimulacrum, vero contecto ſidere, ubique efformare. Ita tamen hæc ego aliis per ſanctos viros patratis miraculis temperanda & accommodanda putem, ut tamen ex ipſo ſacri contextus ſermone, illam Joſue ſtationem, & Ezechiæ retrogradationem, veras & reales ſolis orbiſque dixerim immutationes. Placuit hæc iſthic adnotare, ad mitigandam quorumdam ſeveritatem, qui nihil horum ad fidem admittunt, aſſerentes hujuſmodi portentis, quæ aliquoties in Sanctorum actis leguntur, omnem inverti naturæ ordinem, & ex ſyderum cœlorumque quiete, omnia in ſublunari mundo neceſſario quietura, atque ex irregulari motu, rerum omnium turbationem ſecuturam.

> Quid de hujuſmoti ſolis tegreſſu ſentiendū? *Joſue* 10. 4. *Reg.* 20. *Vide Burgen. Ariam Mont. Vatabulum in* 4. *Reg. c.* 20. *Serarium in Joſue c.* 10. *q.* 25.

XXI. Manſit autem Griſo inter Maronitas annis viginti quinque, univerſæ genti gratiſſimus, in rebus ſacris eos diligenter exercens, quibus fidei myſteria quotidianis ſermonibus explanabat, eorumque cauſas apud Latinos fideliter peragebat. Bis Romam venit eorum negotia apud Calixtum III. promoturus, a quo conſecratus Epiſcopus, & gentis deſignatus eſt Patriarcha. Aliquot ille in vaſtiſſima Provincia creavit ſuffraganeos, plurimoſque ordinavit presbyteros. Duos bonæ indolis adoleſcentes ad Ordinem recepit, Joannem & Gabrielem, quos, emiſſa profeſſione, Venetias & in Urbem deſtinavit, ut linguam Latinam bonaſque artes ediſcerent. Uterque poſtea factus eſt Epiſcopus, multumque in ſua gente profecit. Porro Griſo vir optimus, magnæ caritatis, ingentiſque zeli animarum, cum omnia bene ſe habere inter Maronitas perſpiceret, aliorum ſitiens ſalutem, etſi grandævus & dignitate conſpicuus, in Perſiam tranſire decrevit. Gravi tamen infirmitate in mari correptum, Cyprum applicare oportuit, ubi hoc anno, in Conventu ſancti Franciſci Famaguſtæ pie deceſſit. Multa ſcripſit, & in linguam tranſtulit Syriacam ad inſtructionem Maronitarum.

> Griſo Gentis Maronitæ Patriarcha.

> Duo ejus diſcipuli creati Epiſcopi.

XXII. Socius Franciſcus Barcinonenſis in Italiam ſtatim navigavit, multiſque in commendationem gentis Maronitæ relatis Sixto Pontifici, eum exci-

excitavit ut pro Griſone defuncto alium mitteret ejuſdem Inſtituti, qui facilem & incultam gentem amplius confirmaret, in rebuſque neceſſariis ſolerter pro eis apud Sedem Apoſtolicam interpellaret. Statim ille miſit Ludovicum de Ripperio cum piis ſacriſque donariis, crucis argenteæ, mitræ phrygiatæ, baculi paſtoralis, cum holoſericis paramentis, variiſque libris lingua Chaldæa exaratis. At cum Ludovicus Venetiis diu ægrotaret, curam Catholicæ gentis penitus committendam Vicario Generali Obſervantum Sixtus decrevit; juſſitque ut ſtatim ad eos virum idoneum, nomine Sedis Apoſtolicæ mitteret: miſit autem Alexandrum de Arioſtis, Provinciæ Bononiæ cum duobus ſociis, & ſub initium anni ſequentis eidem Vicario futuriſque ſucceſſoribus auctoritatem conceſſit mittendi ad Maronitas virum religioſum, qui tamquam Nuncius, & Sedis Apoſtolicæ Commiſſarius, univerſæ nationi præeſſet. Do miſſionis & auctoritatis inſtrumenta.

Ludovic. de Ripperio mittitur ad Maronitas.

Gentis cura committitur Vicario Generali.

Hic mittit Alexandrum de Arioſtis.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Minorum de Obſervantia, quoad Fratres totius familiæ Ciſmontanæ &c.

Ex regiſt. Ord.

XXIII. *Dilecte fili, ſalutem &c. Miſſuri unum ad Montem Lybanum in Syria, qui noſtro, ac hujus ſanctæ Apoſtolicæ Sedis nomine, Chriſtianos Maronitas illac exiſtentes viſitet, ac ſi opus erit, in fide noſtra Catholica inſtruat, delegimus præcipue Ordinem veſtrum beati Franciſci de Obſervantia, de quo mittendum illuc ſumamus. Quare, cum arbitremur te de Confratribus tuis optimam cognitionem habere, ut melior de primo mittendo electio fiat, per præſentes tibi committimus & mandamus, ut Deum præ oculis habens, unum de prædicti Ordinis veſtri beati Franciſci tibi ſubditis, religioſum eligas, quem ad hoc magis idoneum & aptiorem eſſe duxeris, & quem noveris probum religioſum, bonæ famæ, & doctum eſſe, ad illos Chriſtianos inſtruendos, eique unum aut duos ſocios, viros bonos, & Deum timentes adjungas, qui ipſum comitentur & juvent. Maxime cum dilectus filius Ludovicus de Ripperio, cui hanc commiſſionem dedimus, propter infirmitatem, qua Venetiis detinetur, iter ſuum proſequi non poſſit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, die* V. *Octobris* MCCCCLXXV. *Pontificatus noſtri anno* V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ibidem.

Committitur Vicario Generali poteſtas inſtituēdi Nuncium & Commiſſariū ſedis Apoſt. inter Maronitas.

XXIV. *Suſcepti cura regiminis cor noſtrum continua pulſat inſtantia, ut ſollicitudinis debitum, ad quod univerſis Chriſtifidelibus Apoſtolicæ ſervitutis neceſſitas nos obligat, eorum ſingulis, prout nobis ex alto conceditur, in his potiſſime, quæ animarum eorum ſalutem concernunt, exſolvamus. Cupientes igitur, ut Chriſtifidelibus in partibus infidelium Ultramarinis, & præſertim Patriarchatus Antiocheni nunc & pro tempore commorantibus, Maronitis nuncupatis, qui propter partium illarum a Romana Curia diſtantiam, facile ad Sedem Apoſtolicam in eorum opportunitatibus recurſum habere non poſſunt, non deſint, quæ ad ſalutem animarum eorumdem neceſſaria fore noſcuntur, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore ſtatuimus & ordinamus, quod dilectus filius Petrus de Neapoli modernus, & qui pro tempore exiſtit Vicarius Generalis Ciſmontanus Ordinis Fratrum Minorum Obſervantiæ Regularis, perpetuis futuris temporibus poſſit & debeat auctoritate prædicta deputare unum dicti Ordinis profeſſorem, litterarum ſcientia præditum, vitæ munditia & morum honeſtate decorum, in ſpiritua-*

ritualibus circumſpectum, in ejuſdem Sedis Nuncium & Commiſſarium apud Maronitas eoſdem, & illum ſic pro tempore deputatum, ab ejuſdem Nuncii & Commiſſarii officio pro ſolo ipſius Vicarii nuta amovere, & loco ejus alium ſubrogare, quoties eidem Vicario videbitur opportunum. Nuncius vero & Commiſſarius ipſe ſic deputatus, durante ejus deputatione hujuſmodi, dictæ Sedis Nuncius & Commiſſarius exiſtat, perinde ac ſi per Sedem ipſum immediate deputatus ac nominatus foret, cui per ſe vel alium ſeu alios idoneos, quibuſcumque Chriſtifidelibus partium Maronitarum dumtaxat, eorum confeſſionibus diligenter auditis, in ſingulis ſibi vel Sedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus, necnon a quarumcumque excommunicationum & ſuſpenſionum ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, etiamſi eorum abſolutio eſſet dictæ Sedi ex quavis cauſa reſervata, toties, quoties opus fuerit, de abſolutionis beneficio in forma Eccleſiæ conſueta providendi, ac interdicta, quavis Apoſtolica auctoritate, ex quavis cauſa pro tempore poſita, tollendi & amovendi; viſitationis liminum Apoſtolorum Petri & Pauli, alia quæcumque vota, per eos pro tempore emiſſa, caſtitatis & ingreſſus Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera, prout ſecundum Deum videbitur, commutandi: Necnon ſuper quavis irregularitate, per eos ex quavis cauſa, præterquam bigamiæ & homicidii voluntarii, contracta, quoad Ordines ſacros, & in Altaris miniſterio, & ad beneficia quæcumque Eccleſiaſtica inhabiles, necnon cum his, qui invicem quarto ſimplici, aut tertio ex uno, & quarto ex altero lateribus conſanguinitatis vel affinitatis gradibus invicem forent conjuncti, ut matrimonium inter ſe contrahere, & in illo, poſtquam contractum fuerit, remanere, vel ſi jam invicem matrimonium ſcienter contraxiſſent, illis penitus ab exceſſu, cenſuris & pœnis propterea per eos incurſis, abſolutis in forma Eccleſiæ conſueta, & ab invicem ad tempus, de quo ſibi videbitur, ſeparatis, ut de novo matrimonialiter copulari libere & licite valeant, ſuſceptam & ſuſcipiendam hujuſmodi prolem legitimam nunciando, diſpenſandi, Apoſtolica auctoritate facultatem concedimus per præſentes: diſtrictius inhibentes eidem in virtute ſanctæ obedientiæ, ne prætextu hujus ſibi conceſſæ facultatis, in dicti Ordinis profeſſores aut domos aliquam ſuperioritatem exercere, aut illis aliquid mandare præſumat, niſi ſuper hoc ab eodem Generali Vicario ſibi fuerit conceſſa poteſtas, & auctoritas attributa, cujus metas ſtudeat ſemper obſervare. Non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et inſuper, ne Chriſtifideles, qui anno Jubilæi proximo decurſo, eorumdem Apoſtolorum Baſilicas ac Lateran. & ſanctæ Mariæ Majoris de Urbe Eccleſias pro conſequenda indulgentia ejuſdem anni viſitare nequiverint vel non curaverint, effectu careant indulgentiæ memoratæ, volumus & eiſdem fidelibus partium illarum, qui Eccleſias per ipſum Nuncium & Commiſſarium deputandas in partibus illis, diebus & temporibus per eum ordinandis, per annum a data præſentium computandum, devote viſitaverint, præfata auctoritate concedimus, ut exinde vere pœnitentes & confeſſi, eamdem plenariam indulgentiam, & peccatorum remiſſionem, ac cum Altiſſimo, cujus vices, quamquam immeriti, gerimus, reconciliationem conſequantur, quam conſecuti fuiſſent, ſi proximo decurſo anno prædicto Jubilæi, Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas ac Lateranen. & ſanctæ Mariæ Majoris de Urbe Eccleſias prædictas, ſtatutis per Sedem Apoſtolicam diebus, juxta litteras deſuper confectas, perſonaliter viſitaſſent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, inhibitionis, voluntatis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omni-

Prædicti Nuncii facultates.

potentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXV. *pridie Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno* IV.

Fortunatus a Peruſio jubetur transferre Urbinum Cæciliam Coppolã. *An.* 1500.

XXV. Fortunatus a Peruſio juſſus prædicare Piſtorienſibus, poſtea ei demandatur cura, religioſiſſimam & ſanctitatis fama percelebrem Cæciliam Coppoli, ſuam concivem Peruſinam, de qua diffuſius ſub mortis annum dicemus, e Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginatenſi ad Urbinatenſem, ut intenſo Friderici Ducis deſiderio ſatisfieret, opportune transferre. In tantæ Virginis commendationem, ipſas litteras Apoſtolicas exſcribo.

Dilecto filio Fortunato de Peruſio, Ordinis Minorum de Obſervantia &c.

Ex autographo.

Dilecte fili, ſalutem &c. Nuper ad inſtantiam dilecti filii, nobilis viri Friderici Ducis Urbini cupientis, ut dilecta in Chriſto filia Cæcilia de Peruſio, profeſſa Monaſterii ſanctæ Luciæ de Fulgineo, Ordinis ſanctæ Claræ, propter ejus ſanctimoniam & probitatem, in Monaſterio ſanctæ Claræ de Urbino, pro illius bono regimine permaneat, mandavimus eidem Cæciliæ per breve noſtrum, ut ſe cum duabus ſociis eo conferret. Quod cum adhuc factum non eſſe intelligamus, profecto miramur. Itaque per præſentes tibi in virtute ſanctæ Obedientiæ injungimus, ut ſtatim Fulgineum proficiſcaris, & ipſi Cæciliæ noſtro nomine ſtrictiſſime, prout expediens judicabis, mandes, atque etiam opportune provideas, ut ſe omnino cum dictis duabus ſociis Urbinum conferat, in dicto Monaſterio permanſura, prout in eodem brevi continetur, quo poſſit piis & laudabilibus præfati Ducis in hac parte deſideriis ſatisfieri: non obſtantibus contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo &c. die VII. *Octobris* MCCCCLXXV. *Pontificatus noſtri anno* V.

Bernard. Feltren. prædicat Tridenti.
Legen. MSS. Marian. cit. c. 43.

XXVI. Bernardinus Feltrenſis quadrageſimales conciones hoc anno habuit ad populum Tridentinum, cui ſæpe interdixit familiare nimis cum Hebræis commercium. Domos penetrabant, & Chriſtianorum conſiliis ſe ingerebant Tobias medicus Judæus, & Brunetta fœmina ejuſdem gentis vaferrima. Ab his cavendum dum frequenter diceret Bernardinus, concitavit in ſe quorumdam invidiam, qui aliunde bonos, dempta fide, injuſte ab eo traduci dicebant: *Hi veſtri boni*, reſpondebat Eccleſiaſtes, *quantum vobis advehant mali neſcitis, ſed non præteribit Paſcha Dominicum, antequam hi dignum ſuæ bonitatis præbeant argumentum*. Advenit dies Martis hebdomadæ ſanctæ, XII. Kal. Aprilis, cum jam Chriſtiani ſe præpararent ad celebranda myſteria Dominicæ Paſſionis, & ecce conſilium inierunt Hebræorum præcipui, de immolando Chriſtiano infante, & ſanguine ejus inter azymorum veſanos ritus epotando. Præparandæ victimæ cura commiſſa prædicto Tobiæ, qui puerulum ſpecioſum, annis duobus, menſibus quinque incompletis natum, Simonem nomine, præ genitoris foribus ſedentem, furtim abduxit. Sub mediam noctem rabidi canes innocentiſſimam creaturam circumdantes, miris tormentis per horam integram cruciarunt, alterno ordine forfice unoquoque ſibi fruſtulum carnis e viventis corpuſculo exſcindente, & ſacrum ſanguinem colligente, deinde in crucis modum exaltatum, duris acubus, denſiſque ictibus infoderunt. Quærenti ubique filium genitrice, pueri inclamabant ab Hebræis occiſum, quorum voces Bernardinus dicebat cœleſtes, nec alibi quam inter caprones agnellum eſſe quærendum. Male hoc habebat multos Hebræorum fautores, ſed intrepide Bernardinus dicebat, Chriſti occiſores Chriſti paſſionis ſchemata in puerili

Jubet caveri ab Hebræorum cõſortio.

Infandum Hebræorum ſcelus.

cor-

Digitized by Google

corpore repræſentaſſe. Id tamdem compertum, miſſuſque a Sixto Pontifice Joannes Salam Brixienſis, juris ſcientia inſigniter peritus, grave hic ſumpſit de infanticidii ſupplicium; mox Simonis reliquiis ſacri honores digne ſunt decreti. Circumfertur rei totius ſeries eleganter deſcripta a Joanne Matthia Tiberino.

Vide Brev. hoc anno n. 13.

Floret B. Ludov. a Barga. *Marian. cit. Conr. in Prov. Tuſc. Conv. 19.* Quantus ei zelus animarum?

XXVII. Hoc tempore florebat beatus Ludovicus a Barga, beati Herculani de Piegale diſcipulus, mira ſimplicitate & vitæ auſteritate conſpicuus, qui nihil aliud præter animarum ſalutem ſitire videbatur. Per agros diſcurrens, ruſticos diſtinguendis ſulcis intentos, ad pœnitentiam, maxime tamen ad ſacram peccatorum confeſſionem faciendam, obnixe hortabatur. Quod ſi illorum quiſpiam aliquando ſibi confiteri voluiſſet, eum aratri ſtivæ innixus patientiſſime audiebat. Et ſi aliquis pudore perfuſus, aliquod peccatum ſubticuiſſet, id beatus Pater per revelationem prænoſcens, hujuſmodi hominem miris cautelis ad manifeſtationem alliciebat. Infirmis, & maxime peſte laborantibus, præſtiſſimo aderat, quibus etiam omnia Sacramenta miniſtrans, ſepulturæ beneficium, dum opus eſſet, propriis manibus exhibebat. Ita ut in quadam peſte DCC. & ultra defunctorum corpora, ſocio tantum adjuvante, ſepelierit. Quapropter & miraculis adhuc vivens claruit: Nam & puerum defunctum ſuis precibus ad vitam revocavit, &, deficiente cymba, rapidiſſimum fluvium, ſtrato ſub pedibus mantello, una cum ſocio feliciſſime trajecit.

Ejus miracula.

Moritur Michael Bal. *Chron. MSS. Prov. Polon.*

XXVIII. Hoc anno in die Purificationis beatæ Virginis Mariæ, Cracoviæ deceſſit Michael Bal Ruthenus, nobilis viri Dapiferi Samocenſis filius, a beato Joanne Capiſtrano ad Ordinem receptus, poſtquam legationes aliquas Caſimiri Regis ad Principes vicinos obierat. Adhuc Diaconatus gradum non exceſſerat, cum in Boemiam Huſſitis prædicaturus deſignatus, intrepide contra illorum errores prædicavit, multas proinde ab eis paſſus injurias & inſidias. Ad Sacerdotium aſſumptus, ad Archiepiſcopatum etiam Pragenſem aſſumebatur, ſed omne genus honorum conſtanter recuſavit. Bis ad regimen Fratrum invitus electus, Vicariatum Provinciæ, ante completum ſecundum triennium, propter infirmitates depoſuit. A Conſodalibus tenere diligebatur propter placidum & indefeſſum ſtudium omnibus placendi. Conventum Samborienſem, dum prima vice Vicarium ageret, ipſe ſuſcepit, rebuſque omnibus inſtruxit. Annis exuberans bonis, pedum dolore multis annis gravatus, in doloribus & adverſitatibus patientiſſimus, ſancto fine quievit.

Qualis vir?

Fr. Jacob. Epiſc. Daren.

XXIX. Creati hoc anno Epiſcopi, Darenſis in Hibernia, ſub Archiep. Dublinenſi Jacobus Wale, ſacræ Theologiæ Magiſter, Nonis Aprilis. Aſſumptus eſt per obitum Davidis, antequam litteræ Apoſtolicæ ſuper proviſionem hujuſmodi conficerentur, defuncti. Davidem autem immediate præceſſit Galfridus. Ita refertur in diplomate Pontificio, a quo non parum diſcrepat cathalogus Epiſcoporum Darenſium a Jacobo Wareo conſcriptus. Vide ibidem Jacobi prædeceſſorem, & ſucceſſorem Wale, qui non alius eſt a Jacobo, ita cognominato. Anno MCCCCLXXVIII. XVII. Kalendas Junii, invenio in regeſto conceſſam ei facultatem admittendi ſimul duo beneficia propter tenues reditus Epiſcopatus. Ab Agrien. in Hungaria, ſub Archiepiſcopo Strigonienſi, translatus eſt ab Alben. Tranſilvaniæ, frater Gabriel Veronenſis, Regi Matthiæ cariſſimus, poſtea S. R. E. Cardinalis, per translationem Joannis ad Strigonienſem, VIII. Kalendas Maii. Creatus eſt Epiſcopus Folien. in partibus infidelium Ægidius de Portu Luſitanus, in Theologia Baccalaureus, per obitum Stephani, V. Kalendas Junii. Anno ſe-

Frater Gabriel Agrien.

Fr. Ægid. Folien.

ſequenti, v. Kalendas Junii data eſt ei annua penſio ducentorum ducatorum auri ſuper fructibus menſæ Epiſcpalis Portugallenſis, & facultas habitandi in Conventu ſancti Franciſci ejuſdem urbis, in qua natus eſt, ibique & per univerſam diœceſim Pontificalia exercendi. Guadixen. in Provincia Bætica in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Granatenſi, Sarracenis tunc ſubjecto, frater Petrus, III. Nonas Junii. Aduren. in Gallia, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi frater Petrus de Fuxo, vir Princeps, per obitum Triſtandi, pridie Kalendas Auguſti. Ab hoc Epiſcopatu translatus eſt ad Venatenſem, deinde creatus Cardinalis, uti anno ſequenti narrabimus, ubi quædam diligentius examinabimus. Florebat hoc tempore doctrina, & apud Principes auctoritate frater Antonius de Saponaria, Ferdinandi Regis Siciliæ conſiliarius.

Fr Petr. Guadixen. — *Fr. Petr. Aduren.* — *Fr. Anton. de Saponaria.*

XXX. Ad Cœnobia hoc anno erecta digrediendum. Bononiæ diximus alias conceſſam Fratribus Obſervantibus Conventus ſancti Pauli, longe ab urbe diſtantis, domum intra Civitatem, ut infirmos curarent, adjecto tantum Oratorio ſub invocatione ſancti Hieronymi, ſine campana. Hoc anno commodiorem & ampliorem domum alteram ſub titulo Annunciationis Virginis Mariæ, prope & extra muros urbis ad LX. P. a porta S. Mammæ, ubi præerat Ecclesia ſancti Baſilii, & Prioratus Monachorum ejuſdem ſancti Legislatoris, vel ut aliis placet, Fratrum Armenorum, Ordinis ſancti Auguſtini, acceperunt, emptis etiam ædibus Bardorum nobilium Florentinorum. Opus plus ceteris promoverunt Bentivolia, Felcinia, atque Mangiolia illuſtres familiæ: *Promptum & benevolum*. V. Kalendas Julii. Jacet ad latus dextrum ſummi Altaris frater Aloyſius Puteus Burgonovanus, olim Generalis Miniſter, de quo alias opportunius agemus, & in quodam templi ſacello, beata Apollonia Tertii Ordinis Soror, miraculis illuſtris, uti hæc adjecta carmina teſtantur.

Tom. 11. anno 1447. n.66. Conv. Annunciationis Bononiæ. *Lib. 71. fol.289. Gonz. in Prov. Bonon. Conv.17. Sigon. de Epiſc. Bonon. hoc anno.* — Fr. Aloyſius Puteus. *An.1580.* B. Apollonia.

Condita capſa eſt hac ſoror Apollonia digne,
Quam, quæ jam fecit, firmant miracula ſanctam.
Nupta prius civi, ſed poſt vidua ipſa remanſit:
Franciſci tamdem ſeſe veſte induit almi.

XXXI. Guillelmus de ſancto Severino Comes, & ejus genitrix Comitiſſa Caputanæ impetrarunt hoc anno VII. Junii facultatem transferendi Monaſterium quoddam Monialium Ciſtercienſium ſitum extra mœnia oppidi Rochæ glorioſæ, Principatus Salerni, diœceſis Policaſtren. ad interiora oppidi, in eoque loco Cœnobium ædificandi Fratrum Obſervantum. An ita fecerint, non mihi plane compertum.

Conv. Rochæ glorioſæ. *Lib.77. fol.57.*

XXXII. Hoc anno communibus facultatibus inchoatum Conventum Spinæ aureæ, vulgo *Spinnazola*, oppidi in Apulia non ignobilis, diœceſis Venuſinæ, aſſerit Gonzaga. Quæ de illo decreta diximus in Comitiis Generalibus, indicant aliquanto anteriorem. In Provincia Baſilicatæ, prope Hoſtiliani oppidum, diœceſis Tricarici, Eligius Hoſtilianenſium Princeps, & Alienenſium Comes alium eiſdem Fratribus ſub invocatione ſancti Antonii de Padua conſtruxit. Prope Leontinum, Syracuſanæ diœceſis urbem, cives communi ære circa hunc annum domum Obſervantibus ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu poſuerunt. Vicinæ paludes aerem craſſum reddunt & inſalubrem. In templo recens lepidumque iſtud legitur epitaphium.

Conv. Spinæ aureæ. *Idem in Prov. S. Nicol. Con.25. Supra hoc ann. n. 13.* Conv. Hoſtiliani. *Idem in Provin. Baſilic. Conv.11.* Conv. Leontini. *Idem in Prov. Sicil. Conv.24.*

Mor-

Mortis Victori Chriſto, Matrique ejus Mariæ. Viator mane, mane, non longa erit mora: lege me, & tace; ſomnum ne rumpas, quieſcit hic herois illa Leonora Branciſortia, Aragoniæ familiæ, ſexuſque decus; ſurget mox ea cum beatis; tu hic merenti da violas: dic vale, atque abi fæliciter. Vixit ann. 22. Obiit 1578.

XXXIII. Floruerunt hic pii viri, Vincentius Leontinus Laicus, anno MDCXIV. & Joſephus Meli item Leontinus, qui Procuratorem Generalem ſui Ordinis egit in Curia Romana, ſub Bonaventura a Calatagirone Miniſtro Generali.

Fr. Vincentius Leontinus. Fr. Joſephus Meli.

XXXIV. Falco de Agante Regius Eques, & Dominus de Saltu, Carpentoractenſis diœceſis hoc anno, annuente Sixto, commodum Fratrum Eremitorium cum Eccleſia, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratia, ædificavit in valle quadam nemoroſa prope Pertuſum, ſuper flumen Veſium in Territorio oppidi Turris Aquarum, diœceſis Aquenſis. Irruente in Galliam illa colluvie hæreticorum, etiam hic locus ſua paſſus eſt incommoda, dum Pertuſum, Ductore Des Adrets obſiderent: partem enim combuſſerunt, & Fratres male affecerunt, ſed non ſine Divina ultione; fecit enim Dominus judicium injuriam patientibus.

Conv. Turris Aquarum. *Idem in Prov. S. Ludov. Conv. 18.*

XXXV. Carolus Audax, & Margarita Burgundiæ Duces, conſiderantes domum de Dubrez, Morinen. diœceſis a Philippo Bono, Caroli patre, Obſervantibus conſtructam, & multa ſuppellectile decenter inſtructam, incolis ſatis incommodam fuiſſe, ſtatuerunt aliam in loco commodo & idoneo ad oppidum Monſteroli, Ambianenſis diœceſis, per tres leucas diſtanti conſtruere, relictis aliquot Fratribus in priori Conventu, qui veluti Eremitorium incolerent. Annuit Sixtus VII. Idus Martii.

Conv. Monſteroli. *Lib. 66. bullar. fol. 261.*

XXXVI. Fratres Cuſtodiæ Livoniæ cum plurimum proficerent circa reductionem illius gentis ab idololatria, & inſano arborum cultu, & ſub Pio II. & Paulo II. aliquot ibi Cœnobia ædificarent, a Ruthenis & Prutenis deſidarati, impetrarunt hoc anno a Pontifice licentiam duos Conventus in Ruſſia & totidem in Pruſſia ædificandi, eaque Provinciæ Saxoniæ aggregandi: *Uberes fructus*. XII. Kalendas Julii.

Conv. Ruſſiæ & Pruſſiæ. *Lib. 77. fol. 121.*

XXXVII. Niſſenſes cives in Boemia hoc anno Conventum Obſervantibus ſub titulo ſanctæ Crucis publicis facultatibus erexerunt. Ab hæreticis poſtea deſtructi vix ruinæ perſeverant. Duo hic celebrata Comitia Provincialia, in quorum primo Paulus a Moravia, anno MCCCCLXXVIII. in ſecundo Paulinus Lembergetius, anno MCCCCXCI. fuerunt ad Vicariatum aſſumpti.

Conv. Niſſæ. *Gonz. in Provin. Boem. Conv. 15.*

XXXVIII. Prædictus Paulus Moravus votis ſatisfacturus Gloeſienſium oppidanorum, hoc etiam anno apud eos ædificari curavit Cœnobium ſub invocatione ſancti Georgii, ubi ſtatim Fratres quindecim collocavit, qui gentem illam tum verbo tum exemplo docerent. Sanguinariis tamdem hæreticis ceſſit, Fratribus pulſis, aris everſis.

Conv. Gloeſiæ. *Indid. Conv. 20.*

XXXIX. Apud alterum prædicti Regni oppidum Novæ domus, hoc item tempore domus tertia ſub titulo ſanctæ Catarinæ fabricata eſt, quam pii oppidani ſemper indemnem ſervarunt ab hæreticorum incurſantium injuriis.

Conv. Novæ domus. *Indid. Conv. 22.*

XL. Bartholomæus de Collionibus, Dominus terræ de Martinengo, diœceſis Bergomenſis, Monaſterium ædificaverat Clariſſarum in ſitu & dominibus ſpectantibus ad Monaſterium de Galgari, extra muros Bergomenſes, pro quibus alia eis bona conceſſit, ut ſuperius narravimus. Structuræ & permu-

Monaſt. Bergomen. *Lib. 72. fol. 276. Gonz. in Provin. Brixien. Monaſt. 4. Anno 1472. n. 108.*

mutationis confirmationem hoc anno a Sixto impetravit, XIII. Kalend. Junii. Crevit paulatim Monaſterium nobilium ſumptibus Monialium.

Monaſt. Vercellarum. Lib. 78. fol. 286. Gonz. in Provin. Mediol. Monaſt. 9.

XLI. Barbara Virgo Bergomenſis (non Mediolanenſis uti habet Gonzaga) cum in Monaſterio ſancti Bernardini Mediolanenſi, ubi tirocinium agebat, perſeverare non poſſet propter graves infirmitatas occultaſque hoſtis inſidias, Vercellas abiit; ubi aliquot Virgines congregavit, piis moribus inſtruxit, legere, ſuere, honeſte pieque docuit converſari. Inde omnibus gratiſſima, demum in ſua vota Jolantam Sabaudiæ Duciſſam allexit, ut ſibi ſuiſque diſcipulis Monaſterium ſub Regula ſanctæ Claræ & diſciplina Patrum Obſervantum conſtrueret. Operi inchoando hoc anno, IV. Idus Julii facultatem impetravit a Pontifice, qui Barbaram, *apud ſe*, inquit, *de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque donis multipliciter commendatam*, Abbatiſſam præfecit his, quæ ſequuntur, a ſe nominatis in diplomate Virginibus, Auguſtinæ, Luciæ, Magdalenæ de Agatiis, Mariæ Bianchinæ, Franciſchinæ de Aſt, Margaritæ de Gripis, alias Meladiæ, Magdalenæ de Rabalis, Helenæ de Olmo, Juliæ de Paleſtro, Odinæ de Buſto, Agneſinæ de Rodobio, Mariæ de Paganis. His Senatus Vercellenſis ſancti Jacobi Eccleſiam, cum quibuſdam domibus contiguis conceſſit, quas Jolanta in Monaſterii formam reduxit, non tamen ea, qua ſtatuit amplitudine, anno MCCCCLXXVIII. morte prævanta. Paulo poſt Barbara, ante & poſt mortem clara miraculis deceſſit, evocataque eſt ex præfato Monaſterio ſancti Bernardini ſoror Thaddæa, ſub qua Collegium iſtud pietate & numero crevit mirabiliter, ita ut anguſte nimis Sorores habitarent. Rogavit itaque Urbanus Bonivardus Epiſcopus Vercellenſis, ut Pontifex Sixtus eis vellet concedere Eccleſiam & domum Canonicorum Præpoſituræ ſancti Gratiani, olim Congregationis Lateranenſis, paulo antea unitam menſæ Epiſcopali. Conceſſit anno MCCCCLXXX. VI. Maii, ea lege, ut quæ prius exercebatur ibidem cura parochialis, retineretur, & tria quotidie ſacra celebrarenrur.

Vide Ferrer. de Epiſc. Vercellenſ. anno 1480.

Monaſt Agienſe. Eodem lib. fol. 33.

XLII. Frequentes incurſiones Turcarum in Cretenſem inſulam, multorum locorum intulerunt deſolationem & ſolitudinem. Plurima etiam loca ſacra tunc deſtructa, atque inter hæc Monaſterium Clariſſarum Agienſe, quod magna ex parte dirutum, & Monialibus deſtitutum, hoc anno X. Kalend. Julii redactum eſt in perpetuum ſimplex beneficium.

Monaſt. Placentin. Gonz. in Provin. ſancti Michaelis Monaſt. 4. Monum. MSS. prædict. Prov.

XLIII. Sebilla Lopez Carvajalia, Didaci Rodriquez Carvajalii filia, in urbe Placentina Hiſpana, paulo ante mortem, teſtamentum condidit, anno MCCCCLXVII. legavitque ædes paternas & ſufficientes reditus condendo Monaſterio Clariſſarum, ſcripſitque Executorem Baccalaureum Alphonſum Ruiz de Camargo. Hic itaque iſto anno Monaſterium, habita Sixti licentia, inchoavit non tam ſuis, quam defunctæ uxoris expenſis. Creſcente numero Monialium, Ferdinandus & Iſabella Reges Catholici adjunxerunt vicinas ædes Judæorum, paulo antea generali edicto ab Hiſpania pulſorum. Plurimæ hic vixerunt Virgines nobiles, & Religioſæ magna virtutum opinione. Patronatum Monaſterii anno MDCVI. ſibi vendicavit jure conſortis Rodericus Calderonius, Vargas & Camargus, Comes Olivæ, Ocaniæ Commendatarius, militiæ ſancti Jacobi Eques (quem magnis honorum & divitiarum incrementis cognovi, & vidi Philippi III. intimum Conſiliarium, & demum publico ſupplicio infeliciter affectum) annuo cenſu Monialibus præſcripto. Curavit duo nobilia conſtrui ſepulcra in ſacello majori, haſque inſcriptiones apponi. Hæc legitur ad latus Evangelii.

Joan-

Joannes de Vargas Caroli V. & Philippi II. Conſiliarius in ſupremo Italiæ Conſilio Regens, atque in Flandriæ Senatu Præſes, jacet exigua in Urna magnus vir, hujus capellæ & Monaſterii Patronus una cum Uxore Dom. Agnete de Camarga, Domina Villarum Olivæ & Placencuelæ.

Ad latus oppoſitum.

Requieſcit hic Dominus Michael de Vargas, militiæ D. Jacobi Eques, Commendatarius de Caſtillexa de la Cueſta, Villarum Olivæ & Placencuelæ Dominus, Joannis & Agnetis, quorum corpora ex adverſo jacent, proles, hujus capellæ & Monaſterii patronus. Jacet ſimul Domina Elvira de Trejo Carvajal ejus uxor, quorum gener Dom. Rodericus Calderon, Eques militiæ D. Jacobi, Comes de la Oliva, Commendatarius de Ocaña, ſimul cum uxore D. Agnete de Vargas eorum filia, hoc ſacellum inſtauravit, novoſque reditus Monaſterio conſtituit.

XLIV. Beatrix & Leonora Guttierez a Membrillia germanæ ſorores hoc anno fundarunt Monaſterium ſanctæ Agnetis intra mœnia urbis Cordubenſis, quadraginta Sororum capaciſſimum. Reditus dederunt varii benefactores, ſed in his præcipui, Ferdinandus & Iſabella Reges Catholici. Monaſt. ſanctæ Agnetis Cordubenſe. *Gonz. in Provin. Granaten. Mon. 7.*

XLV. Delfi, quod Auſtralis Hollandiæ & diœceſis Trajectenſis pulchrum oppidum eſt, domus erat Sororum Tertii Ordinis, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Nazareth, quæ dum ſub prædicto Inſtituto religioſe annis aliquot vixerunt, ſuaſque vires probarunt abſque votorum emiſſione, hoc anno petierunt a Pontifice, ut liceret eis vivere juxta primævam D. Claræ inſtitutionem ſub perpetua clauſura ad inſtar Monialium Monaſterii ſancti Damiani prope Aſſiſium, ſub obedientia Fratrum Regularis Obſervantiæ. Exauditæ ſunt hoc anno IV. Idus Aprilis. Monaſt. Delfi. *Lib. 68. fol. 169.*

XLVI. Occaſione controverſiæ, quæ verſabatur inter fratrem Petrum Capriolum ejuſque ſequaces Brixienſes, & inter Miniſtrum Mediolanenſem ac Fratres illius Provinciæ, qui ægre ferebant jugum vitæ ſtrictioris, aut Vicarii Obſervantum correctionem ſubterfugere cupiebant, ad Miniſtri vel Caprioli partes tranſibant. Recurrebant etiam alii ad Miniſtrum pro abſolutione caſuum reſervatorum. Utrumque hoc anno Sixtus prohibuit: *Conſiderantes quod a felicis*. die XXVI. Octobris. Bullam Concordiæ a Paulo II. emanatam circa Fratrum tranſitum ab Obſervantibus ad Conventuales, voluit obſervatam, injunxitque Juliano Cardinali Protectori, ut ejus obſervantiæ invigilaret: *Romanus Pontifex*. Kalend. Junii. Contentiones & lites Regularium cum parochis circa portionem canonicam, toties exortam, ſopire volens, per graviſſimam conſtitutionem præcepit, ne Regulares deinceps ad eam ſolvendam cogerentur. Etſi vero Fratres Regularis Obſervantiæ bullam hanc parochis, portionem ſibi deberi contendentibus, objicerent, nihilominus graves ſentiebant exactores: Hoc decreto voluit Sixtus compeſcendos: *Dudum ad removenda ſcandala*. die XXII. Januarii. Precante Miniſtro Generali dedit indulgentiam plenariam perpetuo valituram, omnibus viſitantibus ſacrum Montem Alvernæ in feſto ſacrorum Stigmatum, & Eccleſiam ſancti Franciſci de Aſſiſio in feſto translationis ejuſdem ſancti Patriarchæ, necnon Templum ſancti Antonii de Padua in feſto ejuſdem. Ad inſtantiam fratris Cherubini de Spoleto celeberrimi con- Varia conceduntur privilegia.

cionatoris, Pontifici gratiſſimi, dedit quinquaginta dies Indulgentiarum ter recitantibus ſalutationem Angelicam ad trinum campanæ pulſum ſub Solis occaſum.

XLVII. Ædificaverant in Eccleſia ſancti Franciſci Panormitana inſigne ſacellum, ſub titulo ſanctiſſimi Sacramenti, Petrus de Spello * Dominus locorum Alchami, Calatafuni, de Laca Farache, & Leonora de Monteaperto ejus conjux, conceſſitque Pontifex hoc anno III. Kalend. Maii, ut in dicto ſacello exponeretur ſanctiſſima Euchariſtia in feſto Corporis Chriſti, & per ſeptem dies ſequentes, fieretque ſingulis diebus proceſſio per ambitum Eccleſiæ. Hoc anno liberat Fratres Conventus ſanctæ Mariæ de Palatiolo, diœceſis Tuſculanæ, ab obligatione recipiendi hoſpites aut valetudinarios Carthuſianorum Monaſterii ſanctæ Crucis in Hieruſalem, a quibus, ut diximus, Cœnobium acceperunt. Jubet tamen ut Dominicum Epiſcopum Brixienſium, Urbis Vicarium, quoties illuc ſecedere velit, admittant. Confirmavit donationem factam Fratribus Conventus Stocholinen. diœceſis Upſalen. cujuſdam inſulæ petroſæ, Ledernæ nuncupatæ. Conceſſit hoſpitali pauperum ſancti Franciſci Florentino, ſito infra limites parochialis Eccleſiæ ſancti Pauli, quod Fratres & Sorores Tertii Ordinis regebant, omnia privilegia & immunitates, quibus gaudebant domus Ordinis Minorum, & hoſpitale pauperum ſanctæ Mariæ Novæ ejuſdem Civitatis. Hoſpitale ſancti Joannis urbis Trevirenſis, & domus Sororum Tertii Ordinis ibidem pro infirmorum & pauperum miniſterio conſtructa, translata ſunt a regimine & juriſdictione Vicarii provinciæ Franciæ ad obedientiam Vicarii Colonienſis. Sorores domorum vallis Virginum, ſanctæ Gertrudis ac ſanctæ Catarinæ Amſterodamen. a viginti & ultra annis ſub Regula & habitu Tertii Ordinis degentes, hoc anno VI. Nonas Maii impetrarunt facultatem tranſeundi ad Ordinem Canonicarum Regularium ſancti Auguſtini. Abbatibus ſancti Jacobi Leodien & ſancti Adalberti Egmonden. diœceſis Trajecten. auctoritatem impertiit confirmandi conceſſiones & privilegia per Pium II. per aliquot Epiſcopos Leodienſes, & per Honufrium Epiſcopum Tricaricen. Sedis Apoſtolicæ apud Belgas legatum, Sororibus domus vallis ſanctæ Catarinæ oppidi Haſſelen. diœceſis Leodien. aliiſque pluribus domibus ejuſdem Ordinis in diplomate expreſſis, conceſſa. *Circumſpectio Apoſtolicæ Sedis*. VI. Kalend. Martii.

* al. de Speciali.

Conv. Palatioli.

Tom. 12. anno 1449. n. 45.

Conv. Stocholinen.

Hoſpitale ſancti Franciſci Florentinum.

Hoſpitale Treviren.

Domus Haſſelen.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. ANno Jubilæi ad annum vigeſimum quintum retracto, ea occa-
„ ſione Romæ cum celebraretur magno populorum & Princi-
„ pum confluxu, Summus Pontifex plura ſategit, ut pace Eccleſiæ parta,
„ in Turcam arma Chriſtianorum converterentur; ac interea e Vaticani
„ Solio, confirmata Portiunculæ indulgentia, ſpeciali expedito Brevi pro
„ Terra ſancta & Conventu Montis Sion: *Nuper pro parte &c.* XV. Ka-
„ lend. Martii; beneficium fratri Mariano Borri: *Religionis zelus &c.* &
„ alterum pro Eccleſia Clariſſarum Barchinonenſium prodiit: *Vitæ & mo-*
„ *rum &c.* VIII. Kalend. Martii; & frater Joannes *Lobet*, ſive Lobetus,
„ cujus memoria fit alibi, Leodicenſis Epiſcopus creatus eſt: *Apoſtolatus*
„ *officium &c.* III. Kalend. Martii, necnon facta facultate fundandi Cœ-
„ nobium, *de la Forſe* nuncupatum apud Petragorios: *Romanum Pontifi-*
„ *cem &c.* VI. Nonas Martii: Petragorii, vel Petragorici, ut Plinio, ſeu
„ *Petrocorii* juxta Ptolomæum, vulgo *Perigeux*, eſt Civitas Epiſcopalis
an-

Joannes Lobet. *Ex Vatic.*

Ex Vatic.

,, antiqua Galliæ Aquitaniæ, apud Illam fluvium in Duranium influentem, *Topogr. Ferrer.*
,, in planitie montibus cincta, in Civitatem & Oppida diviſa, inter Le-
,, movicos & Montem Albanum.
,, II. Die quarta Martii Niſſenſe Cœnobium Fratres de Obſervantia
,, habuere: cujus licet memoria fiat in Annalibus, præſtat nihilominus ad
,, ampliorem notitiam, rem magis explanare ipſius donationis inſtrumenti
,, legitima copia tenoris, qui ſubſequitur.

Ad perpetuam rei memoriam,

,, *NOs Rodulphus Dei gratia Epiſcopus Wratislavienſis, Sanctæ Sedis* Rodulphus expedit litteras pro Conventu Niſſenſe.
,, *Apoſtolicæ cum poteſtate Legati de latere Legatus miſſus, notum*
,, *facimus univerſis, quod nos, qui ab ineunte ætate ad Fratres Ordinis Mi-*
,, *norum, ſub Obſervantia Regulari Domino famulantes, & eorum loc[illegible]*
,, *ſingularem affectionem habuimus, & nunc tamquam inutilis Epiſcopus*
,, *Wratislavienſis Protector eorum & Ordinis ipſius ab Apoſtolica Sede de-*
,, *putati ſumus; attendentes nihilominus conceſſionem Reverendiſſimi in*
,, *Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Marci, Patriarchæ Aquile-*
,, *gienſis, tituli ſancti Marci, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardi-*
,, *nalis, tunc per regna Hungariæ, Boemiæ, ac per totam Germaniam*
,, *Apoſtolicæ Sedis, & Sanctiſſimi Domini, Domini Sixti, Divina Providen-*
,, *tia Papæ IV. de latere Legati, tunc in oppido noſtro Niſſenſi, & Palatio*
,, *Epiſcopali ejuſdem Oppidi conſtituti, qua voluit & conceſſit, quod Fra-*
,, *tres Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, propter frequentiam tranſi-*
,, *tus eorum per hoc oppidum Niſſenſe, locum aliquem ſive Capellam, in*
,, *qua celebrarent, & ad quam hoſpitium aliquod, in quo ſuſciperent Fra-*
,, *tres hinc inde tranſeuntes, ædificari facere poſſent; prout hæc & alia in*
,, *litteris ſuæ Paternitatis eis deſuper datis plenius continetur; necnon pre-*
,, *ces & inſtantias Sereniſſimi Principis, & Domini, D. Matthiæ Hungariæ,*
,, *Boemiæ &c. Regis, atque reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini*
,, *D. Gabrielis Epiſcopi Albenſis, & ſimiliter Apoſtolicæ Sedis cum pleni-*
,, *tudine poteſtatis Legati de latere per prædicta Regna Legati, qui Ordinis*
,, *eorumdem Fratrum de Obſervantia extitit, cupientium & ſummopere*
,, *deſiderantium, quod Fratres ipſi Conventum hic Niſſæ habere poſſent:*
,, *Nos quoque ſcientes eoſdem Fratres ab Apoſtolica Sede indultum habere,*
,, *quod loca in Civitatibus, Oppidis Sileſiæ, quæ eis aſſignarentur, ſuſci-*
,, *pere poſſint: & quia certi Prælati & Canonici Capitulares Eccleſiæ noſtræ*
,, *Wratislavienſis, inter quos Dominus Joannes Paſchowitz, Plebanus Ec-*
,, *cleſiæ Parochialis in Niſſa unus extitit una nobiſcum coram Sereniſſimo*
,, *D. Matthia Hungariæ, Boemiæ &c. Rege, Domino noſtro gratioſiſſimo,*
,, *pro factis venerabilis D. Nicolai Merbothi conſtituti ad requiſitionem, &*
,, *ſerioſum deſiderium ſuæ Majeſtatis una nobiſcum in hujuſmodi erectionem*
,, *& introductionem Fratrum de Obſervantia ad Niſſam, conſenſerunt:*
,, *ideoque nos Rodulphus Epiſcopus & Legatus tam ordinaria, quam Le-*
,, *gationis auctoritatibus, eiſdem Fratribus Capellam ſanctæ Crucis Subur-*
,, *bii dicti Oppidi noſtri verſus Wratislaviam cum appendiciis & ædificiis*
,, *ad eamdem Capellam ſpectantibus, aſſignavimus; & hujuſmodi Capellam*
,, *cum appendiciis in Conventum ac Monaſterium Ordinis ipſorum de Obſer-*
,, *vantia ereximus, prout erigimus per præſentes: introducentes ex tunc Re-*
,, *ligioſos Fratres, fratrem Alexandrum* de Jawr, *Commiſſarium pro tunc*
,, *provinciæ Boemiæ, fratrem Paulinum* de Lemberg *Guardianum loci*

„ *Wratislavienſis, fratrem Georgium de Wratislavia, fratrem Henricum*
„ *Confeſſorem Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini D. Gabrielis*
„ *Epiſcopi Albenſis ſupradicti, fratrem Michaelem de Noremberga ſocium*
„ *prædicti Reverendiſſimi Patris, fratrem Marcellinum Laicum de Wra-*
„ *tislavia; ita ut inibi Fratres perpetuo habitare, Divina officia peragere,*
„ *Altiſſimo famulari, & quot ibi Fratres nutriri poſsint, introducere poſ-*
„ *ſint: pro cujus inchoatione, & reali atque effectuali poſſeſsione, Nos die*
„ *datæ præſentium introduximus, & ſolemniter intronizavimus prædictos*
„ *Fratres cum ſolemni decantatione Cantici lætitiæ:* Te Deum laudamus;
„ *quibus & ſuis Superioribus, & ſucceſſoribus poteſtatem & facultatem de-*
„ *dimus, quod inibi Guardianum & Conventum ad inſtar aliorum Conven-*
„ *tuum ſuorum conſtruere & habere, omnibuſque & ſingulis ipſius Ordinis*
„ *& Obſervantiæ gratiis, conceſsionibus, privilegiis & libertatibus uti &*
„ *gaudere: areas, hortos, & alia ſpatia circumquaque eamdem Capellam,*
„ *in quibus ambitus, loca habitationum, & aliæ officinæ pro eorum neceſsi-*
„ *tate ſeu commodo ædificari poſsint & valeant, ſine tamen præjudicio Pa-*
„ *rochialis Eccleſiæ, quam præfati Fratres, juxta ſuæ profeſsionis inſtituta*
„ *venerari & honorare debent & tenentur; Rectori quoque & Capellano*
„ *ejuſdem Parochialis Eccleſiæ eſſe adminiculo pro Fidei incremento, & fru-*
„ *ctu animarum cumulando, quod affectuoſius hortamur & deſideramus:*
„ *Nos autem Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli*
„ *Apoſtolorum ejus meritis & auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chri-*
„ *ſtifidelibus vere pœnitentibus, contritis pariter & confeſsis, qui pro ædi-*
„ *ficatione & conſummatione, ac calicum, librorum & aliorum orna-*
„ *mentorum dictorum Capellæ & Conventus manus ſuas notabiliter porrexe-*
„ *rint adjutrices, toties, quoties noſtræ legationis, centum, ordinaria*
„ *vero auctoritatibus, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis pœ-*
„ *nitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: hujuſmodi indulgentiis uſ-*
„ *que ad conſummationem dictorum Capellæ & Conventus valituris. In quo-*
„ *rum omnium robur & teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appen-*
„ *ſum. Dat Niſſæ die* IV. *Martii, anno Domini* MCCCCLXXV.
„ III. Ex præfati inſtrumenti relatione Niſſenſe Cœnobium ſanctæ Cru-
„ cis datum ab Epiſcopo Wratislavienſe, a Fratribus de Obſervantia ac-
„ ceptum fuit die IV. Martii, anno MCCCCLXXV. Nunc ergo ad ſeriem
„ Vaticanam regredimur: conceſſo beneficio fratri Simoni *de Wltabio*:
„ *Zelo Reilgionis &c.* XIII. Kalend. Aprilis, & ingreſſu Monaſterii Con-
„ chæ Beatrici de Bobadilla: *Devotionis tuæ &c.* IX. Kalend. ejuſdem:
„ Proximo IV. Kalend. fratri Paulo de Moravia Vicario, & Fratribus pro-
„ vinciæ Boemiæ, Ordinis Minorum de Obſervantia, quamdam licentiam
„ admittendi loca ibidem, & in Silesia, confirmavit, ut ſequitur.

SIXTUS PAPA IV.

Dilectis filiis Paulo de Moravia Vicario & Fratribus provinciæ Boemiæ, Ordinis Minorum de Obſervantia &c.

„ *HUmilibus ſupplicationibus veſtris paterne in Domino annuentes, con-*
„ *fidenteſque, quod, aſsiſtente vobis Divina gratia, lucrum anima-*
„ *rum facere, & multos ab erroribus verbo revocare poteritis & exemplo,*
„ *facultatem & licentiam per dilectum filium M. tituli ſancti Marci Preſ-*
„ *byterum Cardinalem Patriarcham Aquilegienſem, cum in partibus iſtis*

Le-

„ *Legati de latere officio fungeretur, ſuper receptione decem locorum ſeu*
„ *terrenorum, pro illis conſtruendis in provincia Boemiæ, & in partibus*
„ *Sileſiæ vobis datam, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica, in omni-*
„ *bus & per omnia confirmamus, & quatenus opus ſit, denuo hujuſmodi li-*
„ *centiam ac facultatem damus, concedimus & impertimur.*
„ *Eadem quoque auctoritate decernimus, ut participando cum hæreticis*
„ *& excommunicatis, in Divinis præſertim, ubi illos non poteſtis commode*
„ *evitare, nullum conſcientiæ onus ſubeatis, nullaſque Eccleſiaſticas incur-*
„ *ratis cenſuras, ſententias quaſcumque, atque cenſuras in ipſos hæreticos*
„ *latas quoad dumtaxat ſuſpendentes: conſtitutionibus & ordinationibus*
„ *Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcum-*
„ *que. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, IV. Kal.*
„ *Aprilis, Pontificatus noſtri anno* IV. ſubſcriptum *L. Grifus.*
„ IV. Relati Pontificii diplomatis tranſumptum in inſtrumento reco-
„ gnitionis & publicationis ejuſdem, Illuſtriſſimi Domini Willelmi Nico-
„ polienſis Epiſcopi, Archidiaconi Brunenſis, Commendatarii Monaſterii
„ in Villemoro perpetui, & Eccleſiæ Olomucienſis in Pontificalibus Vica-
„ rii Generalis, confecto, ut ſequitur. *Nos Willelmus &c. Notum faci-*
„ *mus tenore præſentium, univerſis quibus expedit, quod Reverendi Pa-*
„ *tres frater Jacobus de Majori Glogavia, Vicarius Provinciæ Boemiæ,*
„ *Moraviæ & Sileſiæ, & frater Paulus de Moravia Commiſſarius Fidei,*
„ *Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, quoddam Breve ſanctiſſimi*
„ *Domini noſtri, Domini Sixti, Divina Providentia Papæ IV. ſub annulo*
„ *Piſcatoris, cum rubea cera ſigillatum, ſanum & integrum, non vitiatum*
„ *aut cancellatum, neque in aliqua ſui parte ſuſpectum, coram Notario &*
„ *Teſtibus infraſcriptis, Brunæ Olomucenſis diœceſis, in Æſtuario domus*
„ *habitationis noſtræ, nobis præſentarunt, & debita cum requiſitione re-*
„ *quiſierunt & petierunt, quatenus prædictum Breve propter pericula & di-*
„ *ſcrimina viarum, dignaremur tranſumere & publicare.*
„ *Nos igitur* Wilhelmus *Epiſcopus præfatus, attendentes petitionem* Wilhelm-Epiſc.
„ *fore juſtam & conſonam rationi, mandavimus illud per Notarium publi-*
„ *cum infraſcriptum de verbo ad verbum tranſumi & publicari, & in for-*
„ *mam publicam redigi, cujus tenor per omnia ſequitur, & eſt talis:* Sixtus
„ Papa IV. Dilecte fili &c. *ut ſupra. In quorum teſtimonium ſigillum no-*
„ *ſtrum juſſimus appendere. Acta ſunt hæc anno Domini* MCCCCLXXV.
„ *die* XVI. *menſis Julii, loco quo ſupra: præſentibus ibidem honorabilibus*
„ *Viris Dominis Nicolao de Iglavia Vicario perpetuo, & Prædicatore Teu-*
„ *tonicorum Eccleſiæ Collegiatæ Montis ſancti Petri in Bruna, & Joanne*
„ Tezebon *Altariſta ſanctæ Appoloniæ in Clauſtro Reginæ, teſtibus fide di-*
„ *gnis ad hoc vocatis pariter & rogatis.*
„ V. His præmiſſis, fructus inde ſequutos aperire præſtat. Hoc eo- Henricus Dux dat locum pro Conventu extra Glogaviam.
„ dem anno Illuſtriſſimus Dux Henricus ſenior, primogenitus Georgii
„ Regis Boemiæ, Dux Munſterbergenſis, ac Dominus Galcienſis, ejuſque
„ Conthoralis Illuſtriſſima Domina D. Urſula, filia Adalberti Marchionis
„ Brandeburgici, Regularis Obſervantiæ, non pridem in haſce Regiones
„ introductæ, fautores ſingulariſſimi & affectuoſiſſimi, obtulerunt venera-
„ bili Viro Patri Jacobo de Glogavia, Vicario Provinciali Provinciæ Boe-
„ miæ, locum cujuſdam Hoſpitalis Civici, ſiti extra Civitatem ſuæ ſolitæ
„ reſidentiæ, Glacium, quæ eſt ſub Archidiœceſi Pragenſi, in Comitatu
„ Glacienſi, ſuper fines Regni Boemiæ & Sileſiæ, pro conſtruenda ſibi &
„ ſuis Religioſa domo: locum vero acceptavit memoratus Pater Jacobus
de

,, de Glogavia die ſexta Auguſti hujus anni: acceptationem vero & do-
,, nationem præfatam Rodulphus Epiſcopus Wratislavienſis &c. confirma-
,, vit, ut ex inſtrumento ſubſequentis tenoris patet.

,, VI. *Rodulphus Dei gratia Epiſcopus Wratislavienſis, Sacroſanctæ*
,, *Sedis Apoſtolicæ ad Boemiæ & Poloniæ Regna, ac Alemaniæ partes, cum*
,, *poteſtate Legati a Latere, Legatus miſſus, ad univerſorum tam præſen-*
,, *tium, quam futurorum notitiam deduci volumus & perennem; quod.*
,, ... *oblata pro parte Illuſtris Principis Domini Henrici ſenioris,*
,, *Ducis Munſterbergenſis, & Comitis Glacienſis, Amici & Compatris no-*
,, *ſtri cariſſimi, necnon dilectorum Nobis in Chriſto Vicarii & Fratrum*
,, *Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, Provinciæ Boemiæ,*
,, *Moraviæ & Sileſiæ, petitio continebat, quomodo ipſe Dominus Dux Hen-*

Confirmat donationem pro Con. extra Glogavis.

,, *ricus, necnon inclyta Domina Urſula Contboralis, Commater noſtra ca-*
,, *riſſima, zelo devotionis accenſi, ad honorem Omnipotentis Dei, ejuſque*
,, *Glorioſiſſimæ Genitricis Virginis Mariæ, & ſancti Franciſci, ſingula-*
,, *remque devotionem quam ad Fratres Minores de Obſervantia habere di-*
,, *gnoſcerentur, animarumque Chriſtifidelium ſalutem, eiſdem Ordini &*
,, *Fratribus quemdam fundum in ſuburbio Oppidi Glacienſis, Pragenſis*
,, *Diœceſis, circa Capellam in honorem ſancti Georgii Martyris conſecra-*
,, *tam ſitum contuliſſent & aſſignaſſent, nonnulloſque ejuſdem Ordinis &*
,, *Religionis Fratres collocaſſent. Nobis igitur pro parte dictorum tam Du-*
,, *cum, quam Ordinis & Fratrum fuit humiliter ſupplicatum, ut donatio-*
,, *nem & aſſignationem fundi cum Capella ſancti Georgii jam dicta, prædi-*
,, *ctis Ordini & Fratribus factas, authenticæ Legationis noſtræ robore*
,, *confirmare & ratificare, ipſiſque perpetuo poſſidendi incorporare & invi-*
,, *ſcerare dignaremur. Nos Rudulphus Epiſcopus & Legatus perpetuus*
,, *præfatus, qui noſtris temporibus cultum Divinum adaugeri cupimus, Re-*
,, *ligioſoſque in ſanctimonia & Obſervantia Regulari viventes affectione ſin-*
,, *gulari diligimus, ſupplicationibus hujuſmodi favorabiliter inclinati, ac-*
,, *cedente conſenſu venerabilis, & Devotorum Fratrum Domini Commenda-*
,, *toris, & Conventus Cruciferorum Ordinis ſancti Joannis Hieroſolymitani,*
,, *Eccleſiam Parochialem ibidem in* Glaz *regentium expreſſo, eumdem fun-*
,, *dum atque Capellam præfatam dictis Ordini & Fratribus incorporamus*
,, *& inviſceramus perpetuo poſſidendi: volentes, & hoc authenticæ Legatio-*
,, *nis noſtræ ... decernentes, fundum cum Capella omnibus & ſingulis immu-*
,, *nitatibus, libertatibus & conceſſionibus, Ordini & Fratribus prædictis*
,, *conceſſis, nunc & futuris temporibus gaudere debere, in ejuſque teſtimo-*
,, *nium ſigillum noſtrum majus patentibus eſt ſuſpenſum. Actum & datum*
,, *Wratislaviæ die* XXVIII. *Menſis Auguſti, anno Domini* MCCCCLXXV.

Monum. MSS. Prov. Boemiæ.

,, His omnibus habitis Jacobus de Glogavia Majori Vicarius Provinciæ
,, Boemiæ pro ſuis Fratribus de Obſervantia Conventum in eodem loco,
,, ſumptibus pro majori parte ipſorum Ducis Henrici, & Urſulæ ejus Con-
,, thoralis fabricari curavit.

,, VII. Hoc eodem anno, & die XV. Octobris Magnus ille Paulus de
,, Moravia, Apoſtolicus Eccleſiaſtes, & Commiſſarius Fidei, ut eum vocat
,, Guillelmus Nicopolitanus, quem hic ſupra retulimus, locum pro ſuis
,, accepit in Suburbio Ducalis Civitatis *Liginiez*, Lignicenſis, in Diœceſi
,, Uratislavienſi (Civitas eſt fortis & nobilis, olim profligatorum Tartaro-
,, rum, tempore ſcilicet ſanctæ Heduvigis, victoria memorabili clara) ante
,, portam Glogavienſem: quem locum in quodam amœno & vaſto prato,
,, a ſtrata communi uſque ad rivum præterfluentem, Illuſtriſſimus Domi-
nus

„ nus Fridericus de *Ligniez*, pro conſtruendis ædibus Religioſis cum Ec-
„ cleſia in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, ac etiam pro horto uſibus Fra-
„ trum neceſſario, ob amorem Dei dono dedit: quemadmodum ex ſolemni
„ publico inſtrumento his deſuper confecto luculenter apparet: quod qui-
„ quidem inſtrumentum incipit: *In nomine ſanctæ Individuæ Trinitatis*.
„ *Amen. Nos Fridericus Dux Sileſiæ, & Dominus Lignicenſis &c. Datum*
„ *Lignizii anno* MCCCCLXXV. *feria* V. *ante feſtum Omnium Sanctorum*;
„ cujus originale ſervatur in Archivo Provinciæ Boemiæ.

Fridericus dat Conventum. Chron. illius Prov. P. Sannig. infra ad an. 1524.

„ VIII. Dum hæc ita proſpere fierent iis in partibus, XIII. Kalendas
„ Maii prodiit breve erectionis Conventus Caſalis Monferratenſis: *Sinceræ*
„ *devotionis &c.* & aliud Vicario & Fratribus Inſulæ de Madera, quo eis
„ facultas fiebat reædificandi aliquos Conventus in Inſulis Oceani Occi-
„ dentalis: *Ordinis veſtri &c.* V. Kal. Maii: Eſt autem Maderea Inſula
„ Maris Atlantici ſub latitudine Septentrionali graduum XXXII. a primo
„ elungata Meridiano tribus gradibus cum dimidio: ut primo inventa ſuit
„ ab Hiſpanis anno MCCCCXX. hominibus vacua, denſiſſimis ſylvis repleta,
„ ægreſtibus & feris, quas ibi natura poſuerat, inſerviebat: planitie, val-
„ libus montibuſque referta, ut ſoli culturam admitteret, non ferro
„ primum aut aratro, ſed igni ſubacta, didicit frumentis omnis generis
„ & fructibus abundare: Vinum, Mel & Zaccharum, quod inde varias
„ in partes aſportatur, ad ſtuporem profert: imo claris undique emergen-
„ tibus e terra fontibus ubique artificioſe irrigata, miræ altitudinis Cedros
„ habet: in ſumma Cœli temperie, ac ſoli fertilitate homines pro feris
„ alectos colonos nutrit, qui Catholicam Fidem Chriſtianorum profitentes
„ Funicalem urbem, inter alias, condidere præcipuam, in qua Sedes eſt
„ Archiepiſcopalis, ejuſque Antiſtes Indiarum Occidentalium, ideſt Ame-
„ ricæ, Primas habetur. In hac igitur Inſula Maderea fratri Vicario com-
„ moranti conceſſum non tantum quod ſupra diximus, fuit, ſed etiam ut
„ ibidem noſtrarum Clariſſarum Sanctimonialium conſtrueretur Monaſte-
„ rium: *Eximiæ devotionis &c.* IV. Nonas Maii.

Indic. ex Vatic.

Ex diction. Gallic. impreſſo Lugduni anno 1666.

Indic. ex Vatic.

Comitiorum Generalium &c. notitiam habes a Waddingo hoc an. n. 7. & ſeq.

„ IX. Poſt præfata, præmiſſa quadam indulgentia pro ſeptem Cu-
„ ſtodiis Provinciæ Angliæ: *Paſtoris æterni &c.* XVIII. Kalendas Julii
„ translatio Conventus de Luna, Calaguritanæ Diœceſis occurrit: *Sacræ*
„ *Religionis &c.* pridie idus Julii: cujuſmodi nihilominus rei in noſtris An-
„ nalibus memoria non apparet, niſi quod oppidi Lunæ, Cæſarauguſtanæ
„ Diœceſis memoria fit. Eſt autem Calagurium, quod eſt Calaguris, vul-
„ go *Calahora*, Civitas Epiſcopalis Hiſpaniæ Tarraconenſis antiqua apud
„ citeriorem Iberi fluminis ripam, pendula & forma quaſi circulari, media
„ inter Pampelonem Navarræ Regiam & Numantiam. Ludovico Aſſiſiati
„ conceſſus eſt Prioratus ſancti Auguſtini: *Religionis zelus &c.* V. Kalen-
„ das Auguſti. IV. nonas Novembris conceſſum eſt, ut in Eccleſia S. Claræ
„ Othi, Syracuſanæ Diœceſis poſſet fundari Monaſterium Benedictinarum:
„ *Decorem domus &c.* Caſtrum Cittonium prope Cluſium antiquam Hetruriæ
„ urbem, apud Glarum fluvium, arduo & excelſo monte impoſitam, Ter-
„ tii Ordinis S. P. Franciſci habebat Sorores, quarum in loco ubi erant,
„ hoc anno XV. Kalendas Januarii, ut conſtrueretur Eccleſia, ſeu erige-
„ retur Prioratus, conceſſum eſt: *Univerſarum Orbis &c.*

Indic. ex Vatic.

Harold. ad ann. 1499. n. 10.

Ex Topogr. Ferrer.

Barbara & Sociarum dat Waddingus notitiam hoc an. n. 41.

Ex Vatic.

„ X. Non eſt præterea ſancti Antonii de Padua Eccleſiæ conſecratio,
„ die XVIII. Junii, & Dominico infra octavas ejuſdem hoc anno ſequuta,
„ prætermittenda. Pietatem Jacobi Zeni Epiſcopi Patavini commendat
„ magnifici operis cælati, eleganti arte, piorum ſumptibus per clariſſimos
ar-

Conſecratio Eccleſiæ S. Antonii Patavini.

An. 1480.

Rodulphus lib. 1. Hiſt. Seraph. Relig. fol. 83.

„ artifices ejus ſeculi conſummati, percelebris conſecratio, ut Rodulphus „ habet. Occurrit etiam, Charlotam Reginam Cypri, Hieruſalem & Armeniæ, Ludovici de Sabaudia Conjugem, Regno pulſam, hoc anno „ Sixtum Poncificem liberaliſſime Romæ excepiſſe, cujus rei perpetuum „ monimentum in Eccleſia ſancti Spiritus cernitur, cum ſubjecta inſcri„ptione: *Charlota Cypri Regina, Regno, fortuniſque ſpoliata, ad Six„tum IV. ſupplex confugiens, ab eodem tanta benignitate, & munificentia „ ſuſcipitur, ut præ incredibili admiratione, animique gratitudine, in „ ejuſdem Pontificis laudes prorumpens, non ſolum ſatis eloquentiæ haud „ ſuppeditari, verum etiam animi vires ad eas explicandas, ſibi defeciſſe vi„deri, faſſa fuiſſet*. Id retulimus, quod Pontificem ex Minoritis, & Re„ginæ beneficentiam plurimam, atque pietatem in Ordinem Seraphicum „ commendet.

ARGUMENTUM.

Concordiam Chriſtianorum Principum contra Mahumetem Turcarum Imperatorem Sixtus Pontifex procurat, miſſoque ad Electorialia Comitia Franciſco Cardinale Gonzaga, amplius perurget. A Turcis ſuis ſedibus pulſos multos Principes, excepit honorifice. Corpus inviſit ſancti Franciſci Aſſiſii. Cardinalem creat virum Principem Petrum de Fuxo juniorem, aſſertum Minoritam. Floret ejus conſanguineus frater Joannes de Aragonia. Moritur beatus Jacobus Picenus, cujus geſta & præcipua miracula narrantur. Creſcit magno incremento fama Bernardini Feltrenſis. Diem obit extremum Innocentia Angeli Tudertina. Creantur Epiſcopi. Multiplicantur domicilia.

Sixtus juvat Hũgariæ Regẽ contra Turcas.

Papien. ep. 644. 647. 656.

Pacẽ inter Chriſtianos procurat.

Ludovicus Bononien. Orator Ducis Burgundiæ ad Perſam.

Itiner. cap. 4. 6. & 9.

I. QUAMVIS Principes Europæ ſummum ſibi imminere malum a Mahomete Turcarum Imperatore intelligerent, nihilominus privatis affectibus ſuccumbentes, potius inter ſe digladiari, quam conjunctis copiis contra communem hoſtem, plurimas, eaſque vaſtiſſimas Chriſtianorum Provincias, quaſi rupto aggere inundantem, proficiſci maluerunt. Sixtus Pontifex ex alta ſpecula longius proſpiciens, tantam rei Chriſtianæ jacturam avertere modis omnibus ſatagebat; modo copiis, modo pecuniis, Matthiam Hungariæ Regem, potiſſimum Europæ propugnaculum, adjuvabat, eique adverſantem Fridericum Imperatorem, opera Alexandri Epiſcopi Foroloviensis, Sedis Apoſtolicæ in Germania Nuncii, ſtudebat conciliare. Ludovicum etiam Galliarum Regem & Carolum Burgundiæ Ducem diris odiis diſſidentes, eorumque ſocios ad concordiam revocare curavit, miſſo ad Regem Juliano Cardinale Legato; ad Ducem Epiſcopo Sibenicenſi. Pactis autem induciis, Burgundio miſit fratrem Ludovicum Bononienſem (nuncupatum Patriarcham Antiochenum, de quo alias toties locuti ſumus) ad Uſum-Caſſanum Regem Perſarum, ut moto in Turcarum Imperatorem bello, vires ejus diſtraheret, & a tanta Chriſtianorum, quam intendebat, pernicie deterreret. Ambroſius Contarenus Patritius Venetus, a ſua Republica in Perſiam deſtinatus Orator, in ſuo Itinerario (quod videre licet tomo 2. navigationum & itinerationum, quas Joannes Baptiſta Ramuſius tribus tomis collegerat) ait ſe an. MCCCCLXXV. die XXX. Maii prope urbem Tauriſii obvium habuiſſe Ludovicum ad Perſam proficiſcentem, ſex ſtipatum equitibus, & adfuiſſe dum Ducis Legatio-

tionem Perſæ exponeret, eique Ducis nomine dona daret, & multa polliceretur, dimiſſumque ſe, & Patriarcham, ac Marcum Ducis Moſcoviæ Legatum, cum donis & Oratoribus Perſicis, quos ad Rempublicam Venetam, Burgundionem & Moſcovitam Perſa mittebat. Patriarcha autem, poſtquam uno itinere per multos dies cum Contareno proceſſiſſet, a Marco traditus, detentus eſt hoc anno in Moſcovia, donec ineunte anno ſequenti illuc perveniens Contarenus, obtinuit a Moſcovita ut libere dimitteretur. Hoc ultimum invenio iſtius viri veſtigium, tot perfuncti legationibus, ad remotiſſimas Orientis regiones a ſummis Pontificibus toties amandati. Fraudulenter munus hoc obiiſſe, ex Gobellino narrat noſter Henricus Spondanus, Appamiarum Epiſcopus, & virum duriuſcule taxat. Solus tamen in graviori hac nota Gobellinus teſtis præceſſit: & nos multa exſcripſimus Pontificum diplomata, quæ hominem ſummopere commendant.

Spond. ann. 461. num. 7.
Vide tom. 13. anno 1460. n. 7. & ſeq.

II. Fridericus Imperator longo tot annorum imperio, malorum impendentium pondere, & ſenectute gravatus, ægre cogitabat de ſucceſſore deligendo. Maximilianum filium (cui Carolus Burgundiæ Dux adoleſcentis ſocer, titulum Regis Romanorum cupide expoſcebat) licet cuperet ſuæ dignitatis & poteſtatis participem, non tamen adhuc rebus gerendis agnoverat idoneum; timebatque magnum onus adminiſtrandi eviſcerati imperii teneris humeris imponere. Interpellatus tamen a Principibus Imperii, ut filium Imperii conſortem fieri pateretur, Conventum coegit Electorum, quibus vel ea ratione voluit ſatisfactum, ſi ſaltem moræ ſuæ cauſas exponeret. Aliæ etiam tunc peragendæ res graviſſimæ circa bellum Turcicum, & Principum concordiam, Sixtum de ſalute publica vehementer ſollicitum permoverunt, ut Franciſcum Cardinalem Gonzagam in Germaniam Sedis Apoſtolicæ Legatum mitteret, a quo magna in eo conſeſſu Principum fieri poſſe, præſertim contra Turcas exiſtimabat; etſi vero tunc ſalubriter multa illic decreta, electio tamen Maximiliani in multos annos fuit protracta.

Coguntur Comitia electoralia. *Papien. ep. 648.*

Ad quæ mittit Sixtus Cardinalem Gonzagam.

III. Turcarum potentia quotidie excreſcente, integras Provincias & regna ſubjugante, multi Principes ſuis ſedibus deturbati, ad Sixtum Pontificem ſucceſſivis annis confugiebant. Inter hos Cypri, Boſnæque Regiam ſtirpem, Andream Paleologum Peloponneſii, ac Leonardum Toccum Cypri Deſpotas, honeſtiſſimis ſumptibus excepit, & alias Ducem Saxoniæ cum quadringentorum equitum ſplendido comitatu voti ſolvendi cauſa die XXX. Aprilis, Urbem ingreſſum, in Apoſtolico palatio hoſpitio habuit, multiſque donariis cumulavit.

Ciacon. in Sixto. Diaria Sixti.
Multos recipit Principes exules.

IV. Sixtus etſi dignitate ſublimis & poteſtate ſupremus, non dedignatus tamen eſt ſe Minorem profiteri, patremque ſuum & Inſtitutorem humilem deprædicare Franciſcum. Retenta conſtanter Religioſæ diſciplinæ pietate, erga ſanctum Præceptorem præcordialem conſervavit affectum. In minoribus conſtitutus ſemper concupivit ſanctiſſimum illud Eccleſiæ depoſitum intueri, ſed non licuit; nunc ſua fretus auctoritate, cui contradicere non licebat, ſtatuit hoc anno Aſſiſium pergere, & plene votis potiri. Abiit itaque ſub menſem Junii, protractaque aliquali mora Spoleti & Fulginei, interfuit numeroſiſſimo cœtui ex univerſa Europa ad Indulgentiam Portiunculæ, diebus primo & ſecundo Auguſti confluenti. Secreto deinde habito colloquio cum Miniſtro Generali, ſacri Conventus Cuſtode, & Sacriſta, ſub altum noctis ſilentium deſcendit per occultos receſſus ad ſubterraneam Eccleſiam, in qua virum ſanctiſſimum, in pedes erectum, reverenter & cum lacrymis veneratus eſt. Duos tantum adhibuit comites, Joannem Arcimboldum, Cardinalem, Archiepiſcopum Mediolanenſem,

Inviſit & videt corpus S. Franciſci Aſſiſii.
Memor. MSS. Mariau. cit. c. 41. Marc. cit. l. 5. c. 61.

& Andream de Nurſia Præfectum Vigilum, ſeu Capitaneum excubiarum. Hic facem Pontifici præferebat, omnes ſacra vulnera viderunt, palpaverunt & oſculati ſunt. Pontifex propriis manibus ex capitis cincinno capillos abſcidit, quos in ſumma ſemper habuit veneratione. Andreas hac viſione ita colliquefactus eſt amore & reverentia erga ſanctiſſimum Patriarcham, ut ubicumque deinceps Fratribus obviaverit, memor hujus devotiſſimi ſpectaculi, a lacrymis difficile ſe potuerit cohibere. Hiſtoriæ ſcriptor apud me MSS. dicit ab ipſo Andrea accepiſſe. In Pontificatus auſpiciis cogitavit Sixtus de exponendo omnium conſpectui hoc ſacro pignore in nobili Mauſoleo. Re collata cum Jacobo Piceno, reſponſum a Viro ſanctiſſimo poſt longam orationem accepit, id nequaquam Deo placere, qui uſque ad præfinitum a ſe tempus, magiſque neceſſarium, volebat occultum.

Fit Cardinalis Petrus de Fuxo junior.

V. Auditis diverſorum Regum pro creatione Cardinalium poſtulatis, poſt multam in Collegio ſacro habitam conſultationem, tandem XV. Kalendas Januarii quinque renunciavit. Inter hos Petrum de Comitibus Fuxi juniorem (præceſſiſſe namque alterum ejuſdem nominis, cognominis & ſtirpis Cardinalem ſcripſimus alias) Regio Aragonio ſanguine ſatum, ab omnibus, qui de Cardinalibus ſcribunt, aſſertum Minoritam, deſignavit. Filius erat Gaſtonis Principis Bearnenſis, & Leonoræ, Joannis Aragoniæ Regis natæ, mox Reginæ Navarræ. Pali ortus anno MCCCCXCIX. apud prædictum Cardinalem Petrum genitoris patruum, uſque ad annum ætatis decimum quintum educatus, anno MCCCCLXVI. venit in Italiam, ſororem Mariam Guillelmo Marchioni Montisferrati nuptam comitaturus. Utrique juri operam dedit, primum in Academia Ticinenſi, mox in Ferrarienſi, Felino Sandeo præceptore, a quo Doctoratus lauream accepit. Deinde ſacris Theologiæ inſtitutis imbutus, & magnificentiſſime ubique apud Italiæ Principes habitus, Romam venit, diſertamque, ab omnibus commendatam habuit ad Pontificem Paulum II. & purpuratos Patres orationem. Inde reverſus Ferrariam, paulo poſt in Galliam abiit; ubi ſalutato genitore, Ludovicum Regem inviſit, & Britanniæ Armoricæ Ducem Franciſcum, ſororis ſuæ Margaritæ maritum. Aſſumptus anno præcedenti, uti diximus, ad Epiſcopatum Adurenſem, hoc anno, V. Idus Martii electus eſt ad Venetenſem (male ſcripſit Ciacconus Ovetenſem) & ſub anni finem ad Cardinalatum & Diaconiam ſanctorum Coſmæ & Damiani. Galerum accepit ſub initium anni ſequentis in Civitate Leſcarenſi, Principatus Bearnienſis, præſentibus Magdalena fratria, ejuſque filiis, præſertim Franciſco Phebo, poſt paucos annos Rege Navarræ. Sacris functionibus totus intentus, cupiens magis Prælati Eccleſiaſtici, quam Principis ſecularis partes obire, commendatis ſibi Eccleſiis & pinguibus Sacerdotiis ſolerter invigilavit. Conſanguineos Franciæ & Navarræ Reges bellantes compoſuit, & ſororium, Britanniæ Principem, Gallo etiam regi conciliavit. Alia multa præclare & pie geſſit, quorum potiſſima ſequentibus annis occurrunt. Annis quatuordecim ſub purpura reſplenduit, Romæ anno MCCCCXC. IV. Idus Auguſti defunctus, ſepultus ad templum ſancti Auguſtini.

Tom. 9. an. 1409. num. 17.
Qualis ille Princeps.
Num. 29.
Lib. 89. bullar. Sixti fol. 147.

An fuerit Ordinis Minorum? *Panvin. Ciacon. in Sixto. Radul. fol. 126. Spondan. ad an. 1479.*

VI. Eum Ordinis Minorum fuiſſe, ſcribit Onuphrius Panvinus, Alphonſus Ciacouus, Petrus Rodulphus, Illuſtriſſimus Henricus Spondanus, Apamiarum Epiſcopus, mihi multis titulis veterique amicitia colendiſſimus, cujus doctiſſimi Annales, Baronianis additi nunc primum ad meas manus pervenerunt: quos utinam Romæ uberiori ſolidiorique Vaticani archivi ſubſidio ei ſcribere licuiſſet, & alii plerique. Veretur nihilominus Claudius Roberti in Catalogo Epiſcoporum Venetenſium, ne qui Minoritam

tam dicunt, confundantur eodem nomine Petri Fuxi, & perperam ſecundum ejuſdem cum primo faciant Inſtituti. Ego utique fateor mihi eumdem irrepſiſſe ſcrupulum; neque enim ante Onuphrium habeo, qui noſtro adſcribat Sodalitio. Ex domeſticis primus id ſcripſit Petrus Rodulphus, Onuphrio poſterior. Annales Navarræi nullam Regularis Inſtituti adhibent mentionem, etſi minute vitam ad uſque Cardinalatum enarrent. In libris conſiſtorialibus, & collati primi Epiſcopatus inſtrumentis, nullius dicitur Religionis, quod tamen ſolet exprimi, quotieſcumque Regularis cujuſque Inſtituti viri ad Epiſcopatus promoventur. Si qui firmiori nixi teſtimonio, meum ſcrupulum excutiant, noſtroque conſtanter aſſerant Sodalitio inſigne hoc tanti Principis ornamentum, eſt quod gratias agam plurimas, dum communi Religionis beneficio meam peculiarem produnt & explodunt inſcitiam.

Garib. de regno Navar. l.29.c.4.

VII. Florebat hoc tempore plurima virtute & ſanctitate vir alius de domo Aragonia, frater Joannes Aragonius, quem Friderici Aragonii Neapolitanorum ſeu Siculorum Regis nepotem ſcribit Gonzaga, eique prodigioſe in urbe Neapolitana oſtendiſſe Conventum ſancti Onuphrii prope Calenam, longe diſtantem, dum voracibus flammis conſumeretur: *Neapoli*, inquit, *apud patruum Regem agens, licet plurimis milliaribus diſtantem, hunc locum* (*ſcilicet ſancti Onuphrii Calenæ*) *omnino conflagrantem conſpexit: quod cum Regi retuliſſet, illeque certior fieri cuperet, regium pedem alteri ipſius pedi ſuperimponere juſſit, quo denique ſuperimpoſito, ex tempore Rex flammam fumo admixtam propriis oculis vidit; atque viginti domorum præfati pagi* (*Calenæ*) *tributum ſibi exolvendum exuſti Conventus reparationi, maxima liberalitate applicuit*. Ejus etiam opera, ait, Fridericum utriuſque Siciliæ Regem, pro Fratribus Provinciæ ſancti Angeli induendis certum lanæ pondus in ſingulos annos ex regio cenſu pendendum contuliſſe. In eo errat Gonzaga, quod Fridericum utriuſque Siciliæ Regem nuncupet, cum Fridericus II. (ſub quo dumtaxat vivere potuit Joannes, nam quem hujus nominis primum Siculi appellant, deceſſit anno MCCL.) ſolius Siciliæ citra Farum Rex ſit nuncupandus. Regni poſſeſſionem mortuo Ferdinando II. ſuo nepote, accepit anno MCCCCXCVI. unde ſubſiſtere non poteſt, quod ſcribit Bartholomæus Cimarella, Joannem ſcilicet anno MCCCCXCIV. deceſſiſſe, & in prædicto Conventu Calenæ ſepultum, quod tamen præter eum non eſt, qui recenſeat. Alius eſt hic Joannes ab altero Joanne de Aragonia, de quo diffuſius olim diſſerui. Hunc autem Virum omni ex parte perfectum vocat Gonzaga, & pœnitentiæ addictiſſimum.

Floret Fr. Joan. de Aragonia.

Gonz. in Prov. S. Angeli Conv. 1. & 6.

Cimarel. 4. p. Chron. lib. 5. c. 15.

Tom. 7. an. 1338. num. 20. & ann. 1340. n. 10.

VIII. Quatuor dixi alias fuiſſe præcipuas columnas magni & ampliſſimi ædificii Regularis Obſervantiæ, Bernardinum Senenſem, Albertum Sartianenſem, Joannem Capiſtranum, Jacobum Picenum. Poſtrema cecidit iſto anno, & ex quatuor nobiliſſimis ductoribus numeroſiſſimi exercitus, nunc Jacobus ultimus occubuit magna tantæ familiæ jactura. Diximus, ad preces Ferdinandi Regis miſſum Neapolim, ibique præceptis Apoſtolicis pio Regis ſolatio adjudicatum, ita ut abſque ejus venia non liceret abire. Hic tandem feliciter iſto defunctus eſt anno, virtutibus & miraculis illuſtris. Hujus ſanctiſſimi Viri geſta, quæ certis & determinatis conſtabant annis, aut publicis inſtrumentis, ſeu Pontificum aut Principum reſcriptis diſtinguebantur, nos ſuis quæque locis diſtinximus, reliquam vitæ hiſtoriam, ſive quæ ad virtutes & miracula ſpectabant, in hunc locum reſervantes. Hic itaque in compendium omnia reducemus, & quæ varii ſcripſerunt auctores, in ordinem redigemus. Dixi in ortu nova & mirabili luce domum circum-

Tom. 9. an. 1416. n. 7.

Moritur B. Jacobus Picenus.

An. 1471. n. 6. & 7.

Tres legendæ MSS.

Marian. l. 5. c. 9.

Marc. 3. p. l. 6. cap. 1.

Reggius tom. 2. die 28. Novemb.

Tom. 9. an. 1416. num. 2.

In ejus ortu nova luce domus illuſtratur. Matrem ex utero alloquitur.

fuſam, ſed excidit, quod unus aut alter ex ſociis enarrat. Ante ortum ſcilicet mater ejus gravida periculum incurrerat, ut a latronibus & graſſatoribus viarum, revertens ex prædiolo prope ſpoliaretur. Feſtinans ad oppidum, audivit infantem quem in utero geſtabat voce ſonora monentem ne timeret, neve gradum acceleraret: futurum, ne ei hoſtes nocerent. Factum: incolumis & integra ad oppidum, ſed jam ab hoſtibus direptum evaſit; atque domum ſuam ab illis reperit intactam.

Mos & finis prædicationis.

IX. Præcipuas virtutes delibavi, & prædicationis exordia; eo autem dumtaxat fine officium ſuſcepiſſe ut ægris proſpiceret animabus, inde liquet, quod floſculos orationis, curioſaſque quæſtiones, & quidquid vana titillatione pruritum auribus excitare poterat, ſtudioſe devitabat, totus in vitiis eradicandis, in virtutibus plantandis, & in amore cœleſtium accendendo: ſi quando autem in aliquod flagitium vehementius invectus fuiſſet, ad finem ejus concionis in genua procumbens, capite aperto, manus ſupplices tendens, majori qua poterat contentione obteſtabatur, flagitabatque populum ne eo facinore Divinam benignitatem irritarent, quin potius recte factis illam ſibi conciliarent, & merita vitæ æternæ compararent. Quo ex ſtudio ingentes fructus in auditorio ſequebantur, cum plerique ſceleribus exonerarentur, & ad meliorem frugem ſeſe conferrent.

Una concione triginta meretrices convertit.

X. Mediolani, interpellante Duce, ea conditione in feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſe concionaturum dixit, ſi ille auctoritate ſua omnes ſolutæ vitæ mulierculas juberet concioni intereſſe. Factum: Jacobo in deteſtationem libidinis acrius invehente, triginta ex eis ad caſtitatis amorem inardeſcentes, e cœno vitiorum emerſerunt; & quædam ex eis matrimonii vinculum ſubierunt, aliæ in Monaſterium Pœnitentum, eluendis culpis conceſſerunt, elocatæ vel dotatæ ex ea ſtipe, quam Jacobus pro ea concione a fidelibus exegerat. Permovit iſta res Ducem adeo vehementer, ut mortuo per id temporis Antiſtite Mediolanenſi, eam dignitatem illi deferret. Ceterum is noctu fugam arripuit, ex qua retractus, numquam ad ſuſcipiendam paſtoralem curam adduci potuit, neceſſitatem ſibi impoſitam eſſe omnibus evangelizandi, cui ſatisfacere non poſſet, ſi Mediolanenſis Eccleſiæ culturam ſuſciperet, quod ea certis limitibus clauderetur. Deſtinatum illi fuit non unam diœceſim, neque Italiam ſolam, ſed Illyricum quoque univerſum, Hungariam, Germaniam, Boemiam atque Poloniam illuſtrare, & ſemine verbi Dei conſerere.

Oblatum Archiepiſcopatum Mediolanenſem reſpuit.

XI. Sane ea ampliſſima regna voluntate ſuperiorum peragravit, uti nos per varios annos enarravimus, ac prope innumerabiles a flagitiis, ab hæreſi, a ſchiſmate revocavit; Chriſtoque adjunxit. Ab his laboribus, & auſteritate vitæ fracta vena, ſtillicidium ſanguinis totis novem annis paſſus, in febrim hecticam incidit; nec tamen vel a concionandi munere deſtitit, vel de rigore vivendi quidquam remiſit, ſed peregrinationem ad ædem Lauretanam Divæ Dei Parenti ſacram ſuſcepit, ubi ſacram hoſtiam litanti, & ſanitatem corporis deprecanti, ſtatim a conſecratione Euchariſtiæ, Diva Virgo apparuit, atque aliquid aliud, ſe interprete, a filio poſtularet, reſpondit; fluxum ſanguinis repreſſum, ac febrem depulſam jam eſſe ſciret. Hic vegetior factus, labores laboribus, & jejunia jejuniis accumulavit.

Graves morbos incurrit.

B. Virgine intercedente liberatur.

Donum accepit lacrymarum.

XII. A lacrymarum profluio, quas in contemplatione cœleſtium profundebat, prope cæcus effectus fuiſſet, niſi ſibi in ſenectute temperaſſet. Etſi continuo ferme motu per urbes & oppida, per Provincias & Regna, omnibus benefacturus diſcurreret, pecunias & neceſſaria in viaticum oblata recuſabat accipere, ſolis quos manu propria deſcripſerat, precum atque con-

Nihil ſecum ferebat in via.

concionum libris contentus, ne quem expenſis gravaret. Carnibus perpetuo abſtinuit: ſi quando piſces apponerentur in itinere, vix duas unicas ex iis guſtabat. A Fratribus interrogatus, cur tam parce viveret? Reſpondit, rationem reddendam eſſe Deo, eorum quæ manducaret & biberet, ſi non ad tolerandam vitam iis uteretur. Ejus abſtinentia.

XIII. Caſtitatis ſervator, immaculatum cor, corpus & omnes ſenſus tota vita cuſtodivit: eaquepropter exemplo Apoſtoli Pauli, corpus ſuum caſtigare & in ſervitutem redigere voluit, majoris faciens continentiæ, quam prædicationis meritum, gravioreſque cruciatus animi perſentiſcens ex aliqua cogitatione immundiore, ſi quæ obrepſiſſet, quam ex quacumque alia tentatione. Conſilii quoque Paulini memor, cum nonnulla ſibi licerent, neutique tamen expedirent, ita oculorum licentiam ſuorum cohibuerat, ut ne illicita quidem, ſed quæ ad illicita gradum facere poſſent, ſuſtinuerit aſpicere. Nihilominus annis multis vehementer conflictatum, diximus non potuiſſe a carnis moleſtiis aliter quam per Virginis Lauretanæ beneficium liberari, cujus patrocinio ſe in virginitate perſeveraſſe, paucis ante obitum diebus ipſe retulit fratri Martino Caſtellutio, individuo comiti & Confeſſario, quod exarato chyrographo ille voluit omnibus patefactum.

Caſtitas. 1. Cor. 6. 12. Tom. 9. an. 1416. n. 5.

XIV. Spiritu prophetiæ illuſtris, multa futura prædixit, quod Nicolao Picinino militi inflicta vindicta, & Franciſci Saonenſis ad regimen ſui Ordinis, Cardinalatum, & ſummum Pontificatum aſſumptio ab eo prædictæ, & a nobis ſuis locis relatæ, abunde confirmant. Præter has aliaſque prædictiones, terræ motum in regno Neapolitano ante quatuor annos, Turcarum vero in Italiam adventum, necnon mortem eorum Imperatoris aute decennium prænunciavit.

Spiritus prophetiæ. Tom. 11. ann. 1464. n. 11.

XV. Inter miracula quæ vivens patravit, iſtud celeberrimum memoratur. Brixiæ concionatus, puerulum ſexennem ad virtutum tirocinium ad ſe frequenter accedentem inſtruebat. Mittebatur a Patre per ſpeciem quidem, ut nonnulla edulia concionatori ferret, revera autem ut ad omuem pietatem a Jacobo educaretur. Et vero ille ſalutationem Angelicam, orationem Dominicam, & alias devotionis formulas eidem inculcabat. Præterea ad cultum ſacroſanctæ Deiparæ aſſuefaciens tenellum, quoties imaginem ejus Divæ offendiſſet, genu ponere jubebat: quæ & plura alia ſanctæ indolis puer avide hauriebat, faciebatque non tantum ipſe, ſed & puer quidam coætaneus, vicini Hæbrei filius, quem colludentem converſantemque is ipſe Jacobi alumnus ad Chriſtianorum ſacra ediſcenda formabat. Ægre fuit iſtud parenti Hebræo. Ergo una dierum venientem Chriſtianum, domi intercepit, furoreque correptus, atrociter mactavit, mactatum intra maceriam a tergo camini recondidit, & parietem, qui occuleret facinus, obduxit, eumdemque copioſo ex ſarmentis fumo inatravit, ne paries recens extructus videretur. Pater cæſi pueri, ubi illum in tempore non venire animadvertit, primum animo ſuſpenſus hæſit, mox illum vel aberraſſe, vel alicubi aut interiiſſe, aut interceptum eſſe arbitratus, in lacrymas una cum conjuge irrumpens, totos tres dies ubique locorum filiolum quæſivit. Cum fruſtra hinc & inde diſcurrendo inquiſiviſſet, tamdem ad Jacobum accurrit, ſupplex orans, ut & preces Altiſſimo pro ſalute pueri porrigeret, & pro concione univerſo populo rem indicaret, ut ſi quis forte reperiſſet, aut periclitantem illum vidiſſet, renunciare vellet. Dedit ſe in primis orationi Jacobus, & mox quid de filiolo actum fuiſſet, Divinitus cognovit. Inde evocato Patri rem omnem ſignificavit, cum prius illum adjuraſſet, ne vindi-

Ingens miraculū reſuſcitati pueri.

dictam de homicida repoſceret aut reſumeret. Hinc duobus ſociis comitatus, cum illo & altero ad domum Hebræi properavit, & colloquium parricidæ expetiit, ſedenſque e regione maceriei, in quam is puerum depoſuerat, comitibus, ut parietem obductum demolirentur, imperavit. Mira res! ſtatim atque illi diruere murum aggreſſi ſunt, puer qui erat occiſus, reviviſcens, illos voce contenta compellavit, paulatim videlicet parietem diruerent, neque ſe violenta demolitione offenderent. Amoto pariete, puer vividus egreſſus, cunctos in ſtuporem vertit. Hebræus vero miraculo perculſus, nomen Chriſtianitati dedit, ab Jacobo concionatore de ſacris fidei myſteriis informatus. Rem omnem diffuſe narrat in ſua hiſtoria Brixienſi ex antiquis urbis monumentis Octavius Rubeus, qui etiam ad me authenticum miſit teſtimonium anno MDCXXII. relatis ex vetuſto proceſſu utriuſque infantuli & parentum nominibus. Puer Chriſtianus, Conradus, pater vir primarius, Fridericus Lavellongus, Hebræunculus Joſeph, genitor Salomon vocabatur.

Cultus nominis Jeſu.

XVI. Sanctum Bernardinum, ſuum præceptorem in omnibus actionibus, & præcipue in veneratione ac prædicatione nominis Jeſu imitari conatus, virtute ſanctiſſimi nominis plurima patravit miracula, & a multorum corporibus dæmonia ejecit, necnon complures ad ſanctitatis ſtudium traduxit. Aliquando cum eodem ſancto Bernardino, & Joanne Capiſtrano in Cœnobio lacus Peruſini congreſſus, & a ſummo Pontifice inter hæc ad concionandum Tudertinis miſſus, interrogaverat ſanctum Bernardinum, quonam ſeſe concionaturus conferret? *Ad regnum*, cum hic reſpondiſſet, interimque Aquilam diſceſſiſſet, Jacobus de Neapolitano regno intelligens, Tuder ivit. Ibi verba ad populum inflammato ardore faciens, derepente in curſu concionis ſubſtitit; & mente Divinitus mota, ſanctum Bernardinum e vivis abiiſſe cognovit: moxque columnam nunc primum Eccleſiæ cecidiſſe, populis renunciavit. Inde ad cubiculum revertens, in oratione lacrymis perfuſus, quemdam Fratrem ſancto Bernardino cariſſimum, ſucceſſorem Vincentii Serii, qui ante biennium cum ingenti opinione ſanctitatis obierat, ecquid de ſancto Viro ageretur? interpellavit. Is autem ad regnum cœleſte emigraſſe annunciavit. Quod cum Jacobus accepiſſet, Aquilam pergens, Bernardinum defunctum miraculis illuſtrem reperit; & occaſionem nactus, multa de Viri ſanctitate pro concionibus dixit, & miraculo conſpicuo confirmavit, quandoquidem una dierum ſuper concionantis verticem, fulgentiſſimam ſtellam tamdiu lucere omnes aſpexiſſent, quoad ipſe concioni finem impoſuiſſet.

Divinitus percipit S. Bernardinum obiiſſe.

Fructus animarum.

XVII. Ter in Hungariam & Boſnam a variis Pontificibus atque ſui Ordinis Superioribus, ſicut ſuis annis retulimus, ad fidei negotia amandatus, annis duodecim per regiones illas, finitimaſque Poloniæ, Boemiæ, Germaniæ, Dalmatiæ, Sclavoniæ diſcurrens, Deique verbum diſſeminans, magnos animarum fructus fecit, ad meliorem frugem converſis plurimis peccatoribus, innumeris vero infidelibus, ſchiſmaticis & hæreticis ad veram Catholicam fidem adductis, bis centenis millibus aliquando ſimul baptizatis; dabat enim Deus voci ſuæ vocem virtutis, maxime quando verbo myſtico operationem jungebat miraculorum. Hungarum quemdam, Jazium nomine, diuturno morbo exhauſtum, diroque apoſtemate laborantem, in lectulo ad concionantem adductum, ſermone abſoluto, coram omnibus ſolo ſigno crucis ſanavit. Alium ſanguinis fluxu animam agentem, invocato ſuper eum nomine Jeſu, priſtinæ reſtituit ſaluti. Budæ, Belgradi, Villaci, aliiſque Hungariæ urbibus verbum Dei utiliter propoſuit, converſis

Varia ejus miracula.

verſis

verſis multis infidelibus, plurimis ad ſuam Religionem receptis, domibus ſex ejuſdem Inſtituti fundatis. In Flavia Auſtriaca multas habuit conciones, quarum una quinque proſtitutas mulieres ad ſaniorem vitam revocavit, dotemque ſingulis, antequam e Templo diſcederet, ab auditoribus acceptam diſtribuit. Hic etiam ſui Ordinis domum ædificavit, multos ſua veſte donavit, & ſigna fecit miranda. In ditione Marchionis Brandeburgici energumenum horribilem ſigno crucis, & invocato nomine Jeſu, ac puellam cujus pectus cancer depaſcebatur, eodem nomine perſanavit. Norimbergæ, Ulmæ, Auguſtæ, Ratiſponæ eadem plane patravit, multos hæreticorum convertit, & Cœnobia fundavit. Brandeburgi multas extinxit veteres inimicitias, & vitia correxit. Suderina errores hæreſeſque inſanas ablegavit, cæcum & mutum crucis ſigno & Jeſu nomine liberavit, duobus ibidem extructis Cœnobiis, & multis ad Sodalitium receptis. Tranſito Albis fluvio, Limburgi poſt frequentes ſermones, Albricum leproſum mundavit. Amburgi multos obſeſſos curavit.

In Hungaria ſex ædificat Cœnobia.

XVIII. In civitate Francofordiæ populoſa & locuplete, plurimorum odia & diſſenſiones ſuſtulit, & pacem inter diſſidentes vel hoc ſolo miraculo conciliavit. Invitaverat pridie ad ſequentis diei concionem, ut omnes cives in prato quodam adeſſent. Convenerant ad XXX. M. hominum ad hominem audiendum. Ibi ille, num omnes adeſſent? cum interrogaſſet; hi vero neminem abeſſe reſpondiſſent. *Ite*, imperavit, *in palatium Principis, & adoleſcentem adoleſcentulamque abſconditos invenietis, volentes nolentes iſthuc adducite*. Adduxerunt illi; Jacobus vero per nomen Jeſu adductos adjuravit, ut qui eſſent, edicerent: narraverunt ambo ſe in ſpecie humana dæmones eſſe miſſos a Principe inferni ad ſeminandas diſcordias, & odia mutuo inflammanda. Dixerunt, & in momento ab oculis auditorum evaneſcentes, in flammas abierunt, teterrimo odore diffuſo. Ita auditores in genua proſtrati, miſericordiam Divinam flagitarunt, & odiis depoſitis, in mutuam gratiam redierunt.

Inimicitias & odia extinguit.

Satanæ fraudes explicat.

XIX. Peragravit poſtea reliquas Germaniæ provincias, multiſque patratis miraculis, plurimos ab hæreſi & Judaiſmo ad veram fidem attraxit. Hebræorum magiſtrnm Rabbi Iſraelem, in urbe Danſchæ diſputando convictum, ſacro lavit baptiſmate, energumenos curavit, puerulum moribundum ſanavit. In provincia Friſiæ pro feſtivitate Aſcenſionis Dominicæ concionaturus, cum noctem antecedentem in orationibus vigilaret, Divamque Deiparam, ut ſibi in acerrima contra hoſtes fidei pugna aſſiſtere dignaretur, interpellaret, aliquantum obdormiſcens, vidit ſecundum quietem, aliquam ex cœlitibus Virginem, quæ illi ſtolam candidam in humero, ſertum vero capiti imponeret, monens ut viriliter dimicaret, certiſſimamque victoriam ſperaret: nullum fore genus argumentorum ab hæreticis & Hebræis excogitatorum, quæ ille non diſſulveret. Conſcendit poſtea die ſubſequente ſuggeſtum, atque duas de adventu Meſſiæ propoſitas ab Hebræis difficillimas quæſtiones, feliciter ſolvit, ac præterea in conſpectu omnium dæmoniacum quemdam hæreticum, ſolo crucis ſigno liberavit.

Hebræum magiſtrum convertit.

Inſignem de hæreticis & Judæis victoriam reportat.

XX. Uſurarum inſuper voraginem inſatiabilem, prædicatione & diſputationibus ſuſtulit; innumerabiles Patarenos vera imbuit doctrina, multos viros nobiles ad mundi contemptum, & Religionis complexum perduxit, atque in novum hominem transformavit. Hinc Norvegiam, Daniam, Pruſſiam radiis doctrinæ & miraculorum illuſtravit. Cracoviæ in Polonia plurima admiranda egit, plurimos errores in fide enubilavit, multas ſupeſtitiones eliminavit, hæreſeſque proſtravit.

Multa regna cumulatiſſimo percurrit fructu.

XXI. Pra-

Digitized by Google

Hauſto innoxie oblato veneno, multos hæreticos convertit.

XXI. Pragam, Boemiæ Metropolim profectus, Georgium Podiebracium, hæreſi Huſſitica a Rochizana pſeudo-Archiepiſcopo infectum, reperiens, multis ſermonibus ad unitatem fidei adducere conatus eſt. Non ferentes hæretici magnam efficaciam demonſtrationum, venenum illi comedendum obtulerunt, ea ſponſione, ut ſi is citra noxam comediſſet, illi relictis erroribus, Catholica dogmata amplecterentur. Ibi Vir ſanctus, ſigno crucis impreſſo, viva & vera fide nixus, venenum guſtavit, & pro concione quamplurima altiſſima de myſteriis Catholicæ Eccleſiæ diſſeruit: quo miraculo multa hæreticorum millia convertit.

Necromantem fidei inſidiantem voce & auditu privavit.

XXII. Tam inſignem animarum fructum hoſtis humani generis non ſuſtinens, Podiebatium Regem per Miniſtros falſitatis, & præcipue per quemdam Necromantem in Jacobum inflammavit; identidem rebellionem populi oſtentans, ſi fidem Catholicam admitteret. Eapropter Rex eumdem fraudis artificem, operam ſuam in Jacobo convincendo offerentem, contra illum diſputare juſſit. Ceterum Necromantes falſus fuit; ſtatim enim atque vir Divinus hominem in Eccleſiam introiſſe per revelationem agnovit, brevi oratione pro concione facta, loquela & auditu illum privatum reddidit; adeo ut, qui antea nonniſi triumphos de ſancto Dei reſonabat, poſtea ſurdus & mutus evaſerit, confuſioniſque impatiens, e cœtu profugerit. Cernens tamdem vir Dei Regem cum ſequacibus obduratum, Boemia relicta, in Epyrum & Illyricum penetravit, ibidemque non paucos ab infidelitatis & hæreſum tenebris, partim prædicatione, partim miraculis liberavit.

Vas cibi veneno infecti ſigno crucis confregit.

XXIII. Alibi etiam tentarunt hæretici hunc indefeſſum ſuæ perfidiæ infectatorem veneno perimere. Prope Ulmam pabulo toxicum immiſcuerunt, ſed Divinitus ille fraudem agnovit, & facto crucis ſigno ſuper lancem, in qua cibus infectus eminebat, vas in quatuor partes per miraculum diffractum, cibum in terram effudit, quem ubi canis deguſtaſſet, ſtatim interiit. Illud videntes maligni, Divinam in Jacobo perſpicientes virtutem, ad ejus pedes ſeſe abjecerunt & hæreſim abjurarunt.

Tom. 11. anno 1441. n. 7. & Tom. 12. anno 1449. n. 10.

XXIV. In Italia inſuper multa præclariſſime peregit. Picenum, uti alias diximus, fœda Fratricellorum hæreſi purgavit. Accidit ut Matelicæ concionabundus, dum contra vitium neſandum inveheretur, trementibus univerſis ad tonitru verborum, aliquis ab eo facinore infamis, exiſtimaret contra ſe ſingulariter diei ea quæ Vir ſanctus in deteſtationem flagitii detonabat. Ergo vindicare ſe cogitans, Jacobum interimere propoſuit, & ad quamdam extra pomerium Matelicenſe, Divæ Deiparenti dicatam Eccleſiolam, qua Jacobus die ſequente tranſiturus erat, properavit, ut homicidium mente conceptum, perpetraret. Ibi imago Deiparentis picta, quaſi vivens foret, vultu ad iram efformato, nefarium hominem aſpiciens, horribilibus verbis, num patricidio ſeſe impiare deſtinaret, illum compellavit; adeoque perterruit, ut is Caini inſtar, tremens in terram corruerit, tantiſperque proſtratus jacuerit, quoad & Jacobus præteriret. Vicini accurrerunt, qui ſublevarent, atque in proximum Xenodochium deferrent. Jacuit in eo infirmus circiter tribus menſibus: ſanatus paulo poſt ad Jacobum apud Firmanos concionantem perrexit, veniam cum lacrymis proſtratus poſtulavit, & a turpiſſimo illo cœno ad puriorem vitam ſurrexit.

A parata ſibi morte per Deiparam liberatur.

Eum occidere volens a Deo punitur.

XXV. Aſculi quemdam juvenem ad meliorem frugem converterat, & Inſtituto Franciſcano addixerat. Id hujus frater ægre ferens, Jacobum occidere deſtinavit, & jamjam bipennem in ejus caput vibravit. Mira res! ferrum e manubrio per miraculum diſſiluit, inque homicidam deci-

dens,

dens, vehementius illum vulneravit. Ultore Deo injuriam Sancti vindicante.

XXVI. Spoleti quamdam a dæmonio infeſſam, invocatione nominis Jeſu & Mariæ, ab impuro hoſpite eripuit. Aliam hydrope turgidam, miſſo illi in ſcriptis Jeſu nomine, quod illa ad collum geſtaret, perſanavit. Apud Montem Rotundum mutum quemdam & ſurdum ſigno crucis curavit. Tria ejus miracula.

XXVII. Romam profectus, a Paulo II. peramanter receptus, & a pleriſque Cardinalibus honorifice habitus, cum de Verbi Dei incarnatione in cubiculo Franciſci Cardinalis Saonenſis diſſereret, imago Deiparæ caput inclinavit, quaſi ea quæ ille dixiſſet approbaret. Viſo prodigio, accurrit Cardinalis, & amplexatus, oſculatuſque imaginem, viros aliquot religioſos advocavit, teſteſque adhibuit miraculi: Habetur hæc imago magna in veneratione in altari majori Cœnobii Montis Prandoni. Dum autem Cardinali valediceret, ei ſummum prædixit Pontificatum brevi conferendum, quod rei eventus confirmavit. Deiparæ imago ejus doctrinam confirmat.

XXVIII. Dum in Urbe eſſet, homines octo, fœminam unam morbo caduco divexatos, ſanitati reſtituit. Aſſiſii a quatuor perſonis dæmonia profligavit, & quamdam fœminam a nativitate contractam, multis diebus poſtquam perſanaſſet, dum gratulabunda occurreret, & quæ eſſet enarraret, interrogavit an perfecte a tot malis eſſet liberata? Cui illa, mali eſſe aliquod reſiduum dixit, ita ſe Deum deprecante ne perfecte ſana in adoleſcentiori adhuc conſtituta ætate, ad nubendum compelleretur a patre, ſeque maluiſſe corporis ferre dolorem, quam virginitatis jacturam: *Heu*, inquit ille converſus ad ſocios, *bonam fœminam quæ virtutem præfert ſanitati! Virgo manebit & Deus integram dabit ſalutem*. Varia ejus miracula.

XXIX. Farneti prope Peruſium aliquantulum commoratus, equum, cui aliquando in ſenectute inſedebat, vir pius domi alebat, in eoque clitellis ſtrato, præ Jacobi devotione equitabat. Paſſus ille longo tempore gravem herniam, clitellarum attactu, vel Jacobi meritis, in quibus ſpem magnam reponebat, repente conſolidatus eſt. Forani in Piceno ab anu quadam terribile & moleſtum ejecit dæmonium. Apud Civitellam in eadem regione, præſente Calabriæ Duce Alphonſo, Ferdinandi Regis Siculi filio, aliam a dæmonio vexatam liberam reddidit. Anconæ quamdam ab ulceribus plagoſam; apud ſanctum Geneſium quemdam juvenem paralyſi confectum, valetudini reddidit.

XXX. Neapolim ad prædictum Regem, uti diximus, ejus præſentiam deprecantem miſſus, ſe ibi moriturum prædixit, Regemque poſtea apud Carinolam lethali morbo correptum, jamque animam ſpirantem, quin & pro mortuo ab aulicis & medicis habitum, miſſa & impoſita illi corona precatoria, ad vitam revocavit. Ducem Calabriæ, Regis primogenitum a febri hectica periclitantem, periculo mortis exemit, eumdemque Turcarum ex Italia profligatorem fore prænunciavit. Eodem Duce vidente, dæmonem a quadam fœmina fugavit. Adoleſcentem ſcholarem, malo genio actum, patruum ob negatam ſibi pecuniam occidere volentem, ex roſtris tacito nomine prudenter monuit, feros & inhumanos procul faceret cogitatus. Sentiens ille peccatum ſuum nemini patefactum, Viro Dei fuiſſe revelatum, impium propoſitum correxit. Principis Biſſigniani primogenitum, in Calabria longiſſime abſentem, jam a medicis deploratum, Neapoli orans ſanavit, & patri dixit jam redditum incolumem. Poſt paucos dies Princeps intellexit, ea ipſa hora puerulum melius habuiſſe. Paſchalem Comitem Aliſfanum eodem beneficio affecit; nobilem quamdam matronam, cui cancer pe- *Anno 1473. n. 4.*

pectus exederat, cruce facta ſanavit. Nolæ in Campania duobus contractis ſolutionem & uſum membrorum impetravit.

Dæmonem in ſpecie S. Joann. Baptiſtæ apparétem detegit.

XXXI. Spirituum quoque probandorum dono fuit illuſtratus. Inter Palatinas Duciſſæ Calabriæ fœminas erat Catharina de Arcelli Lombarda, cum tribus filiabus & quadam Tertii habitus ſancti Franciſci virguncula, orationibus & contemplationibus addicta. Huic una noctium in meditationibus vigilanti, Satanas in forma ſancti Joannis Baptiſtæ, ſplendore multo coruſcans apparuit, & ad perſeverantiam in ſanctis exercitiis adhortans, plurima ſaluberrima conſilia fraudis ignaræ aperuit. His illa recreata, & jam malignanti obſequentior facta, aditum illi fecit, ut ſingulis noctibus, ſed jam aliis quoque conſpicuus appareret. Viderunt aliquoties filiæ Arcellæ venientem, & matri renunciaverunt: quæ verbis filiarum nimis credula, poſitis in terram genibus, quaſi maximo affecta fuiſſet cœlitus beneficio, Deo gratias egit, quod Præcurſoris præſentia ejus familia digna eſſet. Retulit præterea hæc omnia duobus Minoritis, qui ad Jacobum rem referendam monuerunt, atque priores ſignificarunt. Vix verba facere cum cœpiſſent, ille ut tacerent, imperavit. Dixitque non ſanctum Baptiſtam, ſed veteratorem eſſe, qui ementita ſpecie apparebat, ut falleret, atque ingens in Palatium Ducis incendium excitaret. Scandalum paſſi illi, veram fore ſancti Præcurſoris apparitionem contendebant, & mox ad Arcellam revertentes, quæ Jacobus edixiſſet, enarrabant. Illa porro ejus dictis non credebat, & ſanctam eſſe viſionem exiſtimabat, quod & plurimum ſplendoris videretur, & ſanctiſſima conſilia audirentur. Nocte inſequenti apparens tentator, Monialem laudavit, quod Jacobo rem renunciaſſet, eidemque ſuaſit, ut tam ſancto Patri in omnibus obtemperaret, quod amicus Dei eſſet. Arcella certior de apparitione facta, ad Jacobum miſit, qui omnia recenſeret, quæ pſeudo-Joannes dixiſſet. Ibi Jacobus inſidias verſuti cognoſcens, & ad nomen *Sancti* ſibi attributum exhorreſcens, illum mentiri aſſeruit, Sanctimonialique imperavit, ut in faciem apparentis veteratoris expueret, hoſtemque humani generis reputaret atque repelleret. Audivit hæc Sanctimonialis, & altera nocte Satanam in forma conſueta apparentem aſpexit; ſed jam invehentem in ſe vehementius, quod omnia Jacobo ſignificaret, qui omnium eſſet neqiſſimus hypocrita. Dixit, inque momento diſparuit. Catarina autem Jacobum de omnibus certiorem fecit, qui ad opprobria in ſe dicta ſubriſit, & ut porro virguncula illa apparentem conſpueret profligaretque, admonuit. Fecit illa nocte ſubſecuta, atque in faciem Regis ſuperbiæ ſpuit, qui contemptum ferre non ſuſtinens, evanuit, ſed intolerando fœtore diffuſo. Ob eam rem Vir Dei multas calamitates a Satana paſſus, victoriam tamen perpetuo reportavit.

Multas infirmitates patienter pertulit.
Proceſſ. Roman. fol. 61.

XXXII. Neque ea putanda parva victoria, qua tantas corporis ſupervit moleſtias, & graviſſimas patienter tulit infirmitates. Annis viginti ante mortem probatus, quos non ſenſit morbos? quos non păſſus eſt cruciatus? Anno MCCCCLI. manuum & brachiorum tremorem paſſus, dum Aquilæ ſancti Bernardini corpus menſe Auguſti reverenter contrectaret, pulverem excuteret, novumque ex ſerico habitum ſuper induceret, obſequii præmium, nervis conſolidatis, reportavit. Podagra ita frequenter hominem cruciabat, ut immobilem omnino per dies multos efficeret; dolor iliacus, colica paſſio, calculus, ſanguinis fluxus, ſtomachi languor, inſomnium, dens nullus ſuperſtes, aliaque corporis incommoda totum hominem circumdederunt, ita ut nullam reliquerint partem illæſam: Quatuordecim ipſe morbos præter ſenectutem recenſebat, eoſque aliquando

do adeo graves, ut ad extremum vitæ ſæpe perduxerint, & ſacro ille fuerit oleo ſexies inunctus.

Summus enim ille opifex, quos diligit arctius atris
Urgere aſſueſcit ſtimulis, atque extera membra
Sollicitat, ne animi vires ſub robore molis
Corporeæ nutent, nimiumque effræna libido
Imperet, ac mentis jura, & fas omne recumbat.

Jacobiados lib. 4. verſ. 130.

XXXIII. Præſentiens tamdem mortem præ foribus adeſſe, etſi nullo tunc tot morborum gravaretur, vocatum ad ſe Præfectum domus ſanctiſſimæ Trinitatis, in qua vivebat, rogavit, ut Fratrum orationibus opitularetur brevi diſceſſuro, eaque circa ſe fieri tunc cupiebat, quæ morituris ſolent adhiberi. Timebat enim vehementer colicam paſſionem, a qua toties cruciatus eſt, ne tam fera tortura mentem a Divinis abriperet, minimeque liceret Chriſtianæ pietatis officiis animam debite recreare. Timor, quem timebat, evenit: nam poſt triduum acerrima hac paſſione diſcruciatus, totus in dolores actus, neque bibere, neque quidquam ſumere, neque dormire poterat; et ſi quid vel invitus admittebat, ſtatim evomebat, incaſſum adhibitis quibuſcumque medicinæ remediis. Die quinto moverunt alvum epota pharmaca, viresque proſtrarunt. Venantius ſocius a Medicis admonitus, dixit jam tempus adveniſſe tranſeundi ex hoc mundo ad Patrem: quod ille gratanter excepit, expiatiſque per ſacrum penitentiæ arcanum, ſi qui ſupererant, reatibus, Fratres in conſpectum vocavit, ſanctiſque inſtruxit documentis. Guardianum rogavit ut ad Templi oſtium, quo Fratres Cœnobium ingrediuntur, corpus ſepeliret, omnium pedibus calcandum, & ſocium, ut morti proximum, nudum dimitteret in terram, ut ad inſtar ſui Inſtitutoris & Chriſti Domini, nudus abiret, nihilque quod ſuum eſſet, ab eo poſſet mundus repetere. Deinde Euchariſtiæ Unctioniſque extremæ reverenter acceptis ſacramentis, rogavit ut abeuntem ſuis juvarent Fratres orationibus. Lectum circumdantes, pias preces gementes & flentes effundebant, reſpondente ad ſingula Jacobo, & nomina *Jeſus & Mariæ* ſæpius repetente. Erectis demum ſecundo & tertio oculis & manibus in cœlum, dulciter obdormivit in Domino.

Præſcius mortis ſe præparat ad diſceſſum.

Pie moritur.

Ter prius erectis palmis ad Olympica regna,
Intuituque pio cernens convexa polorum,
Spiritulum emiſit Divorum lætus ad arces.

Jacob. citatus verſ. 294.

XXXIV. Incidit felix hic tranſitus in diem XXVIII. Novembris, horam XV. quæ Ultramontanis eſt ſeptima, & ætatis ſuæ annum LXXX. tranſactis in Religione annis ferme LX. Delatum funus in Eccleſiam infinita circumdedit hominum multitudo, pio contactu venerata. Accurrerunt etiam Duciſſa Calabriæ, Regia nurus, & Paſchalis Garlonius Comes Aliffanus, in aula ſummæ auctoritatis, & ſepeliri prohibuerunt, donec in urbem veniret Dux Calabriæ Alphonſus, Règis hæres & Vicarius. Tranſactis octo diebus, Duce non adveniente, voluerunt Fratres corpus ſepelire, ſed iterum prohibiti, expectarunt uſque in diem decimum, in quo Alphonſus pervenit. Ut ille ſpecioſum gratumque aſpectu corpus apprehendit, rogavit Fratres, ut inhumatum dimitterent, donec Rex ex Apulia rediret, vel jam per litteras monitus reſponderet. Tandem die ab obitu quartodecimo ſepultus eſt nobiliſſimo funere ad templum ſanctæ Mariæ novæ, ita jubente Alphonſo Duce, facie adeo pulchra & rubicunda, ut ſenis effigiem non præ-

Jacet inſepultus diebus quatuordecim.

Sepelitur tādem ad ſanctæ Mariæ novæ.

Facie pulchra & rubicunda.

ferret, cauſamque miniſtraverit quibuſdam detractoribus dicendi, Fratres ceruſa, aut minio colorem obduxiſſe. Alii obloquentes ſuſurabant ad lucrum & quæſtum tot diebus a Fratribus cadaver expoſitum; projiciebant enim omnes effuſim ſuper corpus nummos argenteos & aureos, qui coronatorum millium ſummam ſuperarunt. Julius Paſſarus in diariis, quos tunc ſcribebat, adnotavit diem horamque mortis, & totius urbis ad funus concurſum.

Miracula ante ſepulturam. XXXV. Antequam ſepeliretur, Maria de Capua, in hoſpitali Annunciatæ Hieronymum Sacchinum de la Terra, a podagra male habentem monuit, ut ſe Jacobi recenter defuncti, meritis commendaret. Fecit, convaluit. Puella undennis cæca & muta ad loculum deportata, ſtatim liberata eſt; ſed cum ſalutem a quodam ſeducta, remediis attribueret humanis, poſt dies tredecim utrumque malum incurrit. In translatione vero corporis, dum veniam cum lacrymis a Jacobo ſuppliciter petit, benigne exauditur.

Poſt annum exhumatur. XXXVI. Jacuit porro ſub terra per annum integrum, donec admonitus Sixtus Pontifex a fratre Franciſco de Ragono, domus Præfecto, juſſit exhumari, & in locum decentiorem corpus transferri. Inde demum translatus eſt ad nobile ſacellum magni Ducis Gondiſalvi Fernandez a Corduba, de quo alias late diſſeruimus. Diploma Sixti transcribo.

Tom. 4. an. 1468. n. 14.

Dilectis filiis Vicario venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitani, & fratri Joanni Tomacelli Guardiano loci ſanctæ Mariæ Novæ &c.

Ex originali. *Dilecti filii, ſalutem &c. Relatum nobis eſt, quod corpus laudandæ memoriæ fratris Jacobi de Marchia ex Ordine Minorum, minus decenter, quam ejus vita pie & religioſe tranſacta meretur, in iſta Eccleſia ſanctæ Mariæ depoſitum eſt: quare ne tanta virtus & probitas, quanta in eo emicuit, neglecta videatur, volumus & mandamus vobis, ut corpus ipſum exhumari, & in eadem Eccleſia honorifice collocare curetis, prout Vicario Provinciali & Fratribus dicti Ordinis melius fieri poſſe videbitur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XXVII. *Octobris* MCCCCLXXVII. *Pontificatus noſtri anno* VII.

Qualis fuerit Jacobus. XXXVII. Erat Jacobus mediocriter procerus, aſpectu gravis, colore ſubniger, capite calvus, voce ſonorus, eloquio fœcundus, memoria felix, ingenio acerrimus, omnigena doctrina excultus; in potu & cibo parciſſimus, in vigiliis, abſtinentiis, laboribus aſſiduus, ſolitudinis dum licebat, amantiſſimus; in reſponſione promptus, ad laudandum paratus, ad condemnandum tardus, omnibus gratus, erga omnes officioſus. Pingitur ætate grandævus, baculum habens arundineum dextra, ampullam ſanguinis oſtendens ſiniſtra, in memoriam acris, ſed feliciter abſoluti certaminis de Sanguine Chriſti. Eius reliquiæ & veſtes tum in oppido Montiſprandonis, tum Neapoli innumeris malis certam exhibent medelam. Miracula ejus neque numero terminari, neque libris poſſunt comprehendi. Ingentem codicem Venantius tredecim annorum ſocius ſcripſit; proceſſus auctoritate Apoſtolica variis temporibus de illius virtutibus & prodigiis compactos, novem in noſtrum archivum collegi, in quibus mira miranda de eo referuntur & probantur. Duas vel tres operationes miraculoſas, eaſque in hunc diem perſeverantes ex proceſſu Romano, & teſtibus Raguſinis ac Boſnenſibus, reliquis propter nimiam multudinem omiſſis, hic duximus enarrandas.

Qualiter depingitur.

Quot miraculorum documenta.

XXXVIII.

XXXVIII. In Raguſino ſancti Franciſci Cœnobio, coram ſummo Altari, ſub præcipuo templi arcu, ſuper tranſverſam trabem ingens eſt Chriſti crucifixi ligneum ſimulacrum, cui ex utroqne latere curavit Jacobus ſiſti Angelum ex eadem materia, thuribulum manu geſtantem, facie verſa ad Crucifixum. Poſtquam vero uterque appoſitus erat; prophetizans dixit ille: *Hi Angeli aliquando mira patrabunt*. Atque vere prædixiſſe, in hunc diem probatur*; nemine enim movente, in feſtivitatibus majoribus,& gravi quoquo urbis periculo, ſuum uterque thuribulum erga Crucifixum movere, tamquam ſi thus adoleret, aſpicitur. De quo peculiarem auctoritate Apoſtolica Raguſii compilatum proceſſum, atque ad ſacrorum rituum Congregationem tranſmiſſum inter reliqua ejus monumenta conſervo.

Raguſii perpetuum ejus miraculum.

* *Intellige de tempore quo auctor hos Annales ſcribebat; noſtra enim ætate mirandum prodigium multis abhinc annis ceſſaſſe nemo eſt qui non ſciat.*

XXXIX. In Regni Boſnenſis urbe Oſtronizæ, dum illic Inquiſitoris Apoſtolici munus exerceret, a populo rogatus, ut vicino lacui, qui occulto quodam ſive terræ ſive aquæ vitio piſcem nullum ferebat, benediceret, acquievit, & ſtatim piſcium reddidit feracem, magnoque illius regionis commodo ea fœcunditas perſeverat. In lacu altero illius regni, prope Civitatem Moſtraræ, magno valde & aquæ nigræ, magnam inferebant ranæ moleſtiam Divinum officium cum ſocio recitanti. Juſſit ut tacerent, & tacuerunt; dum vero longius progrederetur, recordatus impoſiti præcepti, remiſit ſocium præceptum revocaturum. Ille inadvertenter in ſingulari juſſit ut rana quaxaret, ſuumque cantum reſumeret. In tanta ranarum multitudine, ſola una in illo lacu quaxare ſentitur.

Tria in regno Boſnæ item perpetua.
Lacum ſterilem piſcium reddidit feracẽ: inter innumeras ranas una ejus juſſu quaxat.

XL. In oppido Vizochi ejuſdem regni, diœceſis Fornizæ, dum contra Manichæos & Huſſitas prædicaret, quidam ex hæreticis ferra infirmarunt latenter ſuggeſti pedes, ut concionator aſcendens inde decideret. Horum poſteri in hunc diem, vel claudi vel cruribus affecti naſcuntur.

Inſidias ei parantes puniūtur.

XLI. Tot tantiſque miraculis illuſtrem, continuiſque gratiis per omnes regiones præſertim Neapoli, mortalibus opitulantem, Leo X. honorari voluit quotidiano cultu, conceſſis indulgentiis omnibus, qui intereſſent proceſſioni, & ſequenti dum cantaretur Antiphonæ.

Ad quotidianum ejus cultum Leo X. hortatur.

G*Emma lucens paupertatis, Roſa rubens charitatis, Martyr deſiderio. Vas totius puritatis, ſpeculumque caſtitatis, Picenorum gloria. Decus Morum & Minorum, Prædicator verbi Dei, Extirpator hæreſum. Tu forma ſanctitatis Jacobe beatiſſime, ora pro nobis Dominum.*

℣. *Ora pro nobis B. Jacobe.*
℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

OREMUS.

D*Eus qui prædicationibus beati Jacobi Confeſſoris tui Eccleſiam tuam erudire dignatus es, ejus nos quæſumus tribue meritis adjuvari, cujus commemoratione lætamur. Per Dominum noſtrum &c. Amen.*

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus ſanctæ Mariæ de la Nova Neapolitanæ, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ.

LEO PAPA X.

XLII. D*ilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacri Ordinis Minorum meritis, & defunctorum Religioſorum eximiis operationibus, ac exemplari vita inducimur, ut iis, quæ Dei laudem & anima-*

Ex originali.

marum ſalutem reſpiciunt, gratum impertiamur aſſenſum. Hinc eſt, quod nos Dilecti filii Joannis Franciſci de Potentia, dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ profeſſoris, & Commiſſarii citra Montes Generalis in Romana Curia, in hac parte precibus inclinati, vobis & pro tempore exiſtenti Guardiano domus ſanctæ Mariæ de la Nova Neapolitanæ, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ac Fratribus in ea pro tempore degentibus, tenore præſentium concedimus, ut in Eccleſia ipſius domus, in qua corpus quondam Jacobi de la Marchia dicti Ordinis, dum viveret, profeſſoris, jacet, & in magna veneratione, propter crebra miracula, quæ illius meritis & interceſſione, ut pie creditur, inibi operatur Altiſſimus, habetur, ad illius ſepulcrum quolibet die poſt completorium, aut alia hora diei, prout Guardiano pro tempore exiſtenti magis conveniens videbitur, proceſſionaliter accedere, & ibidem unam antiphonam ſeu hymnum cum verſiculo & oratione in honorem Dei, & ipſius Jacobi memoriæ, abſque incurſu alicujus idololatriæ, aut infamiæ labe, ſeu conſcientiæ ſcrupulo, donec Sedes Apoſtolica ad præſens aliis arduis negotiis propter Concilium Lateranenſe occupata, ad dicti Jacobi canonizationis examinationem procedat, decantare valeatis. Nos enim ut Chriſtifideles eo libentius decantationi antiphonæ ſeu hymni & verſiculi ac orationibus hujuſmodi interſint, quo ex hoc dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui decantationi hujuſmodi interfuerint, unum annum & quadraginta dies pro qualibet vice de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis revocationibus & ſuſpenſionibus ſimilium indulgentiarum, etiam durante fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ſeu de cruciata factis & faciendis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 11. Auguſti MDXV. *Pontificatus noſtri anno* III.

Agitur de ejus canonizatione ſub Clem. ſeptimo.

XLIII. Creſcente in dies Viri ſancti miraculorum gloria, Carolus V. Imperator inſtanter rogavit Clementem VII. ut dignaretur virum digniſſimum, optime de Eccleſia Catholica meritum, Sanctorum adſcribere catalogo. Ut ita rite fieri poſſet, Pontifex examen miraculorum in regno Neapolitano commiſit Archiepiſcopo Tarentino, & Epiſcopis Iſchiano ac Maturano, & in Piceno Epiſcopis Aſculano ac Camerti, ut ex ſequenti Pauli V. diplomate apparebit. Ortis porro in Italia pleriſque tumultibus, opuſque negligenter proſequentibus Neapolitanis, intermiſſum eſt uſque ad Pauli V. Pontificatum, qui negotium hoc reaſſumi, rogante Philippo III. Hiſpaniarum Rege conſtituit, hoc ad Cardinales ſacrorum rituum emiſſo diplomate.

Deinde ſub Paulo quinto.

PAULUS PAPA V.

Ex proceſſu Roman. fol. 36.

XLIV. **V***Enerabiles Fratres noſtri, ſalutem &c. Glorioſos viros, in virtute divites, per quos Dominus multam gloriam fecit magnificentia ſua, Mater Eccleſia celebrat, ut dum excellentibus meritis excellens rependitur honor, laudetur Dominus in ſanctis ſuis, & ipſorum quaſi triumphis excitati fideles, nomina, quæ in æternitate vivunt, in laudibus habere, corpora vero in pace ſepulta venerari, ac mores, qui nonniſi religionem & ſanctitatem redolent, imitari aſſueſcant. Cum itaque, ſicut accepimus, felicis recordationis Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter, celebri fama, quæ de*

de bona memoria fratris Jacobi Piceni, de Marchia nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, dum in humanis ageret, humilitate, caſtimonia, patientia, caritate, vigiliis reliquiſque corporis fatigationibus, pro Dei amore ſuſceptis, ejuſque mandatorum obſervantia percrebuerat, necnon ejuſdem fratris Jacobi doctrinæ, ac vitæ ſanctitate, plurimorumque miraculorum motus, & inſtantiſſimis inclytæ memoriæ Caroli V. Romanorum Imperatoris, ac Hiſpaniarum Regis Catholici, ſupplicationibus inclinatus, de S. R. E. Cardinalium conſilio & deliberatione, per ſuas ſub annulo Piſcatoris Romæ apud ſanctum Petrum, die X. *Januarii* MDXXIV. *Archiepiſcopo Tarentino, ac de Iſchia & Maturano Epiſcopis, & per alias ſimiles die* XIII. *Julii* MDXXV. *expeditas litteras Aſculano, ſeu ejus in ſpiritualibus Vicario Generali, & Camerinenſi Epiſcopis dederit in mandatis, ut per generalem informationem diligentiſſime ſe de præmiſſis informarent, & ſi per generalem hujuſmodi inquiſitionem eis videretur, & conſtitiſſet, probationes eſſe tales, ut per eos ad ſpecialem inquiſitionem procedi & deveniri poſſet, Sede Apoſtolica aliter non conſulta, ad ſpecialem prædictam inquiſitionem ſuper præmiſſis in Civitate Neapolitana, ubi prædictus frater Jacobus diem ſuæ peregrinationis clauſerat extremum, ejuſque corpus apud Eccleſiam domus beatæ Mariæ Novæ, dicti Ordinis humatum erat, & in Provincia Marchiæ, qua oriundus erat, & in qua multos annos vixerat, ac aliis adjacentibus Provinciis reſpective devenirent, articuliſque & interrogatoriis dictis, promotoreque fidei adhibito, citatione legitima præcedente, teſtium productorum juramenta reciperent, & examinarent, ac eorum dicta in actis redigi curarent, juraque & monumenta, quæ ad negotium hujuſmodi facere viderentur, reciperent, aliaque omnia, quæ ad plenam hujus rei ſcientiam neceſſaria, & opportuna eſſe cognoſcerent, perſcrutarentur, ac omnia in ſcriptis redacta, eorum ſigillo clauſa ad eamdem Apoſtolicam Sedem tranſmitterent; prout in eiſdem litteris plenius continetur. Cumque etiam, ſicut accepimus, prædicti Archiepiſcopus & Epiſcopus juxta eis attributam juriſdictionem, proceſſus tam ſupra generali, quam etiam ſpeciali inquiſitione formaſſent, & ea, quæ de religioſa vita dicti fratris Jacobi, ejuſque probitate, & vivendi modo, miraculorumque operatione compererant, in volumen redegiſſent, tamdem ad præfatum prædeceſſorem de more tranſmiſerunt. Cum autem ſicut pariter accepimus, propter diverſa publica impedimenta, ac ejuſdem prædeceſſoris obitum, cauſæ & negotii hujuſmodi expeditio tunc dilata, & per multos poſtmodum annos hucuſque intermiſſa fuerit, & excreſcat nihilominus in dies ejuſdem fratris Jacobi miraculorum gloria, hominumque ex regno Neapolitano, & ex dictæ Marchiæ Provincia ad ejus corpus, quod integrum adhuc conſervari dicitur, viſitandum, & frequentia, & concurſus, qui ejuſdem precibus & interceſſione, ut pie creditur, in ſuis neceſſitatibus voti compotes effecti, receptorum beneficiorum tabellas in dies in maxima copia ad ejus ſepulchrum appenderunt, & quotidie appendunt; Cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, qui etiam ejuſdem regni Neapolitani Rex exiſtit, & Dilecti filii Nobiles & populus Neapolitanus, qui ſingularem erga prædictum fratrem Jacobum, cujus corpus ſumma religione & devotione venerantur, ſæpius apud felicis recordationis Clementem Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum, & Nos etiam egerunt, & inſtantiſſimis precibus, etiam per dilectum filium nobilem virum Gaſtonem de Moncada, Marchionem de Aytona Oratorem, inſtiterunt, ut cauſam hujuſmodi canonizationis dicti fratris Jacobi aſſumere, & ad finem perducere, ac ipſum fratrem Jacobum, ſi ita judicaremus, cathalogo ſanctorum adſcribere di-*

dignaremur. Nos igitur piis Catholici Regis, de Catholica fide optime meriti, & prædictæ Neapolitanæ Civitatis erga nos & Sedem Apoſtolicam maxime propenſæ, deſideriis & precibus humiliter, & ſæpius porrectis annuentes, ac conſiderantes ad puritatem Catholicæ fidei confirmandam, hæreticorumque pravitatem confundendam, ſumma Dei providentia, qui Eccleſiam ſuam nova ſubinde prole fœcundare, ſacroſque religionis ſuæ palmites ubique dilatare non deſinit, viri hujus, ut etiam accepimus, propter conciones, & vitæ auſteritatem, non in Italia ſolum univerſa, ſed in Auſtria, Croatia, Ungaria, Boſnia, Dalmatia, Polonia, Germania & eis adjacentibus locis celeberrima fuit, cujuſque opera in Inquiſitionis officio Eugenius IV. Martinus V. Nicolaus etiam V. Calixtus III. aliique Romani Pontifices, ad Fratricellorum, & aliarum tunc pullulantium hæreſum extirpationem uſi ſunt; quique Alberto & Sigiſmundo Imperatoribus, aliiſque ſecularibus & Eccleſiaſticis illarum partium Præſulibus cariſſimus & venerandus extitit, noſtris temporibus memoriam innovari: Motu proprio ac ex certa ſcientia noſtris, negotium canonizationis ejuſdem fratris Jacobi de Marchia & cauſam hujuſmodi in ſtatu & terminis, in quibus reperitur, reaſſumentes, circumſpectioni veſtræ, de quorum ſingulari religionis zelo, prudentia, doctrinaque cum integritate conjuncta, plurimam in Domino fiduciam habemus, negotium & cauſam ipſam univerſam examinandam, cognoſcendam, & ad finem uſque ad ſententiam excluſive producendam, Nobiſque & aliis Fratribus noſtris in conſiſtorio de more referendam committimus, ut deinde Nos cum veſtro aliorumque Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, quid juxta ſacrorum canonum ſanctiones, & ejuſdem S. R. E. ritum, circa illam agendum ſit, ad Dei laudem & Catholicæ fidei exaltationem ſtatuere valeamus: dantes vobis plenam facultatem in præmiſſis, per vos vel alios graves viros, & in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, integritate, ſacrorumque canonum doctrina & experientia inſignes, quos ad id deputandos duxeritis, inquiſitionem ſuper puritate fidei, vitæ ac morum ſanctitate, meritis, fama & miraculis ipſius fratris Jacobi, ac populorum erga ipſum devotione, faciendi litteras remiſſorias, & compulſoriales ſub ſigillo unius ex vobis pro tempore antiquioris ejuſdem Congregationis Cardinalium, quoties opus fuerit, decernendi, & relaxandi, ac tranſmittendi, ac proceſſus per vos, ſeu de veſtro mandato per alios rite & recte conficiendi, & confectos aperiendi, ac in præmiſſis etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis procedendi; contradictores quoſcumque veſtris ac dictorum ſubdelegatorum mandatis non parentes per eaſdem cenſuras & pœnas cogendi & compellendi, ipſoſque aggravandi ac reaggravandi, auxiliumque brachii ſecularis, ſi opus fuerit, invocandi, aliaque omnia & ſingula faciendi, gerendi & exequendi, quæ in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac circa ea neceſſaria fuerint, ſeu etiam quomodolibet opportuna. Non obſtantibus quibuſvis Cancellariæ noſtræ Apoſtolicæ regulis, & aliis Apoſtolicis, necnon univerſalibus, provincialibus, ſinodalibus Conciliis, edictis generalibus vel ſpecialibus, conſtitutionibus & ordinationibus contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, die XIII. *Octobris* MDCVII. *Pontificatus noſtri anno* III.

Urbanus VIII. Fraticoli concedit officio Eccleſiaſtico.

XLV. Diſcuſſionibus his in longum protractis, & Neapolitanis Fratribus ſæpius agentibus, tamdem precibus Philippi Hiſpaniarum Regis Neapolitanorum, & Minorum Obſervantum, interpellatus Urbanus VIII. pri-

primum conceſſit, ut in Eccleſia ſanctæ Mariæ novæ, ubi ſancti Viri corpus requieſcit, Officium & Miſſa recitaretur, & paulo poſt facultatem ad univerſum prædictum Sodalitium his litteris Apoſtolicis extendit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

In Sede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, a Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſervis ſuis honorificetur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, ac dilectorum filiorum Cleri & populi Civitatis Neapolitanæ, necnon totius Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, Nobis nuper expoſitum fuit, quod bonæ mem. Jacobus de Marchia, multis & eximiis virtutum, gratiarum & miraculorum donis a Domino illuſtratus fuit, quapropter Philippus Rex, ac Clerus & Populus, necnon Ordo prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut donec canonizationis honor dicto Jacobo de Marchia, ob ejus eximiam caritatem & excellentia merita, Divina adſpirante gratia, ab Apoſtolica Sede decernatur, idem Jacobus de Marchia Beatus *nuncupari, atque Officium de eo, ut infra, recitari poſſit. Quare Nos, re prius per venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, ſacris ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandavimus, mature diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut ipſe bonæ memoriæ Jacobus de Marchia* Beatus *nuncupari, atque officium & Miſſa de eo tamquam de Confeſſore non Pontifice, in Eccleſia tantummodo ſanctæ Mariæ* della Nova *nuncupatæ, Civitatis Neapolitanæ, ubi corpus ejuſdem requieſcere aſſeritur, recitari & celebrari reſpective libere & licite poſſit & valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus & impertimur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XII. *Auguſti* MDCXXIV. *Pontificatus noſtri anno* II. Ex autographo.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

XLVI. *Nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, ac dilectorum filiorum Cleri & populi Civitatis Neapolitanæ, necnon totius Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, nobis expoſito, quod bonæ mem. Jacobus de Marchia multis & eximiis virtutum, gratiarum & miraculorum donis a Domino illuſtratus fuerat, & propterea Philippi Regis, ac Cleri & populi, necnon Ordinis prædictorum nominibus, nobis humiliter ſupplicato, ut donec canonizationis honor dicto Jacobo de Marchia, ob ejus eximiam caritatem & excellentia merita, Divina adſpirante gratia, ab Apoſtolica Sede decerneretur, idem Jacobus de Marchia* Beatus *nuncupari, atque officium de eo, ut infra recitari poſſet; Nos, re prius per venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales ſacris Ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio, hujuſ-* Ex autographo.

modi ſupplicationibus inclinati, ut ipſe bonæ mem. Jacobus de Marchia Beatus *nuncupari, atque Officium & Miſſa de eo tamquam de Confeſſore non Pontifice, in Eccleſia tantummodo ſanctæ Mariæ* della Nova *nuncupatæ, Civitatis Neapolitan. ubi corpus ejuſdem requieſcere aſſerebatur, recitari & celebrari reſpective libere & licite poſſet & valeret, Apoſtolica auctoritate licentiam & facultatem conceſſimus; prout in noſtris, in ſimili forma Brevis deſuper expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut Philippus Rex, ac Clerus & Populus Ordoque prædicti nobis nuper exponi fecerunt, pro eo quem erga dictum beatum Jacobum de Marchia gerunt devotionis affectu, plurimum cupiant conceſſionem hujuſmodi ad univerſum Ordinem prædictum extendi; Nos piis Philippi Regis, ac Cleri & Populi, necnon Ordinis eorumdem votis, in præmiſſis peramplius annuere volentes, ſingulareſque Cleri & Populi, necnon Ordinis prædictorum perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis denuo ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Cardinalium prædictorum conſilio, conceſſionem hujuſmodi ad univerſum Ordinem Fratrum Minorum ſancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum prædictum, ita ut ab omnibus illius perſonis officium, & miſſa de dicto beato Jacobo, tamquam de Confeſſore non Pontifice, juxta tamen rubricas Miſſalis & Breviarii Romani, recitari & celebrari reſpective ſimiliter poſſit & valeat, eadem auctoritate, tenore præſentium extendimus & ampliamus. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Taſculi ſub annulo Piſcatoris, die* XXIII. *Octobris* MDCXXIV. *Pontificatus noſtri anno* II.

ADDITIO ALIORUM.
„ XLVII. Tamdem Benedictus XIII. Pont. Max. IV. Idus Decem-
„ bris Anno MDCCXXVI. Sanctorum faſtis ſanctiſſimum Virum adſcripſit,
„ Solemniis per octo continuos dies in Templo Aracœlitano Urbis, ingen-
„ ti eximioque apparatu celebratis, curante potiſſimum P. F. Joſepho
„ Maria Fonſeca Eborenſi tunc Procuratore Generali Ordinis, ut ſuo lo-
„ co in horum Annalium continuatione uberius referre ſperamus, & Bul-
„ lam etiam Canonizationis dare tranſcriptam.

Quinam ejus vitam ſcripſerunt. XLVIII. Multi graves auctores ſanctiſſimi Viri geſta ſcripſerunt. Omnium primus Joannes Baptiſta Petrucius, Archiepiſcopus Tarentinus, Jacobo familiaris, & beneficiis acceptis adſtrictus, ejus vitam heroico carmine Latino deſcripſit. Opus hoc, pro illius temporis ratione non contemnendum, nos typis Lugdunenſibus edi curavimus, adjectis notis & commentariis. Ejus geſta præclara cecinerunt carmine Italico Amelius Simmacus de Jacobiтis, oppidi Toſſitiæ inter Aprutinos, etiam Viro Dei coævus, ſocio Venantio familiaris, cujus interceſſione a Jacobo defuncto circa annum MCCCCXC. beneficia recepit. Et Joannes Dominicus de Lega Neapolitanus, qui opus ſuum typis evulgavit anno MDXXXV. Amelii opus non prodivit. Soluta oratione primus vitam ſcripſit, & diligenter miracula collegit frater Venantius a Fabriano, multorum annorum ſocius, a quo potiſſima, qui poſtea ſcripſerunt, exceperunt. Marianus Florentinus apud me

me MSS. Marcus Ulyſſipponenſis, Ludovicus Cœleſtinus a Monte Corvino, Paulus Reggius Epiſcopus Vici Aquenſis, Petrus Rodulphus Toſſinianenſis. Celebrem de eo faciunt mentionem Commentarii Pii II. Robertus Licienſis coævi auctores, Sabellicus, Bergomenſis, Volaterranus, Thomas Bozius, & alii plerique. Jacobus Sanazarius ejuſdem temporis vates, beati Jacobi Amicus, peculiari eum poemate celebravit, ex quo coronidem hanc Jacobi hiſtoriæ, & diuturnæ hujus vitæ peregrinationi ſubjungo.

Sanazarius.

Felix, qui noſtras potuiſti linquere curas,
Et procul humanas deſpicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem,
Quæque tibi gratos præbuit herba thoros.
Quæquæ arbor, rupeſve ſacra te fovit in umbra,
Et quæ nunc manes continet urna tuos.

Et in Apoſtrophe, præmiſſis quibuſdam aliis, ſic Poema concludit.

An potius toto ſuperum ſpectante ſenatu,
Diluit æthereo crimina noſtra foro?
Denique quidquid agis nitidi novus incola cœli,
Pectoribus noſtris non leve numen eris.

Legenda tres MSS.

Novellaræ prædicat fructuoſe Bernardinus Feltrenſis.

XLIX. Abſolutis, quæ ad beatum Jacobum Picenum, virum optimum, impigrum Sedis Apoſtolicæ Miniſtrum, ſpectabant, proſequamur ejus diſcipuli, Bernardini Feltrenſis doctrinæ & virtutum facta admiranda. Miſſus hoc anno Regium Lepidum concionaturus, multa nive ſubſtitit Novellaræ apud Georgium Gonzagam, oppidi poſſeſſorem. Contra Bacchanalium furias, larvataſque perſonas ardenter prædicavit, ſegnes aliquos piorum legatorum executores ſevere reprehendit, & plene profecit, utrique malo adhibita medela. Appropinquante quinquageſima, cœlo ſemper ningente, abire oportuit, præcedentibus Georgii ſervis, qui per difficiliores incertaſque vias ſemitam aperiebant. In perſonatos etiam Regii vehementer invectus, cum ægre quidam audirent hæc ſibi abripi ſpectacula, doctumque allegarent concionatorem, qui probaverit, aliquantulum excanduit, dolens fieri patronos malorum, qui debuiſſent condemnare: *At*, inquit, *inſanientis turbæ fractum expectate: non præteribunt debacchantium dies, antequam experiamini, quæ ſanior & utilior debet cenſeri doctrina.* Poſt paucos dies cuidam Nobili adoleſcenti inter larvantium furias abſciſſum eſt brachium, altero miſere interempto. Manifeſta hac prædictione cœpit haberi in majori veneratione, & teſtimonia ejus facta ſunt magis credibilia. Hebræos acriter inſectatus, uti anno præcedenti Tridenti, jubebat ſub paſſionis Dominicæ tempus pueros cuſtodiri Chriſtianorum, neque tota hac cautione fieri potuit, quin perfidus Judæus puellum ſub pallio abduxerit, impie mactandum. Sed in ſcelere deprehenſus, dignas pœnas ſubivit.

Item Regii Lepidi.

Suos docet Confodales.

L. Terminatis concionibus, a bonis noluit feriari, ſed ſecundum Fratrum indigentiam & capacitatem, adoleſcentioribus Logicæ rudimenta, provectioribus commentarios Richardi Mediavillani in ſententias, & mediocris litteraturæ Fratribus Theologiam legebat moralem: Epirotam quemdam, ſed Venetiis enutritum, virum ſagaciſſimum, annos quadraginta natum, ſed male baptiſmo renatum, erroris admiſſi convicit, utque ſe

Moratur & prædicat Patavii.

permitteret a fratre Ludovico Gonzaga rebaptizari, perſuaſit. Sub anni finem, celebratis Provinciæ comitiis, Patavini Conventus deſignatus eſt incola, ubi mire fructificavit, concionibus frequenter habitis per omnes tam ſeculiarium quam regularium Fratrum & Monialium Eccleſias. In Adventu, deprecantibus Epiſcopo Jacobo Zeno & Canonicis, prædicavit in Eccleſia Cathedrali.

Moritur Marianus a Senis. *Gonz. in Provin. Tuſciæ Conv. 4.* Item Andreas a Colle. *Indid. Conv. 9.* Et Fridericus Comes Palatinus. *Monum. MSS. Prov. Colon. Trithem. in Chronic. Sponheimen.*

LI. Moritur hoc anno in devoto Capriolæ Cœnobio Marianus a Senis, inſignis prædicator, qui Pio II. & ſubſequentibus Pontificibus ſuam operam laudibiliter locavit In colligendis Cruceſignatorum ſtipendiis. Necnon Andreas a Colle, primus Obſervantum Guardianus in Monte Alvernæ, qui x. Maii in Conventu ſancti Salvatoris feliciter beateque diem clauſit extremum. Deceſſit inſuper Fridericus Comes Palatinus, tumulatus apud Minores Heydelbergæ. *Sepultus eſt*, inquit Trithemius, *in habitu Fratrum Minorum cum ingenti pompa*. Sepulcrum ejus magnificum & elevatum cum hac inſcriptione apparet.

Fridericus Bavariæ Dux, Comes Rheni Palatinus, ſacri Romani Imperii Elector, ſalus patriæ, prædonum fulmen, tres illuſtres hoſtes vicit, Principatum auxit, & pie e vivis exceſſit anno MCCCCLXXVI. *pridie Idus Decembris. Fuit ejus vitæ virtus ſocia, gloria mortis comes.*

Item Innocentia Angeli. *Jacobill. de SS. Fulgin. pag. 249.*

LII. Circa hunc annum Innocentia Angeli, Tudertina, Clariſſa religioſiſſima, ex humanis abiit in Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginatis. Provecta ætate ſuſcepto habitu, decrevit per viam mandatorum Domini celeriter currere, & quam ſero aggreſſa eſt, vitæ regularis perfectionem velociter adipiſci, tarditatem acceſſus ſpiritus fervore compenſatura. Abducta procul a terrenis, ſemper cogitabat cœleſtia; in oratione etiam aſſidua, ſingulis diebus Veneris ad ſanguinem uſque ſe caſtigabat, hortabaturque Sodales, ut Chriſto Sanguinem pro nobis innocenter ſpargenti, quem ab eo acceperunt, redderent lætanter. Anno ætatis centeſimo quinto, morientis anima viſa eſt in cœlum ferri in ſimilitudine ſplendidiſſimæ infantulæ.

Fr. Alphon. Epiſcop. Lucen. — Fr. Ægidius Sareptanus. — Fr. Joannes Laodicenus. — Fr. Bernard. Vigilien. — Fr. Marcus Senogallien. — Fr. .... Termipolen.

LIII. Aſſumpti ſunt ad Epiſcopatus qui ſequuntur, ad Lucenſem in regno Galæciæ, ſub Archiepiſcop. Compoſtellano, olim ſub Braccarenſi, frater Alphonſus Henrici nobili ſatus progenie, per obitum Garſiæ, VIII. Idus Martii. Ad Sareptanum in Paleſtina ſub Archiepiſcop. Tyren. frater Ægidius Barbitonſorius, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Guillelmi, III. Nonas Aprilis. Ad Laodicenum in Syria, ſub Patriarcha Antiocheno, frater Joannes Loveti, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Petri, III. Kalend. Maii. Ad Vigilien. in Apulia, ſub Archiepiſcop. Tranenſi, frater Bernardinus de Barbiano, per obitum Jacobi, pridie Idus Auguſti. Ad Senogallienſem in Piceno, immediate ſub Pontifice Romano, frater Marcus de Vigeriis, ſacræ Theologiæ Magiſter, & in Sapientia Romana publicus profeſſor, poſtea S. R. E. Cardinalis, per obitum Chriſtophori, pridie Nonas Octobris. Ad Termopylen. ſub Archiepiſcop. Athenienſi. N. S. Theologiæ profeſſor, III. Kalend. Januarii. Joannes de Unone Gallus, vir doctus, factus eſt Abbas Monaſterii Bonæ Vallis, Ordinis Ciſtercien. diœceſis Pictavienſis, per ceſſionem in manibus Pontificiis factam ab Humberto Abbate Monaſterii Præmonſtratenſis, diœceſis Laudunenſis, cui prædictum Monaſterium Bonæ Vallis datum erat in commendam.

LIV. Conventus Montis Sion Hieroſolymis, & alia loca ſacra, quæ per

per Minores Obſervantes regebantur, multa indigebant reparatione. Nobilis vir Joannes Navarrus, Seneſcallus Hieroſolymitanus, & Comes Palatinus, zelo ductus ortæ in iis locis ſanctæ fidei Catholicæ, quam ipſe plene non potuit, urgere decrevit apud Principes Chriſtianos admirabilium Chriſti veſtigiorum reſtaurationem. Id ipſum per eum ſuis litteris hoc anno Sixtus eiſdem ſuaſit Principibus. Lente procedebat ſumptuoſum opus Templi ſancti Bernardini urbis Aquilanæ; deerat enim adhuc tholus, ſeu hemiſphærium, diſpendioſa fabricæ pars, in quam, tamquam in umbilicum, tota Templi concameratio conveniens, erat conſtringenda. Injuncta efficaciter hoc anno fratri Franciſco de Paulo Aquilano provincia opus alias per beatum Jacobum Picenum commendatum, proſequendi, præſcriptis tamen variis regulis, adhibitiſque rigoroſis præceptis curioſi operis, & ſuperflui ſumptus vitandi.

Commendatur Principibus reſtauratio locorum Terræ ſanctæ.

Urgetur fabrica Templi Aquilani S. Bernardini.

LV. Circa hunc annum conſtructum eſt Cœnobium ſub invocatione ſancti Bernardini ad oppidum Salodii, Brixianæ juriſdictionis, quod in margine lacus Benacenſis ſitum, caput eſt latiſſimæ Ripariæ Salodianæ, eique parent multi pagi in circuitu. Incolæ erga Minores Obſervantes addictiſſimi, cura illorum, qui tenuem infirmamque Provinciolam, tunc exorientem, dilatare voluerunt, commodum privatis eleemoſynis Fratrum habitaculum conſtruxerunt.

Conv. Salodii. *Gonz. in Provin. Brixiæ Conv. 27.*

LVI. Nobilis fœmina Marſilia Pia, ædificando Obſervantum Conventui in Civitate Imolenſi in Flaminia, domum mediocremque fundum teſtamento legavit. Cives hoc anno, impetrata facultate Pontificia, additis quæ operi videbantur neceſſaria, domum integram ſub appellatione ſanctæ Mariæ Gratiarum extruxerunt. In Eccleſia conſpicitur antiqua & devota Imago beatæ Mariæ, cujus intuitu plura ſe Deo beneficia recepiſſe Immolenſes deprædicant. Illa non contemnenda quod bis urbem a peſte mirabiliter liberavit. Poſterioris liberationis hoc proſtat monumentum gratiarum actionis: *Almæ Virgini, iterum recepta gratia ob peſtis ac penuriæ liberationem, omnis populus Immolenſis tantæ rei non immemor, & ad poſteros in hujus Virginei ſacelli reverentiam magis excitandos, tabellam hanc devotiſſime dedicavit*. M. D. XX. IX. X. *Maii*.

Conv. Imolæ. *Idem in Provin. Bonon. Conv. 21.*

LVII. Galeatius Maria Sforza Dux Mediolanenſis obtinuit hoc anno x. Kalend. Martii facultatem Pontificiam, ut incolæ Terræ ſeu oppidi Viglevani, tunc diœceſis Papienſis, domum a ſe pro Fratribus Obſervantibus extra dictum oppidum inchoatam poſſent perficere, ſub invocatione ſanctæ Mariæ gratiarum. Oppidum hoc, nunc Civitatis inſigniis decoratum, amœniſſimum, ſaluberrimo aere commendatiſſimum, oblectandis procerum animis deſervit, & Cœnobium omni ex parte perfectum, rerum abundantia, cœloque propitio, convaleſcendis infirmis, viribuſque deperditis celeriter reſumendis deſervit. In Eccleſia, per Antonium de Latiis, Cardinalis Arcimboldi in diœceſi Novarienſi ſuffraganeum, die XXV. Octobris anno MCCCCLXXVIII. conſecrata, jacet beatus Chriſtophorus Mediolanenſis, vita & prædicatione illuſtris, de quo alias diſſeremus, in ſacello ſancti Bernardini.

Conv. Viglevani. *Idem in Provin. Mediol. Conv. 7. Monum. MSS. illius Provin. Lib. 94. bullar. fol. 14.*

Anno 1520.

LVIII. Hujus Conventus incolæ duo habebant hoſpitia in duobus oppidis propinquis Ceredani, & Gumbali, atque in primo tumulatus eſt beatus Pacificus, eo prognatus oppido, ſed in Sardiniæ inſula mortuus, atque Ceredanum furtim in ſarcinulis mercatorum, expenſis oppidanorum translatus. Errant, qui in patria defunctum affirmant. Dum Mortario tranſirent qui ferebant, elevavit brachium, quod tamdem obtinuerunt

Fr. Pacificus a Ceredano.

Cla-

Clariſſæ Mortarienſes, habentque in magna veneratione. Caput a reliquo corpore ſeparatum, aſſervatur honorifice in Eccleſia parochiali Ceredani. Sæpe orta eſt contentio inter Fratres & oppidanos circa oſtenſionem corporis; ceſſerunt enim Fratres hoſpitium, & ædiculam conjunctam, ſub cujus Altari jacet Pacificus, Confratribus Corporis Chriſti prope cœmeterium Eccleſiæ Parochialis, ea lege, ut Fratribus domus & Eccleſia commodiori loco conſtrueretur. Quod promiſerunt Confratres, compleverunt; ſed corpus noluerunt reddere. Tamdem conventum eſt, ut duabus feris clauderetur, primamque clavem haberent Fratres, tamquam legitimi poſſeſſores, ſecundam Confratres tamquam Cuſtodes, demumque Ceredani Fratribus ædificaretur Cœnobium. Hoc in loco habitarunt plerique viri piiſſimi, atque inde prodierunt alii doctrina & prælaturis conſpicui. In refectorio hujus domus beatus Bernardinus Feltrenſis vidit noctu plures Fratres in circuitu mœſtos ſedentes, & ex ſuggeſto unum dicentem: *Ambitio, refectio, & murmuratio deduxerunt nos in tartara.*

Conv. Garobilliarum. *Gonz. in Provin. S. Michael. Con. 11. Monum. MSS.*

LIX. Henricus Toletanus, & Maria Guſmania conjuges, Albæ Aliſtæ Comites, obtenta hoc anno die XVI. Martii a Nuncio Apoſtolico facultate, longiuſcule ab oppido Garobilliarum, Caurienſis diœceſis, Cœnobium ſub titulo ſancti Antonii Obſervantibus integre conſtruxerunt. Situm ampliavit anno MDLVI. Didacus Enriquez de Almanza Epiſcopus Caurienſis. In ſacello majori egregie conſtructo, ex utroque latere Altaris conſpiciuntur in pariete, opere arcuato erecta fundatorum ſepulcra, appoſitis eorum ſimulacris marmoreis, inciſiſque nominibus. In circuitu ſunt non ignobilia oppida, quæ abunde Fratribus omnia ſubminiſtrant.

Conv. Villæ-Fichæ. *Lib. 89. bullar. fol. 54.*

LX. Nobili viro Guillelmo de Gleon militi, Domino loci de Gleon, Narbonenſis diœceſis, hoc anno V. Idus Maii aſſenſit Sixtus, ut capellam beatæ Mariæ Virginis infra limites Eccleſiæ parochialis Villæ-Fichæ, ejuſdem diœceſis, & ſub ejuſdem Guillelmi dominio ſitam, a Carolo Magno Francorum Rege & Romanorum Imperatore conſtructam, in qua dietim multa fiebant miracula, & adjunctam domunculam, in qua per plurimos annos vitam ſanctam quidam duxit Eremita, in Cœnobium coaptaret Fratrum Obſervantum, quod etiam ſummopere cupiebat, inſtanterque petebat a Pontifice Magdalena de Francia, Principiſſa Navarræ. Quid tamdem factum fuerit, incompertum, neque enim inter alios Conventus iſtum reperio.

Conv. Guterbocen. *Lib. 96. bullar. fol. 141.*

LXI. Joannes, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Germaniæ Primas, propoſuerat in oppido Guterboç ſui dominii, diœceſis Brandeburgen. domum ædificare pro Fratribus Obſervantibus Provinciæ Saxoniæ, quod morte præventus non potuit; ut tamen poſſent Capitulares Eccleſiæ Magdeburgenſis, & prædicti oppidi habitatores, Pontifex hoc anno, XVII. Kalendas Auguſti indulſit. Ut eiſdem Fratribus Provinciæ Saxoniæ alium fabricaret Conventum nobilis vir Conradus de Amendorf. miles, Miſnen. diœceſis in Eccleſia parochiali Luſzch. ejuſdem diœceſis derelicta, nullam actu habente curam animarum, III. Nonas Novembris conceſſum eſt. Sub hoc tempus refert Catalogus Epiſcoporum Ayſtetenſium, extructum fuiſſe Cœnobium in Meningenſi Monte, ejuſdem diœceſis, a Ludovico Rheni Palatino, ac Bavarorum Duce, Guillelmo a Reichenaro Pontifice.

Conv. Luſzch. *Lib. 111. fol. 130.*

Con. Meningen.

Conv. Teſthenii. *Gonz. in Prov. Bœm. Conv. 21.*

LXII. Teſthenii in Sileſia, nobilis oppidi, habitatores ex publicis facultatibus hoc anno Cœnobium ſanctiſſimæ Trinitati ſacrum ædificarunt, opera præſertim venerabilis viri fratris Jacobi Gouppiani, quod hæretici poſtea ad nihilum reduxerunt.

LXIII. Con-

LXIII. Conceſſum eſt hoc anno, XIV. Januarii Guardiano & Fratribus Conventus Ferentinatis in Latio, Eremitorium ſancti Cataldi in territorio oppidi Patriæ, diœceſis Ferentinatis, ut Fratres illuc ſæpe declinantes pro concionibus habendis & confeſſionibus excipiendis, haberent quo religioſe poſſent divertere.

Eremitorium Patriæ. *Lib.111.fol.187.*

LXIV. In Monaſterio Clariſſarum ſanctæ Mariæ de Bretonera, prope villam de Belforado, * diœceſis Burgenſis, de quo alias diximus, adeo excrevit numerus Sororum, ut fructus & reditus Monaſterii alendis non ſufficerent. Joannes de Velaſco, Dominus Villæ de Crevera, diœceſis Palentinæ, rogavit ſibi concedi facultatem in eadem villa aliud ædificandi, pro duodecim Sororibus ex Belforadenſi extrahendis, a ſe ſufficienter dotandum, & de omnibus rebus providendum, & regimini Cuſtodis domus beatæ Mariæ de Linares, diœceſis Burgenſis Minorum Obſervantum ſubjiciendum. Aſſenſit Sixtus: quid vero fecerit Joannes, non eſt qui recenſeat.

Mon. Creveræ: *Lib.91. fol. 187.* * Al. *de Verolado.* *Tom.8.an.1358.* n.11.

LXV. Obtinuerunt hoc anno, IV. Nonas Maii Joannes Gundiſalvi de Camera & Maria de Noronha, regiæ proſapiæ conjux, diœceſis Ulyſſipponenſis, facultatem ædificandi Monaſterium Clariſſarum in inſula Lignorum (vulgo Luſitano *de Madeira*) de cujus exploratione alias locuti ſumus, ea adjecta conditione, ut eis eorumque hæredibus juſpatronatus reſervaretur, & Sorores regimini ſubjicerentur Miniſtri Provinciæ Portugalliæ. Erat tunc Joannes prædictæ Inſulæ Gubernator pro Alphonſo Rege Luſitaniæ. Prodierunt ex hoc Monaſterio nobiles & religioſæ Sorores, aliorum Monaſterium fundatrices.

Mon. Inſulæ Lignorum. *Lib.89. fol. 47.* *Tom. 12. ann. 1450. n.38.*

LXVI. Mençia Vaaz, relicta Petri Vaaz ab Almeida, hoc anno emit ſoluta pecunia Monaſterium Monialium Ordinis ſancti Benedicti extra villam Tomarii ruinoſum, & Sororibus deſtitutum, in eoque cum tribus filiabus vixit ſub habitu & Regula Tertii Ordinis ſancti Franciſci. Illa vero duabuſque ſenioribus filiabus defunctis, Martha tertia ad majora aſpirans, obtenta facultate & Magiſtra ex Monaſterio ſanctæ Claræ Guardienſi, Regulam ſuſcepit Clariſſarum, Monaſterii ruinas reparavit, Sororum numerum auxit. Minor. Conventualium regimini ſubjecit, a quibus ad Obſervantes anno MDLXII. tranſierunt. Eo in loco occiſa eſt a Sarracenis S. Eiria, virgo Benedictina, cujus necnon ſanctarum Juliæ & Caſtæ, Sororum ejuſdem Inſtituti, & Eiriæ amitarum, corpora ibidem requieſcunt.

Mon. Tomaren. *Gonz. in Prov. Portug. Mon. 6.*

LXVII. Pontifex Aſſiſio, quo eum perrexiſſe diximus, reverſus Fulgineum, die XXVII. Auguſti, die ultimo ejuſdem menſis in Sabbato, Monaſterium ſanctæ Luciæ Clariſſarum ingreſſus cum ſex Cardinalibus, fratre Franciſco Caſtelli Guardiano Conventus ſancti Bartholomæi, & fratre Petro Hiſpano confeſſario, aſſenſit Monialium omnium votis de ſuſcipienda prima & arctiori Regula ſanctæ Claræ, uti alias diximus. Favebat ſatis Sororibus Evangeliſta a Trevio, Pontificis Medicus; contradicebant ſecreto Minores, qui illarum curam gerebant, timentes numeroſum Monaſterium abſque reditibus non poſſe ſuſtentari. Plus omnibus obſtabat Fortunatus a Peruſio, Vicarius Provinciæ, qui paulo poſt anno ſequenti fato cedens, ultionem ſenſit Divinam. Ut omnem tolleret tergiverſationem, tria emiſit Pontifex diplomata, quæ dabimus in regeſto. Ante annos octo, Michael Hiſpanus confeſſarius eas conſolatus in pio hoc deſiderio, permiſit, ut unaquæque privatim votum de obſervanda prima Regula emitteret, dixitque aperte, ipſum Chriſti Vicarium ad eas venturum, & quæ petebant conceſſurum, aſſeruitque pro conterraneo fratre Petro ſe opus inchoaſſe, ſed illum completurum. Obiit ille; Petrus inſtitutus eſt Monialium

Monaſterium Fulginas S. Luciæ fit Clariſſarum primæ Regulæ. *Tom. 10. anno 1425. n.29.* *Mon. & Chron. MSS. Monaſt. S. Luciæ.*

lium confeſſarius, & præſente Petro Neapolitano, Vicario Generali, ad hoc a Sixto miſſo, vidit vota ſolemniter emitti, totumque negotium abſolui.

Domus Coelfeldiæ. *Monum. MSS. Pro. Colon.*

LXVIII. In Weſtphaliæ oppido Coelfeldiæ, locuplete & civili, diœceſis Monaſterienſis, hoc anno inchoatum eſt Monaſterium ſanctæ Annæ Sororum Tertii Ordinis, Theodorico ab Horſt Equite, & Odilia conthorali donantibus ſorori Geltrudi de Hammeren. ejuſque Conſororibus, illud inſtitutum profitentibus, domum ſuam & Villam cum pertinentiis, pro dote & ſuſtentatione earumdem. Adhuc perſeverat hoc Monaſterium ſub regulari & commendabili diſciplina, paruitque Provinciæ Coloniæ Miniſtro uſque ad annum MDCXXVII. quo translatæ ſunt ad obedientiam Miniſtri Provinciæ Saxoniæ. Sanctæ Crucis Sorores Tertiariæ Monaſterii Ringenſis hoc anno ſe ſubjecerunt regimini Henrici de Barcha Vicarii Provinciæ Colonienſis.

Domus Ringen.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Regiæ Majeſtatis Fancorum cum Sacellanus eſſet frater Balduinus, a ſummo Pontifice beneficio Eccleſiaſtico donatus eſt, XVIII. Kalendas Februarii: *Religionis zelus &c.* Frater Auguſtinus *de Lenitz* ad Inſulas Montis Mazan: *Apoſtolatus officium &c.* & frater Joannes de Maffeis ad Bretonorienſem Epiſcopatum: *Eccleſiarum utilitati &c.* IX. Kalendas Februarii evecti fuere, pridie Kalendas Martii conceſſo beneficio fratri Stephano Juliano: *Religionis zelus &c.* donationem factam Fratribus Clarenis Eremitorii ſancti Antonii Aquilani, non tantum admiſit Pontifex, expedito brevi: *Dominus noſter &c.* ſed Epiſcopis Eſculano ac Theatino pro exequtione ſuarum litterarum præfatarum ſcripſit: *Hodie nobis &c.* pridie Nonas Martii, & XV. Kalendas Aprilis beneficium fratri Laurentio de Heredia, & fratri Benedicto Conſtantio de Civitate Caſtelli Prioratum ſancti Angeli, Ordinis ſancti Auguſtini, IV. Nonas Maii conceſſit: *Religionis zelus &c.* Fratri quoque Julio de Arpino *Soran* collato alio beneficio, pridie Idus Junii, fratrem Franciſcum Marcellum Epiſcopum Famagoſtanum in Cypro creavit, VII. Kalendas Julii: *Apoſtolatus officium &c.* Contulit Præceptoriam beatæ Mariæ *de Caſtellanos* Teuthonicorum Zamerenſium fratri Ludovico: *Religionis zelus &c.* V. Kalendas Julii. Litteras etiam dedit Apoſtolicas pro infirmaria Bononienſe Fratrum Conventualium: *Ex Apoſtolicæ &c.* IV. Kalendas Auguſti; & alias ad Epiſcopum Parmenſem pro conſtructione Capellæ ſancti Franciſci Imolen. *Pia quibus &c.* IV. Nonas præfati; Eliſabethæ de Lama Clariſſæ Moniali de Calatajubio Tiraſonen. indulſit a Monaſterio egreſſum, infirmitatum curandarum causa: *Religionis zelus &c.* Nuceriæ Civitatis Epiſcopalis Umbriæ in Apennini Montis aſcenſu, cum Suburbio parvo humiliore in colle, ad præterfluentem Tiniam amnem, Divi Franciſci Cœnobium vetuſtate collabens, reparari expectabat; quamobrem Pontifex in eum finem Indulgentias conceſſit: *Licet is &c.* pridie Kalendas Septembris; & paulo poſt ædificationem domus pro Fratribus Regularis Obſervantiæ in Civitate Eduenſi Guillelmo Belera: *Piis Chriſti &c.* pridie Nonas præfati, cujus rei major nullibi apparet indicium: fratri Matthæo permiſſo tranſitu ad Benedictinos: *Apoſtolicæ Sedis &c.* & beneficio fratri Melchiori Anchoatæ: *Religionis zelus &c.* ambo VIII. Kalendas Octobris, fratrem Marcum de Be-

Indic. ex Vatic.

Joannes de Maffeis ep.

Fr. Franciſcus Marcellus Epiſcop.

Ex Archiv. SS. Apoſtolor.

Indic. ex Vatic.

„ Vigeriis Eccleſiæ Senogallienſi præfecit : *Apoſtolatus officium &c.* pridie
„ Nonas ejuſdem, & reſtituto Conventu Lymburgenſi Provinciæ Saxo-
„ niæ Fratribus Conventualibus : *Humilibus &c.* IV. Kalendas Decembris,
„ quemdam fratrem Joannem Laicum aſcendere ad ſacros Ordines permi-
„ ſit : *Sacræ Religionis &c.* ipſis Kalendis ejuſdem, ſicut Epiſcopo Der-
„ mopolenſi quondam Minoritæ, poſſe diſpenſare bona mobilia : *Quia*
„ *præſentis &c.* pridie Kalendas Januarii. Cum paucis ante diebus, in Fe-
„ ſto ſcilicet ſancti Stephani Protomartyris, Joannes Andreas Lampugna-
„ nus, Carolus Vice-Comes & Hieronymus Olliatus, exhortati a Cola
„ Mantuano Profeſſore Grammatices, in ipſo Templi veſtibulo Galeatium
„ Mariam Mediolani Ducem truculenter pugionibus interemiſſent ; ex-
„ templo nihilominus duobus primis a Lateronibus Ducis confoſſis, ac ter-
„ tio Olliato tertio poſt die capto, publica per ſententiam morte punito.

Ex Vatic.

Galeatius occiditur.

„ II. Interea Ambroſius a Civitella egregius Eccleſiaſtes & ſuæ pro-
„ feſſionis amantiſſimus, XVII. Kalendas Octobris, ut adhuc bene valens
„ ſuis Confratribus prænuntiaverat, apud Campum Baſſum in Apulia, in
„ Conventu ſanctæ Mariæ de Gratiis, qui eſt ſextus decimus Provinciæ ſan-
„ cti Angeli, ſpiritum Cœlo reddidit. Erat Ambroſius ſpiritu prophetico
„ plenus, qui enim ſapientia duce Evangelicæ veritatis lumine mentes
„ audientium colluſtrans, zelo eorum corda ſuccendebat, nec eorum au-
„ ribus pruriebat, ſed proſpiciens de longinquo eorum ſaluti æternæ, vel
„ ſpe bonorum Cœleſtium ad virtutes alliciebat, vel terrore pœnarum In-
„ ferni a culpis obſtinatiores retrahebat, & plerumque imminentem Dei
„ iram in reprobos clare prænunciabat. Veſtinis aliquando cum prædica-
„ ret, ob eorum ſcelera, niſi opportune pœniterent, futurum ſuæ Civita-
„ tis excidium atque direptionem prædixit, ſubſequutam poſtea ſub Tur-
„ cica Claſſe ipſo die beatæ Mariæ Magdalenæ ſacro, anno MDLIV. Tunc
„ Veſtini recordati ſunt, quod ſæpe ſæpius inter declamandum, ſervus
„ Chriſti ea mala prædiceret.

Barez. part. 4. Chron. l. 3. c. 64.

„ III. Jacobus de Glogavia Majori, cujus ſæpe meminimus, Vicarium
„ Provincialem agens per Boemiam, extra Civitatem Teſchin in Sileſia &
„ Diœceſi Wratiſlavienſi, locum pro ſuis Obſervantibus acceptat, & ex
„ eleemoſynarum affluxu devotum Cœnobium cum ſua Eccleſia ſub titulo
„ ſanctiſſimæ Trinitatis extruit.

Jacobus de Glogavia accipit Cõvent.

Mon. MSS. illius Provinciæ.

ARGUMENTUM.

Mota acriter controverſia de Conceptione Virginis Mariæ, favit Pontifex piæ ſententiæ de Virginis indemnitate a peccato. Moriuntur viri pii & docti, Gaſpar Florentinus, Paulus Brixienſis, Henricus Herpius, Fortunatus Peruſinus, Franciſcus a Campo baſſo, & ex Clariſſis Eliſabetha Malateſta. Bernardinus Feltrenſis multis in locis cum laude & fructu concionatur. Vicarius Generalis ardentiſſime invehitur in Guardianum Hieroſolymorum, quod poſſeſſiones & bona immobilia locis ſanctis ſuſtentandis procuraverit, eaque ablegari ſevere imperat. Aſſumuntur aliquot ad inſulas Pontificias. Extruuntur Cœnobia.

I. Coepit hoc tempore acerrime agitari controverſia de immaculata Conceptione beatæ Virginis Mariæ in partibus Lombardiæ, maxime in Civitatibus Ferrarienſi & Brixienſi. Hinc ortæ diſſenſiones multæ & ſcan-

Agitatur acriter controverſia de Cõceptione Virginis Mariæ.

& ſcandala nonnulla, ſcriptiſque hinc inde libellis, utriuſque partis fautores non parva neque pauca jecerunt ſemina diſcordiæ. Prodiit in publicum unus ante biennium, anno ſcilicet MCCCCLXXV. Magiſtri Vincentii de Bandellis de Caſtronovo, Terdonenſis diœceſis, poſtea totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, ſuppreſſo auctoris nomine, dedicatus Comiti Petro de Gambara Civi Brixienſi, cui titulus erat, *Libellus de veritate Conceptionis glorioſæ Virginis Mariæ*, in quatuor partes diſtinctus, aſperrimis verbis graviſſimiſque cenſuris in ſententiam negativam ejuſque fautores prolatis per ſingulas paginas reſperſus. Inde obortæ commotiones magnæ, convocatis utrinque auxiliaribus copiis aliarum Religionum, magnorumque Doctorum; atque eo proceſſit contentionis ſtudium, ut Pontificem oportuerit ad ſe cauſam evocare. Indicta Romæ ſub principium hujus anni publica diſputatione, acriter per dies multos certatum eſt, Bandello præſertim partes Prædicatorum, Franciſco Generali Miniſtro partes Minorum ſuſtinente. Hujus ingenium, in arguendo acumen, in reſpondendo facilitatem, & in diſſoluendis adverſariorum argumentis miram dexteritatem admiratus Pontifex, qui certamini voluit intereſſe, Samſonem appellavit, quaſi ea facilitate difficultatum objectarum nodos, qua Samſon Philiſtæorum vincula, diſciderit. Adhæſit agnomen, neglectoque patronymico, iſto ſemper audivit.

Leonar. de Nogarolis cōponit officium Conceptionis.

II. Erat tunc in Curia Leonardus de Nogarolis Clericus Veronenſis, Protonotarius Apoſtolicus, Artium & Sacræ Theologiæ Doctor eruditus, qui ex Sacræ Scripturæ locis, & Sanctorum Patrum ſententiis compoſuit Officium de immaculata Conceptione, Miſſam diſpoſuit, Mariæ indemnitatem a peccato originali palam & paſſim teſtificatura. Addito ſupplici libello (quem nos in hiſtoria legationis Catholicorum Regum ad tres Pontifices Romanos ante aliquot annos edidimus) piis rationibus Pontificis Sixti animum excitavit, ad probandos hos ritus, magniſque commendandos indulgentiis. Homilia remota, aliam ipſe Pontifex ſubjunxit ex Sacræ Scripturæ ſanctorumque Patrum ſententiis contextam. Ut iſta in die Conceptionis Virgineæ recitarentur, gravi edita conſtitutione, quæ habetur in corpore juris inter Extravagantes communes, fidelibus perſuaſit. Henricus Spondanus ait edidiſſe Pontificem hanc conſtitutionem ad averruncandam gravem peſtilentiæ calamitatem, & ad cultum beatiſſimæ Virginis ſolidius inſtituendum. Non hoc anno, ſed præcedenti fuiſſe editam, omnes communiter judicant, dum anno MCCCCLXXVI. III. Kal. Martii legunt ſubſcriptam. Sed a die XXV. Martii Annunciationis Virgineæ, qui eſt vere dies Incarnationis Dominicæ, tunc inchoaſſe novum annum Miniſtros & ſcribas Pontificios, non ſemel commonui. Annus itaque Eccleſiaſticus Pontificius MCCCCLXXVI. pertingebat ad XXV. Martii hujus noſtri uſualis MCCCCLXXVII. incipientis a Natalitiis Domini, vel a Kalendis Januarii. Indulgentias eaſdem pro commendando hoc officio elargitus eſt, quas primum Urbanus IV. & deinde Clemens V. conceſſit iis, qui Officium aut Miſſam Corporis Chriſti legebant, aut eorumdem recitationi intererant. Etſi vero poſtea paucula quædam verba in hoc Officio immutata ſint, perſeverat tamen ſemper favor Indulgentiarum, qui non extenditur ad alia recitantes Officia Conceptionis. Do ipſum diploma.

Quod Pontifex conceſſis Indulgentiis commendat. *Tit. de reliq. & ven. ſanct. c. 1.* Cum præcelſa. *Spondan. ann. 1476. n. 3.*

Quando incipit annus apud Pontificios?

Ad perpetuam rei memoriam.

III. *Cum præcelſa meritorum inſignia, quibus Regina cœlorum, Virgo Dei genitrix glorioſa, ſedibus prælata æthereis, ſyderibus quaſi*

quaſi ſtella matutina prærutilat, devotæ conſiderationis indagine perſcrutamur, & infra pectoris arcana revolvimus, quod ipſa, utpote via miſericordiæ, mater gratiæ & pietatis, unica humani generis conſolatrix, pro ſalute fidelium, qui delictorum onere prægravantur, ſedula oratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum reputamus, univerſos Chriſtifideles, ut Omnipotenti Deo (cujus providentia ejuſdem Virginis humilitatem ab æterno reſpiciens, pro reconcilianda ſuo auctori humana natura, lapſu primi hominis æternæ morti obnoxia, jam ſui Unigeniti habitaculum ſancti Spiritus præparatione conſtituit, ex qua carnem noſtræ mortalitatis pro redemptione populi ſui aſſumeret, & immaculata Virgo poſt partum nihilominus remaneret) de ipſius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant, & qui inſtituta propterea in Dei Eccleſia Miſſas & alia Divina Officia dixerint, & illis interfuerint, Indulgentiis & peccatorum remiſſionibus invitare, ut exinde fiant ejuſdem Virginis meritis & interceſſione divinæ gratiæ aptiores. Hac igitur conſideratione inducti, ejuſdem Omnipotentis Dei, ac b-atorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, auctoritate Apoſtolica, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli Chriſtifideles utriuſque ſexus, qui Miſſam & Officium Conceptionis ejuſdem Virginis glorioſæ juxta piam, devotam & laudabilem ordinationem dilecti filii Magiſtri Leonardi de Nogarolis, Clerici Veronenſis, Notarii noſtri, & quæ deſuper a nobis emanavit, Miſſæ & Officii hujuſmodi inſtitutionem, in die feſtivitatis Conceptionis ejuſdem Virginis Mariæ, & per octavas ejus devote celebraverint & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eamdem prorſus indulgentiam, & peccatorum remiſſionem exinde conſequantur, quam juxta conſtitutionem fel. recor. Urbani IV. in Concilio Viennenſi approbatam, ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum, prædeceſſorem noſtrorum conſtitutiones conſequuntur illi, qui Miſſam, Officium & horas canonicas in feſto Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti a primis veſperis, & per illius octavas, juxta Romanæ Eccleſiæ inſtitutionem celebrant, dicunt, aut Miſſæ, Officio & horis hujuſmodi interſunt: præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Domini MCCCCLXXVI. III. *Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno* V.

IV. Memorabilis eſt hic annus aliquorum inſignium virorum interitu. Primum recenſeo Gaſparem Florentinum, diſcipulum æmulatoremque Thomæ, ſui conterranei, de quo alias egimus diffuſe. Paupertate affatim dives, nihil præter pauperem veſtem habere volebat. Humiliter de ſe ſentiens, neque de illuſtri progenie, neque de nobili urbe audebat gloriari. Unde cum interrogaretur, *quis eſſet?* reſpondebat, *Chriſtianus*: cum vero adderetur, *cujas eſſet? de hoc mundo*, dicebat. Obedientiſſimus ſuperiorum præceptis, quæ alias ſummopere abhorrebat, prompte faciebat, admittebatque Religionis præfecturas ſibi ultra modum inviſas. In perpetuo ſilentio pacem animæ requirens, Fratrum fugiebat colloquia, & ne cum occurrentibus ſecularibus converſari oporteret, cautis & religioſis diverticulis conſortium declinabat. Abſtinentia fuit incredibili, ſuum æmulatus Magiſtrum, vitam tranſigens in pane & abſynthio. Timebat Fratres aliquando deſerturos cœnobiolum Scarlini ex lignis, vimine, & luto conſtructum, uti deſeruerant ſancti Cerbonii in inſula Elbenſi propter anguſtum & humilem incolatum, ſtatuitque proinde a ſuo Magiſtro primum humiliter ædificatum, ſecundum firmiori ſtructura ſtabilire, ne locus multorum piorum vi-

Moritur Gaſpar Florentinus. *Tom. 11. anno 1447. n. 10. & ſeqq.*

Ejus paupertas. Humilitas.

Obedientia.

Silentium.

Abſtinentia.

Reparat Cœnobiolum Scarlini.

virorum ſeminarium, donis cœleſtibus locupletatum, & ſanctorum Fratrum cœmeterium, ſine habitatore fieret in ſolitudinem.

V. Scarlino Maſſam fraterculum Novitium ducturus, ſuperveniente nocte, requievit ſub arbore opaca, ſtatimque videt advenientem lupum, qui tyrunculo ingentem incuſſit timorem. Nihil moleſtiæ inferentem, ſed blandientem, & tota nocte circuientem, Divinitus accepit illuc miſſum, ut ab aliis lupis feriſque beſtiis, quibus illa maritima Provincia abundat, innocuos Chriſti ſervos cuſtodiret. In nemore Scarlini nocte dieque orationibus intento frequenter occurrebant lupi, qui veluti catuli applaudentes, per ſylvam ſequebantur. Caſtilionem iturus, dum in planitie Almæ harum ferarum agmen occurrit, ſocio fugam arrepturo perſuaſit, ut hæreret: *hi*, inquit, *ſunt mei ſocii, cuſtodes nemoris Scarlini: crede mihi nihil oſfendent*. Ita evenit, concomitantibus amice lupis per aliquod ſpatium itineris. In eodem nemore lupus magnus ſaucio pede ululans acceſſit, & unde dolebat, oſtendit. Ille extracta ſpina oleum infudit, panniculo circumligato, qui paucis poſt diebus ſanus hilariter, quaſi congratulaturus recurrit. Cervum etiam habuit in eo nemore familiarem, qui oranti ſolebat aſſidere, donec inſecuti venatores ſagitta fixerunt. Doluit ille præreptum mite animal, ejuſque ſuaſu rigoroſe præcepit Plumbini Princeps, loci Dominus, ne quiſpiam intra fines illius ſylvæ aut nemoris venaretur. Aves etiam applaudebant, brachiis & capiti inſidentes concinebant, uti Fratres viderunt in ſylva ſancti Chriſtophori, dum ibidem Guardiani fungeretur officio.

A Lupo cuſtoditur. Lupi ei blandiuntur.

Et cervus.

VI. Dum Scarlini locum reficeret, nihilque haberet, quod cæmentariis daret ad manducandum, Joannem Lombardum, Præfectum operis juſſit, ut ad fontem in valle longiuſcule manantem iret, & ad ſe duceret unum ex aperculis, ſcrophe & apro colludentibus. Subridens abiit periculum facturus, & indemniter quod Vir Dei juſſit, effecit. Michael del Blanco, Cœnobioli ſyndicus, cum eleemoſynas Fratrum in ſuos uſus domuſque ſuæ ſtructuram convertiſſet, nec haberet Vir Dei, unde debita in Cœnobii fabrica contracta perſolveret, prædicente famulo Dei, quem ille ob repetitum depoſitum aſperis excepit verbis, in exilium a Scarlinenſibus propter ſeditionem actus, domo direpta & combuſta, in ſtabulo miſere occiſus eſt in regno Neapolitano, & filius in hoſpitali Scarlini pauper & indigus vitam finivit. Secus Stagnum Scarlioi videns duodecim piſcatores trahentes retia in terram plena bonis piſcibus, petiit ſibi darent partem pro Fratribus celebraturis die ſequenti primitias novelli Sacerdotis. Indignati reſponderunt, labore ſuo ſe victuros, piſceſque prius inter ſe diviſuros, & ſi quid poſt diſtributionem in partes duodecim ſupereſſet, ex piſciculis ſe daturos. *Dividite*, inquit ille, *in partes tredecim, & me in conſortium admittite*. Importunum mendicum dicentes, procul eſſe juſſerant. Expectavit tamen ut fieret ſortitio, & accipientes ſinguli ſuas partes, viderunt aliam ſupereſſe, nulli inferiorem. Communibus votis Viro Dei dederunt præter omnium ſpem illi reſervatam.

Cibum miraculoſe providit operariis.

Injurias inferenti Divinam prædicit vindictam.

Piſces accipit miraculoſe.

VII. Plumbini, piſcatores in littore retia poſt inutilem totius diei laborem reficientes, rogavit ut propter Dei amorem iterum piſcarentur; cupiebat enim Fratribus in craſtinum providere. Reſpondentes, ſe jam feſſos nolle amplius iniquam ſortem ſub occaſum ſolis experiri, ardentius ſollicitavit ut retia laxarent. Importunitate victi, duxerunt in altum naviculas, & ſtatim redeuntes, traxerunt retia in terram plena magnis piſcibus, pondo librarum ter centum & ultra. In eodem Plumbini oppido cum morbo decumberet, petiit a Joanne del Gulpe Notario vinum rubeum a me-

Et vinum.

medicis præſcriptum. Dicentem ante menſem exhauſtum, quod habebat, nihilque in cado relictum, rogavit, ut periculum faceret, an quidquam ſupereſſet. Domum reverſus, Ricciam uxorem miſit, quæ videret. Admota ad ſiphonem amphora, fluxit vinum abundanter, duravitque per menſem integrum quo Gaſpar decubuit.

VIII. Interrogatus a Raphaele Gerardi Maphæo Volaterrano, a Curia Romana regreſſo, an ad nuptias vel ad Religionem deberet tranſire? Reſpondit, non omnibus datum donum continentiæ, eique conceſſum in ſeculo meritorie & honorifice in reipublicæ commodum multa præſtare, quæ non poſſet in Religione. Ducta itaque uxore, vixit honeſtiſſime, erga pauperes miſericors, erga pupillos & viduas liberalis, Reipublicæ proficuus; multaque ſcripſit Græce & Latine, hominibus eruditis probata, præſertim preſſum & conciſum illud opus, quod Pandocheum in Epiſtola ad Julium II. appellat, octo & triginta commentariorum libris comprehenſum, & pleraque opuſcula Græcorum auctorum Latine reddidit, retulitque ipſe conſilium hoc Gaſparis ejus vitæ ſcriptori.

Ejus conſilio Volaterranus ducit uxorem.

IX. Orationi & contemplationi aſſidue intentus, ita Deo ſæpe conjungebatur, ut extra ſe factus, & a terra ſublevatus videretur. Ita perſpexerunt Fratres in ſilva Caſtilionis Aretini, Sergiani, Bargæ, Volaterrana & Feſulana, quibus locis præfuerat, & ſemel ad ſanctum Cerbonem, extra urbem Lucenſem, ante Altare præcipuum viſus eſt ad cubitos duos a terra elevatus. E Scarlino ſero ad cœnobiolum ſenio jam confectus iturus, & juga aſpera montis aſcenſurus, emenſis milliaribus duobus, nox obſcura ſupervenit. Tertio adhuc milliari conficiendo lumine indigebat, præmiſſoque, qui ferret, ſocio, aſtiterunt juvenes duo, qui facibus prælucebant, donec prope Conventum accederet. Fratres cum intortitio accurrentes, prodigioſas illas luces conſpexerunt. Paulo poſt, levi ſebre correptus, ſciens mortem imminere, acceptis celeriter Sacramentis, præmiſſoque ad Fratres de paupertate & Obſervantia Regulari ſermone, vita & officio Guardiani ſanctiſſime perſunctus eſt.

Orationes & raptus.

Nocte obſcura illuminatur.

X. Miraculis multis ſtatim cœpit clarere, quæ tædio vitando omitto; unum aut alterum exhibeo. Inſantulam, prædicti Joannis Notarii filiam, puſtulis toto corpore infectam, viginti tribus milliaribus a Plumbino ductam, ejuſque cadaveri intra ſepulcrum applicatam, ſtatim ſanavit. Petrus Paulus, vir illuſtris de Saxata, ſervo Dei ſumme familiaris & addictiſſimus, cum Matthæa uxore poſt annos ſeptem corpus videndi cauſa profectus, aperto ſepulcro, vidit pulchrum & integrum, albis floribus conſperſum. Erat mediocris ſtaturæ, carne exilis, cute alba & tenuiſſima, in decrepita ætate vegetus, & recto gradiens corpore & anima, ſordes omnes, etſi minimas, vel in veſte vel in cubiculo abhorrens. Per illam regionem magna colitur veneratione.

Ejus miracula.

Et ſtatura.

XI. Secundo loco narro defunctum Paulum Brixienſem, virum eruditum, præcipuis ſui temporis concionatoribus adnumerandum, de quo nos hic dicturos polliciti ſumus: virtutibus & bonis operibus, maxime animabus lucrandis, & afflictis conſolandis per Inſubriam celeberrimus, miracula vivens & mortuus patravit. Variſii cæcæ lumen reſtituit. In vetuſto libro pergameno MSS. rerum Conventus Variſiani, in quo jacet, hæc habentur: *Reverendiſſimus in Chriſto Pater, frater Paulus de Brixia Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, anno* MCCCCLXXVII. *die* XXI. *menſis Januarii hora ſecunda cum dimidia noctis antecedentis, ex hac vita deceſſit in iſto Conventu: qui Pater fuit vir magnæ ſanctitatis, ſcientiæ & bonitatis: inter prædicatores*

Moritur Fr. Paulus Brixienſis.
To. 13. an. 1469. n. 18.
Marian. cit.
Marc. l. 4. c. 18.
Monum. MSS. Prov. Mediol.

tores illius temporis obtinebat principatum, ſic mortuus relictus eſt ſuper uno cataletto in ipſa Eccleſia per duos dies: ubi tota terra Variſii, & omnes circumvicini concurrebant ad palpandum & deoſculandum cadaver ipſius Patris, & faciebant eum tangere pannicellis, coronis, & aliis diverſis rebus, omneſque procurabant habere aliquam partem ſui habitus; elapſiſque duobus diebus, quibus ſtetit ſuper terram, Fratres ipſius Monaſterii cum magnis proceſſionibus ſepelierunt eum in Capella ſanctarum Claræ & Mariæ Magdalenæ in ſupradicta Eccleſia.

Et Henricus Herpius. * al. Harphium. *Raiſſe in Auctar. SS. Belgii. Marc. l. 3. c. 36. Monum. MSS. Prov. Colon.*

XII. Tertium adduco Henricum Herpium *, a pago Campaniæ Brabantiæ de Herp oriundum. Etſi alii Marcoduranum, forte ex incolatu, & familia Herper, alii Mechlinienſem ex loco ſepulturæ dijudicent. Vir fuit doctus & pius, uti ejus opera (de quibus exactius alias judicium dabimus) demonſtrant. Provinciæ Colonienſis, antequam divideretur, Obſervantes Vicarii munere gubernavit. Pluribus Conventibus, non modo vita, moribus & doctrina præfuit, ſed & maxime profuit. Totus extaticus, & Divinis contemplationibus aſſuetus, nonnunquam ſex horas in Miſſarum ſacrificio ſalubriter occupabat. In Monte Alvernæ ſcripſit de Theologia myſtica & ſpeculativa, ac præcipue affectiva, quæ non tam lectione juvatur, quam exercitio pietatis & amoris obtinetur. Ejus opera non minus ſelectam, quam florentem ſpirant doctrinam. Guardianum agebat Mechlinienſem hoc anno, quo deceſſit, die XIII. Julii. Sepultus fuit ad dextram candelabri, in medio chori, in prædicti Conventus Mechlinienſis Eccleſia, quo nomine eum ſibi vendicat Provincia Germaniæ inferioris, etſi multis annis poſt ejus mortem iſta a Provincia prodierit Colonienſi.

Et Fortunatus Peruſinus.

XIII. Quartum enumero Fortunatum a Peruſio, inſignem celeberrimumque concionatorem, Provinciæ ſancti Franciſci Vicarium, apud Portiunculam menſe Auguſto defunctum, cui ſuffectus eſt Evangeliſta Balionus Peruſinus. Quintum addo, ſi non hoc anno præciſè, circiter ſaltem extinctum, Franciſcum Thomaſutium de Campobaſſo. Hic in Provincia ſancti Angeli affabilitate, morum ſuavitate & benignitate omnibus cariſſimus, tertio & quarto ad eamdem regendam omnium ſuffragiis aſſumptus eſt. Ea prudentia & caritate gubernavit, ut omnes ejus nutibus prompte obedirent. In oratione totus ardebat, & per integras horas brachiis in crucis modum protenſis orabat. Quoties Chriſti paſſionis recordabatur, toties in lacrymas prorumpebat, ita ut manducans fleret aliquando. Fratrem germanum habitu donatum in Conventu Vaſti Amonis, viſum ibat, ſed antequam perveniret, audivit in loco ſancti Eraſmi apud Gulioniſium deceſſiſſe. Orans ferventer pro anima illius raptus eſt, & a terra in ſublime elevatus, uti teſtatur Ambroſius a Trivilio, qui conſpexit, meruitque eumdem videre gloria refulgentem. Alias in oratorio horti ejuſdem loci de Gulioniſiis, poſt celebrata Comitia Provincialia, in quibus Vicariatus officium depoſuit, viſus eſt in aera ſublevatus. Senio confectus, miraculis clarus deceſſit apud Vaſtum Amonis.

Et Franciſcus de Campobaſſo. *Marian. cit. Marc. l. 6. c. 31.*

Moritur Eliſabetha Malateſta. *Jacobil. de SS. Fulgin. ad 22. Jul. To. 11. an. 1447. n. 62.*

XIV. Sexto, obiit circa hunc annum Eliſabetha Malateſta Clariſſa, genere & virtute nobiliſſima. Ex humanis abiit anno MCCCCXLVII. ejus genitrix Baptiſta Monsfeltria, Piſaurenſis Princeps, inſtitutum profeſſa ſanctæ Claræ, quod ſuo diximus loco, in Monaſterio Fulginate ſanctæ Luciæ. Matrem æmulata Eliſabetha, defuncto conjuge, Petro Gentile Varano, Principe Camertum, & deſponſata filia Alexandro Sfortiæ Piſaurenſi Regulo, eodem loco idem amplexa eſt Inſtitutum. Corpore procera, vultu veneranda, & moribus gratiſſima, ſororum omnium quibus humillime ſerviebat

viebat conciliavit amorem & reverentiam. Inde tamen Nicolai V. præcepto juſſa recedere (ſuſurratum enim, fuerat ſub Religionis ſpecie illuc veniſſe, ut urbem ante paucos annos ab affinium Trinciorum tyrannide vendicatam, & Eccleſiaſticæ libertati redditam, priſtinæ fidei reſtitueret) Peruſium anno MCCCCXLVIII. profecta eſt, & in Monaſterio Montis Lucis habitavit uſque ad annum MCCCCLVI. donec a Calixto III. cum octo Sororibus Urbinum amandata eſt, novum ibidem conſtructum Monaſterium ſuo magiſterio ſormatura, ubi poſtquam religioſiſſimas creavit diſcipulas, magna pietatis opinione deceſſit.

XV. Bernardinus Feltrenſis ad Portum Gruarium hoc anno, ingenti animarum lucro conciones habuit quadrageſimales, quibus Concordiæ Epiſcopus, aſſiduus auditor, maxime afficiebatur, frequenter aliis inculcans ſanctum Bernardinum in homine iſto locutum. Tarviſii, Feltri, & Venetiis, reliquo anni tempore in præcipuis Eccleſiis & Monaſteriis, necnon in publicis plateis ampliſſimiſque foris, abſque ulla intermiſſione concionatus, in urbe Veneta auditorem ſæpe habuit Donatum ſuum genitorem, ad filii famam, & animarum profectum ſummopere exultantem. In ſumma ſemper illum habuit Bernardinus reverentia, neque ullo umquam tempore ab eo receſſit, quin ſupplex & genuflexus peteret benedici. Prædicabat tunc Venetiis in campo ſancti Pauli Michael a Carcano, ejuſdem Inſtituti celeberrimus Eccleſiaſtes, qui ſub orationis finem populo dicebat: *Bernardinus parvulus, magnus prædicator in vobis eſt: hunc audite, hunc ſequimini; tempus meum prope eſt, ſcio quem vobis relinquo.* Ad tanti viri præconium, magis augebatur quotidie numerus confluentium, & fama longe lateque diffundebatur. At Bernardinus ſe tanta indignum reputans laude, totum in Michaelem refundebat, dicens: ſe uti mole, ita virtute exiguum, illum vero veteranum Magiſtrum, & tamquam Paulum alterum a Deo miſſum, & proinde ad illam Chriſti tubam accurrendum, & ejus potenti tonantique fruendum eloquio. Quantum vero ille Bernardinum dilexerit, vel inde conjiciendum, quod conciones ſuas quadrageſimales, quas nulli volebat impertire, ultroneus ei Mediolano miſerit, dignæ æſtimationis & virtutis excreſcentis argumento.

Legenda MSS. Bernardin. Feltren magno fructu concionatur, præſertim Venetiis.

Erga genitorem reverentia.

Laudatur a Michaele de Carcano.

Atque hic viciſſim a Bernardino.

XVI. Plurimum tunc profecit populus Venetus utriuſque viri doctrina; non enim perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, aut vanis Rhetorum floſculis prurientes mulcebant aures, ſed in oſtenſione ſpiritus, & fervore virtutis, intima cordis penetrabant, ea ſibi propoſita orationis methodo, ut vitia, quo poſſent, conatu inſectarentur, oppoſitaſque virtutes dignis inſtillarent encomiis. In Sanctorum feriis, poſtquam præcipuas eorum virtutes brevi narrabant eloquio, in oppoſitorum malorum reprehenſionem vehementer abibant, ea ratione bonorum amorem, & flagitiorum odium auditoribus ingenerantes. Multas tunc facientibus Turcis excurſiones in Venetos, in belli ſubſidium modis omnibus coacervabantur pecuniæ, ſed is Bernardino intolerabilis viſus eſt, quo publica præconis voce indultum eſt, ſoluto nummo, aleis chartiſque ludere in deſtinata urbis regione. Tam vehementer contra hanc pecuniæ ex peccatorum impunitate collectionem intonuit, ut Triumviri, nullius habita ratione, loca illa, etſi nobilium eſſent Patritiorum familiæ Contarenæ, malorum hac ſentina expurgarint, nec amplius loca publica hujuſmodi ludis permiſerint. Inde a ſuo Vicario Franciſco Contareno juſſus abire Patavium, ut pro Epiſcopi & civium voto prædicaret ſequenti quadrageſima in Eccleſia Cathedrali, rogarunt Veneti Vendraminum Ducem, ut detineret, nec ſe tanto virtutum Magiſtro pateretur de-

Utriuſque prædicandi methodus.

Venetiis abit Patavium.

deſtitui. Miſſo, ut manere rogaret, magno Cancellario, reſpondit: ſe magnopere velle tanto Principi obtemperare, non tamen id in ſua eſſe poteſtate, neque licere Superioris præcepto refragari. Nocte itaque intempeſta, dum Veneti parant Sixti Pontificis præcepto ſuperioris mandatum eludere, receſſit, nihil inde imminuta, ſed potius aucta Venetorum erga eum veneratione.

Guardianus Hieroſolymorum poſſeſſiones procurat. *An. 1475. n. 10.*

XVII. Jacobus ab Alexandria Lombardiæ, Guardianus Hieroſolymitanus, quem dixi, ſive nimia providentia humana, ſive diffidentia providentiæ Divinæ, cœpit bona immobilia & poſſeſſiones perpetuas pro conſervandis alendiſque locis ſanctis acquirere, duaſque villas in inſula Cypri comparavit ſine exemplo, ſine conſilio, ſine ſuperiorum facultate. Id ægerrime tulit Vicarius Generalis, qui Regulæ & locorum jacturam prudenter ponderabat. Scriptis itaque litteris, miſſoque qui ferret, noxiaſque villas omnino ablegaret, Franciſco Placentino, olim Guardiano Hieroſolymitano, placari non potuit, donec alienatas reſcivit. Ad futurorum inſtructionem litteras ſubjiciam.

Vicarius Generalis præcipit omnes dimitti.

Venerando in Chriſto Patri fratri Jacobo de Alexandria, Guardiano Conventus Montis Sion.

Ex Regiſt. Ord. fol. 63.

XVIII. PRæmiſſa reprehenſione, quia Fratres abſque ſcitu Vicarii Generalis ex Italia vocaverit, ſubjungit: *ſed graviorem infert moleſtiam, quod contra honorem & utilitatem illius loci, imo contra Deum & ſanctum Franciſcum, noſtramque profeſſionem feciſti Conventum illum proprietarium, & abſque ulla auctoritate in grave ſcandalum noſtrum, procuraſti & acceptaſti poſſeſſionem & dominium duarum villarum in Cypro, & feciſti inſtrumenta receptionis, & conſtituiſti Procuratorem, ut Fratres habitantes Hieruſalem, perpetuo ſint infames, & ceſſent ſubſidia aliorum, quando ſciverint Cœnobium noſtrum habere proprietates & reditus. Et quod iſtud meo tempore, & me inſcio factum ſit, æquo animo tolerare non valeo. Quare ad meritum ſalutaris obedientiæ, & in virtute Spiritus ſancti, atque omni qua poſſum auctoritate, tibi præcipio, quatenus, viſis præſentibus litteris, dictas villas & proprietates publice, ſcientibus omnibus Fratribus, renuncies, donationis vel cujuſcumque acceptationis inſtrumenta ſtatim laceres; litteras dominii Venetorum ſuper hac poſſeſſione recipienda, vel quomodocumque huic negotio faventes, tradas igni, Procuratorem ſuper hoc inſtitutum revoces; & nullo modo directe vel indirecte, per te vel per alium ſuper hujuſmodi poſſeſſionibus, villis vel reditibus te ingeras, vel quidquam ex illis recipias vel admittas; atque hæc omnia tibi præcipio ſub quibus poſſum cenſuris, in te omnino fulminandis, ſi ſtatim & cum effectu non obtemperaveris. Tot annorum curriculis conſervata ſunt illa loca ſancta, in quibus Chriſtus pauperrime vixit, & mortuus eſt nudus, in iiſque vixerunt uſque in diem hunc Fratres noſtri ſine reditibus & proprietatibus, nec defuerunt eis neceſſaria, ſed & aliquando aderant ſuperflua; & nunc tu, neſcio quo ſpiritu ductus, nulla præhabita licentia, nec requiſito Patrum Italiæ conſilio, proprietaria illa feciſti contra fas omne & jura univerſa! Fortaſſis timuiſti, quod Deus defuturus ſit de cetero, qui hucuſque defuit numquam? Cogita Pater, quale poſteris relinquas exemplum. Noli ita de craſtino cogitare, neque diffidere de bonitate Divina. Sufficiat diei malitia ſua. Itaque quod hic præcipio, ſine mora, omni excuſatione, dilatione & appellatione remotis, facere non omittas, quibuſcumque fultus fueris auctoritatibus, conſilio ſeu* fa-

facultatibus non obſtantibus. Et ſi tibi videar indignabunde & durius ſcripſiſſe, ne admireris, res enim hæc eſt magni ponderis. Adeo tibi leve videtur ſacratiſſima loca noſtræ redemptionis, pauperrimæ Religionis fidei & cuſtodiæ commiſſa, ita rerum proprietatibus prophanare, cum ab omni proprietate & dominio ubique terrarum Regula noſtra nos faciat penitus alienos? Æquo igitur animo hæc ſuſcipe, & quod ſcribo celeri executioni committe. Ex Florentia x. *Auguſti* MCCCCLXXVII.

Frater Petrus de Neapoli Vicarius Generalis.

XIX. Paucis diebus poſtquam has litteras ſcripſerat, audivit Guardianum prædictum morte ſublatum, Divina fortaſſis vindicta, quod ita ſanctuaria hæc temerare tentaverit. Subjunxit ergo Petrus alias ad Vicarium Hieroſolymorum, ut quod Guardiano in prioribus præceperat, hic exequeretur. Tanta erat viri ſollicitudo & anxietas procul faciendi omnes reditus ab illis ſanctiſſimis locis, eorumque habitatoribus, quibus ſane neque ſecundum ſuæ vitæ normam qualeſcumque licet habere, neque ſecundum boni regiminis prudentiam, neque etiam juxta providentiæ humanæ rectum dictamen expedit admittere. Nuſquam enim vidi abundantius Franciſcanos vivere, quam ubi nihil volunt poſſidere. Quo longius illi a paupertate recedunt, eo pauperiores ſiunt, & miſerabilius aluntur. Omnes enim putant *iniquiſſimum, pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere*, manumque retrahunt a ſuæ profeſſionis deſertoribus. Franciſcus indixit pecuniæ odium, hoc profeſſus eſt, hanc perſonam induit; agenda eſt. Bonum eſt Minoritis, præſertim Hieroſolymitanis, adhærere Domino, & ponere in Domino Deo ſpem ſuam, ut annuncient omnes prædicationes ejus in portis filiæ Sion. Etenim ſi per fiduciam bonorum temporalium, ſe ab eo elongant, peribunt, & perdet eos Dominus, ſi per hos illicitos & meretricios amores fornicantur ab eo. Neque enim habebunt, qui eleemoſynas aut pias collectas tranſmittant; Turcarum Imperator tributum & jugum aggravabit; nec Deus iis ſui ſanctuarii cuſtodiam permittet, qui in ſponſione ſibi facta non ſunt inventi fideles. Ita anno MDCXXXVI. expoſui Reverendiſſimis DD. Cardinalibus propagandæ fidei Præfectis, dum ingentem collectam pecuniarum ex Hiſpania Fratribus, qui ſunt Hieroſolymis tranſmiſſam, quidam vellent negotio committi, & lucrum ſeu fructus annuos in Fratrum ſubſidium exhiberi. Alienum a re noſtra conſilium, & noxiam ſuggeſtionem hanc judicarunt Cardinales, probantque ſatis hæ Vicarii ardentes litteræ. Secundas adjicio.

Idem inculcat Vicario.

Seneca de benef. lib. 1. c. 16.

Honeſto & Religioſo P. Vicario Conventus Montis Syon, urbis ſanctæ Jeruſalem.

XX. *Sripſi ante paucos dies Patri Gaardiano veſtro fratri Jacobo de Alexandria, ut villas, quas pro loco ſancto urbis Jeruſalem acceptavit in inſula Cypri, omnino renunciaret, ut patet ex litteris, quas tradidi fratri Franciſco de Placentia perferendas. Verum quia poſtquam receſſit a me, accepi dictum Guardianum vitam terminaſſe, injungo tibi ut idipſum protinus exequaris ſub eiſdem præceptis & cenſuris, quæ in litteris ad Guardianum directis continentur. Addo inſuper, quod omnes Fratres habitantes in Jeruſalem, per obedientiam, in virtute Spiritus ſancti teneantur in litteris (quas publice præcipio ut legas in Capitulo) contenta ad unguem tradere executioni. Vale ex Conventu Mugelli, provinciæ Tuſciæ* XVI. *Auguſti* MCCCCLXXVII.

Ibidem.

Moritur Guardianus Jeroſolymitanu Jacobus Alexandrinus.

XXI. Vere autem obierat Guardianus die xx. Martii in Paraſceve, in vaſta quadanı ſolitudine deſerti, dum ad Sultanum Babyloniæ proficiſceretur, de quibuſdam negotiis ſanctorum locorum acturus. Morte appropinquante, rogavit ſocium, ut ligneam ſibi compingeret crucem, quam nuda jacens humo pie oſculatus, fortiter brachiis ſtringebat, in ejuſque amplexu religioſe obdormivit in Domino. Qui villas Chriſti pauperis domibus acquiſivit, ipſe extra villas & ſine domo obiit in deſetro. Corpus ejus non ſine magna moleſtia & ferentium diſcrimine, Alexandriam Ægypti duxerunt ſocii, & in Eccleſia ſancti Marci ſepelierunt. Hominem aliunde laudat Marianus a pietate, aſſidua oratione, & prudenti regimine provinciæ Hetruſcæ per triennium. Alexandrum perperam vocat Marcus, incertum etiam tempus morti præſcribens. Miſſus eſt xxII. Januarii ſequentis anni Bernardinus de Caymis, vir religioſiſſimus, qui loca illa titulo Commiſſarii regeret uſque ad electionem novi Guardiani.

Bernardinus a Caymis Commiſſarius Terræ ſanctæ.

Fr. Iulianus Epiſcop. Britonorien.

XXII. Ad Eccleſiam Britonorienſem in Romandiola, ſub Archiepiſc. Ravennate, aſſumptus eſt Julianus de Maffæis Volaterranus, ſacræ Theologiæ profeſſor, Sixto valde ſamiliaris, per obitum Venturæ, IX. Kalen. Februarii. Ad Montiſmaranam in provincia Terræ laboris, ſub Archiepiſc. Beneventano, frater Auguſtinus de Senis, per obitum Ladislai, eodem die. Ad Julien. in Paleſtina, ſub Archiepiſc. Cæſareæ, frater Matthæus Gigantis, ſacræ Theologiæ Profeſſor, per obitum Jacobi, VI. Kalend. Novembris. Ad Lydden. ibidem, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, frater Rodulphus Pares, ſacræ Theologiæ Profeſſor, per obitum Honorii, IV. Kalend. Decembris. Florebat hoc tempore in provincia ſancti Jacobi frater Didacus de Nava, ſacræ Theologiæ Profeſſor, nobili utriuſque parentis genere natus, Eliſabethæ Caſtellæ Reginæ a ſacris, quem illa apud Pontificenı commendavit.

Fr. Auguſtinus Montiſmaranus. Fr. Matthæus Julien. Fr. Rodulphus Lydden.

Floret frater Didacus a Nava.

Erectio Vicariatus Sanctoyani, unde provincia Conceptionis.

XXIII. Sub hujus anni finem, Cuſtodia Sanctoyana ob multitudinem Cuſtodiarum, Conventuum & Fratrum, qui Vicario Obſervantum provinciæ Caſtellæ ſubiciebantur, a reliquis diviſa eſt, & in Vicariatum erecta. Habebat tunc viginti novem Conventus ſeu loca, ut ex Sixti conſtat diplomate: *Super gregis Dominici.* XIV. Kal. Januarii. Primum accepit Vicarium anno ſequenti Didacum Monroy, prædictæ Reginæ confeſſarium, qui tamen tenebatur ſui officii confirmationem a Miniſtro Provinciæ Caſtellæ impetrare. Vicarium lego Apuliæ hoc anno Bernardinum de Bitetto, Calabriæ Joannem de Catanzario, Provinciæ ſancti Bernardini Nicolaum de Fara, olim beati Joannis Capiſtrani ſocium, Ronıanæ Petrum Tyburtinum, cui in Capitulo hoc anno ad Fontem Columbæ (dum Pontifex Reate, ut Urbis peſtem fugeret, reſideret) celebrato, ſucceſſit Jacobus Cornetanus. Ad Raguſinos contra Dalmatas tumultuantes, & Vicarium a Pontifice per deſtinatos a republica Oratores petentes, miſſus eſt Commiſſarius dictus Tyburtinus.

Primus Vicarius Didacus Monroy.

Alii provinciarũ Vicarii.

Rex Hungariæ petit Cardinalatum Fr. Gabrieli Veronenſi.

XXIV. Matthiæ Hungarorum Regi, glorioſe de Turcis frequenti victoria triumphanti, indefeſſe conſilio, pecuniarum ſubſidio, & quibus poterat modis, aſſiſtebat ſemper præſens frater Gabriel Veronenſis, quem ante alterum annum diximus ab Albinenſi ad Agrienſem Epiſcopatum translatum. Eis devinxit Regem obſequiis, ut ſummis votis petierit illum Carnalatu decorari. Applaudebant omnes Matthiæ triumphis, neque Gabrielem hoc honore indignum judicabant. Profero de hac re Jacobi Cardinalis Papienſis, viri tunc celeberrimi, epiſtolæ ad Agrienſem ſcriptæ, teſtimonium.

Digitized by Google

Gabrieli Epiſcopo Agrienſi.

XXV. *SI te hactenus voluntate dilexi, neceſſitate quidem nunc cogor diligere. Ea enim ſunt opera tua in publica Chriſtianorum, & privata Sedis Apoſtolicæ cauſa, ut Agrienſis non me meminiſſe ingratum ſit, illum non amare, nefarium. Amo te Pater, amori toties acceſſio ſit, quoties recitatis in ſenatu litteris tuis, etiam actionum documenta ſimul tenentur. Ne dubita; Tuus eſt Papienſis: Non tam ſcribendi, quam præſtandi cupidus; nec tam ad verba, quam ad opera promptus. Idipſum planius noſces, cum de præmiis diſcriminum & laborum tuorum, ad nos referetur. Quod optavi privato, & in tunica adhuc Franciſci agenti, id crede publice miniſtranti, & ad Præſulatum aſſumpto non modo opto, ſed modis omnibus quæro. Obſtant adhuc tempora, aliena ambitione magis, quam noſtra voluntate, tibi adverſa. Sed non obſtabunt diu. Brevi, ut puto, erit quod cupimus, & quod inprimis ad commune opus eſt, utile. Pietate ſua id Dominus tribuet. Rex Matthias in cælo apud nos eſt. Gloria invicti Principis major eſſe Romæ non poteſt. Prædicantur omnium linguis facta ingentia, privatimque & publice pro ejus ſalute vota ſuſcipiuntur. Sed utinam, quæ noſtra eſt, aliorum quoque mens eſſet. Duriſſimam hyemem pro fide nunc patienti, & caput unum objicienti pro omnibus, non deeſſent ſubſidia, quæ, vel dilata diutius, vel parcius miniſtrata quam oporteret, vereor ne magnarum calamitatum ſint cauſa. Multi quæ ſua ſunt, intuentur, non quæ Jeſu Chriſti, affectum adhibentes, non rationem ad capiendum conſilium. Hic tamen Pontifex noſter ſupra vires contendens, omnia molitur & tentat. Oratores Italos non dimittit a ſe; ut majora decimali contributione præſtent, ſedulo adnititur. De decimis clericorum, & vigeſimis Judæorum eſt impetratum. Sed quantula hæc ad bellum ſuſtinendum præſidia? Quid enim centena millia inopi Regi contra Aſiæ, & bonæ partis Europæ potentiſſimum Dominum? Contributionem autem ſecularem nondum impetravit. Ei impetrandæ totum ſe exhibet. Nos patris fideliter laborantis ſequimur quoad poſſumus ſtudia. Emolliat Deus corda dura, menteſque cæcas illuminet, ne ambulemus in tenebris & in umbra mortis, ac defenſione tanta deſerti, ſero lugeamus, non cognitam prius fuiſſe viam noſtræ ſalutis. In periculis his & rebus tam aſperis ſerva te ipſum Pater, quodque tuæ virtutis & Religionis ſemper fuit, ſacerdotem te recordare. Vale, Romæ* VIII. *Martii* MCCCCLXXVII. *Papien. ep. 644.*

XXVI. Extra oppidum Lapiri, diœceſis Camerinenſis ad II. M. P. in loco de Fagetis, præextiterat olim Cœnobium Franciſcanorum, cujus fundamenta tantum ſolo æquata remanſerant. Eccleſiam tamen oppidani reſtaurarunt, & juxta eam domicilium Obſervantibus conſtruere cupiebant. Aſſenſit hoc anno XII. Kal. Octobris Pontifex, commiſſo æquitatis examine Abbatibus Monaſteriorum ſanctæ Helenæ de Serra, ſancti Quirici, & ſancti Victoris de Arciono, ejuſdem diœceſis. Quid fecerint, non conſtat; neque enim hujuſmodi Cœnobii inter reliqua illius regionis mentio invenitur. Conv. Lapiri. *Lib. 115. bullar. fol. 271.*

XXVII. In inſula Corſicæ, circa hunc annum ædificatus eſt Conventus ſancti Franciſci Marianæ, in confinibus duorum oppidorum, Burgi videlicet, atque Luciani, ex publicis amborum facultatibus. Hoc in loco diem clauſit extremum frater Marianus a Muro laicus, vir ſanctiſſimus, omni virtute præditus, qui ob miranda quæ olim patravit opera, cœlicolis ab utriuſque oppidi habitatoribus adnumeratur. Conv. Marianæ. *Gonz. in Prov. Corſicæ Conv. 18.* Fr. Marianus a Muro.

Conv. Almenaræ. *Lib. 115. fol. 170.*

XXVIII. Vir nobilis Nicolaus de Proxida, miles, Dominus Baroniæ de Almenara, Dertuſen. diœceſis in Principatu Cataloniæ, Ferdinandi Regis Siciliæ domui Præfectus, cupiebat in loco idoneo dictæ Baroniæ domum Minoribus, ſive Conventualibus ſive Obſervantibus ædificare: & quia dictæ Baroniæ majorem partem Mauri tenebant, volebat Cœnobio victui neceſſaria præſcribere, ornamenta & alia jocalia cultui Divino opportuna adjicere; facultatem ita faciendi conceſſit Sixtus VI. Kal. Maii, ſed an hoc ſuum deſiderium ille ad exitum perduxerit, non invenio.

Conv. Saulati. *Lib. 128. fol. 41.*

XXIX. Obſervantibus Provinciæ Aragoniæ permiſſum eſt Idibus Decembris duas domos in regnis Aragoniæ, Valentiæ & Majoricarum ac in Principatu Cataloniæ fabricare vel admittere, & domum de Saular extra muros Ilerden. bellis ferme deſtructam, ſola remanente Eccleſia, penitus dimittere, alteramque a ſe intra Civitatem, obtenta Pii II. facultate, conſtructam inhabitare, templumque incommodum commodiori loco reficere. Domus hæc in alios uſus converſa eſt, translata altera majori, quæ erat Patrum Conventualium, ad Obſervantes.

Conv. B. Mariæ de Corpore Chriſti Villæ Viridis. *Lib. 129. fol. 51.*

XXX. Nobilis vir Petrus Manrique, Comes Parietinenſium, (vulgo Hiſpanico *de Paredes*) ac Vallis de Segura, ejuſque diſtrictus Dominus, Carthaginen. diœceſis, pridie Nonas Novembris obtinuit facultatem ædificandi Obſervantibus domum ſive Oratorium, ſub invocatione beatæ Mariæ de Corpore Chriſti, prope oppidum de Villa-Viridi in prædicta Valle, prope confinia Sarracenorum, diœceſis Toletanæ, & conſtituendi in eadem fratrem Alphonſum de Pareja, Petro plurimum acceptum, operis præfectum & Guardianum, dum viveret, qui ſua doctrina & virtute Chriſtifidelibus circumvicinis fidei clypeus eſſet adverſus Sarracenos. Lente proceſſit opus, inter duos editos montes, neque in Fratrum ante annum MCCCCLXXXIX. devenit poteſtatem. Ruinæ proximum refecit Ludovicus Manrique, Petri ex filio nepos, Philippi II. Hiſpaniarum Regis eleemoſynis Præfectus.

Conv. Toletanus S. Joannis Regum. *Gonz. in Prov. Caſtell. Conv. 1. Marc. lib. 5. c. 64. Salaz. in Prov. Caſtel. lib. 3. c. 1. & ſeqq.*

XXXI. Rex Catholicus Ferdinandus & Eliſabetha conjux, ex voto emiſſo pro obtinenda victoria ſive contra Mauros Granatenſes, quos poſtea penitus debellarunt, ſive contra Alphonſum Luſitaniæ Regem, quem ad Taurinam urbem fuderunt, inſigne ſeque dignum conſtruxerunt Obſervantibus Cœnobium, ſub ſancti Joannis Evangeliſtæ invocatione, in Civitate Toletana. Huc translati ſunt hoc anno XXII. Februarii Fratres, qui ad Cœnobium beatæ Mariæ de Baſtida (Gonzaga vocat ſancti Antonii) extra urbem citra Tagum in via quæ ducit ad Monaſterium Montis Sion, Ordinis Ciſtercienſis, per annos ferme LVII. inhabitabant, Vicario Provinciali Obſervantum Joanne a Toloſa. Translationis licentiam dediſſe Nicolaum Francum S. R. E. Cardinalem, & Sedis Apoſtolicæ a latere per Hiſpanias Legatum, ait Gonzaga. At hujus temporis Cardinalium neminem invenio, qui vocetur hoc nomine. Poſt annos quindecim prædicti Rex & Regina curarunt reformari Cœnobium magnum Patrum Conventualium ad normam Obſervantum, & qui eam amplecti nollent, alio tranſmitti. Deinde poſt quadriennium omnes qui remanſerant, jubentibus Rege & conjuge, ad domum ſancti Joannis tranſierunt, & Obſervantibus deinceps cohabitarunt, unde excrevit numerus hic habitantium ad centeſimum & ultra. Domus illa antiqua poſt aliquos annos cooptata eſt in Monaſterium Monialium Ordinis Conceptionis Virginis Mariæ, de quo ſuo loco dicemus.

An. 1501.

Tom. 1. an. 1217. n. 27. Salaz. cit. lib. 1. c. 17.

XXXII. Circa annos, quos habitarunt Fratres in Cœnobio Toletano ſancti Franciſci, antequam ad iſtud ſancti Joannis tranſmigrarent, eſt diſcrepantia in numero, quam me ſoluturum alias promiſi. Salazarius dicit

ex

ex aliorum ſententia,primævos Patres ad ædiculam ſancti Antonii ſeu Baſtidæ habitaſſe annis viginti, quos ſi addas ad annum MCCXVII. quo illuc pervenerunt, incidet tranſitus ad magnum Conventum in annum MCCXXXVII. Ab hoc anno uſque ad MCCCCLXXVII. quo Fratres reformati ſunt, vel verius ad annum MCCCCLXXXVI. (nam poſt reformationem illic annis XIX. perſtiterunt) quo translati ſunt ad Cœnobium ſancti Joannis, anni bis centum quadraginta novem ſunt computandi. Non itaque potuerunt illic permanere annis CCLXVII. uti ſcribit Gonzaga, & ex eo Salazarius. Quod ſi demum verum ſit, quod alibi inconſtanter aſſerit Gonzaga in hiſtoria Monaſterii Toletani immaculatæ Conceptionis, Fratres illic perſeveraſſe uſque ad annum MDI. neque adhuc ad illum numerum computum pertingit: anni enim dumtaxat ducenti ſexaginta quatuor cenſebuntur. *Gonz. ibid. Mon. 25.*

XXXIII. Porro hoc ſancti Joannis Cœnobium, quod a fundatoribus *de los Reyes* agnominatur, undique vere regium eſt. Eccleſia ampliſſima, vario & magnifico opere interius & exterius conſtructa; odæum habet capaciſſimum, ſacella ſpecioſiſſima, egregiis picturis condecorata, ſacrarium pretioſiſſimis ornamentis, plurimiſque vaſis aureis & argenteis Divino cultui deſtinatis refertum. Domus interior quatuor habet clauſtra pulcherrima marmorea, multis exornata ſimulacris; bibliothecam inſtructiſſimam, optimum valetudinarium, commoda & numeroſa Fratrum cubicula; univerſas officinas tot incolarum convictui opportunas, & quidquid demum ad religioſi ædificii decorem ſpectet aut majeſtatem. Adjecta eſt regia quædam domus, parva quidem, ſed artificioſe fabricata, Regum pietati excolendæ deſtinata, in qua prædicti fundatores dies aliquot mundanas curas fugientes, Divino conciliando Numini ſtudebant. Quodam infortunio conflagravit anno MDLIII. ſed protinus Senatus, & Capituli Toletani ſolerti opera pulchrior & elegantior refecta eſt. Univerſa moles templi, cœnobii, & adjecti palatii magnifica, pulchra, & ad omnes artis menſuras elaborata eſt; nihil quod ad ejus decorem ſive perfectionem ſpectet, deſideratur, fundatorum Majeſtatem intus & extra commendat; & in univerſa Religione paucæ aut nullæ reperiuntur domus, quæ illi poſſint præferri.

XXXIV. Aliunde etiam valde commendatur hoc celebre Cœnobium, quod illuc ſæpe coierint præcipui Ordinis Patres ad Comitia Generalia; quod Philippus II. anno MDLX. illic florentiſſimum coegerit cœtum omnium Ordinum militarium; quod Philippus III. illic cohabitaverit Fratribus anno MDCVI. celebrantibus Capitulum Generale; quod ex eo prodierint viri doctiſſimi & ſanctiſſimi. Illic initiatus Franciſcus Ximenius, S.R.E. Cardinalis, bis Hiſpaniæ regendæ adſcitus. Illic ſepulti Michael de Buſto, Alphonſus Aſtudilanus, Franciſcus de Yepes, aliique viri piiſſimi. Præcipui ædis benefactores recenſentur Carolus V. Imperator, fundatorum Nepos, Philippus II. & III. qui varia adjecerunt ornamenta, & ſubſidia præſtiterunt; Sancius de Padilla, Joannes de Ryala Comes Portûs læti, Ludovica de Cabrera, conjux Joannis Sarmiento de Aragonia Comitis Ripacurtiæ.

XXXV. Ab anno MCCCCXXIV. Obſervantes per aliquot annos commorati in ſancti Maculphi inſula, Bajocenſis diœceſis, conſtructo prope quamdam ſacram ædiculam Cœnobiolo ex conſenſu Thomæ, Monaſterii ſancti Vigoris de Sevaſejo Abbatis, ad quem ſpectabat, tamdem propter varia incommoda, & frequentes pyratarum incurſiones, relicta inſula, ad Valoniarum Normanniæ urbem, diœceſis Conſtantienſis pervenerunt. Prope Civitatem hortum ædificio conſtruendo contulit Guillelmus le Telier, Lu- *Conv. Valoniarum. Gonz. in Prov. Franc. Conv. 11.*

Lutunieræ Baro, fundumque capaciorem, ſoluto pretio, adjunxit Ludovicus a Borbonio, Franciæ Admiralius, Ruſſilionis Comes, & Valoniarum Dominus, opuſque Cœnobii promovit hoc anno conſentientibus, non Paulo II. uti refert Gonzaga, niſi in anno oberret, ſed Sixto IV. Ludovico XI. & Epiſcopo Conſtantienſi. Eccleſiam conſecravit Joannes Janopolitanus Epiſcopus in honorem Dei, ſub titulo ſancti Ludovici Regis Galliarum. Guillelmum Serveſerium, hujus Conventus Vicarium, ab hæreticis occiſum, ſuo tempore dicemus opportunius. Ludovicus fundator, extructo ſibi ſumptuoſiſſimo in choro mauſoleo, ibidem ſepultus eſt.

Conv. Podoliæ. Gonz. in Prov. Polon. Conv. 10. Monum. MSS.

XXXVI. Olim Vaclaus, ſive Venceslaus Joaglavechius, fortiſſimus miles, ſub Poloniæ Rege Jagellone terrarum Ruſſiæ & Podoliæ Præfectus, pnſtquam Tartaros ſæpe ab illis oris repreſſit, humanis curis abjectis, vitam decrevit ſolitariam in Eremo Podoliæ traducere, obtento ab Epiſcopo Cracovienſi ſacello vetuſto ſanctæ Catarinæ, quod ampliari curavit, & fortiſſima turre muniri. Illuc convocatis ex Monte Calvo Monachis Benedictinis, & ab his poſt illius obitum tranſeunte loco ad quoſdam Presbyteros, & demum ad quemdam Paulum Caneum Anachoretam, qui per quadraginta annos illic commoratus eſt, Joannes Rzeſonius Epiſcopus Cracovienſis, Obſervantiæ Regularis pius fautor & propagator, illum hoc anno tradidit Chryſoſtomo Ponecio, Vicario Provinciæ Poloniæ. Ille vero antiquæ fabricæ ſtatim chorum novum cum ſacriſtia adjunxit, præparato etiam Fratribus commodo habitaculo. Mirum in modum circa hunc locum lumen fidei obſcurabatur per latitantem mediis ſilvis quemdam Pſeudo-Chriſtum. Per Pſeudo-Apoſtolos quos habebat, & nequam mulierem, dictam Mariam Magdalenam, in miſerabiles trahebat errores ſimplicem gentem agreſtem, quem tamqnam Deum in altari ſedentem impenſe colebat. Hunc ſibi cultum amplius conciliabat miris præſtigiis, futurorum prædictionibus, multoque dæmonum ſubſidio. Detecta tamdem ſceleſtiſſimi nebulonis fraude per Capitaneum Bozenicenſem, turpi morte mulctatus eſt. Advenientibus Fratribus adhuc ſupererant delubri & impietatis veſtigia, quæ penitus abſtulerunt, ſublatis etiam e ſimplicium cordibus fatuis & pernicioſis ſuperſtitionibus. Porro Eccleſiam hujus loci igne conſumptam anno MDXXXIV. remanente illæſa imagine ſanctæ Catarinæ, ſtatim refecit Petrus Jomicius Epiſcopus Cracovienſis, & Conventum renovavit. Poſt quinquennium ejus ſucceſſor Petrus Gamratus, qui ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem inde translatus eſt, in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, ſancti Franciſci, ſanctarum Catarinæ, & undecim millium Virginum die XX. Maii Eccleſiam conſecravit.

Quidam Pſeudo-Chriſtus ſeducit gẽtem Polonam.

Reficitur Conv. Podoliæ.

Conv. Kempen. Lib. 121. fol. 106.

XXXVII. David Epiſcopus Trajectenſis, & incolæ oppidi Kempen. ad Iſalæ fluminis oſtia, expoſuerunt hoc anno Pontifici, domum Fratrum Conventualium, ipſorum incuria incendio in cinerem fuiſſe redactam, refectam tamen per oppidanos ea lege, quod Fratres ſe Obſervantiæ Regulari vellent ſubmittere. Conſtructo autem dormitorio, aliiſque officinis Conventus, jactiſque Eccleſiæ fundamentis, Fratres numero duodecim in quodam tuguriolo celebrantes in Altari portatili, laxeque viventes nolebant obſervare promiſſa. Rogarunt itaque Epiſcopus & oppidani, ut ad hæc cogerentur, vel domus daretur Obſervantibus. Annuit Pontifex IV. Kalendas Novembris, commiſſa cauſa quibuſdam Abbatibus prædictæ diœceſis, qui anno ſequenti reformationem introduxerunt. Errat Gonzaga, dum tunc conſtructum affirmat Conventum. Oppidum illud olim erat Catholicæ fidei & Fratribus valde addictum, quod & poſtea compertum eſt.

Gonz. in Prov. German. infer. Conv. 25.

eſt. Enimvero cum Geuzii poſt juramenta, & Gandenſem pacificationem omnes Catholicos profligare conarentur, ſed ante alios, Fratres Minores, anno MOLXXIX. a civibus illis Catholicis tam ſtrenue propugnabantur, ut ſi ſimili œſtro ſanguinario, quo Geuzii, etiam Catholici perciti fuiſſent, omnes illos una die aut ejicere potuiſſent, aut occidere; ſed non multo poſt, impoſito Civitati præſidio ab Auriaco Principe, Chriſtianæ religionis exercitium prorſus eſt extinctum, & Fratres inde inhumaniter expulſi. Conventus hic adjudicatus eſt Provinciæ Coloniæ in Capitulo Provinciali Leydienſi anno MDXXVII. & in Generali Toloſæ anno MDXXXII. celebratis; Patres tamen Germaniæ inferioris inter ſuos enumerant.

XXXVIII. In Monaſterio inſigni oppidi Cremæ (non urbis Cremonæ ut habet Gonzaga) diœceſis Placentinæ, Ordinis ſanctæ Claræ, exortis implacabilibus diſcordiis, aliquæ Sorores pacis & religionis ſtudio inde receſſerant, ad alia Monaſteria tranſituræ. Ut ſubſiſterent, rogavit Galeatius Maria Sfortia Dux Mediolanenſis, promittens ſe procuraturum apud Pontificem, ut eis daretur Monaſterium ſancti Martini de Abbiate graſſo, Ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Mediolanenſis. Dum hoc expectatur, & Sorores in domo quadam oppidi Viglevani, diœceſis Novarienſis, ab Univerſitate eis deſignata conſiſtunt, Dux occiditur, & promiſſum differtur. Tamdem hoc anno Bona Maria Galeatii conjux, ejuſque filius Joannes Galeatius Maria, Dux Mediolanenſis, impetrarunt, ut ſuppreſſo in prædicto Monaſterio ſancti Martini (in quo paucæ Sorores abſque regulari diſciplina & abſque Abbatiſſa habitabant) Ordine Ciſtercien. domus traderetur his Sororibus Clariſſis, cum quibus ſi Ciſtercienſes remanere vellent, & ad earum Inſtitutum tranſire, id eis liceret, ſin minus, per alia Monaſteria Ciſtercienſia diſtribuerentur, aſſignato eis congruo, dum viverent, alimento: *Regimini univerſalis.* XII. Kal. Aprilis. Adeo vero prædictæ Sorores Clariſſæ, numero triginta quatuor, religioſe vixerunt, ut intra brevis temporis ſpatium tot ad ſe Virgines virtutum odore attraxerint, ut numerum perfecerint octogenarium. Ex quarum dotibus aliiſque eleemoſynis nova Eccleſia, quæ poſtea conſecrata eſt ſub titulo ſanctæ Claræ, & novum penitus Monaſterium, antiquo diruto ædificio, conſtructa ſunt. Tempore ſancti Caroli, in oppidi viſitatione, paſſæ ſunt Sorores aliquot moleſtias propter reditus primi Monaſterii ſancti Martini, & bona quædam immobilia quæ poſſidebat; ſed tamdem invento & producto per Miniſtrum Provinciæ Mediolanen. Sixti diplomate, controverſia ſopita eſt.

Monaſt. Cremæ. *Gonz. in Prov. Mediol. Mon. 15. Lib. 105. fol.* 70.

XXXIX. Prope oppidum Bivarii, fortiſſimi herois Roderici (ſive Cid Ruy Diez) natalitiis notiſſimi, diœceſis Burgenſis, erat antiqua Eccleſia, ſive Eremitorium beatæ Mariæ de Rubo (Hiſpanice *del Spino*) in quo devotiſſima erat imago Dei Genitricis, quæ poſtquam annis multis ſub terra latuit, anno MCCLI. ſe cuidam parvulo miracoloſe manifeſtavit, multis miraculis commendatiſſima, & propterea in univerſis per circuitum populis celeberrima. Vetuſtate collabentem Eccleſiunculam refecerunt Petrus Lupus de Padilla, Major Præfectus Regni Caſtellæ, ejuſque conjux Eliſabetha Pacheco: cupientes majorem cultum adjicere, & delubrum continuo populorum concurſu in majori veneratione haberi, adjicere ſtatuerunt Monaſterium Clariſſarum, ſub obedientia & regimine Fratrum Regularis Obſervantiæ, eique præficere in Abbatiſſam Mariam Benitam matronam dictæ diœceſis, a religionis zelo multiſque virtutibus commendabilem. Facultatem ita faciendi, & Monaſterium ſufficienter dotandi petentibus annuit Sixtus V. Idus Octobris. Illic præextitiſſe Canonicorum regularium Ordinis

Mon. del Spino. *Idem in Provin. Burgen. Mon. 7. Lib. 129. fol. 127.*

dinis ſancti Auguſtini collegium, refert Gonzaga. Unde tamen acceperit, neſcio; nihil enim hujuſmodi in bulla fundationis narratur, neque vel obſcure inſinuatur.

Mon. Toletan. S. Eliſabethæ. *Idem in Provin. Caſtel. Mon. 1.*

XL. Maria a Toleto, fœmina nobiliſſima, olim Garciæ Mendez a Soto majori, Carpii Domino, nupta, poſt viri obitum, iis ſe addixit operibus caritatis, eoque fervore animam virtutibus ſtuduit excolere, ut brevi tempore ad magnam aſcenderit ſanctioris vitæ perfectionem. Hinc nota Regi & Reginæ Catholicis Ferdinando & Eliſabethæ, obtinuit ſibi, ſuique propoſiti ſociis, ædificando Monaſterio ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ, & tertio Inſtituto ſancti Franciſci, regias quaſdam domos in urbe Toletana ſibi concedi; unde Monaſterium ſanctæ Eliſabethæ Regiæ cœpit nuncupari. Amplum ædificium Joannæ a Toleto ſumptibus, multorumque civium liberalitate quam celeriter in commodum redactum eſt Monaſterium. Cœpit illa cum duabus honeſtiſſimis fœminis hoc anno, ſuæ ætatis quadrageſimo, iſthic vivere, & perpetuam ſibi indicere clauſuram. Poſt aliquot annos ab Innocentio VIII. ſuam adhibente operam Juliano Cardinale, Epiſcopo Oſtienſi, Ordinis Protectore, impetrarunt, ut ſibi liceret arctiorem vitam amplecti, & ſanctæ Claræ Regulam profiteri. Bonis auſpiciis cito domus excrevit ad ſexaginta Virginum collegium, & facile palmam præripuit reliquis illius Civitatis Monaſteriis. Eccleſiam ſancti Antolini, huic loco propinquam, eidem adnecti, & parochiale onus quod inerat, ad ſancti Marci templum transferri obtinuerunt iidem Reges a prædicto Innocentio, & Petro Gonzales de Mendoza, Archiepiſcopo Toletano, non anno MCCCCLXXXIII. ut habet Gonzaga, tunc enim ſedebat Sixtus IV. ſed poſteriori. Ibi jacent Eliſabetha Princeps, prædictorum Regum primogenita, Agnes ab Ayala, fœmina nobiliſſima, Regis Ferdinandi avia, & Maria fundatrix, cujus vitam & geſta ſub mortis annum dabimus opportunius. Hinc prodiere Sorores multæ, quæ alia Monaſteria vel fundarunt vel reformarunt. Orapeſanum, Madrigalenſe, & Methymnæ cœlorum hinc primas acceperunt Magiſtras: Occanienſe, Guadalfagiaræ, & Toletanum immaculatæ Conceptionis, optimas reformatrices.

Domus 3. Ordinis Croponi. *Lib. 105. fol. 279.*

XLI. Tertii Ordinis Profeſſores Provinciæ Calabriæ domum quamdam ſub invocatione ſancti Salvatoris habebant longe ab oppido Croponi, diœceſis Catacenſis, propter loci diſtantiam & aeris intemperiem ſibi valde incommodam, cupiebantque aliam ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratia prope dictum oppidum ædificare, ibidemque admittere Confraternitatem ſancti Salvatoris, aliàs, *Battenti*. Petitionem examinandi & admittendi, Sixtus XIII. Kalendas Junii facultatem conceſſit Epiſcopo Catacenſi.

Domus Sororum 3. Ordinis S. Apri Coloniæ. *Ibid. fol. 154.*

XLII. Sorores Tertii Ordinis, Beginæ nuncupatæ, Coloniæ domum ſancti Apri multis annis poſſidebant, ſed bellorum incommodis ferme deſtructam, & a quinque tantum Sororibus inhabitatam: donavit hoc anno VI. Idus Maii Alexander Epiſcopus Forolivienſis, in Germania cum poteſtate Legati a latere Sedis Apoſtolicæ Nuntius, Monialibus Monaſterii ad Martyres, extra muros Colonienſes, Ordinis Ciſtercienſis, propter bella in illis partibus graſſantia deſtructi, ut reficeretur. Sorores autem illas quinque Tertii Ordinis in alia domo congrna collocarunt urbis reddituarii.

Domus Sororum Kempen. *Lib. 129. fol. 315.*

XLIII. Rectrici & Sororibus domus ſanctæ Annæ oppidi Kempenſis, diœceſis Colonienſis, conceſſerat quondam Joannes de Beck, tunc Rector parocbialis Eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis oppidi prædicti, infra cujus limites domus ipſa conſiſtebat, facultatem, ut Oratorium cum Altaribus erigerent, in eoque Miſſas curarent celebrari, eaque omnia peragerent, quæ in do-

domibus fieri ſolent Regularium. Deinde ejus ſucceſſor Joannes de Arſen modernus Rector & paſtor, attente conſiderans irreprehenſibilem vitam ac devotionem ſingularem Rectricis & Sororum prædictarum, idipſum aliaque conceſſit, præſcripto tamen unius ſcuti cenſu quotannis ſolvendo. omnia Pontifex VI. Kalendas Decembris confirmavit.

Domus Beſſelick. *To. 11. an. 1440. n. 45.* *Monum. MSS. Prov. Colon.*

XLIV. Hoc anno Sorores Tertiariæ inſignis Recluſorii in Monte Beſſelick, de quo alias locuti ſumus, inchoarunt novam domum prope oppidulum Cardonam, diœceſis Trevirenſis, ad fluvium Moſellam, quæ in octava Nativitatis Virginis Mariæ, a Joanne de Vynſtingen. in Eccleſia Trevirenſi, tituli ſancti Caſtoris in Cardona Archidiacono, impetrarunt, quod Oratorium & Recluſorium ibi præexiſtens prope parochialem Eccleſiam beatæ Virginis, tunc ruinoſum, deſertum, collapſum, & penitus ad nihilum redactum, reficere & inhabitare liceret. Quibus ille benigne aſſenſit, conceſſitque omnia jura, attinentias, cenſus, reditus & proventus, quæ ad primum Recluſorium ſpectabant; indulgens etiam ut ſub Regulari Obſervantia & debita clauſura, & ſub ſuorum Viſitatorum regimine perpetuo victitarent.

Sorores 3. Ordinis Belgicæ ſubjiciſitur regimini Miniſtrorum. *Lib. 121. fol. 125.*

XLV. Conceſſerat Sixtus plenam auctoritatem Miniſtris Generali & Provincialibus ſuper Fratres & Sorores Tertii Ordinis tam intra, quam extra Italiam: dubitantibus Sororibus Bruxellenſibus, Aluſtenſibus, aliiſque in Belgio conſiſtentibus, an ad eas ſub regimine Vicarii Regularis Obſervantiæ Provinciæ Franciæ conſiſtentes, Conſtitutio extendebatur, iiſque gaudebant privilegiis, quæ in bulla continebantur? Reſpondit hoc anno Pontifex, etiam eas in iſtis comprehendi: *Ex Apoſtolicæ ſervitutis*. XVII. Kal. Novembris.

Conſortium ſeu Congregatio Fratrum de Pœnitentia Mediolani. *Lib. 110. fol. 168.*

XLVI. In Civitate Mediolanenſi numeroſiſſima erat Congregatio Fratrum & Sororum Tertii Ordinis, *qui de conſortio dicti Ordinis de pœnitentia nuncupabantur*. His Chriſtifideles committebant exequenda pia quæque opera & legata, confidentes eorum integritati & ſolertiæ curam ſuarum animarum. Hæc autem illi longo fecerunt tempore valde laudabiliter, & cum maximo incremento devotionis populi Mediolanen. juxta fidelium defunctorum diſpoſitiones, & dicti *Conſortii* fundationem. Attamen Michael de Carcano Vicarius Obſervantum Provinciæ Mediolanenſis, *Verbi Dei* (inquit Pontifex) *celebris Prædicator*, aliique religioſi prudentes, quibus cordi erat prædicti Ordinis & Conſortii honor & incrementum, videntes varias inde exoriri turbas & murmurationes, perſuaſerunt Miniſtro & Fratribus ejuſdem *Conſortii*, ut curam omnem hanc diſtribuendorum & exequendorum piorum operum & Legatorum, in Laicos quoſdam Mediolanenſes transferrent. Conſiderantes tamen pii aliquot viri poſt aliquot annorum experientiam non adeo fideliter & diligenter iſthæc fieri per prædictos Laicos, ſicuti antea fiebant per Fratres prædicti *Conſortii*, rogaverunt Pontificem, ut ipſis iterum hæc cura demandaretur. Ut mature fieret, commiſit Pontifex rei examen Præpoſitis Eccleſiarum ſanctæ Trinitatis Mediolanenſis, & de Pontirolo, ac de Pambiaco, diœceſis Mediolanenſis.

Conv. Deſerti Venetiarum. *Tom. 9. an. 1401. n. 7.*

XLVII. Ad Eccleſiam Minorum de Stigmatibus ſancti Franciſci Conventus de Deſerto, Torcellanæ diœceſis, de quo alias ſcripſimus, ingens hominum confluebat multitudo eo die, quo impreſſio eorumdem Stigmatum in Corpus ſancti Patriarchæ celebratur. Volens itaque Pontifex devotionem & pietatem hanc amplius confovere, multis eos alliciendos judicavit indultis, emiſſis piis litteris, ſuam erga optimum Inſtitutorem gratitudinem & filialem affectum demonſtrantibus: *Quamvis Altiſſimus*. Idibus Decembris.

Hoſpitale Monzoni. Rodul. fol. 267. Hoſpitale Spoletanum. Lib. 125. fol. 212.

XLVIII. Donavit hoc anno Sixtus hoſpitale Monzoni Conventui Minorum Bononienſi, ut in eo infirmi curarentur. Sed in urbe Spoletana Fratres Tertii Ordinis e regione donarunt hoſpitale ſancti Matthæi, ab ipſis erectum & rectum, Monaſterio ſanctæ Mariæ de Stella Spoletano, Ordinis ſancti Auguſtini, ea tamen conditione, ut quod illi præſtabant, hi proſequerentur, nimirum perpetuam in eo hoſpitalitatem exercerent.

Portio canonica an ſolvenda?

XLIX. Multa variaque fuerunt diverſis temporibus edita Pontificum decreta circa portionem canonicam condonandam Regularibus, vel per eoſdem ſolvendam ordinariis curatoribus animarum. Conſtitutionem Regularibus favorabilem edidit Sixtus, multaque eis conceſſerunt alii Pontifices, quæ Averſanus Epiſcopus nolebat obſervare. Binas objurgatorias miſit ei Pontifex; do ſecundas in Regeſto: *Scripſimus diebus ſuperioribus*. XXIV. Octobris.

Vicario Generali quædam indulget Pontifex.

L. Ingreſſus Vicarius Generalis die octava Januarii ad Pontificem, ſignificavit, ſæpe ſibi præſentari litteras Apoſtolicas, importunis, uti credebat, populorum inſtantiis extortas, in quibus ei præcipiebatur in virtute ſanctæ obedientiæ, & aliquando per cenſuras, ut in urbibus, villis ſive oppidis admitteret vel loca Conventualium reformanda, vel alia noviter conſtruenda, quæ ille alias propter incommoditatem locorum, vel ad evitanda ſcandala recuſaverat. Rogavit itaque ut abſque conſcientiæ gravamine, non obſtante præcepto, liceret executionem ſuſpendere, & ad ſuam Beatitudinem recurrere. Secundo ſimiliter petiit fieri poſſe circa Prædicatores, quos ſua Sanctitas, populis petentibus, per litteras Apoſtolicas deſtinabat ad habendas conciones quadrageſimales, nimirum ut liceret eos detinere, vel alio mittere, quos timebat in eis locis ſcandalum parituros, aut minus idonee ſe habituros. Tertio, quod liceret ſacerdotibus confeſſariis itinerantibus, ſi rogarentur a piis aut nobilibus viris, eorum confeſſiones excipere, etiamſi non eſſent præſentati Ordinario ſecundum formam præſcriptam in Clementina: *Dudum de ſepulturis*. Omnia benigne Pontifex conceſſit. Tunc etiam Ludovicus Vincentinus, Vicarii Generalis ſocius, olim eodem perfunctus Vicariatu, rogavit concedi famulis & famulabus Fratrum & Monialium plenariam peccatorum remiſſionem in mortis articulo, & poteſtatem, ut ſemel in vita abſolverentur a reſervatis. Secundo, ut liceret Prælatis Ordinis legata eis facta & deputata in unum uſum, in alterum commutare; & benigne exauditus eſt.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Dogl. cit. 402. *Indic. ex Vatic.*

„ I. MAhometus II. atque Otthomanorum XI. Amuratho ex Deſpo-
„ tæ Serviæ filia natus, vir nullius religionis, & omnium anti-
„ quorum irriſor, hoc anno ingenti armatorum manu Illyricum invaſit, &
„ Crojam Civitatem, qua ferro, qua igne, omnia devaſtans, ſibi ſubegit.
„ Ibi adinvento Scanderbeci cadavere, quotquot Turcarum potuere, ſum-
„ ma ſuperſtitione ejus aliquid habere ſecum affectabant, credentes ita ſe
„ fore invincibiles in bello: ſubinde Scordam urbem, nunc Scutarum
„ eadem in regione, centum millibus militibus arctiſſima obſidione cinxit:
„ ſed quæ quondam ab Anicio Prætore ſubacta fuerat, ab Antonio Prove-
„ ditore Veneto propugnata, obſidentem irriſit. Interea in Eccleſia Con-
„ ventus Senenſis ad implorandum Divinum auxilium pia Confraternitas,
„ ſub præſidio D. Antonii Patavini ex indulto Apoſtolico erigitur: *Sacroſan-*
„ *ctæ Romanæ Eccleſiæ &c.* XVIII. Kal. Februarii: & beneficio Eccleſiaſtico

coho-

„ cohoneſtatur frater Martinus Dominicus de Forolivio: *Religionis zelus &c.* IX. Kal. ejuſdem. Fratri vero Liberto ex Minoritis Epiſcopo Bericenſi beneficium aliud aſſentitur: *Perſonam tuam &c.* IV. Idus præfati: frater Franciſcus Eccleſiæ Aſtinienſi præficitur X. Kalendas Martii: *Apoſtolatus officium &c.* & IV. Kal. ejuſdem Fr. Franciſco Laurentii confertur beneficium: *Religionis zelus &c.* & Pridie Kal. conſtructio Conventuum duorum conceditur, unus ſanctæ Mariæ de Gratia in territorio caſtri Aquenſis nuncupandus: *Sacræ Religionis &c.* alter vero Pariſiis pro Fratribus Regularis Obſervantiæ erigendus: *Ex injuncto &c.* quo etiam tempore pro obedientia & regimine Sanctimonialium Clariſſarum Gandentium in Flandria, Miniſtro Provinciæ Franciæ, atque Cuſtodiæ illiuſdem Flandricæ Regionis: *Apoſtolicæ litteræ &c. Humilibus &c.* expeditæ fuere. Pridie Nonas Martii pro translatione Monaſterii Clariſſarum ſanctæ Mariæ de Baſilica, Meſſanenſis Diœceſis: *Profeſſis piam vitam &c.* Friderico Duci datum eſt poſſe Cœnobium conſtruere in Provincia Saxoniæ, VIII. Idus ejuſdem: *Apoſtolicæ ſollicitudinis &c.* & Idibus ipſis diſpenſatum cum Matthæo Hieronymo de Magnanis circa natalem: *Vitæ ac morum &c.* ſed IX. Kal. Maii, revocatione litterarum, pro Conventu ſancti Franciſci apud Ruthenos extinctis litibus: *Sedis Apoſtolicæ &c.* Prioratus de Villalar, Zamorenſis diœceſis fratri Didaco confertur: *Religionis zelus &c.* III. Kal. ejuſdem, fratri Didaco de Guerris Caſtri Novi Terdonenſis confertur beneficium: *Religionis zelus &c.* paulo poſt duobus Fratribus, Matthæo Baſſio, & Laurentio de Alva permiſſum eſt tranſire ad Benedictinos: *Sedis Apoſtolicæ &c.* X. Kal. Junii: ac invaleſcentibus querelis Fratrum Conventualium, Fratribus Provinciæ Daciæ vetitum eſt recipere eorum Cœnobia, & juſſum recepta reſtituere: *Pacem & tranquillitatem &c.* & hujuſmodi decreti executio pluribus Epiſcopis commiſſa VII. Kal. Junii: quo etiam tempore, quidam Alphonſus ad Auguſtinianos dimiſſus fuit: *Apoſtolicæ Sedis &c.* at ejuſdem III. Nonas permiſſa fuit erectio Conventus in Villa de Bircione, Bituricenſis Diœceſis, cum perpetuatione Guardiani: *Pro Deo & Eccleſiæ &c.* V. Idus pro audiendis Confeſſionibus prodiit breve tenoris, qui ſequitur.

Franciſcus Epiſcopus Aſtinien.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

„ II. *Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas, piis quarumlibet, & præſertim ſublimium, ac aliarum ſub Regulari caſtimonia Domino militantium perſonarum votis, illis præcipue per quæ Chriſtifideles ſuarum animaram ſalutem, Deo propitio, facilius adipiſci, & eorum devotio augeri valeant, libenter annuit.*

„ *Sane pro parte tam cariſſimorum noſtrorum in Chriſto Ferdinandi & Eliſabeth Caſtellæ & Legionis Regnorum Regis & Reginæ illuſtrium, quam Vicarii Generalis & univerſorum Priorum Fratrum Ordinis Prædicatorum, Reformatorum nuncupatorum, in dictis Regnis conſiſtentium, dilectorum filiorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ſi prædictus & pro tempore exiſtens Generalis Vicarius in qualibet domo dicti Ordinis ei ſubjecta, ubi cum pro tempore morari contigerit, ac in ejus abſentia,*

„ *ſentia, ſinguli Priores ſive Præſidentes ſingularum domorum dicti Ordinis,*
„ *nunc & pro tempore exiſtentes, ac quatuor prædicti Ordinis Profeſſores*
„ *Presbyteri idonei, per Vicarium & ſingulos Priores ſive Præſidentes præ-*
„ *dictos in ſingulis domibus deputandi, poſſint confeſſiones utriuſque ſexus*
„ *Chriſtifidelium forenſium, ad ſingulas domos prædictas accedentium, &*
„ *ibidem proprium domicilium non habentium, ac inibi confiteri volentium,*
„ *toties quoties ibidem confitebuntur, libere audire, & eas ab omnibus &*
„ *ſingulis peccatis, exceſſibus & delictis per eos commiſſis, ac confeſſis, atque*
„ *excommunicationis ſententiis & cenſuris & pœnis in ſingulos Fideles præ-*
„ *dictos in genere vel in ſpecie ordinaria auctoritate latis, de quibus ipſi*
„ *Fideles ſe abſolvi petierint (dum tamen non ſint talia propter quæ Sedes*
„ *prædicta ſit merito conſulenda) in loci Ordinarii abſentia dumtaxat, ab-*
„ *ſolvere, & eis ſuper præmiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, ac vota*
„ *peregrinationis & abſtinentiæ per eoſdem Fideles emiſſa, quæ loci Ordi-*
„ *narius, ſi præſens eſſet, commutare poſſet, & ipſi Fideles commode adim-*
„ *plere non poterunt, & in ipſius loci Ordinarii abſentia, in alia pietatis*
„ *opera commutare, necnon omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus tam foren-*
„ *ſibus, quam in Civitatibus & locis, in quibus domus ipſæ conſiſtunt, com-*
„ *morantibus, Euchariſtiæ Sacramentum quocumque tempore (feſto Re-*
„ *ſurrectionis Dominicæ dumtaxat excepto) eorumdem Fidelium Parochia-*
„ *lium Eccleſiarum Rectorum, & quorumlibet aliorum licentia minime*
„ *requiſita, miniſtrare poſſint, perpetuo ſtatueretur & ordinaretur, profecto*
„ *devotio Fidelium eorumdem ad domus Fratrum prædictorum, ex magno*
„ *devotionis fervore, pro conſequendis ſpiritualibus alimentis occurren-*
„ *tium augeretur, & eorumdem Fidelium animæ ferculo Divini ſermonis*
„ *decentius reficerentur, ipſique Fideles ad imitationem Religionis hujus*
„ *facilius invitarentur.*
„ *Nos igitur, qui ſingularum Chriſtifidelium animarum ſalutem quæ-*
„ *rimus, Regis & Reginæ, ac Vicarii, Priorum & Fratrum prædictorum*
„ *in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore*
„ *præſentium, perpetuo ſtatuimus & ordinamus, quod prædictus, & pro*
„ *tempore exiſtens Generalis Vicarius in qualibet domo dicti Ordinis ei ſub-*
„ *jecta, ubi eum pro tempore morari contigerit, ac in ejus abſentia ſinguli*
„ *Priores ſive Præſidentes ſingularum domorum dicti Ordinis, nunc & pro*
„ *tempore exiſtentes, ac quatuor dicti Ordinis Profeſſores Presbyteri idonei,*
„ *per Vicarium & ſingulos Priores ſive Præſidentes prædictos in ſingulis de-*
„ *putandi, poſſint confeſſiones utriuſque ſexus Chriſtifidelium forenſium, ad*
„ *ſingulas domos prædictas occurrentium, & ibidem proprium domicilium*
„ *non habentium, ac inibi confiteri volentium, toties quoties ibidem confite-*
„ *buntur, libere audire, & eos ab omnibus & ſingulis peccatis, exceſſibus &*
„ *delictis per eoſdem commiſſis, ac confeſſis, necnon excommunicationum*
„ *ſententiis & pœnis in ſingulos Fideles prædictos in genere vel in ſpecie*
„ *ordinatoria auctoritate latis, de quibus ipſi Fideles ſe abſolvi petierint*
„ *(dum tamen talia non ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica prædicta merito*
„ *ſit conſulenda) in loci Ordinarii abſentia dumtaxat, abſolvere, & eis ſu-*
„ *per præmiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, ac vota peregrinationis*
„ *& abſtinentiæ per eoſdem Fideles emiſſa, quæ loci Ordinarius, ſi præſens*
„ *eſſet, commutare poſſet, & ipſi Fideles commode adimplere non poterunt,*
„ *in ipſius loci Ordinarii abſentia, in alia pietatis opera commutare: nec-*
„ *non omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus tam forenſibus, quam in Civita-*
„ *tibus & locis, in quibus ipſæ domus conſiſtunt, commorantibus, Euchari-*

ſtiæ

„ *ſtiæ Sacramentum quocumque tempore (Feſto prædicto dumtaxat excepto)*
„ *eorumdem fidelium Parochialium Eccleſiarum, Rectorum abſentium &*
„ *quorumlibet aliorum licentia minime requiſita, miniſtrare libere & licite*
„ *poſſint & valeant; parce tamen ne querelæ inde eveniant.*
„ *Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ce-*
„ *teriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc*
„ *paginam noſtrorum Statuti & Ordinationis infringere, vel ei auſu teme-*
„ *rario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit &c. Datum Ro-*
„ *mæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXVII.
„ V. *Idus Junii, Pontificatus noſtri anno* VI.
„ III. His tranſumptis in gratiam eorum, quibus incumbunt, primo
„ Sororum Tertii Ordinis in Provincia Coloniæ Monaſterii translatio ad
„ Clariſſas occurrit, ſub IV. Idus Junii: *Et ſi juxta &c.* & XII. Kalendas
„ Julii conceſſa licentia conſtruendi quoddam Cœnobium ſub titulo ſan-
„ ctæ Mariæ de Gratiis: *Pia Deo &c.* Fratri Amadeo, fratri Petro Petruci
„ datum fuit certum beneficium Eccleſiaſticum: *Religionis zelus &c.* V.
„ Kalendas ejuſdem; nonnullas Moniales Morinenſes tranſire ad Benedi-
„ ctinas indultum eſt, XVI. Kalendas Septembris: *Devotionis veſtræ &c.*
„ & Indulgentia pro Eccleſia ſanctæ Mariæ oppidi ſancti Laudi, Conſtan-
„ tienſis Diœceſis, pro die Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis:
„ *Dum devotæ &c.* XV. Kalendas Octobris prodiit: & ipſis Kalendis ejuſ-
„ dem, fratri Thomæ *Selth* ſancti Andreæ beneficium: *Religionis zelus &c.*
„ per duo diplomata vero ejuſdem, V. Idus Octobris, quorum unum inci-
„ pit: *Sacroſanctæ &c.* & alterum: *Devotionis tuæ &c.* conceſſa fuit licen-
„ tia Monaſterium ſanctæ Claræ conſtruendi in Eremitorio beatæ Mariæ *del*
„ *Spino*, in oppido *del Bivar*: at hujuſmodi conſtructionis prope oppidum
„ Bivarii, quod a Burgis Caſtellæ veteris Metropoli duabus regionis diſtat
„ leucis, diciturque, *Vivar de Cid*, quod cujuſdam inſignis Viri nomine
„ *Cid* Patria fuerit, apud Annaliſtam memoria exiſtit. Et nihilominus *Vid. Wadd. ad an. 1477.*
„ ad piam curioſitatem ineſcandam excitandamque devotionem, de in-
„ ventione venerabilis imaginis Deiparæ miraculoſa, nomen a qua Mona-
„ ſterium ſumpſit, ex P. Joanne Baptiſta *Galarete*, accurato Provinciæ
„ Burgenſis hiſtorico, dicere nonnulla proſequemur. Juvenculo paſtori
„ mercenario facta cœlitus revelatione, res in lucem prodit publica, cum
„ ſumma exultatione particulariumque lætitia. Paſtorculus enim ille fe-
„ lix, cui inter paſcendas oves beatiſſima Virgo Dei Genitrix Maria eo loci *Galet. de Prov.*
„ apparere dignata, & adimplenda ibidem revelare voluerat, cum ad lo- *Burg. in eo Monast.*
„ cum in viſione deſignatum plurima gente aſſociatus perveniſſet, ſtetit,
„ cœlumque devote intuitus dixit: *Hic* (erat autem ibi rubus denſiſſimus)
„ *in nomine Domini effodiendum eſt*: ad ejus verba gravia, & religione
„ plena conticuere omnes, & operi devota efficacia attenti robuſtiores,
„ alte defoderunt humum rubo deſciſſo; & ecce imagines ſanctorum An-
„ dreæ & Idelphonſi, cum tertia Deiparæ, in antiqui moris Solio ſeden-
„ tis, ac puerulum Jeſum in gremio tenentis, apparuere: iis erutis, maximo
„ cordis jubilo repleti quotquot aderant, omnes in Divinas laudes proru-
„ puere, ſed eos inter pios concentus e Cœlo repente auditum eſt, altius
„ terram effodiendam eſſe, foret enim futurum, ut alteram Deiparæ Ico-
„ nem adinvenirent: ſtatim ergo obaudientes oraculo, intendentes labo-
„ rem, ut audierant, alteram Virginis matris imaginem, in ſiniſtro brachio
„ infantulum Salvatorem Mundi tenentis, e profundo eruerunt; unde
„ omnes nova lætitia perfuſi, Divinis laudibus congeminatis, gratias egere
Deo,

„ Deo, quod tantis theſauris ditati fuiſſent. Duarum beatiſſimæ Virginis „ Iconum præfatarum ultimam cum toto rubo ſuper Altare majus ad perpe„ tuam rei memoriam, ac in tutiſſimum refugium Fidelium deinde poſue„ runt; eaque eſt, quæ præciſe Domina noſtra de Rubo, Hiſpanis, *nueſtra* „ *Senora de l'Eſpino*, ac ab eadem Monaſterium Clariſſarum, de quo hic „ ſermo eſt, quod poſtea in virtutum ſeminarium evaſit, ut ſubſequentia „ tempora demonſtrabunt, ſuam denominationem accepit. Vox erat, ibi ad „ Rubum præfatum, Canonicorum Regularium Collegium præfuiſſe: at „ poſt excitatas Sanctimonialium ædes, ab earum clauſura octuaginta paſ„ ſus, loci rurales, inter excavandum, antiqui & grandis ædificii plura ve„ ſtigia, ac etiam corpus cujuſdam ſancti Epiſcopi Burgenſis, quando hu„ juſmodi Antiſtites *de Oca* dicebantur, adinvenientes, locum fecere piæ „ credulitati, ut ibi præfatum Collegium præextitiſſe argueretur. Tanti „ ac adeo celebris Monaſterii fundatores, Dnmini Caſtellæ Præfecti fuere, „ licet honos poſtea ac titulus ad Duces *de Abrahantes* tranſierit.

Ex Vatic.

„ IV. Decimo ſeptimo Kalendas Novembris „ dimiſſo fratre Didaco „ ad Auguſtinianos: *Solet Apoſtolicæ &c.* ad beneficia Eccleſiaſtica tam„ dem diſpenſati fuere frater Joannes, VII. Idus Decembris; ac III. Idus „ ejuſdem frater Henricus *Wedekini*: *Religionis zelus &c.* His ex Boemiæ „ Provinciæ Chronicis addendum eſt, Eremitorium, *de Emaus* nuncupa„ tum, a P. Petro *de Golgouz* ſuperioribus annis ad vitam ſolitariam ſeu „ anachoreticam ducendam admiſſum, in Capitulo Brunenſi hoc anno ce„ lebrato, ab illius Provinciæ Patribus re bene & mature perpenſa, reli„ ctum fuiſſe. Clarenos vero Fratres ab Ordine diviſos pro majori parte ſub „ Sixto IV. ad obedientiam Miniſtri Generalis rediiſſe, an. MCCCCLXXIII. „ obtinuiſſeque ab eodem ſancti Hieronymi domum caritatis in Urbe, quam „ prius habitabant Fratres Tertii Ordinis, Congregationis Feſulanæ, re„ ferunt Annales: at Senogallienſis Antiſtes Toſſinianus rem in hunc an„ num rejiciens, ait hujuſmodi motus & novitatis cauſam apud Sixtum „ Petrum Hiſpanum, inter ſuos maxima auctoritate pollentem, vitæque „ ſanctimonia clarum, extitiſſe, qui ſumpto de ipſiuſmet Pontificis mani„ bus novo habitu, quo ipſe, ſuique ſequaces in poſterum uti deberent, „ primus Generalis Miniſtri Vicarius a ſuis electus, iiſdem recte religio„ ſeque vivendi norma effectus eſt.

Chr. MSS. Prov. Saxig. Vide ad annum 1470. & ad annum 1491.

Harol. ad ann. 1473.

Toſſin. l. 2. hiſt. Serap. Petrus Hiſpanus.

ARGUMENTUM.

Sixtus Pontifex conſtanter defendit immunitatem Eccleſiaſticam, & Ordinum Mendicantium medetur gravaminibus. Agitur de canonizando Bonaventura Balneoregienſi. Habentur Comitia Generalia Obſervantum utriuſque familiæ. Floret Bernardinus Feltrenſis. Ex humanis abeunt Marcus Bononienſis, & alii viri illuſtres, & Seraphina Columnenſis, cujus vita refertur, necnon Catarina Regina Boſnenſis. Gabriel Veronenſis aſſumitur ad Cardinalatum, & alii Minoritæ ad Epiſcopatus. Propagatur Inſtitutum.

Ob violatam Eccleſiaſticam immunitatem punit Sixtus Florentinos.

I. URBE Florentina in partes diſciſſa, & occiſo Juliano Mediceo in Templo ſanctæ Reparatæ, præſente Raphaele Cardinale Riario, cum Laurentius Juliani frater, ſummæ in populo auctoritatis, in cædis auctores & conſcios, Patios, Bandinos, & Salviatos implacabili vindi-

ctæ

ctæ libidine ſæviret, Franciſcum * Salviatum Piſanum Archiepiſcopum in crucem ageret, Cardinalem Riarium ſub cuſtodia detineret, aliaſque graviſſimas ſacro Ordini irrogaret injurias, Sixtus Pontifex violatæ Majeſtatis Eccleſiaſticæ vindicias ſuſcepit: Laurentium diro anathemate perculit, Civitati igni & aqua interdixit, & bellum in cenſurarum contemptores maturavit inferre; neque Regis Gallorum, aut Burgundiæ Ducis interceſſionibus, aliorumque ſtudiis a vendicanda libertate Eccleſiaſtica potuit evocari. Miſſis itaque Alphonſo Calabriæ Duce, Ferdinandi Neapolitani Regis primogenito, & Friderico Urbini Duce cum exercitibus, multas hoc anno Florentinorum arces & caſtella expugnavit, & tamdem refractarios ad criminis condignam ſatisfactionem adegit, iiſque ad pacem admiſſis, mulctæ nomine, quindecim triremes ad bellum Turcicum imperavit.

* *Al. Bartholomaum.*
Papien. ep. 677. 679. 680.
Cod. MSS. Vatican. n. 1925.

II. Henricus Lantgravius Haſſiæ, ſive ſuadente Collegio Canonicorum Colonienſe, ſive in gratiam Hermanni ſui conſanguinei, quem capitulares contra Archiepiſcopum, Provinciæ totius Gubernatorem conſtituerunt, Rupertum Colonienſem Antiſtitem, ſacri Romani Imperii Electorem, comprehendit. Ægre hoc tulit Sixtus, miſſiſque Epiſcopis Forolivienſi & Alerienſi, latiſque cenſuris in auctores, ſuaſores, complices comprehenſionis, nihil prætermiſit, donec Rupertus priſtinæ reſtitutus eſſet libertati. Rupertus autem ex animi dolore morbum contraxit, & biennio poſt e vivis migravit.

Necnon Henricum Haſſianum. *Cod. MSS. expedit. Sixt. pag. 32.*
Krantz. in Saxon. lib. 12. c. 22.

III. Ex adverſo alium miſit Legatum in Scotiam, Huſmannum nuncupatum, qui Patritium Grahamum ſancti Andreæ Archiepiſcopum, ſua Cardinaliumque ſententiis damnatum, omni dignitate, ordinibuſque Eccleſiaſticis dejiceret, Epiſcopatus munere privatum, Simoniacum, Schiſmaticum, Hæreticum pronunciaret, & in perpetuum carcerem conjiceret. Ita factum; ejuſque loco ſubſtitutus eſt Guillelmus Schenes ſancti Andreæ Archidiaconus, cujus fidei ac cuſtodiæ Patritius committitur, qui tamdem in arce lacus Levini mortuus, ſepultus eſt in inſula divi Sernani. Hoc etiam anno condemnavit errores Petri Oxomenſis, quos ille retractavit publice in Eccleſia ſancti Franciſci Complutenſi, audientibus & conſedentibus pleriſque viris doctis, atque inter hos Joan. Penalverio, Alphonſi Carrilli Archiepiſcopi Toletani confeſſario, & Joanne de Toloſa Cœnobii Guardiano.

Patritium ſancti Andreæ Archiepiſc. dignitate ſpoliat.
Boet. in append. hiſtor. Scot.
Leslæus l. 8. ad hunc annum.

IV. Ortis in Germania, præſertim in oppido Eslingenſi, diœceſis Conſtantienſis, magnis diſſenſionibus inter Prædicatores, Minores, Carmelitas ex una parte, & Parochialium Eccleſiarum Rectores, alioſque Prælatos ex alia, aliquot Electores Imperii, & quidam Epiſcopi Pontificem rogarunt, ut interpoſito judicio, quid cuique tribuendum erat, decerneret. Rei totius examen ille commiſit quatuor Cardinalibus, quorum ſententiam circa ſingula controverſiæ capita, hac graviſſima conſtitutione in corpore Juris repoſita, inviolabiliter voluit obſervari.

Patrocinatur Ordinibus Mendicantibus.
Extr. lib. 1. de Tregua & pace c. 2.

Ad perpetuam rei memoriam.

V. V*Ices illius, qui ſupra petram ædificavit Eccleſiam ſuam, meritis licet inſufficientibus, gerentes in terris, & per ejus immaculata veſtigia, quantum nobis ex alto conceditur, incedere ſatagentes, inter Chriſtifideles quoſlibet, & præſertim ſub uno atque eodem Sacerdotii vexillo nobiſcum Deo militantes, pacem & caritatem inducere, & inductam confovere, vigilanti ſollicitudine meditamur aſſidue, & quæ iis contraria ſunt,* ſal-

falce vigilantiæ paſtoralis ad radicem poſita, ſubmovere, prout rerum & temporum circumſtantiæ id non immerito expoſcere dignoſcuntur. Nuper ſiquidem pro parte tam venerabilium Fratrum noſtrorum Moguntin. & Treveren. Archiepiſcoporum, ac Herbipolen. & Vuormacen. & Spiren. Epiſcoporum, quam dilecti filii nobilis viri Philippi Comitis Palatini Rheni, & Ducis Bavariæ, qui unus ex Electoribus Romani Imperii exiſtit, ad noſtrum pervenit auditum, quod inter dilectos filios Prædicatorum, Minorum, & Carmelitanorum Ordinum profeſſores, & nonnullos Parochialium Rectores,

1. Petr. 5. 8. *& alios etiam Eccleſiarum Prælatos, inſtigante illo, qui* tamquam Leo rugiens, circuit quærens quem devoret, *in partibus Germaniæ, & præſertim in oppido Eslingen. Conſtan. diœceſis, ſuſcitata ſunt nonnulla diſſenſionum & ſcandalorum fomenta ex certis cauſis, tunc nobis expreſſis, quæ niſi per vigilantiam paſtoralis officii celeriter ſuccidantur, poſſent ad ſcandalum non modicum Chriſtifidelium illarum partium faciliter pervenire. Nos igitur attendentes, quod ſacroſancta Romana Eccleſia, ab ejus fundatione primæva in ordine ſacerdotali, quem Petrus Apoſtolus, & ejus ſucceſſores obſervarunt, inſtituta, & per viros providos, & Sacerdotes virtuoſos adaucta, & longiſſimis temporibus feliciter conſervata extitit: Rurſuſque animadvertentes, quod hodiernis temporibus, hominum creſcente malitia, niſi ager Dominicus cultoribus idoneis, buccinatoribus Spiritus Sancti, & præconibus Verbi Dei (qui præter ceteros in Ordinibus Fratrum Mendicantium, gratia aſſiſtente Divina, in copioſo numero reperiuntur) aſſidue coleretur, vepribus malorum & ſentibus vitiorum omnium celeriter obrueretur: non potuimus nonniſi ab intimis cordis noſtri dolere, quod inter tales viros, qui ſe mutua caritate*

Galat. 6. 2. *diligere, &* alter alterius, *juxta Apoſtolum,* onera portare *deberent, diſcordiæ ſeminarium excitaretur. Unde cum vellemus ſuper his ea qua decet, maturitate conſulere, venerabilibus Fratribus noſtris Guillelmo Hoſtienſi, & Angelo Præneſtino Epiſcopis, & dilectis filiis noſtris Juliano tituli ſancti Petri ad Vincula, ac Petro tituli ſancti Sixti presbyteris Cardinalibus, vivæ vocis oraculo commiſimus & mandavimus, ut a ſingulis partibus prædictis, vel earum procuratoribus legitimis, auditis hinc inde propoſitis, inter eas concordiam tractarent. Qui quidem Epiſcopi & Cardinales, ſtatutis loco & tempore, convocatis, auditis & intellectis partibus prædictis, ut præfertur, & in præmiſſis graviter & conſulte procedentes, partes ipſas de communi earumdem conſenſu, ad concordiam infraſcriptam perduxerunt: videlicet, quod ipſi Parochiani ſacerdotes de cetero non dicant, a Mendicantibus hæreſes*

Cap. Religionum. de relig. domib. in 6. & c. exiit. de verb ſignif. in 6. Cap. ut Dominicis. de Parochiis, & alien. Parochian. *proceſſiſſe, cum in veritate Fides noſtra ſit illuminata, & Eccleſia exaltata per eoſdem, & præſertim per Ordines Prædicatorum, & Minorum, ut jura teſtantur. Quodque Fratres Mendicantes non prædicent, populos parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus feſtivis & Dominicis, cum jure ſit cautum, illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccleſia, niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent;*

Vide Conc. Trident. ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis in celebr. Miſſa. §. Moneant. *quodque etiam nec Fratres nec Curati inducant aliquo modo laicos ad eligendum ſepulturam apud eos, & bene caveant propter pœnas quas imponunt Canones, cum ſit libera. Quod etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti,*

Cap. omnis utriuſque ſexus. de pœnit. & remiſſ. Clem. dudum. de ſepulturis. & extra. vas electionis. de hæreticis. *quia de jure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quominus ſecundum juris communis & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, confeſſiones audire, & pœnitentias injungere valeant. Quod etiam de cetero inter ipſos Fratres Mendicantes & Curatos,*

quoad

quoad effectum prædicandi, horas cantandi, campanas pulſandi, ſervetur conſuetudo antiqua, quæ temporibus antiquis ſervata fuit in ipſo oppido Eslingen. & caſu, quo veniat aliqua occaſio ſive neceſſitas, non fiat commutatio temporis vel horæ in precationibus fiendis, niſi de conſenſu partium. Quodque etiam ipſi Fratres in ſermonibus eorum non detrahant Prælatis & Rectoribus parochialium Eccleſiarum: Nec etiam populos a ſuarum Eccleſiarum parochialium frequentia & acceſſu abſtrahant ſive retrahant quoquo modo: vice verſa ipſi Rectores & Prælati aliquo modo non detrahant Mendicantibus, ſed illum favorem quem poſſunt, eis impendant, & in omnibus & per omnia præſtent, ita ut vera unitas & perfecta caritas inter eos oſtendatur. Vide Conc. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11. in decreto. Supernæ majeſtatis. *Nos itaque illius vices gerentes in terris, qui Apoſtolis dixit:* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, Joann. 14. 27. *cupientes ſuper his opportune providere, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra certa ſcientia, & mera voluntate, concordiam prædictam, ac omnia & ſingula per præfatos Epiſcopos & Cardinales ordinata, ad hoc ut perpetuo inconcuſſa perſiſtant, auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia approbamus & confirmamus, ac viribus perpetuo ſubſiſtere debere decernimus. Supplentes omnes & ſingulos defectus tam juris, quam facti, qui forſan intervenerunt in eiſdem. Injungentes nihilominus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Plebanis, Rectoribus, Curatis, necnon Prioribus, Guardianis, & ſingulis Fratribus Ordinum Mendicantium, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam contrafacientes, & quemlibet eorum contrafacientem incurrere volumus eo ipſo, a qua abſolvi nequeant, niſi de expreſſo conſenſu partis læſæ, & debita ſatisfactione prævia, inviolabiliter obſervent, & quantum in eis eſt, ab aliis obſervari faciant: & inſuper quaſcumque lites & cauſas coram quibuſcumque cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, ſeu alibi, occaſione præmiſſorum inter dilectos filios Decanum & Capitulum Eccleſiæ Spiren. & Curatum dicti oppidi, ac Fratres prædictos indeciſas pendentes, illarum ſtatus, tenores & formas & in eis geſta & actitata præſentibus pro expreſſis habentes, ad nos harum ſerie, motu, ſcientia & auctoritate prædictis advocamus, & litem ſeu lites penitus extinguimus: Et ambabus partibus prædictis litis hujuſmodi conſortibus, ſeu illis adhærentibus perpetuum ſilentium imponimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis eiſdem Fratribus in genere vel in ſpecie conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Icarnationis Dominicæ* MCCCCLXXVIII. XV. *Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno* VII.

VI. Coruſcante per hoc tempus miraculis multis, magniſque prodigiis Bonaventura Balneoregienſi, olim digniſſimo S. R. E. Cardinale, multorum concurrebant Principum vota, ut in Sanctorum referretur catalogum; Agitur de canonizando S. Bonaventura. videlicet Friderici Imperaroris, Ludovici Gallorum, Ferdinandi Siculorum, Matthiæ Pannonum, Regum; Joannis Mozenici Venetiarum, Alphonſi Calabriæ, Joannis Galeatii Mediolani, Philiberti Sabaudiæ, Ducum, necnon præclariſſimarum urbium Florentinæ, Lugdunenſis, Senenſis, Peruſinæ, & Balneoregienſis. His ſatisfacturus Sixtus Pontifex, ante biennium miſit Lugdunum, ubi mortuus, & Balneoregium, ubi ortus, qui ejus acta, vitam ſancte tranſactam, & quæ patrabantur miracula, diligenter exquirerent. In proceſſus rite compactos ſolerter collecta tradidit examinanda tribus Cardinalibus Juliano tituli S. Petri ad Vincula, Ordinis Protectori, Stephano Nardino Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Franciſco Gonzagæ Epiſcopo Mantuano. Anno itaque præterito iteratis Principum petitio-

tionibus,ſuas humiliter preces addiderunt Franciſcus Samſon Generalis Miniſter, & Petrus Rodulphus Ordinis Procurator Generalis, quibus benigne aſſentiens Pontifex, indicavit ſe hoc anno circa feſtum Pentecoſtes Canonizationis ſolemnia peracturum. Quod tamen præſtare non potuit, ſæviente hinc peſte, illinc bello, quæ per annos quatuor ſolemnitatem hanc diſtulere.

Acceleratur propterea Comitia Generalia. Marian. cit. c. 41. Marc. lib. 6. c. 32.

VII. At Petrus Neapolitanus Vicarius Generalis Obſervantum Ciſmontanorum, credens eo tempore a Pontifice deſignato futuram Canonizationem, accelerare voluit Comitia Generalia hoc anno ſub Pentecoſten celebranda, ut maturius expeditis, Fratres intereſſe poſſent tantæ ſolemnitati. Quia vero Capitula Provincialia, in quibus deputari ſolebant pro ſingulis Provinciis diſcreti, in Comitiis Generalibus ſuffragaturi, ante iſta cogi non poterant, juſſit ut miſſis per ſingulos Conventus viris prudentibus & gravibus, omnium ſuffragia exciperentur, eaque clauſa, vel ſecreta aut non publicata ad Vicarios Provinciarum adducerentur, qui eos, in quos major ſuffragiorum pars coiret, diſcretos renunciarent. Hinc orta illa quæ longo tempore in Ordine inolevit conſuetudo, diſcretos ante Capitula Provincialia per Conventus omnium incolarum ſuffragiis eligendi.

Capitulum Generale Obſerv. Ciſmontan. 14. Papiæ. Marian. cit. c. 42. Joann. Thomacellus Templum Bethlehemiticū reſtaurat.

VIII. His præmiſſis, indixit Comitia ad ſancti Jacobi Cœnobium Papienſe, in quibus x. die Aprilis, feria ſexta poſt feſtum Reſurrectionis, electus eſt ſecundum Vicarius Generalis, Angelus a Clavaſio, Commiſſarius in Curia Romana, Matthæus Novarienſis, Guardianus Montis Sion Hieroſolymis, Joannes de Thomacellis nobilis Neapolitanus. Hic opus Conventus Bethlehemitici, ab aliis inchoatum, perfecit, tectum totius Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Bethlehem, ubi Chriſtus natus eſt, renovavit, trabes & ligna de Ariſſe, a Philippo olim Duce Burgundiæ magno pretio empta, & Venetiis Hieroſolymas conducta, tignis & laquearibus coaxandis adhibuit; vetuſta cedrina, a Maximino Epiſcopo Hieroſolymitano, juſſu Conſtantini Magni, & Helenæ genitricis ibidem compacta, ſed tot ſeculorum injuriis infirmata, depoſuit, quæ ob loci reverentiam, & Conſtantini memoriam, æſtimatione digna, per Europæos Principes diſtribuere concupiſcens, in ſepulcris Innocentum abſcondit, ſed per Sultanum erepta, Cayrum abducta ſunt. Totum Templum plumbeis laminis, ad veteres novis adjunctis, operuit, multaque præſtitit tanto ſanctuario digna, in omnibus uſus opera fratris Baptiſtæ de Lubige Germani, viri ingenioſiſſimi, in medicina peritiſſimi, a Pio II. Doctoris titulo inſigniti, & Hieroſolymas cum facultate Fratribus medendi tranſmiſſi.

Fr. Baptiſta Lubigen.

Dalmatis & Raguſæis dantur diſtincti Superiores.

IX. Cum interminabiles eſſent controverſiæ Dalmatarum & Raguſinorum, illis in formam Provinciæ ſeu in Vicariam erectis, per Patres Capituli Generalis datus eſt Vicarius, qui inſtar aliorum Provincialium Superiorum eos regeret, & Comitia celebraret. His præpoſitus eſt Commiſſarius, qui per omnia gubernaret, non tamen capitula cogeret, ſed paucis illius Reipublicæ Conventibus Guardianos, ex graviorum Patrum conſilio præficeret.

Capitulum General. Obſerv. Ultramont. 14.

X. Patres Ultramontani ſua etiam celebrarunt Comitia Generalia die decima Maii in feſto Pentecoſtes, in Conventu Caſtri Rodulphi Provinciæ Turoniæ, electuſque eſt Vicarius Generalis Guillelmus Bertholdi, ejuſdem Provinciæ Vicarius. Direxerat autem Sixtus Pontifex ineunte hoc anno ſequentes litteras ad Patres Capituli Ciſmontani, in quibus ſtatuit, ne, peracta electione novi Vicarii, vetus amplius ſe Fratrum regimini ingereret, uti hucuſque fieri ſolebat, juxta con-

conſtitutionem Eugenii, ſed novus ſub titulo Commiſſarii Apoſtolici regimen aſſumeret, donec confirmationem a Miniſtro Generali obtineret.

Dilectis filiis Vicario Generali, & omnibus vocalibus Generalis Capituli, proxime futuri, Fratrum Minorum Ciſmontanorum de Obſervantia.

Ex originali. Quando incipit poteſtas Vicarii novi?

XI. *Dilecti filii, ſalutem &c. Nuper nobis veſtro nomine fuit expoſitum, quod in certis fel. record. Eugenii IV. noſtri prædeceſſoris litteris, per alios Romanos Pontifices & potiſſimum Pium II. confirmatis, continetur, quad Vicarius Generalis Ciſmontanus Ordinis veſtri pro tempore exiſtens, poſt renunciationem ſui officii in Capitulo Generali, ubi alter Vicarius eligi debet, remaneat Apoſtolicus Commiſſarius, præſideatque Capitulo & toti familiæ dictorum Fratrum uſque ad confirmationem Vicarii novi electi, prout in dictis litteris dicitur plenius contineri. Proinde, quia ſicuti eadem expoſitio ſubjungebat, id in Ordinis detrimentum cedere poſſe videtur, ex eo potiſſimum, quia qui deponit officium, regimini Fratrum non poteſt convenienter intendere, nobis humiliter ſupplicatum exſtitit, dignaremur ſuper hoc vobis de opportuno remedio providere: quo circa Nos, qui pro noſtra in vos caritate præcipua, paci & commodo veſtro, quantum cum Deo poſſumus, ſemper libenter intendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præſentium tenore decernimus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus Vicarius noviter electus, ſtatim de ſe facta electione, Capitulo & toti regimini Fratrum, ut Commiſſarius Apoſtolicus, donec fuerit confirmatus, præſideat; Vicarius vero, qui renunciavit, poſt electionem novi Vicarii, quoad commiſſionem nullo fungatur officio, niſi forte Vicarium recenter electum in Capitulo non eſſe contingat; quo caſu, volumus eum, ut Apoſtolicum Commiſſarium præſidere, donec Vicario novo denunciata fuerit ſua electio: Qui hujuſmodi electionis notitia habita, Commiſſarius eſſe intelligatur, uſquequo fuerit confirmatus, ut in litteris prædictis, quibus quoad hoc dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, derogamus, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* IX. *Januarii* MCCCCLXXVII. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Bernardinus Feltren. verbo & opere inſignis. *Legendæ MSS. Marian. citat.*

XII. Comitiis illis Papienſibus interfuit Bernardinus Feltrenſis, ſermonemque habuit doctiſſimum, quo allecti Magiſtratus & cives, rogarunt Vicarium Generalem, ut pro ſequentis anni quadrageſima populum hujus concionibus juberet erudiri. Exaudire non potuit, præordinato in alium locum Bernardino; miſit tamen inſignem concionatorem Antonium Vercellenſem. Regrediens Patavium Bernardinus, ubi Guardiani fungebatur officio, per urbes & oppida inceſſanter & utiliter prædicabat; neque ab hoc munere deſtitit Patavii, quantumvis vehementiſſime ibidem peſtis ſæviret, juberetque Magiſtratus ut conciones intermitteret, ne coeunte multitudine, latius malum diffunderetur. At ille Dei verbum ſalutare potius, quam noxium eſſe objiciens, ex ſuggeſto docebat, non a conſeſſu ad audienda verba vitæ, ſed a vanis & illicitis converſationibus, ab inhoneſtis congreſſibus & peccatis generari, conſervari & propagari contagium; eaque ex ſacro repetens eloquio: *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos: Non herba, neque malagma, ſed ſermo Dei ſanabat eos*, excitabat magno fervore ut accederent, & per ea, quæ audirent inſtructi, dignis pœnitentiæ fructibus pla-

Peſte ſæviente Patavii conciones non intermittebat.

Pſal. 106. 20. Sap. 16. 12.

cato Numine, tantum flagellum averterent. Eo itaque numero frequentes prædicantem audiebant, ut nullo peſtis metu affici, nullo loco capi poſſe viderentur; obſervatumque eſt, ex his pauciſſimos; ex iis, qui accedere timebant, & urbe ſugientes abibant, plurimos periiſſe.

Morientes in peſtilentium obſequio pro Martyribus habendi. Vide Tom. 9. an. 1380. n. 10.

XIII. Conſodales ad opera miſericordiæ, univerſaque caritatis ſubſidia peſtilentibus exhibenda exhortatus, aſſerebat docuiſſe ſanctum Bernardinum Senenſem his pietatis operibus aſſuetum, eos, qui pro Chriſti amore ſe tanto periculo exponebant, contagioſis ſervientes, ſi in hoc Chriſtiano Fratrum obſequio morerentur, pro martyribus habendos. Unde factum eſt, ut omnes Fratres ſponte ſe huic devoverint miniſterio, habuerintque miſeri languentes, qui corporibus mederentur & animis, illique viciſſim a populo ſuæ ſervitutis dignas receperint gratias & præmia. Juſſus inſuper Bernardinus a Rectoribus urbis, ne hoſpites ab ignotis infectis terris adventantes in ſuam domum reciperet, reſpondit: illorum curæ eſſe ne intra urbis januas admitterentur, ſui autem officii, ad Cœnobii fores pulſantes fraterne recipere, neque ſibi licere caritatis viſcera Fratri ſuo indigenti præcludere. His languidulis hoſpitibus, & duobus Fratribus deficientibus, ut commodius ſuccurreret, ipſe per urbem ſtipem colligebat; cumque moneretur, ut opus hoc aliis commendaret: *an non & ego* (dicebat) *ſicut illi manduco? ut quid illis appropriabo laborem, & feriatus communicabo collectis eorum? Ita me facere docuerunt optimi Magiſtri, Sixtus Mediolanenſis, & Ludovicus Gonzaga; ille Guardianus Mantuanus, Principi a ſacris confeſſionibus; hic Principum conſanguineus, & Provinciæ Vicarius, qui aſſumptis peris oſtiatim mendicabant.* Præter hæc, hoſpitum pedes, culinæ utenſilia, ſordidoſque pannos humiliter lavabat, univerſaque humilia Cœnobii officia, ubicumque poterat, peragebat.

Bernardinus ſtipem oſtiatim colligebat.

Marcus Bonon. moritur. Vita MSS. Men. urbis Bonon.

XIV. Marcus Bononienſis, de quo paſſim in præcedentibus voluminibus locuti ſumus, anno iſto, ut verius habent Ordinis regeſta, licet alii annum præſcribant ſequentem, ſanctiſſime apud ſuos deceſſit Conſodales prope Civitatem Placentinam. Pleraque ejus geſta ſecundum temporum rationes per varios annos enarravimus, reliqua hic perſtringimus ſub compendio. Bononiæ nobili familia Elephantuccia, vulgo *Fantuccia*, patre Barholomæo, matre Lyſia, anno MCCCCV. progenitus, nomen e baptiſmate tulit Baſoti. Ab ipſa infantia vividi prætulit ſpecimen ingenii, etenim humanioris litteraturæ curſu feliciter peracto, utriuſque juris peritiam breviter & ſolide aſſecutus eſt. Anno ætatis vigeſimo ſexto ad Minoriticum vocatus Inſtitutum, in patria religioſiſſimo doctiſſimoque viro Jacobo de Primaditiis tradente, habitum ſuſcepit in ſancti Marci natalitiis, unde & Marci nomine baptiſmale commutavit. Poſt annos tres regendis aliis in cœnobiolo quodam præpoſitus, quam firmas egerit in virtute radices, ſubditis multipliciter oſtendit. Aliis deinceps præfecto cœnobiis, ante decimum a ſuſcepta veſte annum, totam regendam Provinciam Sodales commiſerunt. Atque hoc munere denuo fungentem, beatus Joannes Capiſtranus Vicarius Generalis, in Germaniam profectus, ſuper univerſam Congregationem Ciſmontanam conſtituit Commiſſarium. Decurſo Capiſtrani curriculo, Marcus omnium ſuffragiis ſubſtituitur; atqui hac etiam dignitate ſecundum & tertium perſunctus eſt.

Ejus familia.

Fit Minorita.

In religione progreſſus.

XV. Mirum quos ſubivit labores pro tuenda tunc recens exorta familia Obſervantum, ſuæ fidei commiſſa; mirum quanta prudentia, manſuetudine & æquanimitate Sodalitatem univerſam ad meliora chariſmata excitavit, quantaque fortitudine vehementer adverſantium ſtudia diſſipavit. Porro ne-

neque intra ſui Sodalitii clauſtra tantus viri zelus potuit contineri, ſed ad univerſum hominum genus ſe generoſe diffudit. Annis quadraginta duobus totam percurrit Italiam, Divini verbi virtute omnes Chriſto lucrifacere cupiens. Oppida, Civitates, integras Provincias, profligatis vitiis, ad meliorem frugem reduxit. Et quidem ex ejus pectore, velut ex paradiſo terreſtri ad irrigandam terram, jugiter Divini eloquii fluvii prodibant copioſiſſimi, ad fœcundandas hominum mentes & producenda germina virtutum. Neque ab hoc officio aliquando ceſſavit, donec hoc anno poſtquam egregie curſum conſummavit, & annos quadraginta octo in Religione laudabiliter exegit, ætatis anno ſeptuageſimo quarto nondum expleto, inter prædicandum, vitæ terminum abſolvit. Zelus animarum.

XVI. Etenim dum in urbe Placentiæ, ad templum Minorum Conventualium conciones haberet ad populum, & ſub quadrageſimæ medium acuta corriperetur febre, petiit ut transferretur ad Cœnobiolum Obſervantum extra urbem, a Nazareth nuncupatum. Illic præmiſſa Sacramentali totius vitæ confeſſione, rogavit Bartholomæum Fragatum ædis Præfectum, ut juberet afferri ſacrum Chriſti Corporis viaticum: in cujus occurſum, etſi languidulus, viribus attritis, exiliit e lecto, humique proſtratus, magno lacrymarum profluvio a Deo petita venia peccatorum, devotiſſime ſuſcepit. Die ultimo, pulſante præ foribus morte, ſacro oleo flagitavit inungi; cui etiam muneri digne peragendo ſe humi rogavit demitti, ubi ad collum fune, quo cingebatur ligato, vitam ſuam tamquam negligenter & culpabiliter peractam, multis modis accuſavit. Deinde adſtantes deprecatus Fratres, ut ii quos aliquando verbo, facto, exemplo contriſtaverat, vellent ignoſcere, & apud Deum intercedere, ut remiſſis peccatis, uberiorem concederet gratiam, ad ſuperandas hoſtis inſidias, qui morientibus ſtruere ſolet majores, Sacramento hoc ultimo in terra protenſus voluit roborari. Lectulo repoſitus, Domini præſentiens adventum, oculis ad cœlum elevatis, parumper oravit ſub ſilentio; mox magna perfuſus lætitia, hilares oculos declinavit ad Fratres, nutuque jucundo invitavit, ut quod ipſe videbat aſpicerent. Deinde converſus ad ſocium laicum, inquit: *Frater Petre, optime peregrinationis meæ comes, memento mei & vale*. Tum clauſis oculis orans, paulo poſt inter collacrymantium Sodalium preces, in hebdomoda ſancta dulciter obdormivit in Domino. Poſt mortem venuſtiori rubens facie, & pulchrior apparens, conceptam ſanctitatis opinionem confirmavit, vehementerque auxit innumeris & manifeſtis miraculis, quæ ex vetuſto codice MSS. ſub illud tempus exarato, ne decidant, per ſuas claſſes a me diſtincta huc tranſcribo. Ultra hæc, alia multa patraſſe, teſtantur cerei, tabellæ votivæ, & gratiarum ſigna ad ſepulcrum ubertim appenſa. Infirmatur ad mortem.

Paralytici ſanantur.

XVII. Dum in feretro jaceret, & juſta a Fratribus perſolverentur, turmatim univerſus populus ad contingendum & oſculandum ſacrum corpus confluebat, ſed beneficium depulſæ paralyſis præ ceteris ſenſerunt Joanna Suſſanni, & Martha Pavaria. Terminatis exequiis, demiſſo in fornicatum tumulum ſacro pignore, non tamen adaptato per omnia orificii lapide (brevi enim inferendum erat corpus alterius Conſodalis animam agentis) dum Fratres ab Eccleſia recedunt, piæ quædam mulieres, amoto lapide, audacter deſcendunt, inter quas paralytica tertia perfecte ſanatur. Horum miraculorum fama diffuſa, ex urbe, ex campis, ex oppidis & vicis, atque uni-

univerſa diœceſi accurrunt confertim fideles, neque finis erat piæ venerationis. Fuerunt tamen, qui vel ficto zelo, vel livore ſuggeſſerunt Epiſcopo & Magiſtratui, non debere permitti, ut tanta univerſæ regionis contentione, hic honor deferretur viro recens defuncto, abſque prævio ſanctitatis examine, aut Epiſcopi permiſſione. Decretum eſt itaque populum ab hoc cultu revocare; ſed dum ſtudioſius accedit, quando vehementius abigitur, cogitat Magiſtratus octiduanum corpus in conſpectum extrahere, ut vel ſqualore & fœtore a veneratione avide irruentes coerceret. Haud pio iſti conatui reſiſtentes Fratres, ſub gravibus pœnis prohibentur domo abſcedere, templum aperire, foreſque urbis ea ex parte clauduntur, & voce præconis inhibetur ad cœnobium Nazarenum acceſſus: verum Divina potentia quæ nec locis circumſcribitur, nec humanis infirmatur conſiliis, multiplicatis miraculis, ſervum ſuum effecit clariorem. Tribus enim aut quatuor ex potioribus, qui in Dei ſervum conſpiraverant, graviter in ſceleris vindictam diverſimode flagellatis, aliiſque qui illius opem devote implorabant, conceſſis beneficiis, ſeverum revocatum eſt edictum, & qui perſequebantur, ad tumulum errati veniam, & malorum remedium humiliter petentes, obtinuerunt.

Prohibetur ejus veneratio.

Sed magis augetur.

Poſt hæc Maria, Bartholomæi Arlerii Placentini uxor, paralyſi & nervorum debilitate toto corpore continuo contremiſcens, voto ad beatum Marcum emiſſo, e veſtigio reſtitutis viribus, perfecte convaluit. Catarina nobilis Thomaſini Boralii Placentini conjux, menſes decem febre quartana divexata, ivit ad Eccleſiam ſancti Laurentii, unde difficulter domum rediit toto ægra corpore, & lateris dextri paralyſi miſere compreſſa; viribus deſtituta, neque lecto ſe potens movere, accerſiit Guardianum Conventus Nazareni, rogavitque, ut ſi quas habebat Marci reliquias, languenti admoveret. Allatam protinus tunicæ particulam tradidit Guardianus, qua ſe contingens mulier, præmiſſo pio ad Dei famulum colloquio, confeſtim ſe ſine ullo dolore undique vertit. Hoc freta beneficio, vota preceſque emittit, ut integre ſanetur, & e veſtigio depulſa omni ægritudine, e lecto ſurgens, domus curat negotia.

Cæci vident.

XVIII. Puella annorum quatuordecim, dextro oculo occluſo, os habens ad aurem uſque reflexum, monſtruoſe deformis, ut tumulum tetigit, aperto oculo, lumen recepit, ore inſuper ad naturalem formam reſtituto.

Magdalena, Uberti de Campiano uxor, diutino morbo excæcata, ducta ad Viri Dei ſepulcrum, viſum recepit. Hinc ingenti accepta fiducia, etiam nepotem, lumbis duroque dolentem apoſtemate, eodem duxit, & pro illo preces effudit. Viſum eſt ſtatim apoſtema molleſcere, paulo poſt ſaniem multam emittere, atque intra paucos dies adoleſcentulus perfecte convaluit.

Antoniola filia Gregorii Cremenſis, uxor Bartholomæi de Ripa, Vici Muradeli, diœceſis Placentinæ, per annum & aliquot menſes, excreſcente ſuper oculos carne, obcæcata, poſt Sacramentalem reatuum confeſſionem ad ſepulcrum manuducta, ibique per dies ſeptem in oratione perſiſtens, demum cadente ex oculis velut quadam albugine ſeu cartilagine, in omnium conſpectu viſum recepit.

Cuminus de Valle Telinæ, biennio cæcus, & paralyticus, axillari incedens, ab uxore ad ſepulcrum ductus, ſervum Dei precatus ut auxiliaretur,

retur, viſum ſimul & greſſum recuperavit, ad propria ſine quovis adminiculo regreſſus.

Eliſabetha uxor Andreæ Placentini, ſiniſtro oculo capta, defluente contino acri humore, magno afficiebatur dolore. Sancto Bernardino ſe commendans, non eſt exaudita. Audiens Marci miracula, ſe illi devovit, ceſſavitque illico dolor & fluxus, viſu recepto; ſed ad beneficii memoriam, oculus altero minor aliquantulum remanſit.

Raphael Arcelus Placentinus, uno cæcus oculo, ut votum emiſit, perfecte eſt illuminatus. Joanna Franciſchini Olixii Placentini filia, utroque orbata lumine, & paralyſi capite depreſſo, a matre ducta quater ad templum ſancti Nazarii, ægra ſemper revertitur; demum ad Marci ſepulcrum emiſſis precibus caput erigit, apertiſque oculis ſe perfecte conſpicit ab utroque malo liberatam. Agnes uxor Janini Doneſi de Florentiola, Placentinæ diœceſis, penitus cæca, graviter renibus vexabatur. Emiſſo ad Marcum voto, mox ſanatis renibus, viſum recuperavit.

Magdalena nobilis Erminiæ filia, cum ignis coctura propter colli affectionem adhiberetur, chyrurgi imperitia aduſtis nervis, cervice retracta, oculorum lumen amiſit, taleſque ſenſit dolores, ut perpetuos ediderit ejulatus. Diu cruciata, poſt innumera medicamenta fruſtra adhibita, votum emiſit venerandi ſepulcrum: ab omni dolore, retractione, & cæcitate perfecte fuit liberata.

Claudi ambulant.

XIX. Joannes Petrus, Antonii Minelli Placentini filius quadrimulus, gravi dextri pedis infirmitate laborabat, cui ſcilicet cruris oſſa, nervis diſſolutis, ſuis locis erant emota. Annos quatuordecim irrequieto cruciatus dolore, poſt multas preces, ab incredulo patre obtinuit ad Marci vehi ſepulcrum. Hic ingenti ſpe fideque proſtratus ferventer orat, ſentitque mirabiliter ſuis locis cuncta reſtitui, domumque ſuis pedibus revertitur incolumis. Similiter evenit puellæ quadrimulæ, Laurentii Placentini filiæ, penitus claudæ, & membris deſtitutæ, necnon ſorori Alexandræ, Monaſterii ſanctæ Mariæ Magdalenæ Moniali, ex genu mirabiliter tumefacto fœde claudicanti. Franciſchina Fontana nobilis matrona, quondam Antonii Malvicini de Placentia Marchionis uxor, dilapſa ſuper glaciem, ſic lumbos & crura contorſit, ut ſtare non poſſet. Poſt biennium & ſenio confecta, ad ſepulcrum ducta, læta & ſana domum reverſa eſt.

Cancer depellitur.

XX. Antonius Georgius, filius Magiſtri Leonardi de Valeriis, Caſtri ſancti Joannis, diœceſis Placentinæ, puer octennis, fœde laborabat oris cancro, qui labia & gingivas ita corroſerat, ut dentium apparerent radices, horribiliſque fœtor exinde prodiret. Ducto a Patre ad ſepulcrum, inſperſoque pulvere, ſtatim fœtor & corroſio reliquerunt, & paulatim exeſa caro ſuccrevit.

Hermelina Matrona nobilis Placentina, Petri Rubei conjux, cancrum diu paſſa, in ſecreta corporis parte continuo cruciatu rodentem, a lacrymis non ceſſabat, omnemque medicinam probavit inanem; donec aſſumptum e ſepulcro pulverem ſuper ulcus diſperſit, quo ſolo remedio, cancrenæ fibris eradicatis, dolor omnis abſceſſit.

Ale-

Alexina, Bernardi Placentini filia, & Guillelmi Bardelli uxor, conſumptis ex cancro papillis, cum cereas mammillas ad Eccleſiam ſanctæ Agathæ obtuliſſet, nec beneficium reportaret, ad Marci ſepulcrum mammas circumlinivit ceræ guttulis, quæ ex candelis ibidem accenſis cadebant, brevique interjecta hora, eas contrectans, ſanas perſenſit. Idem malum in mammilla una per decem menſes perpeſſa Luchina, Stephani de Rubeis uxor, ſepulcri pulvere ſanata eſt.

Gibboſi & monſtruoſe inflexi rectificantur.

XXI. Helena, Joannis de Capitaneis nobilis Placentini filia, ſexennis, gibbo deformis, oſſibuſque e tergo & humero pulſis, valde monſtruoſa, macie confecta, febre ethica per menſes ſeptem conſumpta, membris omnibus pene inflexa atque retorta, poſt parentum votum & preces ad Marcum emiſſas, a tanto malorum cumulo perfecte eſt liberata. Eiſdem ferme malis laborabat Joanna de Ruſſio, puella novennis, Simonis Placentini filia, quæ nec uno paſſu abſque ſuſtentaculo poterat ambulare. Importunis precibus impetravit a matre ut duceretur ad ſepulcrum; ubi cum horis tribus oraret, ſenſit oſſa in ſuas ſedes reverti, gibbum deformem in dorſo complanari, omnemque pelli dolorem. Exiliens & pſallens cucurrit ad avunculum fratrem Bartholomæum Fragatum Guardianum ſupradictum, qui forte tunc quorumdam excipiebat in Eccleſia confeſſiones, miramque Marci in ſe manifeſtavit virtutem. Patruum etiam Minoritam, Franciſcum de Ruſſio, qui tunc ibi degebat, fecit advocari, teſtemque voluit Dei erga ſe miſericordiæ: *Eſt*, inquit miraculi ſcriptor, *hic pater Franciſcus nunc Vicarius Provinciæ Bononienſis*.

Bonifacio Placentino, cognomine Caſtiono, ex gravi novem menſium infirmitate gibbus erupit, calculi & arenulæ mingendi afferebant difficultatem. Eo demum erat ſtatu ut ſe movere non poſſet, neque humanum proficeret remedium. Diverſis fruſtra invocatis ſanctis, tamdem Marci vir & uxor implorarunt auxilium, præſenſque ſenſerunt, morbis depulſis.

Lethalia vulnera ſanantur.

XXII. Seraphina, Agnetis Placentinæ filia, Joanni Ruſtico, civi Placentino conjugata ſecreto, poſt menſes duos repudiata, litem movit matrimonium neganti. Rediens ex Eccleſia Nazarena, viro occurrit inopinate, totoque tremens corpore, declinare voluit exoſi conſpectum. At ille irruens, ſexies pugione transfixit. Medici advocati & chyrurgi tria dixerunt vulnera lethalia, & quartum a pectore ſcapulas penetraſſe. Genitrix & ſoror ad ſepulcrum Marci pergentes, remedium, quod medici non præſtabant, deprecaturæ, pervenire non poterant, urbis portis occluſis. Mœrentes regreſſæ, invenerunt Seraphinam, quam cito credebant funere efferendam, ſanam ac vegetam, ac ſi nullo mucrone fuiſſet percuſſa.

Morbus caducus fugatur.

XXIII. Catarina novennis, Manfredi Ferrarii, civis Placentini filia, morbo comitiali vexata, ſæpiſſime in die uno ſepties collidebatur, ad aurem ore retorto. Poſt genitricis aviæque votum de ducenda ad ſepulcrum miſella, preceſque ab eadem illic fuſas, non ſolum integre ſanata eſt, verum etiam pulchriori reſplenduit aſpectu.

Pulſi

Pulſi varii dolores.

XXIV. Balthaſſar Cremonenſis, legum Doctor, ilium dolore vehementiſſime cruciatus, medicorum remediis nedum refrigerium minime ſentiebat, ſed vehementius per viginti quatuor horarum ſpatium affligebatur. Votum emiſit, ſalutis gratiam accepit.

Anna Placentina Tertii Ordinis ſancti Franciſci, annis decem calculi dolore graviter oppreſſa, in Monaſterio Placentino S. Mariæ Magdalenæ, Dei famulum invocans, integre ſanata eſt. Bernardinus Placentinus graviter inteſtina dolens, Marci meritis, emiſſo voto, imploratis, ſanitatem recepit. Perſuaſit quidam affinis id potius naturæ, quam Marco tribuendum: quod dum ille facile credit, incidit in acutiſſimas febres, eaſque judicans propter incredulitatem immiſſas, errorem confeſſus, & veniam deprecatus eſt; decreta inſuper cerea imagine ad tumulum appendenda, ipſa eadem hora febres receſſerunt.

Sperantia, Bernardi Placentini uxor, ingenti genu dolore cruciata, cordis etiam palpitatione per triennium adeo vexata, ut inſanire videretur, quam primum viſitandi ſepulcrum emiſit votum, levi ſomno correpta, ſana penitus evigilavit. Catarina, uxor Antonelli Parmenſis, moleſta laborans hemicrania, poſtquam Parma ad beati Viri ſepulcrum profecta eſt, effuſis precibus, dolor omnis abſceſſit.

Frater Alexander Januenſis Minorita, annis ſexdecim fiſtula in pollice pedis gravatus, & in Cœnobio Nazareno, ubi Marcus quieſcebat, plus ſolito cruciatus, poſtquam ad eum preces effudit, mitigato dolore, poſt paucos dies clauſa fiſtula, nullam deinceps ſenſit moleſtiam.

Gabriela Gonzaga, uxor quondam illuſtris viri Boſi de Cotoniola, deſcendente noxio in manum humore, dolorem graviſſimum inflati palmi ſentiebat. Quieſcere non valens die noctuve, aſcenſo curru, Placentiam abiit, Marcum rogavit ut miſereretur, & aſſumptum qui ſepulcro adhærebat, pulverem affectæ parti colligavit; lecto poſtea decumbens, paululum obdormivit, mox evigilans, evaporatum vidit humorem, & ceſſaſſe ſenſit dolorem.

Petrus Paulus cribrarius Placentinus ex alto collapſus, renum catenam ſenſit dirumpi, ſecutuſque eſt tantus dolor, ut neque pedibus ſtare, nec lecto poſſet requieſcere. Remedia univerſa humana judicans inania, ad Divinum confugit, & per ſancti hujus Viri merita Deum rogavit, ut priſtinæ reſtitueretur ſanitati. Illo ipſo die rebus domeſticis curandis domum exivit.

Aloyſia, Laurentii de Rameriis uxor, putrefactis unius pedis juncturis claudicans, curru vecta abiit in templum Minorum, dum adhuc Marci cadaver jaceret in feretro; ſed contactum nihil profecit. Elapſo anno, ad ſepulcrum eques venit, & per aliquot horas oravit. Cum reduceret equum famulus, ut heram reveheret, ſanam rectoque occurrentem greſſu, conſpexit.

Antoniola, Thomaſini diœceſis Placentinæ conſors, fracto crure, eoque turgeſcente, acres patiebatur dolores, quos una pepulit præ ſepulcro Marci veneratio. Neque unum reportavit hoc beneficium, ſed & filium annorum ſexdecim, eodem tempore vidit ab unius lateris paralyſi liberatum, & a totius corporis maculis inſtar lenticularum emundatum.

Stomachi dolores profligati.

XXV. Corona, ſpectabilis conjux Comitis Alberti Scoti Placentini, diutiſſime acerbos paſſa ſtomachi dolores, cibum retinere non poterat, propellente omnem intrinſeco apoſtemate, ad ſancti Viri corpus accedens, ab omni malo liberata eſt. Similiter frater Andreas Vianinus Ordinis Minorum, dum ex debilitate ſtomachi alimenta reſpueret, aut ſuſcepta repelleret, & ad mortem medicorum judicio celeriter properaret, fruſtraque ſancti Antonii Patavini opem imploraret, ad Marcum recurrit, cœpitque ad vitam redire.

Hermelina, nobilis Honorii Caſelli filia, ſex annis quartanaria, in febres tranſiit continuas, tumenteque ſtomachi orificio, per dies octo nihil potuit manducare. A medicis derelicta, petiit ad Marci deferri ſepulcrum: ſed dum eveheretur, bis ad mortem elanguit. Nihilominus (etſi etiam Epiſcopus in platea occurrens,vehentes temeritatis & illatæ mortis incuſaret) mater & amita ad ſepulcrum pertulere. Illic hærentibus & orantibus, mirabiliter adoleſcentula convaluit.

Surdæ reſtituitur auditus.

XXVI. Pagana, Bobienſis diœceſis, utraque aure ſurda, videbatur ſibi magnos in cerebro perſentire fragores. Nutibus edocta Marci miracula, firmiſſime ſtatuit die ſequenti ejus ſepulcrum inviſere. Mane poſtero expergiſcens, ſe ſanam ſenſit, auditum recuperavit.

Hemorrhoiſſæ curantur, & ſanguinis ſiſtitur profluvium.

XXVII. Seraphina, quondam uxor magnifici Dominici de Malateſtis, poſtea Monialis Ordinis ſanctæ Claræ in Monaſterio Corporis Chriſti Ferrarienſi, ſoror Violanta nuncupata, viribus conſumpta ex diutino hemorrhoidum profluvio, poſt breves ad Marcum preces priſtinæ ſaluti eſt integre reſtituta. Jacopinus Padernus copioſo ſanguinis fluxu tendebat ad mortem, ſed emiſſo ad Marcum voto, revocatus eſt ad vitam.

Polixena, uxor Magiſtri Auguſtini de Torano, peritiſſimi Medici, fœtu gravida, infirmatur valde ſanguinis magno profluvio. Prolem his indiciis emortuam judicant maritus, Magiſter Aloyſius, aliique medici periti. Illa vero Marco olim familiaris, Marcum vocare non ceſſat, & promittit, quod ſi incolumem edat fœtum maſculum, Marcum, ſin autem fœmineum, Marcam vocabit. Mox citra omnium medicorum judicium, filiam ſalvam peperit, ceſſavitque profluvium.

Joannes annorum quatuordecim, filius Joannis Boni Robel de Florentiola, diœceſis Placentinæ, fluxum ſanguinis per quinque paſſus menſes, credebatur moriturus in craſtino; ſed voto ad beatum Virum emiſſo, ſanguis retinetur. Addo etiam beneficium reſtrincti ventris profluvii in Petro Antonio caſtri ſancti Joannis, diœceſis Placentinæ, malum per menſes quinque perpeſſo, conſumptis carnibus, & vitali virtute ad nihilum penitus redacta.

Graves & periculoſæ extinctæ febres.

XXVIII. Ludovici Bendici J. U. Doctoris Placentini diuturnæ & continuæ febres in quartanam verſæ, per biennium vexaverant. Cognoverat ille

ille Marcum a longo tempore, cum quo Ticini ante annos ſeptemdecim prædicante inierat amicitiam. Abiit ad tumulum, ſed nullo facto voto, domum regreſſus, febrem ſenſit acriorem. Edito voto ceſſavit febris, nullamque deinceps ſenſit moleſtiam.

Agnetem conjugem œconomi Monaſterii ſanctæ Claræ intra Placentinos, a lateris dolore, quem per menſes aliquot patiebatur, & a febribus acutis; Bartholomæum Fontanam nobilem Placentinum vehementi febre, neque dormire, neque quieſcere valentem; Joannem quadriennem, nobilis Antonii Borbi Placentini filium, acutiſſimas febres, quas medici peſtilentiales ab urinæ qualitate judicarunt, patientem; Hyppolitum, Joannis Anguſolæ nobilis Placentini filium, annorum octodecim intenſa febre & noxia vaporum ad cerebrum exhalatione inſanientem; Jacobum Carpeſanum Parmenſem, Franciſci Maletæ Ducalis Commiſſarii Placentiæ ſcribam, Mediolani hærentem, acerba febre dies quadraginta vexatum; Jacobum Vairanam nobilem Faventinum, diu febribus oppreſſum; Hieronymum adoleſcentem, Guillelmi Columbini nobilis Placentini filium, longa febre cibum omnem reſpuentem; Stephanum Rubeum ex vico Juſtino, variis ægritudinibus in febrem hecticam converſis, obducto capiti Marci pileo, propulſis ſimul morbo, macie & pallore, perfecte liberavit.

Scaramuccinus de Fontanella, Cremonenſis diœceſis, graviſſimis febribus ſenſim deficiens, poſt omnem probatam medicinam, ſuaſu fratris germani Evangeliſtæ Minoritæ, votum Dei famulum colendi emiſit, & e veſtigio per ſeceſſum ſaniem multam egeſſit, febriſque receſſit.

Antonius Taxinus Ferrarienſis, Mediolanenſis Duciſſæ Secretarius, vehementiſſimis febribus animam acturus, humanum deſperans remedium, ad Marci patrocinium ſe convertit, & ſalutis beneficium eſt conſecutus. Miraculi memoriæ retinendæ, in ipſa arce Mediolanenſi ſalutis auctorem Marcum fecit depingi.

Vanninus de Placentia febrem hecticam, & maraſmum patiens pene inſanabilem, ita macie conficiebatur, ut omni corporis vigore deſtituto, vitæ parum ſupereſſe omnes judicarent. Multa ad beatum Marcum præmiſſa prece, ingenti fide & devotione petiit ſibi aliquid afferri, quo Vir Dei uti ſolebat. Allatum pileum ſive birretum ubi tetigit, alta voce cœpit clamare: *ſanus effectus ſum*, vereque dixit, recepta confeſtim priſtina ſanitate.

Attracti, curvi, retorti, varie rectificati.

XXIX. Catarina Clariſſa Monaſterii ſancti Guillelmi Ferrarienſis, membris contractis viribuſque deſtituta, ita erat ad terram inflexa, ut videretur faciem genibus conjungere, nulloque modo poterat caput attollere, vel in altum reſpicere: *Quando*, inquit ille, qui miracula hæc conſcripſit, *ego illam vidi, erat tota retractis pedibus ad pilæ modum contorta.* Multis annis hæc patienter perpeſſa, cum miranda perſentiret Marci prodigia, devote ipſum invocavit, rogans ne miſellæ Chriſti ancillæ preces deſpicerentur, neque peccata rememorarentur. Et ecce nocte ſequenti, vigilanti quidem miſellæ vir Dei apparens, inquit: *Agnoſce me, tuis lacrymis & precibus provocatus adveni. Scias te, ſacra confeſſione & communione præmiſſis, in craſtino ſanandam.* Ad claram hanc viſionem obſtupuit, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit, continuoque Dei ſervus evanuit. Mane facto, illa viſionem & verba Sororibus patefecit; & accerſito confeſſario fratre Proſpero Rhegino Regularis Obſervantiæ, peccata ſacramen-

taliter expoſuit. Inde ad Eccleſiam delata, adſtantibus cunctis Sororibus, prodigium expectantibus, poſtquam devote Chriſti corpus ſuſcepit, perfecte liberata, manus ſimul & ora in cœlum tetendit, & Deo ac beato Patri gratiss agens, recto ſurrexit corpore, libere ubique proſiliens.

Baptiſta nobilis de Arelis Placentinus, pluribus infirmitatibus gravatus, & attractione nervorum paralyticus, nihil potens manibus peragere, poſt impoſitum ſibi pileum ſervi Dei, protinus convaluit, nervorum reſtituto vigore.

Margarita quondam Joannis de Villina conjux, repente, defluentibus noxiis humoribus a vertice uſque ad pedem, latere uno tota attracta, viribus deſtituta, continuo affecta tremore, probatis inaniter medicorum remediis, ad beatum Virum ſe convertit; & poſt emiſſum votum ita perfecte ſanatur, ut e veſtigio, recto & firmo gradu procederet, nec deinceps quidquam tale ſentiret. Simili modo Jacobus de Arrelis Caſtri ſancti Joannis, diœceſis Placentinæ, filius quondam Galeotti, totus attractus, adeoque continuis doloribus cruciatus, ut neque linteaminibus contingi pateretur, liberatus eſt. Uxor etiam Joannis ſartoris Placentini, tota nervis attracta, poſt annos quatuor equo advecta ad ſepulcrum oravit, propriiſque pedibus domum redivit.

Periculoſa apoſtemata reſoluta.

XXX. Marcus adoleſcens, Guillelmi Bobienſis filius, poſt diuturnam inteſtinorum ægritudinem, duplici vexatus eſt apoſtemate, uno ſupra renes, altero ſuper humerum dextrum & coſtas. Ad terram inflexo, & miſere dolenti, per inciſionem mederi non audebant chyrurgi; auſus tamen eſt genitor majorem ſuppurationem humeralem incidere, ſed majores addidit cruciatus, qui ad ejulatus continuos per viginti quinque dies compulerunt. Quamobrem omni humano deſtitutus ſuffragio, ad beatum Marcum, ſuadente affine Minorita, recurrit, vovitque ſe illius veneraturum ſepulcrum. Rupto ſtatim renali apoſtemate, ingens copia putis & ſanguinis effluxit, & humerale penitus evanuit, remanente ſolum inciſionis cicatrice.

Agnes, uxor Jacobinl Riparii, de Caſtro ſancti Joannis Placentini, ſimiliter liberata eſt ab ingenti apoſtemate, quod cervicem & collum magno tumore circumplectebatur, & intenſas dierum viginti febres accendit; necnon Catarina, Gabrielis Tartarii filia, ab intrinſeco abſceſſu, qui vehementiſſimos cauſabat cordis & capitis dolores.

Morti propinqui priſtinæ ſanitati reſtituuntur.

XXXI. Joannes Pugnetus, civis & tabellio Placentinus, acuta febre, acerrimo dolore capitis, & ventris dyſenteria jugiter deficiens, vix quidquam edere vel bibere valebat. Macie confectus, exanguis, & viſu penitus amiſſo, tamquam inſenſibilis, frigeſcentibus membris, algentes cœpit ſudores emittere, indices mortis propinquæ. A medicis deſperata ſalute, convertit ſe ad beatum Marcum, cujus opem ſæpe in hac infirmitate imploraverat, votumque emiſit jugis præſtandæ venerationis. Ubi dixit, res mira! continuo reſtituta eſt caro defluxa, cum antea ſola cute & oſſibus conſtare videretur, venuſtoque perfuſus colore, integram recepit ſanitatem. Hoc devinctus beneficio, tabellionem & ſcribam deinceps gratis egit miraculorum ſervi Dei in tribunali publico Magiſtratus.

Ju-

Julianus Anguſola, nobilis Placentinus, ſimili malo febris & dyſenteriæ adeo divexatus, ut carnes diffluere viderentur, pene conſumptis naturæ viribus, haud poterat dormire; voto emiſſo, & pileo Marci capiti admoto, febris abſceſſit, fluxus ceſſavit, & quiete dormivit. Nicolaus ſexennis, nobilis viri Gaſparis Anguſolæ Placentini filius, eodem malo correptus, cibum indigeſtum inferius emittebat. Cum pene exanimis videretur, Marci meritis convaluit. Joannes Chriſtophorus Avogatus, civis Placentinus, longa ægritudine confectus, ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, dum ad mortem ſe præparat, audiens multa referri Marci miracula, adhibito voto, ſe illi commiſit, ſupponenſque capiti ejus pileum, concupitam obtinuit ſanitatem.

Antonius de Puteo, ſtrenuus miles Placentinus, peſtilenti febre medicorum judicio confeſtim moriturus, ſacris ritibus animam procuravit. In extremis hærenti Marcus apparuit, ſaculam manu tenens accenſam, & infirmum cruce ſignavit. Viſione ſtupefactus Antonius, Dei ſervum anxie rogavit, ut ad vitam permitteretur regreſſus, liceretque peccata pœnitentia & lacrymis redimere, promiſitque cereum ſimilem ei, quem conſpexerat, ad tumulum appendere. Dum hæc promittit, ſanus prodit e lecto. Poſt hæc aliud recepit beneficium reſtituti filii, qui ſimiliter periclitabatur ex auris apoſtemate, neque quidquam ſumere poterat alimenti, neque dormire.

Leonellus ſeptennis, nobilis Petri Anguſolæ Placentini filius, quinque menſibus ſanguinis profluvio fatigatus, non in lectulo jacere, multo minus ſe movere valebat. Promiſit genitrix ceream imaginem ad ſepulcrum deſerre; mox filium recepit incolumem. Catarina, quondam Joannis Terani Placentini uxor, moleſtis febribus ad extremum deducta, & a medicis, uti mox moritura, penitus derelicta, poſt omnia recepta Sacramenta, Dei ſervum deprecans, exaudita eſt integre convaleſcens. Carocoſſina, uxor Antonii Ozoli Placentini, in extremis laborans, poſtquam viſus defecit, lingua obtorpuit, auditus receſſit, omniumque procul ſacta eſt notitia; propter filiorum pro marte deprecantium votum, ſacrumque ad ſepulturæ locum celebratum, ſalutem recuperavit.

Catarinæ, Leonardi Puteoli de Placentia filiæ, Monaſterii ſancti Raymundi Moniali, in extremis poſitæ,dum de ſepultura ageretur, apparuerunt Marcus, ſanctus Bernardinus, aliuſque Minorita. Illa nutibus & geſtibus, cum ſermone non poſſet, circumſtantes Sorores invitabat ad videndum, quos ipſa conſpiciebat, & lætiſſime ſenſit a Marco ſibi ſanitatem promitti. Irrepſit deinde placidus ſomnus uſque ad gallicinium, evigilanſque e lecto ſurrexit incolumis.

Scapuſius Fuſſellus de Caſtello Sarzanæ, extrema recepta Unctione, cum viſitaretur a Fratribus Minoribus, & Marci tunicæ particula contingeretur, quaſi e ſomno evigilans, tunc primum convaleſcere cœpit, & paucos poſt dies perfectam conſecutus eſt ſalutem.

Laurentio Dordelo Placentino pugione ſub ventrem transfixo, diffluebant inteſtina. Medici conſuto vulnere intercluſerunt, ſed mortem avertere non potuerunt. Dum appropinquaret, neque fugiendæ ſpes ulla ſupereſſet, ſuum obſequium Marco, ſi vitam redderet, devovit. Die tertia ad ſua negotia peragenda lætus perrexit. Alexina, nxor nobilis viri Bartholomæi Scoti de Placentia, extreme morbo decumbens, cum nulla ſpes vitæ ſupereſſet, fido corde Marcum invocans, concupitam ſalutem recuperavit. Joanna Caſtelina, Domini Juliani de Filyadis uxor, in inguine mortaliter affecta, cum illius exitum parentes potius expectarent, quam vitam, eamdem

dem Marci interceſſione conſecuta eſt. Idem adepta eſt beneficium Maria, Berthoni Spinatæ Placentini filia, ex continuis febribus & mirabili tumore capitis moribunda; necnon Valencena, uxor nobilis Bartholomæi Anguſolæ de Pigazano poſt quinque abortus, ſexto valde periclitata, cui Vir Dei apparens, ſalutem fœtuſque incolumitatem promiſit, & cœlitus conceſſit.

Conſtantia, filia magnifici Domini Conradi Mediolanen. deſperata jam vita, ſi vivere liceret, promiſit Placentiam ſe pedibus ituram, & ſepulcrum Viri Dei veneraturam; vixit; pedeſter longum iter confecit mulier nobilis & delicata. Eliſabetha de Speſa Bobienſis integri anni morbo conſumpta, protinuſque moritura, & Antonius biennis, filius Albertini Pavani de Mirabello, diœceſis Placentinæ, de cujus longiori vita parentes ſpem omnem perdiderant, matre vovente, vitam aſſecuti ſunt longiorem. Petrum de Burla adoleſcentem, gravi infirmitate ad extremum vitæ terminum perductum, Magiſter Aloyſius medicus de ſalute diffidens, hortatus eſt, ut ſuæ domui diſponeret, teſtamentum conderet, & Sacramenta ſuſciperet. Parentes ad beati Viri merita converſi, adoleſcentuli deprecati ſunt ſalutem. Allata eſt particula tunicæ Viri Dei, & ad collum ſuſpenditur. Differtur beneficium, & adoleſcens ſegmentum in fila diſſolvens multa comedit. Mirum profecto! quaſi ille pharmacum e cœlo dimiſſum ſumpſiſſet, perfecte ſanatus eſt.

Variæ affectiones mire curantur.

XXXII. Joanna quinquennis, Janini Matercii Placentini filia, graviter ægrotabat dextro latere contracta, pede clauda, ſiniſtro lacerto paralytica, toto ethica & exanguis, viribus deſtituta, & ſenſim deficcabatur, ita ut ſpes nulla ſupereſſet remedii. Pater, accepto a Minoritis Marci tunicæ ſegmento, latus affectaſque partes eo confricavit, malumque fugavit. Venit poſtea ex rurali prædio v. m. p. diſtante cum patre filia, Dei famulum in ſepulcro veneratura.

Bernardus, Thomaſini & Antoniolæ ſupranominatorum filius decennis, ex alta cadens arbore, latere & crure ſauciatus eſt. Chyrurgus aliquanto aſperius & atrocius crus contrectans, os confregit. Poſt ſævos dolores tranſactoſque dies aliquot, confracti oſſis cruſtulæ erumpentes, duo ulcera fecerunt. Genitrix apprehenſo ex Marci ſepulcro pulvere ſanavit.

Juſtina puella annorum novemdecim, Antonii Placentini filia, noxiis deſcendentibus humoribus, ulcera quatuor in planta pedis & baſe contraxit. Appoſitum a chyrurgis collyrium, nedum putridam ſed & vividam carnem exeſit & nervos, unde hiatus & vulnera nata ſunt incurabilia, doloreſque & clamores intenſiſſimi. Mater filiæ compatiens, fuſis ad beatum Marcum precibus, ex ſepulcri rimulis collecto arenæ pulveriſque pugilo, vulnera complevit, faſcioliſque ligavit. Cœpit afflicta requieſcere, dormire & manducare. Poſt triduum amotis faſciis, ſolida caro, confirmati nervi, occluſi conſpiciuntur hiatus.

Gerardus, Matthæi Mathezæ Placentini filius, annos quatuordecim natus, tetani paſſione neutrubi collum aut corpus flectere valens, vix poterat ambulare. Axillaribus utcumque ad Marci profectus ſepulcrum, ibique orans, domum ſanus abſque ſuſtentaculis redivit.

In eodem hærebat Conventu frater Jacobus Alamanus, qui per dies multos dormire non poterat, quantumvis multa probarit remedia. Inſomnium aeris tribuens qualitati, ſtatuit alio proficiſci, donec a Conſodale monitus

nitus ut Marcum, emiſſo voto, vel humili propitiaret obſequio; ad ſepulcrum perrexit, diu oravit, & nocte ſequenti placide dormivit, neque amplius hujuſmodi paſſus eſt vigilias.

Bartholomæus Landi Placentinus ad ſepulcrum devote precatus pro Catarina uxore, cujus genu menſibus octo ex ſpina intumeſcebat, & vehementer dolebat, necnon pro filio menſes ſex continuo febricitante, domum reverſus, ſanum reperit utrumque.

Joannes Angelus novennis, nobilis viri Antonii Anguſolæ filius, turgido ventre & pectore numquam ceſſabat ab ejulatu, donec ad ſepulcrum delatus a parentibus, & particula tunicæ beati Viri contactus, gravius affligi viſus eſt, & ſpiritum exhalare; ſed paulo poſt ab omni malo liber evaſit. Joannes Ferrarienſis pictor ſimili modo a turgidi pedis dolore, quem annis paſſus eſt viginti, convaluit.

Detrahentes gloriæ ſervi Dei, & miracula irridentes ſevere puniuntur.

XXXIII. Jacobus Caſola, nobilis Juriſconſultus Placentinus, Marci miracula irridere ſolitus, obſtructo veſicæ meatu, per dies tres iſchuria ſeu lotii retentione laborat. Acerbiſſimis cruciatus doloribus, cum nulla vitæ ſpes ſupereſſet, ad cor reverſus, tantoque Viro ſe detraxiſſe recordatus, ſupplex oravit dicens: *Beate pater Marce, ego impie in te oblocutus ſum, ſed nunc humiliter rogo ut veniam tribuas precanti; ſi exaudieris, voveo & promitto, me præconem & defenſorem fore tuorum mirabilium.* Paulo poſt emiſſum votum, libras ſeptem emiſit urinæ, præſenſque & certum evaſit mortis periculum.

Fratri Joanni Siculo per hortum Cœnobii a Nazareth deambulanti cabro teterrimus venenatum infixit aculeum in ſupercilio, & continuo facies intumuit, mox caput, deinde ſerpente veneno, totum corpus ſanguineo colore perfunditur, & intenſiſſimo cruciatur dolore. Invocato beato Marco, quem aliquando habuit exoſum propter inflicta in Vicariatu ſupplicia, promiſit ſe coronam beatæ Virginis recitaturum, & vigiliam beati Laurentii proxime imminentem in pane & aqua tranſacturum. Ceſſavit tumor ab humeris deorſum, ſed ita crevit rabidus ardor & dolor in facie, ut unguibus ſe dilaniaret. Iterum ad beatum Marcum converſus, recordatus, ſe illi aliquando detraxiſſe, oravit dicens: *Parce, bone Pater, maledico detrectatori, & erratis ignoſcens, ſuccurre miſero graviſſimum ferenti ſupplicium. Si opem feras, tuas ubique prædicabo virtutes, atque ob reverentiam tuam nunc flexis genibus multas recitabo orationes Dominicas, & Salutationes Angelicas, repetamque ſingulis diebus.* Vix iſta coram multis promiſit, cum pruritus ceſſavit & ardor, detumuitque facies, & ſicut corde compuncto, virus evomuit livoris e pectore, ita venenum animalis ſtatim receſſit e corpore. Poſt aliquot menſes, dum hic idem gelidum tranſiret amnem, adeo ejus obriguerunt membra, ut lectulo invectus in neutrum latus ſe vertere poſſet, ſed tertium Marci implorato auxilio, ſomno opprimitur, & e malo liberatur.

Nobili decoratur ſepulcro.

XXXIV. Tot miraculis excitati Placentini, decreverunt pulchrum ſacellum ejus condiendo corpori fabricare, & infra annum abſolverunt. Aperientes itaque monumentum, in quo primum poſitus erat, invenerunt inte- *Poſt annum exhumatum corpus integrum apparet.*

integrum & illæſum corpus, quod in cineres reſolutum ſuſpicabantur, quia obeſum valde, non exenteratum, neque ullis aromatibus conditum. Poſt integrum annum & dies aliquot e ſepulcro elatum, capillos habebat capiti & mento firmiter inhærentes, membra mollia & tractabilia; ſola facies obduruit, aliquanto denigrata, cum reliqua caro tenderet ad albedinem. In ſacrarium ſive ſacriſtiam a primariis Civibus ad hoc ſpecialiter deputatis, noctu, ut populi tumultus evitaretur, delatum, exutumque habitu, vino lotum eſt, nulla per totum apparente macula aut putredine, præter unam tibiam quæ parumper erat infecta ex conjunctione cum cadavere illius Fratris, quem eo ipſo die, quo Marcus ſepulcro illatus eſt, diximus conſepeliendum; caput enim hujus poſterius ſepulti ſuper tibiam Marci quieſcebat. Porro novum & byſſinum obducentes habitum pii viri, devoto hilarique animo, novo & pulchro condiderunt ſepulcro.

Puerulum mortuum revocat ad vitam.

XXXV. Poſt translationem hanc ingens patravit miraculum. Cum enim Joanna, uxor Guillelmi Capreti, dicti Agucii, villæ Placentinæ II. M. P. ab urbe, graviſſime laboraret in partu, adſtantibus obſtetrice, Laurentina, Savini de Felino conjuge, aliiſque matronis, quæ de parturientis vita valde dubitabant, mortuum peperit maſculum, cujus manus ſiniſtra adhærebat maxillæ, umbilicali inteſtino brachiolo & gutturi bis circumvoluto. Facta per obſtetricem & matronas multa experientia, e ventre mortuum prodiiſſe judicarunt infantulum. Porro obſtetrix genitricis doloris, & pueruli damno compaſſa, ſummis precibus & lacrymis beatum Marcum rogavit, ut pro puero apud Deum intercederet, quatenus dignaretur ſpiritum refundere, ſaltem donec gratia baptiſmali gloriæ coaptaretur cœleſti, hiſque verbis demum orationem abſolvit: *Beate Marce, ſi vera ſunt, quæ de tua vita & miraculis referuntur, tuam nunc in hoc puero oſtende virtutem, ut Dei gloria, & tua magis ſanctitas eluceat.* Vix verba finierat, quando puer, qui totus niger aut lividus e ventre prodierat, lingula ex ore prodeunte, quia ab inteſtino gutturi advoluto ſuffocatus interiit, cœpit oſcitare, & naſcentum more vagire. Firmiori mox planctu ſignum edidit conſtantioris vitæ, nec ideo baptiſmum accelerarunt matronæ. Hac narratione tractatulum ſuum claudit, qui obitum & miracula Marci conſcripſit, hiſque verbis abſolvit: *qui etiam ſoſpes & pulcher adhuc ſupervivit ad Dei laudem & ſervi gloriam.* Unde apparet auctorem Marco æqualem fuiſſe, eaque retuliſſe, quæ primis ab ejus obitu annis contigerunt.

XXXVI. Illo, quod diximus, ſacello honorifice requievit, donec ſub annum MDXXVII. demolito illo Cœnobio ſanctæ Mariæ a Nazareth, ex Clementis VII. decreto, translatus eſt intra urbem ad Templum ſanctæ Mariæ Magdalenæ Clariſſarum, ubi miraculis coruſcat. In ejus laudem quidam fornici portæ refectorii Minoritici Conventus Bononienſis, Virginis Annunciatæ, hæc inculta carmina curavit inſcribi.

Applaude & jubila, lætare Bononia, Marcus
Hic tuus eſt civis, cœlica regna tenens.
Approbat hoc etenim ſignorum copia multa,
Urbe Placentina quæ micuere ſatis.
Hunc precibus, lachrymis, hunc implorare memento
Ut ſummum flectat ad tua vota Deum.

Tom. I. an. 1213. n. 21.
Moritur Bartholomæus a Colle.

XXXVII. Deceſſit hoc anno in Conventu Podii Bonitii in Etruria, uti alias diximus, Bartholomæus a Colle, Peruſii cum aliis plurimis Scholaribus, & variarum facultatum Doctoribus, in publica platea a beato Joanne Ca-

Capiſtrano ad Sodalitium admiſſus. Multa obivit Ordinis munera, Aracœlitanum in Urbe, Montis Sion Hieroſolymis, aliaque multa rexit Cœnobia, inſulæ Cretenſis egit Vicarium, & diſertiſſimum ubique prædicatorem, in Etruriam reverſus, morbo articulari aſperrime afflictus, ſola lingua non laborabat. Aliorum itaque brachiis ad ſubſellia elatus, ſedens docebat populos ingenti lucro animarum. Tamdem cadaver exanime circumferebatur per optimas quaſque Italiæ urbes, concionandi munus ubique ad mortem uſque, omnium admiratione & applauſu exercens, Jobum patientia, Paulum animarum zelo & doctrina repræſentans.

Marc. 3. p. l. 1. c. 43. & l. 2. c. 26. Gonz. in Provin. Tuſc. Conv. 6.

XXXVIII. Circa hunc annum objerunt duo ſancti Bernardini diſcipuli, Thomas Catius, & Matthæus Nolius Novarien. in Monaſterio ſancti Nazarii ejuſdem Urbis religioſa veſte & ſepultura donati. Uterque miraculis claruiſſe refertur. Matthæo in ſacello ſancti Franciſci appenſa eſt tabella votiva, teſtimonium acceptæ illius interceſſione ſanitatis. Ejuſdem urbis commemoratur alter, ſed Tertii Ordinis ſectator, hoc ipſo anno defunctus, Paganus Torniellus, in juventute perditis moribus, & propterea a patre, viro nobili, exhæredatus, mox inſigni religione, rerum humanarum contemptu, vitæque aſperitate illuſtris. Piis peregrinationibus, pauperibus juvandis, & infirmis curandis totus addictus, ſola egeſtate dives, miram exercebat erga egenos miſericordiam. Ut beatus itaque ac vir divinus apud omnes cœpit audire, demumque Aſſiſii, quo pietatis erga ſanctum Franciſcum ſtudio peregrinationem obivit, peſte interiit. Scribitur, ad avertendam peſtilentiam anno MDXXIX. Altare ejus nomini dicaſſe eos, qui ſanitatis curatores conſtituti erant Novariæ.

Item Thomas Catius & Matthæus Nolius. *Carol. in hiſtor. Novarien. lib. 1. Monum. MSS.* Et Paganus Torniellus.

XXXIX. Andreas Rey Polonus hoc etiam tempore, feria ſecunda poſt Dominicam ſeptuageſimæ, Cracoviæ deceſſit. Sanguine clarus, a juventutis primordiis cœpit Deo ſervire, & corpuſculum jejuniis macerare. Sacerdotio initiatus, Canonicatum Cracovien. & Præpoſituram ſuſcepit ſancti Ægidii. Ubi famam Joannis Capiſtrani in Moravia prædicantis audivit, ingenti pietatis ardore ad eum ſe contulit, ab eoque habitum Minorum accepit in Sileſia, paulo antequam Capiſtranus in Poloniam veniret. Ingenio pollens, intra paucos annos inſignis evaſit prædicator. Humiliter de ſe ſentiens, Cracovienſis Cœnobii, aliorumque ſæpe deſignatam reſpuit Præfecturam, nec ab Andrea Epiſcopo Poſnanienſi induci aliquando potuit, ut ejus fieret ſuffraganeus. Diebus ſingulis præter alias preces pſalterium beatæ Virginis, ejuſdem Coronam, & quam Jeſu Chriſti appellant, recitabat. Summo ſtudio otium tamquam vitiorum ſentinam, virtutum novercam devitabat; lectioni vel orationi vel manuali operi perpetuo inſiſtens. Plenus dierum & bonorum operum, poſtquam in Conventibus Lituaniæ, Vilnæ, Caunæ, & in Eremo ſanctæ Catarinæ in minore Polonia plurima reliquit ſuæ pietatis veſtigia, magnumque apud omnes ſui deſiderium, feliciter ex hoc ſeculo migravit.

Necnon Andreas Rey. *Monum. MSS. Polon.*

XL. Obiit hoc anno Piſauri Seraphina Columnenſis, filia Guidi Antonii Comitis Montis-Feretri, & Catarinæ Columnæ, Martini V. ex fratre neptis. Hæc Urbini nata (etſi alii in Urbe, patre Columnenſi, progenitam perperam affirment) & Sveva in baptiſmo vocata, tenella ætate, parentibus defunctis, Romam in Columnenſium domum translata (quod errori circa natalitia fundamentum miniſtravit) abſens deſponſata eſt Alexandro Sfortiæ Cotinoliæ Comiti, Piſauri Domino, Regni Siciliæ magno Comiti Stabuli, cui ex prima conjuge Conſtantia Varana, Gentilis Camertum Principis filia, duo erant ſuperſtites filii, Galeatius & Conſtantius.

Etiam Seraphina Columna. *Marian. cit. c. 41. Marc. lib. 6. c. 39. Galluc. 19. in ejus vita. Legenda MSS. Cimarel. 4. p. l. 1. c. 16. Achilles Maccienus Legen. MSS.* Ejus genus.

Prudentia.

tius. Hos tamquam ſuo utero genitos Sveva tenerrime dilexit, & prudentiſſime univerſum dominium, ſibi a marito in adjutorium Franciſci Sfortiæ germani fratris, Ducis Mediolanenſis profecturo commendatum, ab anno MCCCCLVI. uſque ad MCCCCLXII. gubernavit. Iniquas ille vices e bello reverſus rependit; etenim otio & luxui poſt caſtrenſes labores omnino deditus, Pacificam juvenculam ſpecioſam Piſaurenſem cœpit deperire, & Svevam ſtatura puſillam, vultu non adeo decoram, paulatim faſtidire, Crevit amoris inſania, in eoſque prorupit exceſſus, ut Svevam ſaniora conſilia peramanter miniſtrantem, bis veneno perimere, tertio ſtrangulare fruſtra tentaverit; & demum crinibus in aulam exteriorem, publicum ſervorum receptaculum, pertractam, multoque verbere affectam, ſpirans minarum & cædis domo juſſerit excedere, & ad Clariſſarum conſortium tranſire. Obſecuta, anno MCCCCLX. infelicis conjugii XII. ingreſſa eſt clauſtrum Monaſterii Corporis Chriſti, de quo alias late diſſeruimus, ad cujus fores ille tres adhibuit cuſtodes, qui Svevæ regreſſum, adventantium colloquium, omnium litteras impedirent.

Detruditur in Monaſterium. Tom. 9. an. 1412. n. 7.

Infamia oneratur.

XLI. Conſanguinei Romani tanta injuria læſi, miſerunt qui offenſionum expoſtularent: quibus ille, mala malis accumulans, perſuaſit, clam ſe adulterio comprehenſam, honoris ſervandi cauſa ad Monaſterii ſepta reduxiſſe; utque plenam rei pene incredibilis apud eos, qui heroinæ pudicitiam, caſtos mores, vitamque noverant ſanctiſſimam, fidem faceret, ſpopondit eam ſcelus coram ipſis faſſuram. Præmiſſis, qui mortem illi, Monaſterio incendium pronunciarent, niſi mox adventuri Principis interrogatis ad placitum reſponderet, adhibito ſcriba, diſpoſitiſque injuriarum expoſtulatoribus ubi audire, ſed non videri poterant, ad obſcuram feneſtellam evocatam Svevam, juſſit ut patienter reclusorium ferret, ſui criminis vindictam; honeſtumque hoc ſupplicium dixit propterea datum, ne laſcivientis vitæ ignominia diffunderetur: *An non*, inquit, *verum eſt, tali nocte & loco me cum adultero juvene te decumbentem occupaſſe?* Illa vero his expaveſcens ſermonibus, infandum ſcelus ægerrimo involvit ſilentio, ne, ſi negaret, Monaſterio perniciem adveheret. *Quid*, inquit ad ſcribam, *an non vides, mihi notiſſimum non auſum fuiſſe crimen negare?* aliiſque in rem ſuam objectis rationibus, gloriabundus receſſit, de afflictæ, & mortem expaveſcentis fœminæ ſilentio triumphaturus.

XLII. Sed qui facit judicium injuriam patientibus, & pudicam Suſannam a falſo crimine liberavit, Svevam, ubi ſtructas inſidias, adhibitoſque clanculos teſtes reſcivit, poſt grave cordis deliquium, coram Crucifixi ſimulacro amare flentem, & ſe Divino auxilio in tanta tribulatione deſtitutam, expoſtulantem, blande ex cruce allocutus, juſſit ut leviora iſta gravamina æquo ferret animo propter eum, qui innocentiſſime famæ jacturam, verborum ignominiam, vulnerum dolores, & infandæ mortis tulit opprobrium. Verſumque ad eam caput, diverſo ab eo, quo prius erat, ſitu, in præſtiti innocentiæ teſtimonii ſignum, in poſterum remanſit. Sacra imago in odæo Sororum adhuc conſpicitur, magnaque colitur veneratione. Neque hic perſtitit Dei adjutorium: violatæ innocentiæ peregit vindicias; ſcribam enim a calumniæ & inſamiæ textore Alexandro redeuntem, ut pro ejus documentis inſtrumenti ſeriem contexeret, a ſegni & ſtupido animali voluit puniri. Irruit in eum ipſa in platea ferociens aſellus, primumque calcibus, deinde dentibus ita male habuit, ut priuſquam manum, qua falſum infameque ſcripturus erat inſtrumentum, ore dimitteret, palam Divinitus immiſſum agnoſcens ſupplicium, dixerit hæc ſibi obtigiſſe propter irrogatas innocentiſſimæ Principi manifeſtas injurias.

Sed Deus exonerat.

Sceluſque ulciſcitur.

XLIII. Ni-

Multas adhuc infert conjux moleſtias.

XLIII. Nihil inde commotus Alexander, ultro progreſſus eſt, nec a quoquam contineri potuit, quin continuis cruciaret Svevam moleſtiis. Concupiſcentiæ ardor nonniſi Pacificæ nuptiis potuit expleri: miſit itaque ad Svevam, qui ſponſalitium annulum repeteret, & comminatorie præciperet, vitam aſſumeret Regularem. Hoc territa nuncio, poſt expetitum Abbatiſſæ conſilium, libere reſpondit, ſe nolle, remiſſo annulo, exemplum hoc relinquere poſteris, quo & ſacroſanctum matrimonii Sacramentum poſſit contemni, & aperiri oſtium faſcinatis maritis repellendi conjuges, ut pellices introducant. Vitam etiam Regularem ſe libenter amplexuram, quando Deus votum inſpiraret; nolle tamen invitam compelli. Perſtitit ille in Sveva terrenda, & Monialibus rogandis, ut perſuaderent, iſtud vitæ genus obiret, & illa in repellendis importunis conſiliariis; donec præmiſſa multa prece, vocatiſque in auxilium, qui apud Deum intercederent, apparuit ei beata Virgo Maria, ſanctumque inſtillavit Religionis propoſitum, quod mox Monialibus aperuit, & abſque mora voluit exercere.

Fit Clariſſa.

XLIV. Miſſo itaque ad Alexandrum annulo, & vale dicto, omnia bona imprecata eſt, rogans ut aliquando cæcutire deſineret, & in quale miſeriarum barathrum deſcenderit, tamdem proſpiceret. Utrinque celebrata ſunt ſponſalia; ſed heu! quam diſſimilia! Svevæ cum Chriſto, Alexandri cum meretrice. Verum peccatoribus non eſt perfecta lætitia: nam intra paucos menſes cœpit illum tædere conſortii, & Pacifica digna factis recepit, dura verba & dira verbera, & pro omnibus, quæ Sveva illius cauſa perpeſſa eſt, tulit iſta duplicia. Tunſionibus & preſſuris e gravi lethargo excitata, cogitavit, quantum malum invexerit, quod illuſtrem domum tanta ignominia reſperſerit, ſacrum conjugii thorum Principum divortio fœdaverit, ancillam pro hera ſubſtituerit, omnemque regionem ſcandalis repleverit, egitque demum condignam errati pœnitentiam, intra biennium a celebratis nuptiis, nulla relicta prole, pie defuncta. Hinc ſalutis Alexandri exordium, qui tamdem humanarum rerum inconſtantia permotus, & punctionibus excitus Divinis, vitæ præteritæ pœnituit, & Svevam, quam indigne tractavit, deinceps ſub Seraphinæ nomine in ſacris ſponſalibus indito, ardentiſſime dilexit, ejus intuitu multa beneficia Cœnobio contulit, plenamque ei ſecit poteſtatem dotalia repetendi, & in Monaſterii uſus convertendi. Obiit ille anno MCCCCLXXIII. converſionis IX. die III. Aprilis, relicto Principatus hærede filio, quem diximus, Conſtantio.

Maritum pœnitet illatæ injuriæ.

Svevæ virtutes

XLV. Porro Seraphina ejus animæ multis ſuffragiis propitiata, ſuam virtutibus excoluit, humilitate inſigni, vilia quæque peragens officia, caritate eximia infirmis miniſtrans, pauperibus proſpiciens, mira pœnitentia corpus affligens, & oratione aſſidua Deum interpellans, ut ſui peccatorumque omnium dignaretur miſereri. Omnibus gratiſſima, omnium votis expetita, anno MCCCCLXXV. Monachatus XIII. præfecta eſt domui regendæ, quam illa totam fere refecit, multiſque auxit officinis, & perfectiſſima inſtruxit Regulari diſciplina. Demum virtutibus & meritis ornata, poſt annos decem & octo ſanctiſſime in Religione tranſactos, hoc anno (alii perperam aſſignant tertium ſupra octuageſimum poſt mille quadringentos) eo die naſci meruit in Cœlis, quo Deus de beata Virgine in terris oriri dignatus eſt. Tres dies inſepulta ſuaviſſimum ſemper emiſit odorem, & poſt multos annos exhumata, in putrefacto loculo integra inventa & illæſa, meniſeſtis cœpit clarere miraculis, quæ magnam conciliarunt venerationem, præſertim Guidobaldi Ducis Urbinatis, Juliæ Varanæ primæ conjugis, & Victoriæ Farneſiæ ſecundæ, Franciſci Mariæ Ducis, & Marchioniſſæ Va-

Præficitur Monaſterio.

Vaſti ejus ſororis, qui cultum Seraphinæ auxerunt, & ſepulcrum honorificentius haberi curaverunt.

Claret miraculis. XLVI. Pauca ex multis enarro. Duæ nobiles conſanguineæ Piſauro tranſeuntes, cum Mnnialibus de vita & geſtis Seraphinæ gratum iniere colloquium. Multas ejus audientes virtutes, præſertim conſtantiſſimam in ferendis mariti injuriis patientiam, plurimum laudaverunt; in eo tamen una ex conſanguineis damnavit, quod violati conjugii, ſeu admiſſi adulterii crimen objectum vehementius non propulſarit, ſeu potius ſilentio ſimularit, in æternum ſuæ familiæ vituperium. Nocte inſequenti injuſtæ cenſuræ tulit illa pœnam, gravem alapam a Seraphina ſibi apparente inflictam, & aſperam reprenſionem, quod tutiſſimam ſalutis ſemitam patientiam damnarit Sanctorum, ſeculi legibus adverſam. Sequenti die ad Monaſterium regreſſa, fune ad collum appenſo, humi proſtrata coram loculo, in quo jacebat Seraphina, temerariæ ſuæ ſententiæ profuſis lacrymis, adſtantibus Monialibus, veniam exoravit. Anno MDLXXX. digitum unius ex Sororibus putreſcentem juſſit Medicus exſcidi, ne reliquam manum corrumperet. Vovit illa ſe digitum appenſuram argenteum, pulveremque applicuit ſepulcri, & ſtatim perfecte ſanata eſt. Ejuſdem Virginis genitorem, Nicolaum Sajanum Piſaurenſem, crure putrido, a chyrurgo abſcindendo, ſimiliter laborantem, & filiæ monitis Seraphinæ meritis ſe offerentem, ut expedite ambularet protinus effecit. Sororem alteram affectæ manus dolore ſpaſmos patientem; Victoriam Farneſiam, Urbini Ducissam ex inopinato caſu domeſtico, graviter abſque ulla requie dolentem, & dolore iliaco laborantem; Sororem Liberatam ex Hebræa Chriſtianam, ab Epiſcopo Simonetta converſam, & ad Monialium conſortium admiſſam, a graviſſima & importuna tentatione, emiſſo ex loculo brachio in caput afflictæ; quartam denique Monialem ab excreſcentis in gutture carnis ſummo periculo, mirabiliter liberavit.

Tom. 9. an. 1418. n. 7. Varia beatarum Seraphinæ & Felicis miracula. XLVII. Alia miracula eidem Seraphinæ & beatæ Felici Medæ (quam alias diximus ibidem ſepultam, communia referuntur. Viſæ ſunt cum beato Terentio martyre, urbis protectore, mœnia noctu circumire, dum Civitatis ab inimicis invadendæ grave immineret periculum. Utraque etiam apparuit Mariæ Hondedeæ, partus anguſtiis animam agenti, felicemque partum prædixit. Julium Marcinum civem Piſaurenſem fœdo morbo impatientem, & dæmones ex deſperatione aliquando invocantem, illi apparentes monuerunt, patienter pro Chriſto ferret dolores, ei non ad interitum, ſed ad correptionem immiſſos, juſſeruntque ut eadem diceret ſui Monaſterii Sororibus Deodatæ & Magdalenæ, quibus magnæ imminebant tribulationes. Ipſa eadem hora ſenſit dignam ſibi infundi contritionem, petiitque humiliter a Deo peccatorum, invocatique dœmonis remiſſionem. Confeſſario inſuper Monialium ad ſe vocato dixit quæ vidit & audivit, qui ambabus Monialibus prænunciavit adſuturas afflictiones. Brevi poſt Magdalena multas paſſa, æquanimiter tulit. Deodata poſt moleſtam infirmitatem feliciter in Domino obdormivit.

XLVIII. Fabrum cæmentarium in terram dilapſum, & plauſtro valde onuſto compreſſum, invocatis illarum nominibus, ab omni periculo liberarunt. Fabrum alterum lignarium vehementi capitis dolore affectum, dum pro reponendis illarum corporibus arcas dolaret ex tabulis Aurantiis, rogaretque ut pretium laboris, capitis conferrent ſalutem, benigne exaudierunt. Auguſtinus Gallucius Minorita, qui utriuſque vitas exacte ſcripſit, & Ingolſtadii typis excuſas Malateſtæ Ballionio, per Germaniam Nuncio Apo-

Apoſtolico dedicavit, ſe illarum interceſſione a biennali febre, quæ in ptyſicam tendebat, fuſis precibus teſtatur liberatum. Philippi Terzi civis Piſaurenſis, primum ad Guidobaldum Urbini Ducem, mox apud Sebaſtianum Portugalliæ Regem in expeditione Africana armamentarii fundatoris, & ingenioſi artificis, extant litteræ in archivo prædicti Monaſterii, Ulyſſipone anno MDLXXIX. ſcriptæ, quibus Abbatiſſæ & Monialibus refert, ſe in mirabili illa clade Chriſtianorum vulneratum & captivum, ope & conſilio Felicis & Seraphinæ ſibi apparentium, & beneficia olim ſuo Monaſterio præſtita gratificantium, a ſervitute & vitæ periculo liberatum.

XLIX. Corpora diverſis condita loculis, prædicti Terzi opera fabrefactis, Ducum Urbinatum, & Franciſci Mariæ Cardinalis de Monte ſumptibus, vario ornatu decoratis, aliquoties publico hominum conſpectui per binas exponuntur feneſtras. Præſentem illarum opem ſentiunt Piſaurenſes, quibus tribuunt non ſemel pulſam peſtilentiam, averſamque urbi imminentem ingentem calamitatem. Multa pro beneficiis acceptis illic conſpiciuntur donaria & tabellæ votivæ, omnemque habent mirandæ Reliquiæ venerationem, præter aras ritusque Divinos.

Illarum corpora honorifice condita.

L. Hoc anno, die XXV. Octobris deceſſit Catarina Boſnæ Regina, de qua alias diximus. Sixtus Pontifex illam honorifice in Urbem excepit, poſtquam Turcæ univerſum dominium in ſuam redegerunt poteſtatem. Eam quidam noſtri Scriptores a pietate, patientia & humilitate commendant, Tertiumque dicunt Inſtitutum profeſſam, ſub illius habitu ſemper inceſſiſſe. Dum ægrotaret, Pontifici ſuum miſit teſtamentum, quo Boſnæ regnum Romanæ Eccleſiæ legabat, addita conditione, ſi filius ex Turcis rediret, defectionis anteactæ pœniteret, & Chriſtianam fidem reſumeret, In avita reſtitueretur. In ſignum autem legati Regni, enſem dederunt ab ea miſſi & calcaria, quæ Pontifex benigne accepta, prehendi ſigillatim ab unoquoque Cardinalium, ipſumque teſtamentum, & Sedis Apoſtolicæ recepti decretum in archivis molis Hadrianæ juſſit reponi. Defunctæ Reginæ Pontifex inferias fecit, omnemque exhibuit honorem. Sepultam diximus alias in Templo Minorum ad Aram-cœli. Sepulcrum ipſius ſumptibus, non Pontificis, ut aliqui ſcribunt, elaboratum, ante Aram majorem conſpicitur, cujus inſcriptionem dedimus, inter illius Templi memorabilia.

Moritur Catarina Regina Boſnæ. Tom. 11. anno 1458. n. 35. Marian. c. 41. Marc. cit. c. 35. MSS. Cod. Vatican.

Tom. 3. an. 1451. n. 62.

LI. Frater Gabriel Veronenſis Epiſcopus Agrienſis, de quo ſæpe locuti ſumus, rogante Matthia Rege Pannoniæ, hoc anno IV. Idus Decembris renunciatus eſt presbyter Cardinalis, tituli ſanctorum Sergii & Bacchi. Eodem die, eademque dignitate, & titulo ſanctæ Luciæ in Silice, decoratus eſt Georgius Heſler civis & Epiſcopus Herbipolenſis Germanus, qui licet hujus Inſtituti profeſſor non fuerit, fuit tamen egregius benefactor & fautor, a beato Joanne Capiſtrano edoctus, & ad magna quæque inſtructus, quem propterea Capiſtrani vocat Ciacconus diſcipulum. Porro Gabriel multa Regi Matthiæ præſtitit obſequia, ſæpe ad Pontifices Romanos & Principes legationibus functus, ſæpe eum comitatus ad bellum, ubique præſens conſilio. In bello contra Polonos & Boemos apud Uratiſlaviam, magna ex parte auctor fuit rei bene geſtæ, & felicis exitus armorum. Caduceator fuit pacis inter Fridericum Imperatorem & Matthiam anno præterito ſtabilitæ, eamque ex ſuggeſto pronunciavit. Eum hucuſque nos *Veronenſem* diximus, ſed deinceps *Mutinenſem* dicemus. Ad hoc enim tempus ſuſceptæ dignitatis ipſe genus reticuit, quod in hunc modum, dum Bononiam in Urbem venturus pertranſiret, & a Joanne Bentivolio viro primario reciperetur hoſpitio, opportune retexuit. Erat tunc in eadem domo Nico-

Fr. Gabriel Veronenſis fit Cardinalis. Panvin. & Ciaccon. in Sixto. Et Georgius Heſler. Bonfin. dec. 4. lib. 3. & 5.

Cujas fuerit Gabriel Cardinalis?

colaus Comes Rangonius, gener Bentivolii, Comitis Guidonis Rangonii apud Mutinenſes illuſtris, filius. Hunc nihil tale ſcientem, neque a longe ſuſpicantem, adorſus Gabriel & amplexus, Fratrem appellavit, eodem parente utrumque genitum indicavit. Exhilarati Nicolaus, qui Fratrem, Joannes, qui affinem, filiæ Fratrium, inopinato nacti ſunt tanta dignitate conſpicuum, qui fieri hoc poſſit? avide interrogarunt. Revelavit ille occultum patris crimen dicens, illum in agro Veronenſi adoleſcentulam ruricolam ad illicitum concubitum allexiſſe; ex quo ſe progenitum, apud matrem, genitore pecunias ſubmittente, adoleviſſe.

Garimbert. de Card. Rodul. fol. 226.

Tom. 12. Ann. 1451. n. 7.

LII. Errant ſane, qui in domum paternam abductum, a noverca male habitum, in remotas Hungariæ partes abiiſſe recenſent, & ibidem a Capiſtrano fuiſſe initiatum. Etenim in Provincia ſancti Antonii jam Sodalitio adſcriptum, cum Joanne Capiſtrano alias narravimus tranſiviſſe in Germaniam. Multa præclare geſſit in Cardinalatu, quorum præcipua, & honorificas apud Reges legationes ſuis locis referemus. Vixit uſque ad annum MCCCCLXXXVI. ſepultuſque eſt in templo ſui Ordinis ad Aram-cœli in ſacello a ſe condito in honorem ſancti Bonaventuræ, circa feſtum omnium Sanctorum. Ea fuit animi moderatione & morum gravitate, ut per annos triginta, ſe nulli mortalium ſuccenſuiſſe recordaretur. Dexteritate ingenii, maturitate conſilii, naturæ manſuetudine, doctrina & pietate ornatum omnes venerabantur. Bonfinius *Brixienſem*, errore ex propinqua patria concepto, perperam appellat, & abſque cauſa contemptim ambitionis incuſat.

Diario Sixti IV.

LIII. Æquius hominem a multiplici virtute & dexteritate agendi commendat Jacobus Maffæi Volaterranus, cubicularius & Secretarius Apoſtolicus, in diario, quod ſcripſit de rebus Sixti, dum ad annum MCCCCLXXIX. narrat primum hujus Cardinalis in urbem ingreſſum. Omnem ejus narrationem hic verbatim exſcribo, ut videat lector quam diverſam ab illa Bonfinii opinione hic in curia ſit adeptus, teſte narrante oculato. *Octavo* (inquit) *Idus Decembris, qui fuit dies Lunæ, Gabriel Veronenſis Cardinalis* Agrienſis *nuncupatut, Urbem ingreſſus eſt, ac quatriduo poſt dicendæ ſententiæ in ſenata ſibi facta poteſtas fuit, quod* aperire os, *dicunt. Intranti Urbem obviam ivere Patres omnes uſque ad Portam Populeam, unde ſuo ordine ſe moventes, ad Pontificiam Vaticani deduxere medium inter duos primos inferioris Ordinis Cardinales. Expectabat Pontifex in publico Senatu, quem ad hoc ſolam vocaverat, ſedens in Throno ſuo: aſcendentem Cardinalem throni gradus, ad oſculum pedis, manus & oris excepit, inde a ſingulis Patribus ad oris oſculum eſt receptus, quos omnes per ſubſellia diſpoſitos per ordinem eſt amplexus, & cum veneratione deoſculatus. Poſtremo inter ceteros Patres ſibi locus eſt datus, qui ex vocationis ſuæ ordine ſibi obveniebat. His peractis, dimiſſus eſt Senatus, & Cardinalis domum reductus, quam in Pelliciano trivio mercede ſibi conduxerat. Is modus ſervari ſemper ſolitus eſt, cum primum Cardinales recipiuntur. Veniebat autem tunc ex Hungaria, ubi multis annis fuit in conſilio Matthiæ Regis, cujus auſpiciis, virtute tamen duce, & fortuna comite, eam dignitatem adeptus eſt. Sed non erit abs re de hac parte nonnulla recenſere. Fuit hic unus ex diſcipulis ſanctiſſimi & religioſiſſimi viri Joannis Capiſtrani, ex Ordine Minorum beati Franciſci, Nunciatoris Divini verbi, ſua tempeſtate celeberrimi, quo inter arma Chriſtiana apud Belgradum defuncto, ut eſt nota hiſtoria, cum Hungaris manſit, Magiſtri ſui diſciplinam & vitam continuans, qui perſpecta vitæ hujus integritate, in veneratione & pretio eam habere cœperunt. Veniens igitur paulatim in Regis notitiam, miſſus eſt aliquoties ad vicinos Principes, cum grave aliquod negotium tractandum accidiſſet.*

Se-

Sedente Paulo II. Viri hujus odor ad nos uſque pervenit. Vocavit illum ad ſe Pontifex, uſuſque eſt multum opera ſua ad placandos Reges Poloniæ & Hungariæ, tunc inter ſe propter Regnum Boemiæ diſſidentes, quod uterque, propter hæreſim damnato Podiebratio, ad ſe pertinere contendebat. Remiſſus & revocatus eſt pluries, ſemper ita ſe gerens, ut Romani Pontificis de illo judicium augeretur indies, & Hungaro gratior efficeretur. Vacanti Alben. Eccleſiæ, Rege poſtulante, præficitur; ad Agrienſem majoris dignitatis & cenſus inde transfertur, quotidie Regi magis acceptus, adeo ut unus ille Regis conſilium ubique ab omnibus diceretur & haberetur. Cum autem Apoſtolica Sedes dare illi nationi Cardinalem unum decreviſſet, & multi præſules Regni, auctoritate & ope clariſſimi, ad eam dignitatem aſpirarent, in hunc ſolum vertit ſe Rex, & officia ac ſtudia ſua omnia ad hujus amplitudinem contulit, vel hunc vel nullum ſe recepturum aſſerens. Tandem ſuperiori anno, maximo favore Pontificiæ ac Regiæ Curiæ, Cardinalis creatur, & titulus ſanctorum Sergii & Bacchi ei confertur.

LIV. Tres dumtaxat invenio hujus anni Epiſcopos, Joannem de Quemada Hiſpanum, Regularis Obſervantiæ; Demitriadenſem in Theſſalonia, ſub Archiepiſcopo Lariſſen. per obitum N. VIII. Idus Aprilis; Joannem * Antonium Pittittum de Saponaria, ſacræ Theologiæ profeſſorem, Marſicanum in Aprutio, Pontifici Romano immediate ſubjectum, per obitum Samſonis. VIII. Kal. Auguſti; Joannem Theodorici Tripolitanum in Phenicia, ſub Patriarcha Antiocheno, per obitum N. VII. Idus Octobris.

Fr. Joan. Epiſc. Demetriaden. Fr. Joan. Marſican, * al. Angelum. Fr. Joan. Tripolitan.

LV. Conſtituerunt Raymundus Urſinus & Juſtiniana Duces Gravinæ, Nerulæque Comites, domum ſub invocatione beatæ Mariæ Gratiarum, pro Fratribus Regularis Obſervantiæ, congregationis Amadei Hiſpani, & commoditate quinque caſtrorum ſeu pagorum ſibi ſubditorum, videlicet Scantriliæ, Montis-Liberti, Nerulæ, Ponticelli, ac Montorii, diœceſis Sabinenſis ædificare. Obtinuit hoc anno XII. Kal. Julii Amadeus facultatem illam admittendi. Cœpit ædificari anno ſequenti in clivo cujuſdam monticuli prædictis pagis circumcincti, ubi Eremitorium præerat ſanctiſſimæ Trinitatis. Magna tunc laborabant illius regionis coloni aquæ penuria, timebantque inde ſecuturam intolerabilem annonæ caritatem. Non prius Amadeus primum jecit ædificii lapidem, quam copioſa pluvia terram fœcundaverit, unde ſecuta eſt vini, frumenti, olei & fructuum abundantia, quod miraculo omnes adſcripſerunt. At Duciſſa Juſtiniana, quorumdam perſuaſione, opus inchoatum cœpit negligere, & incboaſſe pœnituit. Ægrotante poſt hæc filio, timuit negligentiæ immitti ſupplicium, vocatumque ex Urbe Amadeum rogavit, ut pro puero oraret. Fecit, convaluit infirmus, mater promiſit opus perficere, ſecundo tamen neglexit, & puer graviori correptus eſt morbo. Accedente Amadeo, Juſtiniana verecundabatur comparere, ſed tandem de ſalute filii ſollicita, negligentiam ſuam deteſtata, in occurſum proceſſit, & pro ſalute filii deprecata, quæ antea promiſerat, repromiſit. Cognita ille mulieris inconſtantia, votifragam dixit, & qua pollebat apud omnes auctoritate, reprehendit, quod Dei voluntatem, etiam filii injuria manifeſtatam, nollet agnoſcere. Ut vero efficacius moveret, motamque firmius ſtabiliret, exſectam chordæ, qua cingebebatur, particulam in ignem projecit, & ſine læſione extractam in aquæ urceolum immiſit, qua epota, puer ſtatim liberatus eſt. Alii etiam eamdem bibentes aquam, a variis morbis convaluerunt. Tot ſignis victa Juſtiniana, celeriter nulli parcens ſumptui fabricam perfecit.

Conv. Scantriliæ. *Bulla originalis. Gonz. in Prov. Rom. Conv. 35. Legen. Amadei MSS. Cimarel. 4. p. l. 3. c. 22.*

LVI. Vixit illic aliquoto tempore Amadeus, multoſque ad habitum ad-

Digitized by Google

admiſſos adoleſcentes pie inſtruxit. Conſpicitur adhuc ejus cellula, & ſervatur ejus mantellum, ad cujus contactum, multi a variis languoribus curantur. Illic perſtiterunt Amadeitæ uſque ad annum MDLXVI. quo Pius V. rogante Flaccio Cardinale Urſino, Conventum hunc univit Provinciæ Romanæ, Regularis Obſervantiæ. Diſtat a pago Scantriliæ II. M. P. a quo tamquam a nobiliori viciniorique denominationem accepit, licet quandoque Conventus vocetur Ponticelli. Habetur illic in magna veneratione imago quædam beatæ Mariæ Virginis ab Amadeo Divina, ut fertur, revelatione inventa, ad quam ob crebra miracula confluunt circumvicini populi, præſertim feria ſecunda poſt diem Pentecoſtes, perpetuo lucro indulgentiæ plenariæ illuc invitati.

Conv. Lauden.

LVII. Eidem Amadeo & ſociis conceſſa eſt facultas admittendi Eccleſiam ſanctæ Mariæ Avenariæ in burgo portæ Papienſis Civitatis Laudenſis ſitam, in qua indecore habitabant canonici Congregationis ſancti Georgii in Alga, Regni Portugalliæ, ſeu ſancti Joannis *de Villar de Frades*, & Eccleſiam alteram ſancti Petri extra prædictam portam priori Eccleſiæ propinquam, & ex utraque adjectiſque terris, Cœnobium ſub titulo ſanctæ Mariæ Gratiarum conſtruendi: *Regimini Univerſalis.* VII. Idus Februarii. An vero conſtruxerit, incompertum; non enim invenio alibi hujus Cœnobii mentionem.

Conv. Pacten. *Lib. 123. bullar. fol. 88.*

LVIII. Pro duobus conſtruendis Obſervantum Conventibus in Inſula Siciliæ, Sixtus hoc anno binas facultates conceſſit; primam XII. Kalendas Martii pro Pactenſi, ſub invocatione beatæ Mariæ de Jeſu, quem prope Civitatem, Fratres ex publicis privatiſque civium eleemoſynis fabricarunt; ſecundam, IV. Idus Septembris pro Modicano, Syracuſanæ diœceſis, quem nobilis mulier Joanna de Capraria, Modicæ Comitiſſa, Friderici Henriquez uxor, ad tertium lapidem, ſub eadem invocatione conſtruxit. Illic jacet Antonius de Ceriatana laicus, vitæ mirabilis, & tantæ ſuper ſpiritus malignos poteſtatis, ut viventis præſentiam ferre, neque ad defuncti ſepulcrum ferri ſuſtinerent. Floruit ibidem laicus alter columbinæ ſimplicitatis, Didacus a Modica, qui prophetice multa, atque inter hæc ſui obitus diem, prænunciavit. Anno MDCXXX. deceſſit. Celebris eſt hic quædam beatæ Virginis imago marmorea.

Conv. Modicanus. *Lib. 131. fol. 230.*

Fr. Antonius de Ceriatana. *Cajet. in idea operis Siculi.*

Fr. Didacus a Modica.

Conv. Vigiani. *Gonz. in Prov. Baſilic. Conv. 5.*

LIX. Ad Vigiani oppidum in Provincia Baſilicatæ, & diœceſi Marſicana, ſub eadem etiam ſanctæ Mariæ de Jeſu invocatione, hoc anno communibus oppidanorum facultatibus conſtructus eſt Conventus capax Fratrum viginti, quos alunt abunde.

Conv. Sturnen. *Idem in Prov. Calab. Conv. 18.*

LX. Aliud minus pauciorum Fratrum habitaculum urbis Sturnenſis in Calabria, cives hoc anno ſub titulo ſancti Franciſci inchoarunt. Lente proceſſit opus, cumque anno MCCCCLXXXVIII. pius & inſignis concionator frater Bernardinus Rendanus ſermonem haberet ad populum in templo ſemiconſtructo, magnaque orta tempeſtate, auditores vellent recedere, timentes rudis fragiliſque ſtructuræ ruinam, juſſit ut bono eſſent animo, & ſecum orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam alta voce recitarent, moxque ſæva tempeſtas ceſſavit: deinde Vir pius ſubjecit: *hac ipſa hora faber ille lignarius, Magiſter Ottolinus, ille inquam, qui pro viribus hujus ædis fabricam retardare ac impedire conabatur, e vivis exceſſit, eorum quæ bene vel male egit coram rectiſſimo Judice rationem redditurus*, ac ſtatim campanæ tinnitus, funeris ſignum, ab omnibus auditum eſt, licet ille ad mille paſſus diſtaret.

Fr. Bernardinus Rendanus.

Conv. Pariſienſis.

LXI. Conceſſit Sixtus, pridie Kalendas Martii, facultatem Vicario & Fra-

Fratribus Obſervantibus Provinciæ Franciæ, ut juxta votum multorum Magiſtrorum & Doctorum, nobilinm & Officialium Regiorum, domum ædificarent intra vel extra urbem Pariſienſem. Sed contradicentibus Patribus Conventualibus, non potuerunt. Devenit tamdem in poteſtatem eorum maxima illa domus Conventualium, & celeberrimum totius Galliæ litterarum ſeminarium, de quo ſuo loco egimus diffuſe. Similiter III. Nonas Junii, indulſit Obſervantibus Provinciæ Turoniæ, ut acceptarent domum conſtruendam a Guillelmo Railly Regis Ludovici Secretario, & incolis Villæ de Virzione, Bituricenſis diœceſis, & Guardianum inſtituerent Domitianum Tyranni, ſacræ Theologiæ profeſſorem, quem propter præclaras virtutes & exemplarem vitam ſpeciali dilectione totus ille populus proſequebatur. Sed hujus Conventus veſtigium non reperio. Renatus Dux Lotharingiæ, Ordini ſummè addictus, impetravit IX. Kalendas Aprilis pro ſuæ conſortiſque animarum ſalute, pace & ſpirituali conſolatione, ſibi concedi duos presbyteros, totidemque laicos ſeu converſos Minoritas Obſervantes, qui penes ſe in loco decenti & religioſo ſemper reſiderent, & quocumque pergentem aſſociarent.

Lib.115.fol.167.

Tom.1.an.1219.n.42. & tom.2.an.1234.n.17 & tom.3.ann.1240.n.24.

Conv. Virzionis.
Lib.121.fol.186.

Renatus Dux Lotharingiæ vult comites aſſiduos Minoritas.
Lib.136.fol.244.

LXII. Bellorum injuriis deſtructa & funditus everſa eſt hoc tempore domus Minorum Obſervantum oppidi ſancti Audomari, diœceſis Morinenſis, *Valde inſignis* (inquit diploma Pontificium) *in qua ſæpius octuaginta Fratres, ex quibus quinquaginta quatuor erant Sacerdotes, conſueverunt die noctuque Altiſſimo famulari*, & Fratres convenerunt in quoddam Hoſpitale. Conceſſit itaque Pontifex IV. Nonas Aprilis licentiam ædificandi domum alteram intra dictum oppidum, & veterem vendendi, aut rudera & materiam transferendi pro iſta conſtruenda „ Juſſit inſuper, Matthia Huniade Hungariæ, Croatiæ &c. Rege rogante, ut (quod antea Paulus II. ad petitionem Pannoniæ procerum præcepit) Patres Conventuales e Cœnobio ſancti Franciſci Segnienſis urbis recederent, traderenturque Obſervantibus.

Conv. S. Audomari.
Lib.135.fol.256.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
Conv. Segnien. transfertur ad Obſerv.
Gonz. in Prov. Boſnæ Croat. Con. 2.

LXIII. Fridericus Dux Brunſwicen. & Luneburgenſis, VII. Idus Martii obtinuit licentiam fabricandi Obſervantibus Provinciæ Saxoniæ Conventum in oppido Winſenupderluenſi, diœceſis Verdenſis. Sed & quid circa hoc factum ſit neſcitur. In Provincia Daciæ multas hoc tempore reformabant Obſervantes domos Conventualium, qua de cauſa multas etiam paſſi tribulationes, favente Conventualibus Generali Miniſtro Samſone, Epiſcopo Burglanen. & aliquot viris nobilibus, quare juſſi ſunt a Pontifice domos aliquot reſtituere. Obſervantibus Provinciæ Hiberniæ indultum eſt, ut duos Conventus ex ſibi oblatis poſſent admittere: *Ex injuncto nobis.* VIII. Idus Aprilis.

Conv. Winſenupderluenſis.
Lib.121 fol.284.
Reformatur aliquot Conventus in Dacia.
Lib.123.fol.130.
Duo Conventus in Hibernia.

LXIV. Sæviente per Belgium Marte hoc tempore, demolitum eſt Monaſterium ſanctæ Claræ oppidi ſancti Audomari, Morinen. diœceſis, reductæque ſunt Moniales ad domum cujuſdam laici, quarum parti, ut ad alias Religiones, parti alteri ut ad alia ejuſdem Ordinis Monaſteria tranſiret, Pontifex indulſit.

Mon. S. Audomari deſtructum.
Lib.133.fol.137.

LXV. Monaſterium Montis Virginum, Ordinis ſanctæ Claræ in urbe Meſſanenſi, alias ſuadente Euſtochio ſacra Virgine, ab ejus genitrice & ſorore Franciſca, uti diximus, & Bartholomæo Anſalone inchoatum, & poſtea alio translatum, ſub hunc annum ferme completum eſt. Fabricam ingentem adjunxit, redituſque adauxit anno ſeſquimilleſimo ſecundo Henricus Henriquez, claſſis Hiſpanicæ Præfectus. Redibit iterum de hoc Monaſterio ſermo, cum de vita Euſtochii diffuſius fuerit agendum.

Mon. Meſſanen. Montis Virginum.
Tom. 13. ann. 1457. n.31.
Vita B. Euſtochii.
Maurol. lib.6. Sicanic.
Pirr. in not. Meſſanen. fol.395.
Inf. an.1491.

Domus Sororum Tertii Ordinis Viterbien. Tom. 2. an. 1313. n. 18.

LXVI. Domum ſanctorum Simonis & Judæ Viterbienſem, ab Armenis Monachis Baſilianis derelictam, diximus alias Sororibus Tertii Ordinis, non præſcripto tempore, conceſſam. Sane ante hunc annum non devenit in illarum poteſtatem. Poſt receſſum Monachorum data fuit quibuſdam, *Societatis pauperum Apoſtolorum pauperis vitæ* nuncupatorum, quibus etiam recedentibus, donata eſt Calidoniæ Miniſtræ & Sororibus Tertiariis in quadam domo dictæ Civitatis commnrantibus, & in communi viventibus. Rei clarificandæ dabo in regeſto diploma Pontificium: *Regimini univerſalis*. xvi. Kalendas Januarii.

Domus Tranenſis.

LXVII. Antonellæ Pelagonæ relictæ conjugi quondam Leonelli Falconerii, in urbe Traneſi, indulſit Pontifex, quod bona & facultates, quæ inſumere decreverat & promiſerat in conſtruendo Hoſpitali pro infirmis, languidis, aliiſque miſerabilibus perſonis prope capellam ſancti Joannis, erogaret in fabricando ibidem Monaſterio Sororum Tertii Ordinis, ſub cura Fratrum Minorum de Obſervantia: *Benigne petitiones illas*. iv. Nonas Januarii. Non refertur hoc Monaſterium inter ea, quæ ſubſunt regimini Fratrum Provinciæ ſancti Nicolai, intra cujus limites comprehenditur urbs Tranenſis.

Domus Veris. Lib. 129. fol. 28.

LXVIII. Domini Temporales oppidi Veris, diœceſis Trajectenſis ibidem ædificarunt domum Sororum prædicti Tertii Ordinis, ſub quo multis annis religioſe vixerunt. Hoc autem anno, dum inter ſe diviſæ, quædam cuperent ad ſanctæ Claræ Ordinem tranſire, aliæ vellent ſub primo Inſtituto permanere, conceſſit Pontifex facultatem, ut quæ ad Clariſſarum vitam adſpirabant, eam profiterentur, & quæ ſub Tertio volebant vivere Inſtituto, non moleſtarentur: ſed his decedentibus, ſolæ Clariſſæ reciperentur.

Domus Rineren. Monum. MSS. Prov. Colon.

LXIX. Hoc anno in die ſancti Barnabæ Apoſtoli, pii & honeſti conjuges Joannes Bogge & Helena de Oiſten. dederunt pro ædificanda domo Sororum Tertiariarum prope pagum Rineren. non procul ab Hammona, Comitatus Marchenſis Metropoli, Villas duas prope bona Cœnobii Welfern. ſitas, cum omnibus agris, viridariis & pertinentiis, adjecta ea conditione, quod perpetuam ſervarent clauſuram, ad modum aliarum ejuſdem Inſtituti in Hollandia, Brabantia, Clivia, & ad curſum Rhenanum, ſubeſſentque regimini Vicarii Provinciæ Colonienſis Minorum Obſervantum, & Guardiano Hammonenſi. Ædificata eſt domus in amœno colle, capax viginti quatuor perſonarum, habentque ſuum confeſſorem ex Minoritis, primumque obtinent in Provincia Saxoniæ ſanctæ Crucis, cui nunc ſubjiciuntur, locum poſt Tertiarias Coelsfedienſes.

Conventus Compoſtellanus reformatur.

LXX. In Provincia ſancti Jacobi magna fuit cnntroverſia inter Ferdinandum de Bolano Miniſtrum Conventualium, & Petrum de Garnica Vicarium Obſervantiæ circa domum Compoſtellanam, ab Archiepiſcopo Obſervantibus datam, Conventualibus expulſis. Alternis victoriis modo hi, modo illi ſuperabant, inconſtanti auxiliatorum potentia. Tamdem in poſſeſſione perſtiterunt Obſervantes. In eadem Provincia circa regimen & viſitationem Monaſteriorum ſanctæ Claræ Zamoren. & de Tordeſillas ac Villafrechoſii, Zamoren. & Legionen. diœceſum, altera erat controverſia inter Petrum de Ledeſma Obſervantinum, a Nicolao Franco electo Parentino, in illis partibus Hiſpaniæ Sedis Apoſtolicæ cum poteſtate Legati de latere Nuncio, Viſitatorem deſtinatum, & Petrum Madritenſem, qui antea illud munus exercebat. Sed hunc oportuit cedere, ferente in eum denuo ſententiam Didaco Epiſcopo Palentino, prædictorum Monaſteriorum Conſervatore.

Lib. 129. fol. 219. Controvertitur circa viſitationem aliquorum Monaſteriorum in Hiſpania. Lib. 125. fol. 267.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. VEnetos inter & MahumetemII.pacem infeſtam annus... illis ce-
„ dentibus Lemnum, Ægæi maris Inſulam, Traciam a Septen-
„ trione & Occaſu Athon montem, Vulcani fabuloſo caſu nobilitatam, ha-
„ bentem; Mantineam, Arcadiæ urbem, aliquando Antigoniam & Scuta-
„ rum, ſeu *Scordam*, cujus Cives Turcicum abhorrentes imperium, potius
„ transferri maluerunt: e contra vero admittente Mahumete apud Con-
„ ſtantinopolim Bailum Venetum, & ejus Venetæ genti commerciis in
„ partibus Euxinis permiſſis. His conditionibus pacem dedere & accepere *Dogl.cit.fol.462.*
„ Veneti, quod Principes Chriſtianorum plures Turcas in ſe ipſos incen-
„ dere noſſent,& Italiæ res,Florentinis Ferdinando Rege Neapolitano cum
„ Sixto Pontifice obſiſtentibus, in confuſionem abire cernerent: cum nihi-
„ lominus Principes Chriſtianos Sixtus ad pacem cogeret, armaretque in
„ Turcam acerrimum Crucis inimicum; triplicique S. P. Franciſci Ordini
„ accurate proſpiceret: & quidem pro Sororibus Tertii Ordinis Aldenardi *India. ex Vatic.*
„ in Belgio prodiere Apoſtolicæ litteræ, IV. Nonas Januarii: *His, quæ*
„ *pro &c.* & aliæ pro Sanctimonialibus Divæ Agnetis Perufii, quibus di-
„ ſtrahendi nonnulla bona licentia conceditur, VI. Idus Februarii: *Ex in-*
„ *juncto &c.* Aliæ pro Sororibus Tertii Ordinis itidem Peruſii, XII. Ka-
„ lendas Martii: *Apoſtolicæ Sedis &c.* Exiit pariter licentia domum pro
„ Fratribus Regularis Obſervantiæ conſtruendi in oppido Creſcentini,
„ Diœceſis Vercellarum: *Promptum & benevolum &c.* VII. Idus Martii, *Harold. ad ann. 1479. n. 9.*
„ cujus in Annalibus fit memoria ſequenti anno, ac iterum memoratur ut *Item ad ann.*
„ fundationis incerti temporis, ſub anno MDVII. quod etiam Britius in ſua *1507. n. 12.*
„ Subalpina refert. Porro Creſcentinum oppidum celebre Clavaſio digre-
„ dienti Inſubriam verſus, brevi emenſo unius diei itinere, in ſiniſtro la-
„ tere Eridani ſitum occurrit, e regione Verrucæ ignobilis eo tempore *Britius de Conv.*
„ Pagi, nunc vero prævalida arce muniti celebris. Illius ædificii locus ab *S. Franciſci.*
„ indigenis Aquilonem verſus, tantum ab Oppido diſtans, quantum ba- *Creſcentin. l. 2.*
„ learica funda lapis jaci poteſt, adhuc inter prata demonſtratur, cum *fol. 133.*
„ ipſum belli ſævitia (reædificandum auguſtius) ſolo æquaverit: aliquan-
„ diu nihilominus ſubſtituiſſe,Catalogus Provinciarum Ciſmontanarum Pa-
„ trum Regularis Obſervantiæ anno MDXVI. oſtendit; conceſſa Indul-
„ gentia pro feſto Immaculatæ Conceptionis in Eccleſia beatæ Mariæ *de la* *Harold. ad ann.*
„ *Roſa*, Lucanæ Diœceſis: *Præclara &c.* X. Kalendas Aprilis; & Renato *1540. n. 66.*
„ Lotharingiæ Duci, cujus ſæpe in Annalibus fit honorifica mentio, poſſe
„ conſtruere Fratribus domum, quibus & alias ſuis ſumptibus erexerat:
„ *Generis tui &c.* IX.Kalendas ejuſdem; fratri Auguſtino habilitato prius
„ ad Eccleſiaſtica beneficia, tranſitu ad alium Ordinem: *Apoſtolicæ Se-* *Ex Vatic.*
„ *dis &c.* IV. Nonas præfati.
„ II. Delphis in Hollandia, Trajectenſis Diœceſis Monialibus Clariſ-
„ ſis, quæ in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Nazareth, paulo ante, Inſtituto *Vide Harold. ad*
„ Tertii Ordinis ſancti Franciſci relicto, Regulam Divæ Claræ admiſerant, *ann. 1475. n. 16.*
„ ſummus Pontifex reſcripſit: *Vacantibus &c.* & executoriale diploma pro
„ litteris præfatis expedivit: *Hodie nonnulla &c.* VIII. Kalendas Junii:
„ beneficium fratri Rodulpho Guarini contulit, VI. Kalendas ejuſdem:
„ *Religionis zelus &c.* & V. Kalendas expeditis litteris pro Abulenſi Con-
„ ventu S. P. Franciſci, necnon pro fratre Petro de Guzman: *Humili-*
„ *bus &c.* IV. Kalendas. Pro electione Abbatiſſæ ſancti Joannis Piſtorien-

„ ſis : *Inter ſollicitudines &c.* & circa permutationem nonnullorum bono-
Indic. ex Vatic. „ rum præſati Conventus Abulenſis S. P. Franciſci : *Inter alias &c.* litte-
„ ras expedivit : cum Illuſtris Dominus Henricus de Nova-Domo, præclara
„ fama Fratrum Regularis Obſervantiæ allectus, Patri fratri Jacobo de
„ Majori Glogavia, Provinciæ Boemiæ Vicario Eccleſiam D. Wenceslai
„ in Suburbio ſuæ Civitatis Novæ-domenſis, ſub Archidiœceſi Pragenſi,
„ verſus Auſtriam, cum ſuis conterminis egregia liberalitate, pro domo
„ Regulari ſibi & ſuis conſtruenda, dono dedit. Verumtamen, quia locus
„ non videbatur Fratribus opportunus, ſuo nec inſtituto correſpondens,
„ idem Henricus, nihil remiſſa imo aucta pietate, alium locum in altera
„ parte Suburbii, prope viam nuncupatam *Profunda*, conceſſit per publi-
„ cum & ſolemne inſtrumentum, die III. Junii anno MCCCCLXXVIII. cu-
„ jus exemplar mox ſequitur.

In nomine Domini. Amen.

NOS HENRICUS DOMINUS DE NOVA-DOMO &c.

Univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus præſentibus & futuris, ad quos præ-ſentia devenerint, ſalutem, & omnium bonorum augmentum.

„ *UT ea, quæ fiunt in tempore, non ſimul evaneſcant cum tempore, ſi-*
„ *gnanter illa, quæ ad incrementum famulatus Dei ſpectant, ex-*
„ *pedit ut æternitate litterarum roborentur; hinc eſt, quod nos Divinum*
„ *cultum, pariter & Dei Altiſſimi honorem, de talentis nobis traditis am-*
„ *pliare volentes, ſano corpore, animo deliberato, maturoque conſilio, de*
„ *conſenſu pariter & aſſenſu civium noſtri præfati oppidi* Novæ-Domus,
„ alias Kradetz, *ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Salvatoris no-*
„ *ſtri, ipſiuſque illibatæ Genitricis Virginis Mariæ, ac beatæ Catarinæ*
„ *Virginis, necnon ſanctorum Franciſci Patris Seraphici, Antonii, Ludo-*
„ *vici & Bernardini Confeſſorum, tamquam naturalis hæres, & legitimus*
„ *Dominus præfati oppidi erigimus, fundamus Monaſterium & locum extra*
„ *muros præfati oppidi* Novæ-Domus, *pro Fratribus ſacri Ordinis Mi-*
„ *norum, de Obſervantia nuncupatis: Et quantum in nobis eſt, fundatione*
„ *inter vivos irrevocabili, perpetuo his noſtris litteris confirmamus, conce-*
„ *dimus quoque, & legitime donamus, & vigore præſentium in perpetuum*
„ *reſignamus venerabili Patri Jacobo de Majori Glogavia, ejuſdem Ordinis,*
„ *Provinciæ Boemiæ Vicario, & Fratribus ejus præſentibus & futuris,*
„ *pro Eccleſia, cœmeterio, ambitu & Monaſterio, hortis & hortalitiis,*
„ *aliiſque officinis, juxta morem eorum conſtruendis, domum & aream,*
„ *hortos & prata extra Portam præfati oppidi in præurbio novæ plantatio-*
„ *nis, juxta viam profundam, quæ ducit ad flumen & pontem Urbani ſic*
„ *dicti; & hoc pro noſtra Anteaſtorum ac Succeſſorum noſtrorum ſalute,*
„ *præcipue pro felici incremento, & perenni ſtatu civium & Communitatis*
„ *oppidi noſtri prædicti* Novæ-Domus.
„ *Ceterum, cum Fratres prædicti ex eorum Regula, nudi temporali-*
„ *bus, in celſitudine paupertatis Evangelicæ degentes, Domino famulentur*
„ *devoti, ut quietius contemplationi & devotioni inſiſtant, & ne tempora-*
„ *libus quacumque graventur occupatione, ſecundum Inſtituta Apoſtolica,*
„ *habere poſſunt Procuratores ſuos, qui res & prætia rerum eiſdem oblata,*
„ *quæ ipſi contingere & contrectare non poſſunt, capiunt & tenent, & in*
„ *neceſſitatibus occurrentibus Fratribus ſubveniunt: quare præſentibus*
hor-

,, *hortamur & rogamus, imo potius ſtrictiſſime mandamus Civibus & Com-*
,, *munitati præfatis præſentibus & futuris, ut in occurrentibus neceſſitati-*
,, *bus Fratribus antedictis ſint benigni & favorabiles, & eorum amici ſpi-*
,, *rituales, ſemper ex eis aliquem idoneum & Deo devotum concedant Procu-*
,, *ratorem ab eiſdem Fratribus nominandum, pro quibus & ipſi Fratres*
,, *erga Deum fideliſſimi fore debent exoratores. In quorum omnium & ſingu-*
,, *lorum robur firmius & lucidius teſtimonium, has noſtras præſentes litte-*
,, *ras, noſtris naturalibus ſigillis, de certa liberaque ſcientia noſtra feci-*
,, *mus cum appenſione munitas. Dat. &c. Acta ſunt anno ab Incarnatione*
,, *Jeſu Chriſti* MCCCCLXXVIII. *die* III. *menſis Junii.*

,, *Andreas* de Teltz *Concivis Novodomen. Scribaque Magnifici*
,, *Domini Henrici de Novadomo me fecit.*

,, III. Ut in inſula Sardiniæ pro Fratribus Obſervantibus ædificaretur
,, domus, e Vaticano exiit diploma: *Piis fidelium &c.* VII. Idus Junii; &
,, conceſſo beneficio fratri Zachariæ de Vulturis: *Religionis zelus &c.*
,, XIII. Kalend. Junii, ut domus quam a Puteolis paſſibus trecentis con- *Harol. ad ann. 1472. n. 27.*
,, ſtruere cœperat ſub titulo ſancti Joannis Baptiſtæ *Diomedes Caraffa*,
,, hoc anno traderetur Fratribus de Obſervantia, indultum eſt: *Eximiæ* *Ex Vatic.*
,, *devotionis &c.* XI. Kalend. Julii. Sanctimonialium vero Conimbricen-
,, ſium neceſſitatibus proſpiciendo, habere bona temporalia, & poſſidere
,, illis permiſſum fuit IX. Kalend. ejuſdem: *Injunctum nobis &c.* Indul-
,, gentia vero conceſſa pro Conventu de Villa Cerbaria, Vincentinæ diœ-
,, ceſis: *De cunctorum &c.* IV. Kalend. præfati. Cuidam Mariæ Tertii In-
,, ſtituti ſancti Patris Franciſci peregrinatio in Terram ſanctam permiſſa
,, fuit: *Pium & meritorium &c.* Idibus Julii. & Clariſſis Guardiæ eligere
,, Confeſſorem ex Fratribus Regularis Obſervantiæ: *Digna reddimur &c.*
,, XV. Kalend. Auguſti. Fratri Petro *Diaz* Tertiario Burgenſi poſſe con-
,, ſtruere Eccleſiam: *Romanus Pontifex &c.* Kalend. præſati, necnon Mo-
,, naſterio ſancti Bernardini de Cantalupo, Mediolanenſis diœceſis horto
,, quodam conceſſo: *Ex injuncto &c.* XIV. Kalend. Septembris, Fratribus
,, Joanni *de Atemburgh* VI. Kalend. Octobris: Ludovico Cauda de Vora-
,, gine XVIII. Kalend. Decembris: Bernardino Crucelli de Caſtro, X. Ka-
,, lend. Januarii, beneficia conceſſa fuere: *Religionis zelus &c.*
,, IV. Non negligenda memoria occurrit Patris fratris Alexandri In-
,, ſubri, ex Alexandria Paleæ nuncupata, qui ſacri Montis Sion prope
,, Hieruſalem primicerius, in ſuo munere vigil, non tam doctrina, quam
,, vitæ ſanctimonia ceteris prælucens, adeo ſplenduit & admiratus fuit, *Marc. Ulyſſip. Chron. p. 3. l. 6. c. 22.*
,, ut non tantum Chronica eum digne commemorent, ſed etiam in Mar-
,, tyrologio noſtri Ordinis locum & diem habere meruerit. Præſtat vero *Hiſt. Fran. ad diem 18. Februarii.*
,, etiam reminiſci piiſſimæ Yolantis Duciſſæ Sabaudiæ, quæ relicta Ame-
,, dei IX. in oppido Montis Caprelli, diœceſis Vercellenſis, hoc anno ſu- Obitus Duciſſæ Yolantis.
,, premum diem clauſit; ſepulturam attamen nacta Vercellis ad Virum
,, ſuum, in Eccleſia ſancti Euſebii: pietate claram, quæ fecit, oſtendunt,
,, ſedulitas in imperio regiminis pro filio, morum honeſtas, devotio erga
,, pauperes Minoritas, & præcipue erga Sanctimoniales ſanctæ Claræ, qui-
,, bus (ait Guicenonius) duo Monaſteria fundavit, unum Chamberii in
,, Sabaudia, & alterum Gebennæ ad Lacum Lemannum; ſed his adde
,, tertium Vercellis, licet ſecundum ſua vota, morte præventa, haud
,, uſquequaque complere potuerit.

AR-

ARGUMENTUM.

Minoritæ duo pacem promovent inter Hungariæ, Boemiæ & Poloniæ Reges. Habentur Comitia Generalia Patrum Conventualium. Prædicatoribus & Minoribus magna conceduntur privilegia. Bernardinus Feltrenſis multa exhibet ſuæ pietatis argumenta. Michaelis de Barga virtutes & merita referuntur. Commemorantur aliquot Principes Minoritis addictiſſimi. Florent Viri pii & docti. Creantur Epiſcopi. Multiplicantur domicilia.

Fr. Gabriel Veronenſis Legatus pacis ad ttesReges.

I. SÆVIENTE bello inter Matthiam Hungariæ ex una parte, & Caſimirum Poloniæ, ac Wladislaum Boemiæ Reges ex altera, Gabriel Minorita, ex Agrienſi Epiſcopo recens creatus Cardinalis, Legatus inſtituitur pacis procurandæ. Antea miſſus ex Minoribus alter, Balthaſſar de Piſcia, qui Wratislaviæ degebat, collata ei Nuncii Apoſtolici dignitate. De utroque conqueruntur Scriptores Poloni, quod magis propenderent in favorem Matthiæ, & injuſte Piſcianus ob hæreſis ſuſpicionem & notam Polono & Boemo ſacris interdixerit, & Cardinalis paci conciliandæ miſſus, potius bellum ſuaderet. At Codices MSS. Vaticani rerum a Sixto geſtarum aliter recenſent, & Gabrielem a re bene peracta commendant. Sed & ipſe Cromerus primus narrationis auctor, etſi prius Gabrieli detraxerit, mox dicit inferius: *Nec deerat pacem ſuadendo, & orando Gabriel Legatus Pontificius*. Citatur pro inviſa Legatis narratione Trithemius in Chronicis, ſed nullibi hoc apud ipſum reperio.

Item frater Balthaſſar Piſcianus.

Cromer. l. 29. rerum Polonic. Bzov. an. 1478. n. 8.

Diaria Sixti IV. Sixtus recipit honorifice Ducē Saxoniæ Romipetam.

II. Die 11. Martii hujus anni in Urbem venit voti ſolvendi cauſa Erneſtus Dux Saxoniæ, ſacri Romani Imperii Elector & magnus Mareſcallus, Ducibus Bruſvicenſi & Eneburgenſi aſſociatus. Pulla & modeſta veſte ſcutulum baculi eburnei, peregrinantium inſigne, univerſus co nitatus ducentis conſtans equitibus præferebat, eoque procedebat ordine, & decoris gravitate, ut vere ad pietatis officium, non ad Majeſtatis oſtentationem veniſſe videretur. Obvias miſit Pontifex ad Portam Flamineam ſuam Cardinaliumque familias. Generoſo vectus equo, medius procedebat Saxo inter Georgium Cardinalem Hesler Germanum, Epiſcopum Herbipolenſem, & Franciſcum Picolomineum Diaconum ſancti Euſtachii, Archiepiſcopum Senenſem. A Pontifice ſummo exceptus honore, roſa aurea, paulo ante ejus adventum conſecrata, donatus eſt. Multis magnifque donariis, publicis ſpectaculis, frequentiſſima & jucundiſſima venatione, epulo magnifico, a Hieronymo Riario Pontificis nepote & adminiſtro inſtitutis, exhilaratus, ſacris muneribus a Pontifice ſuperadditis, receſſit ex Urbe die XIII. Aprilis, redeuntem comitantibus illis Cardinalibus qui venientem aſſociarunt.

Comitia Generalia Ordinis 96. Romæ. *Mariam. l. 5. c. 42. Marc. 3. p. l. 6. c. 35. Rodul. fol. 244.*

III. Hoc anno die XXVIII. Maii in feſto Pentecoſtes indixit Romæ ad ſanctos Apoſtolos Sixtus Pontifex Comitia Generalia Patrum Conventualium, quibus ipſe interfuit. Præter unam Miniſtri Generalis confirmationem nihil peculiare aut ſcriptione dignum in iis peractum eſt. Orta inter dictos Patres Conventuales & Obſervantes controverſia propter iſtorum tranſitum ad Conventuales, Pontifex utrique Vicario, Ciſmontano ſcilicet & Ultramontano has litteras dedit, iſti malo remedium adhibituras.

Di-

Dilecto filio Angelo de Clavaſio Vicario Generali Ciſmontano Ordinis Minorum de Obſervantia.

IV. *Dilecte fili, ſalutem &c. Paulus II. fel. record. prædeceſſor noſter immediatus, nobis tunc in minoribus conſtitutis, ſuadentibuſque ac ſupplicantibus, certas ſuper concordia Fratrum Ordinis beati Franciſci Obſervantum & Conventualium ſub bulla plumbea edidit litteras, quibus inter cetera Apoſtolica auctoritate decrevit, & ſub gravibus pœnis ac cenſuris inhibuit, ne Fratres Conventuales aliquem de Obſervantia abſque ſui ſuperioris licentia non ſolum petita, ſed impetrata, recipere, aut in ſuis locis quoquo modo tenere poſſint aut debeant. Nos quoque poſtquam, ipſo Paulo Prædeceſſore, ut Deo placuit, de humanis ſublato, ad ſummum Pontificatum evecti fuimus, litteras hujuſmodi & voluimus & ſtaduimus in ſuo robore præſervare, ut in eo Ordine, in quo, diſponente Domino, coaluimus, pax & concordia ſervaretur. Quare, cum nuper ex querela ad nos delata intellexerimus, nonnullos de Obſervantia Fratres hujuſmodi, licentia non obtenta, a ſuperiorum ſuorum obedientia receſſiſſe, & ab ipſis Conventualibus Fratribus, aliiſque Religioſis receptos fuiſſe, etiam forte ſub aliquarum noſtrarum litterarum prætextu: Nos intendentes, quod numquam fuit noſtræ intentionis litteris ipſis dicti prædeceſſoris in aliquo derogare, aut cuiquam licentiam recipiendi dictos de Obſervantia Fratres, qui expreſſam ſuperiorum licentiam non haberent, concedere; tuis honeſtis in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus & tenore præſentium declaramus, tibique, de quo plurimum in Domino confidimus, plenam facultatem concedimus, quod omnes & ſingulos Fratres, Obſervantiam Ordinis antedicti profeſſos, qui hactenus non impetrata ſuperiorum ſuorum licentia, receſſerunt, retrahere, ad obedientiamque reducere, & juxta ſalutaria Ordinis & Regulæ inſtituta corrigere ac punire poſſis: omnibus & ſingulis apud quos Fratres ipſos eſſe continget, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandantes, ut illos, poſtquam a te fuerint requiſiti, manifeſtare, & abſque mora & contradictione in manus tuas, vel Vicariorum & Commiſſariorum tuorum reſtituere debeant: Gratiis, litteris & conceſſionibus noſtris & Apoſtolicæ Sedis in genere aut in ſpecie quomodolibet, ſub quacumque verborum forma conceſſis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Et inſuper, quia præſenti anno, dum Generale Capitulum Ordinis ejuſdem Sancti celebraretur, ex abundantia caritatis, omnibus & ſingalis ejuſdem Ordinis perſonis indulſimus, ut Confeſſorem eligere, & a caſibus reſervatis a Prælatis eorum abſolvi valerent, quæ res, ut accepimus, multos ad peccandum procliviores reddere, & a jugo obedientiæ ſeducere poſſet; declaramus pariter ac volumus, quod Fratres tuæ curæ ſubjecti, in caſibus reſervatis Miniſtris non poſſint niſi de tua aut Vicariorum Provincialium licentia abſolvi; Litteris noſtris ſub quacumque verborum forma eiſdem Miniſtris & Fratribus conceſſis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Et inſuper ad evitandos diſcurſus Fratrum, concedimus quod omnes Vicarii Provinciarum poſſint abſolvere omnes Fratres a cenſuris, & diſpenſare cum eis ſecundum tenorem conceſſionis fel. rec. Clementis Papæ IV. & noſtræ additionis: Non obſtantibus limitatione ſeu reſtrictione poſtmodum a nobis facta, qua id ſolum ad Miniſtrum Generalem & ejus Vicarios reſtringi & limitari diſpoſueramus. Verum, qaia difficile foret has litteras ad diverſas Mundi partes mittere, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod harum tranſumpto, manu publici Notarii ſub-*

Ex originali. Prohibetur tranſitus Obſervantum ad Conventuales.

Auctoritas abſolvendi a caſibus reſervatis ſpectat ad ſolos Vicarios.

Vicariis Provinciarum licet abſolvere a cenſuris.
Vide an. 1474. n. 17.

ſubſcripto, & ſigillo officii tui munito, tamquam præſentibus litteris originalibus firmiter ſtetur, & ea fides adhibeatur, ac ſi eædem originales litteræ exhibitæ forent vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXVIII. *Octobris* MCCCCLXXIX. *Pontificatus noſtri anno* IX.

Dilecto filio Vicario Generali Ultramontano Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex originali. – Prohibet tranſitum Obſervantum ad Conventuales.

V. *Dilecte fili, ſalutem &c. Feciſti nobis nuper humiliter ſupplicari, dignaremur benignitate paterna opportuno tibi adeſſe remedio ad continendum in obedientia Fratres tuæ curæ ſubditos, quorum aliqui plerumque vagantur ex eo, quia nonnulli dicti Ordinis Fratres, tuæ curæ non ſubjecti, litteras & indulta a nobis ſe habere aſſerunt recipiendi Fratres de Obſervantia, contra & præter formam litterarum fel. rec. Pauli Papæ II. noſtri prædeceſſoris, ſuper concordia Obſervantum & Conventualium Fratrum dicti Ordinis editarum. Quocirca recolentes, quod nos, dum in minoribus ageremus, ſuaſores ipſi Paulo prædeceſſori fuimus edendi hujuſmodi litteras, quodque nec fuit, nec eſt noſtræ intentionis prædictis litteris concordiæ, quas utiles & perneceſſarias eſſe cognoſcimus, in aliquo quoad hoc derogare, volumus & tenore præſentium declaramus, quod quicumque Frater tuæ curæ ſubjectus, abſque licentia tua aut ſui Provincialis Vicarii præſumat recedere, ipſo facto excommunicationis pœna ligatus ſit, quam pœnam, ultra illas in litteris dicti prædeceſſoris contentas, receptores quoque illorum incurrent: quibuſcumque privilegiis, litteris & indultis in genere vel in ſpecie, locis aut perſonis quibuslibet per nos conceſſis, etiam ſi talia eſſent, quod de eis eorumque totis tenoribus præſentibus habenda eſſet expreſſa & ſpecifica, ac de verbo ad verbum mentio ſpecialis, quæ omnia harum ſerie revocamus, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XVI. *Octobris* MCCCCLXXIX. *Pontificatus noſtri anno* IX.

Prædicatoribus & Minoribus multa conferuntur privilegia.

VI. Ordinibus Prædicatorum & Minorum in Eccleſiæ Catholicæ miniſterium aſſidue & utiliter laborantibus, gratuita ſtatuit præmia deſignare, eaque concedere privilegia, per quæ commodius Sedi Apoſtolicæ poſſent inſervire, & adverſantium moleſtias cohibere. Multiplicis conceſſionis porrigo inſtrumentum.

Ad perpetuam rei memoriam.

Speculum Minor. tract. 2. fol. 67. Præclara elogia utriuſque Ordinis.

Exod. 25. 20.

Num. 10. 2.

Sacri Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordines inſtar duorum primorum fluminum, a cæleſtium voluptatum & amœnitatum paradiſo egredientium, ſacroſanctæ univerſalis Eccleſiæ terram, ne mundanarum cupiditatum & vitiorum calore areſcat, præclaræ doctrinæ virtuoſorumque operum, ac multiplicum meritorum imbribus irrigantes, magis atque magis illam in dies fructuoſam efficiunt. Hi ſunt duo Seraphim, qui in ſublime contemplationis & ſacrificii amoris alis elevati, a terreniſque rebus abſtracti, aſſidue Divinarum laudum clamore, & immenſorum beneficiorum humano generi a ſummo opifice Deo exhibitorum declaratione, ferventiſſimis prædicationibus populos inſtruendo, & ad cæleſte iter dirigendo inſiſtentes, multiplicata talenta eis credita Domino Deo mundæ ſegetis, animarum ſcilicet, Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti pretioſi Sanguinis effuſione redemptarum, copioſos in horrea ſanctæ Eccleſiæ manipulos referunt. Hi ſunt duæ tubæ, per quas Domi-

*minus præcepit ad populum, ſacri evangelii populum univerſum aſſiduis præ-
dicationibus advocare, ut in omnem terram exiret ſonus eorum, & redderet
ſibi populum acceptabilem, bonorum operum ſectatorem. Ad prædictorum* Pſal. 18. 5. Tit. 2. 14.
*igitur Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordines, quos eorum ampliſſimis
meritis & uberrimis fructibus, quos in Dei Eccleſia continue afferunt, præ
ceteris paterna caritate diligimus, noſtræ conſiderationis intuitam dirigen-
tes, illa eis libenter concedimus, quæ in eis optatæ quietis fructum inducant,
& ſtatum eorum faciant pacificum & tranquillum. Dudum ſiquidem, ut Or-
dinum eorumdem Profeſſorum ſtatui & quieti conſuleremus, motu proprio
nonnullas litteras diverſorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum no-
ſtrorum dictis Ordinibus conceſſas, & in illis contenta approbavimus, &
quoad aliqua declaravimus, ampliavimus & extendimus, ac nonnulla eis de
novo conceſſimus; prout in diverſis noſtris litteris deſuper confectis plenius
continetur. Cum autem, ſicut poſtmodum accepimus, per hujuſmodi amplia-
tiones, declarationes, extenſiones & conceſſiones, adhuc totali eorumdem Or-
dinum, & illorum profeſſorum quieti plene, ut expedit, non conſulatur:
aſſeraturque a nonnullis, per eaſdem litteras omnes gratias ſpirituales &
temporales dictis Ordinibus, & eorum domibus & Fratribus a prædeceſſori-
bus noſtris conceſſas, approbatas non fore; Nos attenta meditatione penſan-
tes, quantum utilitatis ad exaltationem Chriſtianæ fidei, & Evangelicæ
veritatis Ordinum prædictorum profeſſores hactenus attulere, & afferre va-
leant, adjuvante Domino, in futurum, ac propterea volentes, ut tenemur,
eorum tranquillitati uberius providere, motu ſimili, non ad ipſorum Fratrum
& Sororum, aut alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam,
ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia quaſcumque litteras &
gratias ſpirituales & temporales, conceſſiones & indulgentias & peccatorum
remiſſiones in genere vel in ſpecie Fratribus & Sororibus Prædicatorum &
Minorum Ordinum, & domorum eorumdem, necnon viſitantibus eorum Ec-
cleſias & Capellas & Oratoria conceſſas; quarum tenorem, ac ſi de verbo ad
verbum præſentibus insererentur, haberi volumus pro expreſſo, præſentium
tenore approbamus, & robur firmitatis perpetuæ obtinere decernimus, pro-
que potiori cautela, Apoſtolica auctoritate de novo, juxta litterarum deſuper
conceſſarum continentiam & tenorem, concedimus & largimur. Et ut Eccle-
ſiæ, domus & Oratoria Prædicatorum & Minorum Ordinum prædictorum,
per univerſum Orbem conſtructæ & ædificatæ, & quæ conſtrui & ædificari
continget in futurum, congrua devotione a Chriſtifidelibus viſitentur, ac quæ
imperfectæ ſunt, perficiantur & ad complementum deducantur, ac completæ
conſerventur & manuteneantur, necnon paramentis, & aliis ad Divinum
cultum neceſſariis, debite ornentur, ipſique Chriſtifideles ad dictas Eccleſias
eo libentius confluant, & ad præmiſſa manus promptius porrigant adjutri-
ces, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos; de
Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli
auctoritate confiſi, univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus utriaſque ſexus, vere
pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſias & Oratoria domoram Fratrum præ-
dictorum in ſingulis ſancti Dominici, & ſancti Franciſci centum annos & to-
tidem quadragenas, & in ſanctorum Petri Martyris, Thomæ de Aquino,
Vincentii, & ſanctæ Catarinæ de Senis, ac ſanctorum Antonii de Padua,
Ludovici Epiſcopi, Bernardini, & ſanctæ Claræ, & beatæ Eliſabethæ feſti-
vitatum diebus, a primis veſperis & per totum diem ipſarum feſtivitatum,
quinquaginta annos & totidem quadragenas, devote viſitaverint annuatim,
& manus ad præmiſſa, aut eorum aliqua porrexerint adjutrices, de injunctis*

Forma confeſſionalis edita per Sixtum IV.

pœnitentiis eis nunc relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Et ut prædictorum Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres tanto ferventius Divinis beneplacitis inſiſtant, quanto majoribus ſpiritualibus ſe viderint gratiis fore munitos, omnibus & ſingulis Prædicatorum & Minorum Ordinum prædictorum profeſſoribus, qui nunc & pro tempore perpetuo erunt, ut confeſſor idoneus eorumdem Ordinum, quem quilibet pro ſe de ſui Superioris licentia duxerit eligendum, eorumdem confeſſione diligenter audita, pro commiſſis per eos exceſſibus & peccatis, ſemel in vita, in forma confeſſionalis per nos edita, in mortis articulo plenariam abſolutionem & peccatorum bujuſmodi remiſſionem impendere valeat, etiamſi ante factam eorumdem Ordinum profeſſionem eos decedere contingeret, ſimilibus motu, ſcientia & auctoritate indulgemus. Facultatem vero a prædeceſſoribus noſtris conceſſam Magiſtro Generali, Prioribus Provincialibas & Conventualibus, ac eorum Vicariis, necnon Cuſtodibus Minorum, Ordinum prædictorum, ſuper abſolutione Fratrum eorumdem Ordinum ſuorum, & diſpenſatione cum eiſdem in quibuſcumque caſibus, præterquam illis, pro quibus eſſent ad Sedem Apoſtolicam mittendi, & per nos approbatam, cum declaratione caſuum pro quibus mittendi ſunt, perſtringentes, volumus quod Magiſter & Miniſter Generales, eorumque Vicarii, & illi, quibus ipſi pro tempore duxerint committendum dumtaxat, & non alii facultate prædicta de cetero uti poſſint, illam omnibus aliis penitus adimentes. Et ne propter Monaſteria Monialium ſeu Sororum, ſub cura & inſtitutis Ordinis prædicti Fratrum Prædicatorum, & ſanctæ Claræ ſeu ſancti Damiani Ordinum, ſub ejuſdem Fratrum Minorum Ordinis cura degentia, & ſancti Dominici, & ſancti Franciſci de pœnitentia nuncupatorum Ordinum utriuſque ſexus perſonas, contingat eorumdem Fratrum quietem turbari; motu, ſcientia & auctoritate prædictis, ſtatuimus, quod bujuſmodi Monaſteria & loca, eorumque Abbatiſſæ, Prioriſſæ, Procuratores, Syndici, oblati & utriuſque Tertii Ordinis prædicti de pœnitentia nuncupatæ perſonæ prædictæ, eiſdem privilegiis & immunitatibus, gratiis, favoribus, conceſſionibus, indultis ſpiritualibus & temporalibus, prædictis Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus, & illorum profeſſoribus, domibus & locis, ac Procuratoribus & Syndicis, oblatis & converſis, ſeu aliis quomodolibet per prædeceſſores noſtros, aut nos hactenus conceſſis & in poſterum concedendis quavis auctoritate, quatenus earum ſexui & ſtatui non contradicant, libere & licite uti poſſint & debeant in omnibus & per omnia prorſus & ſine ulla differentia, ac ſi iiſdem Monaſteriis, locis & perſonis, Abbatiſſis, Syndicis, Procuratoribus, oblatis & converſis Sororum & Monialium eorumdem, ac perſonis utriuſque ſexus de pœnitentia bujuſmodi nominatim conceſſæ forent, & concederentur expreſſe. Præterea, quia, ut intelleximus, exortis nonnumquam controverſiis inter locorum Ordinarios, eorumque Vicarios ſeu officiales & curatos, & Fratres prædictorum Ordinum, variis occaſionibus locorum Ordinarii eorumque Vicarii, ſeu officiales & curati prædicti, ne Chriſtifideles Fratribus ipſis pias eleemoſynas erogare præſumant, ſuadere ac etiam ſub cenſuris inbibere, ac erogantes excommunicatos fore, prædicare ſeu prædicari facere, ſeu pronunciare præſumunt; locorum Ordinariis eorumque Vicariis, ſeu Officialibus & curatis prædictis, ac etiam aliis quibuſcumque dicta auctoritate mandamus, ut ab bujuſmodi perſuaſionibus, inbibitionibus & mandatis de cetero prorſus & omnino abſtineant: decernentes inbibitiones ipſas & mandata nullius exiſtere firmitatis, & illis contravenientes cenſuris bujuſmodi minime ligari, ac eoſdem perſuadentes & inbibentes, mandatoque noſtro bujuſmodi obtemperare non cu-

curantes, niſi pœnituerint, & perſuaſiones & inbibitiones ac prædicta revocaverint infra triduum, poſtquam deſuper requiſiti fuerint, eo ipſo Ordinarios interdictum ingreſſus Eccleſiæ, ac ſuſpenſiones a regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, alios vero inferiores ab eis excommunicationis ſententiam incurrere. Cum autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum & Minorum ſpecialem gerentes devotionis affectum, eorum cadavera cum habitu Fratrum Prædicatorum vel Minorum, ſeu Fratrum vel Sororum de pœnitentia utriuſque Ordinis prædictorum ſepeliri mandent, & perſæpe antequam moriantur, habitum hujuſmodi eis poſtulant exhiberi; decernimus habitum hujuſmodi per Priorem domus Ordinis Prædicatorum, aut Guardianum domus Ordinis Minorum loci in quo tales decedere contingeret, vel per ſuperiorem Prælatum ipſorum Ordinum & domorum, ſeu Prioratus & Guardianiæ, vel cui illi duxerint committendum dumtaxat, & non per alium, quavis auctoritate vel prælatione fungentem, exhiberi debere: qui prædictum habitum recipientibus declarare teneatur, apud eorum Ordinum Eccleſias debere ſepeliri in eorum obitu, quorum habitum ſuſcipiunt, & illorum ſic indutorum cadavera, ſic diſcooperta, nullo pallio vel tegumento ſuperimpoſito, cum habitu hujuſmodi ad ſepulturam deferri poſſe; Ordinariorum etiam ſub cenſuris prohibitione, & ordinatione locorum qualibet in contrarium edita, non obſtante, quas quoad hoc modificamus. Et ne ex habilitationibus ad unum vel plura beneficia Eccleſiaſtica in titulam vel commendam obtinenda, cum facultate ut interim donec illa aſſequantur, pro capellanis aliorum in beneficio deſervire; & quod etiam poſtquam beneficia hujuſmodi aſſecuti fuerint, in domibus dicti Ordinis reſidere; cameras habere in illis, & in Generalibus Capitulis Fratrum eorumdem Prædicatorum & Minorum Ordinum vocem activam & paſſivam habere, ac privilegiis, favoribus, gratiis, & indultis conceſſis ipſorum Ordinum profeſſoribus gaudere poſſint, præfatis Ordinibus & illorum profeſſoribus gravamen inferatur: eiſdem motu & auctoritate decernimus hujuſmodi conceſſas, & quas eis concedi contigerit habilitationis litteras intelligi & interpretari debere, ut Fratres ipſi, quibus litteræ hujuſmodi conceſſæ ſunt & concedentur in poſterum, quandocumque per Sedem prædictam, poſtquam aliquod beneficium adepti fuerins pacifice, aut pro capellanis in aliquibus Eccleſiis cœperint deſervire, conceſſionibus prædictis, prout vocem activam & paſſivam, reſidentiam in domibus dictorum Ordinum, ac retentionem dictorum domorum, camerarum, & alia commoda Ordinum præfatorum ſunt concernentia, de eorumdem Ordinum Prælatorum conſenſu dumtaxat gaudere poſſint, & non alias nec alio modo: Idem ſtatuentes de promotis ad Cathedrales, etiam titulares appellatas, Eccleſias & alias dignitates Eccleſiaſticas. Ceterum ut dictorum Ordinum profeſſores, qui Inquiſitores hæreticæ pravitatis pro tempore in diverſis mundi partibus deputantur, tanto diligentius eorum officia ſtudeant exercere, ac ab illicitis & eis prohibitis abſtinere, quanto cognoverint poſſe eorum errores facilius corrigi & puniri; quod Magiſter Prædicatorum & Miniſter Minorum Ordinum prædictorum Generales præfati, nunc & pro tempore exiſtentes, geſta pro tempore per ipſos Inquiſitores ſuorum Ordinum reſpective examinare, & querelas contra illos propoſitas audire, ac ſuper illis, quantum eis juſtum & æquum videbitur, ſtatuere, non tamen in una eademque diœceſi multiplicare, libere & licite valeant. Et Prædicatorum in Minorum, & e contra Minorum Ordinum prædictorum inquiſitores in Prædicatorum Ordinum hujuſmodi profeſſores quoſcumque officio Inquiſitionis hujuſmodi fungi, illudque exercere nullatenus poſſint, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, de præſentibus

litteris ſpecificam & expreſſam faciente mentionem. Poſtremo, quia Prædicatorum & Minorum Fratrum prædictorum Ordinum Profeſſores pro fidei Catholicæ dilatione, incremento & defenſione continue indefeſſe laborant, & eorum exemplari vita, prædicationibus verbi Dei, audientia confeſſionum, ſana doctrina, aſſidua ſacrarum litterarum inſtructione, & devota Divinorum officiorum celebratione, hæreticorum extirpatione, aliiſque innumeris piis operationibus, præ ceteris Ordinum Mendicantium Profeſſoribus, fructus in Eccleſia Dei ſalutares copioſius attulerunt hactenus, & continue afferre non ceſſant, atque allaturos in futurum, Deo propitio, ſpe firma tenemus, & propterea convenit, ut ipſi præ ceteris, ampliores favores, & gratiarum prærogativas a præfata Sede recipiant & reportent, aliorumque Ordinum Mendicantium indaltis & privilegiis apud Sedem præfatam gaudeant, ne illis inferiores eſſe videantur; omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, peccatorum remiſſiones, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia & indulta ſpiritualia & temporalia, qualiacumque ſint, Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum, & Servorum beatæ Mariæ Fratrum Ordinibus, & illorum Eccleſiis & Oratoriis & domibus, Prioribus, Fratribus & Sororibus, converſis & oblatis, utriuſque ſexus perſonis de pœnitentia nuncupatis, & a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus prædictis, & a nobis aut aliis auctoritatem habentibus, quæ omnia ac ſi nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro ſufficienter expreſſis, conjanctim vel diviſim, in genere vel in communi conceſſa, eiſdem & eorum cuilibet Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordinibus, domibus, Eccleſiis, Oratoriis, Generali Magiſtro & Miniſtro, Prioribus & Miniſtris Provincialibus, Conventualibus Prioribus & Guardianis, Sororibus, oblatis, converſis, & utriuſque ſexus Tertii Ordinis, ſeu de pœnitentia nuncupatis, & aliis eorumdem Ordinum perſonis de novo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac ſi eiſdem nominatim, directe & expreſſe conceſſa fuiſſent. Mandantes etiam motu, ſcientia & auctoritate prædictis, ut dum privilegiorum, indulgentiarum, prærogativarum, conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum & indultorum dictorum Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarum, & Servorum beatæ Mariæ originales litteræ ſeu tranſumpta autentica ex illis, pro & in favorem Eccleſiarum, domorum & Fratrum prædictorum Prædicatorum & Minorum Ordinum adducerentur vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur tam in judicio, quam extra judicium, & aliis locis quibus opus fuerit, ac ſi pro & in favorem dictorum Ordinum, Eccleſiarum, domorum & Fratrum Prædicatorum & Minorum a Sede Apoſtolica emanaſſent, ac eis & cuilibet ipſorum fuiſſent immediate conceſſæ. Inhibentes diſtrictius ipſis locorum Ordinariis, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ & ſuſpenſionis a regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, & parochialium Eccleſiarum rectoribus, & aliis quibuſcumque, ſub excommunicationis latæ ſententiæ & privationis earumdem Eccleſiarum parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa & alia in poſterum obtinenda, pœnis, eo ipſo quod contrafecerint, incurrendis, ne perſonis quibuslibet Eccleſiaſticis vel ſecularibus, in genere vel in ſpecie, directe vel indirecte aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent vel ſtatuant, quominus Ordines prædicti, illorum domus & Profeſſores prædictis gratiis ſibi conceſſis libere uti poſſint: non obſtantibus quibuſcumque Apoſtolicis ſuſpenſionibus, revocationibus, reſtitutionibus, ac in provincialibus & ſynodalibus conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, necnon Pariſien. & aliorum locorum generalium ſtudiorum Univerſitatibus, & Curiæ Vicege-

gerentiæ Avenionis , & quibuſvis ordinariis Prælatis , & perſonis conceſſis & concedendis litteris & privilegiis , ac per illos deputatis in eis conſervatoribus privilegiorum hujuſmodi facultatibus, & juriſdictione cum quibuſvis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus & inſolitis , quibus omnibus illa , etiamſi de eis eorumque totis tenoribus , & datis non per hujuſmodi generales clauſulas , etiam ſpecialem mentionem importantes , ſed ſpecifica & individua ac de verbo ad verbum , ſeu quævis alia mentio habenda eſſet , præſentibus pro expreſſis habentes , illis alias in ſuo robore permanſuris , quoad præmiſſa ſpecifice & nominatim derogamus , & ea nemini in præjudicium præmiſſorum ſuffragari poſſe aut debere , & irritum & inane quidquid ſecus contigerit attentari , decernimus , necnon omnibus illis , quæ in dictis litteris noſtris præfatis Ordinibus conceſſis volumus non obſtare , ceterisque contrariis quibuſcumque . Verum , quia difficile foret præſentes litteras ad ſingulas provincias originaliter deſtinari , volumus & dicta auctoritate decernimus , quod tranſumptis earum , manu Notarii publici, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditoris , vel Protectoris , qui eſt vel pro tempore erit , aut alicujus Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis , ſeu cujuſcumque in dignitate conſtituti ſigillo munitis , ea prorſus in judicio & extra , ubicumque exhibita vel oſtenſa fuerint , fides adhibeatur indubia , ac ſi ipſæ originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis , conſtitutionis , conceſſionis , largitionis , induiti , præſcriptionis, voluntatis , ademptionis, ſtatuti, mandati , decreti, inhibitionis & derogationis , infringere , vel ei auſu temerario contraire . Si quis autem hoc attentare præſumpſerit , indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum . Datum Romæ apud ſanctum Petrum , anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIX. VII. *Kalendas Auguſti , Pontificatus noſtri anno* VIII.

VII. Bernardinus Feltrenſis a ſuo Vicario Franciſco Contareno Tarviſium miſſus , ut ſermones quadrageſimales haberet in Eccleſia cathedrali, eo prædicavit fructu , ut fœda quæque vitia eliminarit , blaſphemiam præſertim & inceſtus, quibus urbs illa maxime laborabat, ejus hortatu latis per Magiſtratum ſeveriſſimis legibus in publice peccantes . Mulieres nudis pectoribus mammilliſque laſcive incedentes , potenti frequentique ſermone induxit , ut ad mentum uſque obducerent operimentum . Poſt Paſcha ad capitulum ſuæ Provinciæ Civitatulæ ſeu Citadellæ habitum profectus , & in Guardianatu Patavino confirmatus , in patriam abiit , jumento per capiſtrum ducens pedeſter ſanctum ſenem Sixtum Mediolanenſem , de quo diximus alias . Inde Bellunum, Vincentiam , Paduam abiit, ubique prædicans fructuoſe, ſuo miniſterio, commiſſoque ſibi gregi vigilanter attendens. Civibus peſte infectis noluit deeſſe . Xenodochia , domos , tuguria diſcurrens , omnes vel ad pie moriendum , vel ad tolerandam æquanimiter immiſſam a Deo malorum vindictam excitabat ; Sacramenta miniſtrabat , & egenis emendicata miniſtrabat ſubſidia , donec ipſe in inguine percuſſus per dies multos decubuit . Sanatus opera Clementis a Chian Brixienſis Conſodalis , periti olim in ſeculo aromatarii , iterum ad priſtina rediit pietatis opera , inductamque a quibuſdam ſpe lucri devotionem erga Beatæ Virginis imaginem , quam puellæ paſtoritiæ dicebant apparuiſſe, effugavit , oſtenſis prius indignis artibus, quibus hic cultus augebatur . Brixiam miſſus, ut per Adventus ferias prædicaret , multo fervore quorumdam vitiorum, & criminis peſſimi turpitudinem objecit , nec a reprehenſione deſtitit , quamvis mortem quidam temere ſint comminati, donec fructus retulit copioſos .

Legenda MSS. Bernardinus Feltren. magno prędicat fructu .

To. 12. an. 1456. n. 15.

VIII. Hoc

Moritur Fr. Michael de Barga. Marian citat. Marc. 3. p. l. 6. c. 15. To. 10. an. 1427. n. 16. & Anno 1435. n. 63.

VIII. Hoc anno, die ultimo Aprilis frater Michael de Barga in Cœnobio ſanctæ Mariæ gratiarum, in Vico Bargæ Caferonianiæ pie diem obiit extremum. Ad Religionem admiſit frater Herculanus de Piagale, vir ſanctiſſimus, de quo alias dictum eſt, & optimis moribus inſtruxit. In ſimplicitate cordis & puritate vitæ, omnibus gratus, Inſtitutum quod ſuſcepit, perfecte obſervavit. In ſuos qualeſcumque defectus, vel leviuſculas negligentias ſevere animadvertebat, aliorum erratis tenere compaſſus. In oratione aſſiduus, & in prædicatione indefeſſus, incredibili æſtuabat zelo animarum, eorum præſertim, qui vel ob pauperiem, vel ob locorum incommoditatem ab aliis negligebantur. Excurrebat in agros, pagos & ſilvas; quos reperiebat agricolas vel paſtores, interrogabat, quantum temporis effluxiſſet, quo conſcientiæ labes per ſacram confeſſionem non expiaſſent? piiſque exhortationibus ad pœnitentiam allectorum confeſſiones excipiebat. Dum paſtores fidei rudimenta docebat, ſeque accuſantes audiebat, ut commodius & tranquillius facerent, ſocium pecorum & armentorum cuſtodem adhibebat. Diebus feſtivis ubi judicabat deeſſe Sacerdotes, qui Miſſæ offerrent ſacrificium, celebrare ſolebat in Oratoriis locisque honeſtis, advocans ex montibus & ſilvis montanos & ruſticos, alioqui propter locorum diſtantiam Miſſam non audituros.

Quantus in eo zelus animarum.

IX. Sæviente peſte, infectos viſitabat, Sacramentis recreabat, & morientes ſepeliebat. Inter vicos Gallicani & Bargæ, caupo Florentinus, defunctis contagione filiis univerſaque familia, advocari curavit Michaelem, ut uxori ſeptimo jam menſe prægnanti, & lue periclitanti ſub mortem opitularetur. Confeſſionem excepit, ad pie Chriſtianeque moriendum ſalutaribus monitis excitavit, abortum patientem, quibus potuit modis confortavit, infantulum baptizavit, pauloque poſt morientem inter brachia genitricis jam defunctæ ſepelivit. Tempore Bacchanalium per domos & plateas diſcurrens, puellas a choreis inſaniſque ludis revocabat, quoſque comperiebat per ludicra & lubrica dies illos exigere, ad ſobrietatem & ſeveritatem retrahebat. Dum hæc inſanientium ſpectacula, & noxiæ geſticulationes exercerentur Calignani, tabulatum conſcendens, tanto fervore contra pernicioſam hanc conſuetudinem, certamque modeſtiæ perniciem prædicavit, ut eo anno multiſque ſubſequentibus miſſam fecerint notiſſimam iſtam bonorum morum corruptelam.

Bacchanalium inſanias profligat.

X. Raro miraculo oſtendit Deus ejus doctrinam ſibi fuiſſe gratiſſimam, honoremque voluiſſe illæſum. Dum in Villa Baſylicæ, magno hominum applauſu & auditorum fructu prædicaret, petulantiſſimus juvenis irriſurus ejus conciones, morum e regione Eccleſiæ poſitam conſcendit, prodeuntemque e templo concionatorem, vocibus inconditis geſtibuſque ridiculis excepit, & puerulos ut ſe prædicantem atque æmulatorie geſtientem aſpicerent, convocavit. Res mira! virentibus foliis arbor opaca ſtatim radicitus areſacta, toto ſuo ſpoliata eſt ornatu, & decidentibus comis, tota deformis, dum adhuc juvenis inſideret, apparuit. Hoc prodigio confirmatam voluit Dominus ejus doctrinam, ne contemneretur ceſſaretque tantum animarum lucrum, quantum ille ubique reportabat. Crudeles inimicitias, odia aſpera, ſævaſque hoſtilitates multis in locis extinxit; laſcivos juvenes, vanaſque puellas ad ſaniorem ſenſum, pleroſque ad clauſtra reduxit, corruptos mores correxit, pravas conſuetudines per univerſum agrum Lucenſem & Graſinianæ diſtrictum ablegavit.

Deus ejus conſulit honori.

XI. Prophetiæ ſpiritu clarus, futuros eventus certo prædixit, multorumque vidit intimos cogitatus. Antonio de Partiliano agri Lucenſis viro, ſibi

Prophetice multa prædicit.

ſibi familiari, in itinere præeunti, & de promovendo ad clericatum filio profunde cogitanti, alte inclamavit: *Inanem*, Antoni, *abige cogitatum: ex tuis filiis nullus, quem proponis, ſtatum aſſumet*. Patefactam a longe ſequenti ſecretam cogitationem admirans, Dei famulum verum dixiſſe ex eventu probavit. Eidem Antonio ſibi Bargæ reatus confitenti in memoriam reduxit negligentiam & irreverentiam in audienda re ſacra illa die in itinere commiſſam. Catarinam in Vico Burgi, puellam Deo devotam, extreme morbo laborantem, nullique reatus confiteri volentem, donec adveniret Michael, parentes increpabant, dicentes mortis ſubeſſe periculum, & Michaelem per multa diſtare milliaria apud Cœnobium ſancti Ludovici, oppidi Piſciani*. Ille admonitus, celeriter accurrit, languentem Sacramentis munivit, morienti aſtitit, defunctam ſuis manibus ſepelivit. Suis prædicationibus converſæ, & ad virtutis apicem aſpiranti, vitæque ſanctimonia commendatiſſimæ cuncta hæc officia ſedulus impendit.

* *Nunc Civitatis Epiſcopalis.*

A propinqua morte liberat juvenculum.

XII. In vico Partiliani dum prædictum amicum Antonium inviſeret, triſtem & flentem invenit propter filii mortem vicinam. Ut bono eſſet animo hortatus, dixit: *filius tuus vivet, atque hac ipſa hora ab omni malo liberatus eſt*. Ad hæc hæſitantem manu duxit ut filium perſpiceret incolumem. Dum ſcalas aſcendunt, venit juvenculus in occurſum, matre omnibuſque domeſticis ad miraculi magnitudinem obſtupentibus. Attamen tantæ virtutis viro non defuerunt æmuli, qui per invidiam, & infamiam frequenter exercerent. Omnia tulit æquanimiter, honoris & famæ curam Deo relinquens, per quem factum eſt, ut ipſi calumniatores objecta probra diluerint. Tamdem annis & meritis plenus, octogenarius in Domino, præmiſſis ſacris Eccleſiæ ritibus, obdormivit. Nondum conſtructa Eccleſia, humi ſepultus, plurimis cœpit clarere miraculis, quibus allecti etiam e longinquo plurimi accedebant ſepulcrum veneraturi: Ea tamen aviditate terram reportabant, ut ſæpe aliam oportuerit injicere. Conſtructo demum Templo, corpus ad Altare præcipuum honorifice translatum eſt, ubi aſſiduis claret miraculis.

Claret miraculis.

XIII. Hoc anno, die 11. Februarii Cardinalis Petri de Fuxo aſſerti Minoritæ genitrix Leonora, Navarræ Regina, in ipſo ſui Regni limine, imperium & vitam in urbe Tudelæ religioſiſſime abſolvit. Erga Ordinem Minorum ſumme propenſa, juſſit corpus ſepeliri in Eccleſia ſancti Sebaſtiani extra muros villæ Taſſaliæ, a ſe, ut diximus, ſimul cum Cœnobio ejuſdem Inſtituti, antequam ad Regni ſolium conſcenderet, egregie fabricata, multiſque muneribus decorata, ubi etiam in domo conjuncta ſolebat commorari. Templum & Cœnobium poſtea ſolo æquavit vir illuſtris ejuſdem Ordinis, Franciſcus Ximenius, dum Hiſpaniam gubernaret, ne hoſtibus eſſet præſidio. Hujus Leonoræ ſoror Candida ſive Blanca, ante aliquot annos defuncta, ſepulta eſt ſimiliter apud Minores urbis Leſcarenſis, Principatus Bearnenſis in Gallia. Sub hoc autem tempus, ejuſdem Leonoræ digniſſimus gener, Franciſcus Dux Britanniæ, eam concepit erga ſanctum Franciſcum ejuſque Inſtitutum devotionem, ut habitum Tertii Ordinis ſuſceperit, publice geſtarit, Regulam ſit profeſſus, ſuoſque aulicos ad ſui exemplum provocarit, idque apud omnes obtinuerit, ut ſaltem cingulum præcingerent Franciſcanum. Hoc anno ipſe & Margarita conjux magnas impetrarunt a Sixto Indulgentias pro recitantibus beatæ Virginis Pſalterium; per quod factum eſt, ut per univerſam Britanniam ille beatæ Virginis cultus maxime invaluerit.

Leonora Regina Navarræ moritur
Garib. de regno Navarræ lib. 29. c. 6.
Conv. Taſſaliæ. *Tom. 13. anno 1468. n. 20.*
Minoriticis addictiſſima. *Garib. lib. 28. c. 41.*
Et Blanca Soror. *Indid. c. 33.*
Franciſcus Dux Britanniæ Tertii Ordinis profeſſor.
Marian. l. 5. c. 42.
Marc. 3. p. l. 6. c. 35.

XIV. Floruerunt hoc tempore non pauci ex Congregatione Obſervantum viri virtute & ſcientia illuſtres, qui eam prudenter & laudabiliter re-

Florent viri docti & pii. *Marian. cit.*

xe-

xerunt. Facile ex his videre licet, quales habuit in ſuis exordiis ſuperiores.
Angelus de Clavaſio. Marcus Bononien. Petrus Neapolitanus. Evangeliſta Balionius. Ludovicus de Turre.
Angelus de Clavaſio Vicarius Generalis, qui *ſummam Angelicam*, aliaque opera compoſuit; Marcus Bononienſis, & Petrus Neapolitanus eodem munere laudabiliter perfuncti; Evangeliſta de Peruſio nobilis familiæ de Balionibus, vir doctiſſimus, qui provinciam ſancti Franciſci annis novem & familiam Obſervantum aliquoto tempore gubernavit. Jacet Raguſii, ubi pie ejus colitur memoria. Ludovicus de Turre Veronenſis, provinciæ ſancti Antonii, vita laudabilis, aſpectu decorus, canitie venerandus, ingenio ſubtilis; in Philoſophia, Theologia, ſacra Scriptura, & jure canonico non vulgariter eruditus. Religionis zelo, morum grauitate, & regiminis diſcretione apud omnes commendatus, ad eumdem Obſervantum Vicariatum evectus eſt, & Commiſſarius Apoſtolicus pro quibuſdam negotiis Pontificiis per Italiam deſignatus. Variis dotibus inſigni, Pontifici & Cardinalibus grato, prænunciabant omnes Cardinalatum, ſed ſpem præſcidit mors immatura. Sepultus eſt in Urbe ad Templum Ara-cœli. Obſervantiæ Inſtitutum contra æmulos deſendit, ſcripto mediocri opuſculo, cui titulus, *Apologia Fratrum de Obſervantia*.
Hieron. Torniellus.
Hieronymus Torniellus Novarienſis, Ticinenſis prius Doctor, & Cathedraticus juriscivilis, poſtea vir vere religioſus, & in ſacra pagina eruditus. Deſtinatus Pontificius Legatus ad Regem Æthyopum, electus eſt ſui Sodalitii Vicarius Generalis, in quo munere laudabiliter per plures annos perſeveravit. Deceſſit Mediolani
Franciſcus Zenus.
Franciſcus Zenus Mediolanenſis, etiam per ſexennium Vicarius Generalis, doctrina, zelo Regularis Obſervantiæ, & vitæ candore commendabilis. Ante completum officii ſexennium obiit Neapoli. Pleraque horum facta illuſtriora ſuis locis referemus.

Marcus Vigerius.
XV. In nobili Saonenſi Cœnobio Patrum Conventualium floruerunt hoc tempore viri docti. Marcus Vigerius ſacræ Theologiæ Magiſter, alterius hujus nominis & cognominis ad purpuram aſſumpti, patruus, Sixti IV. præceptor, Epiſcopus Nolanus * magnus eleemoſynarius, erga prædictum Cœnobium beneficus.
* al. Naulenſis. Vide ann. 1505.
Bartholom. Rovereus. Laurentius Traverſagnus.
Bartholomæus Rovereus Sixti IV. nepos, Julii II. frater, Epiſcopus Ferrarienſis, & Patriarcha Antiochiæ. Laurentius Guilielmi Traverſagnus nobilis proſapiæ, Vigerii primum, deinde Sixti IV. in eodem Conventu diſcipulus, vir eloquentiſſimus, Poeta, Philoſophus, Theologus, in jure Canonico peritus. Legit Oxonii & Pariſiis, multoſque libros compoſuit. Diſcipulos habuit Nicolaum Coudam, & Bernardinum e Caſtello-novo, doctrina præſtantes. Multa præſtitit Cœnobio beneficia, ubi deceſſit octogenarius.
Nicolaus Carrettinus.
Nicolaus Carrettinus diſertus prædicator, qui Petrum Riarium Sixti IV. nepotem Cardinalem, Ordinis habitu donavit.

XVI. Præfectus eſt hoc anno Eccleſiæ Nicopolitanæ, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, frater Georgius Antuorter, Theologiæ profeſſor, per obitum Joannis, XIII. Kalend. Maii.
Fr. Georgius Epiſcop. Nicopolitan. Fr. Petrus Scardonen.
Scardonen in Sclavonia, ſub Archiepiſc. Spalaten. frater Petrus Marcus ſacræ Theologiæ profeſſor, per renunciationem factam a Nicolao Epiſcopo Modruſienſi, qui eam habuit in commendam ſimul cum Eccleſia Modruſienſi, IV. Kalend. Maii. Tripolitanæ in Lydia, ſub Archiepiſcop. Sardeorum, longo tempore vacanti,
Fr. Bartholom. Tripolitan. Fr. Jacobus Pacten. *Pirr. in notit. Pacten.* *Ann. 1474. n. 21.*
Bartholomæus de Giſulfis, ſacræ Theologiæ profeſſor, IV. Idus Decembris. Pactenſi in Sicilia. ſub Archiepiſc. Meſſanenſi, Jacobus a ſancta Lucia, quem alias diximus promotum ad Meſſanenſem, nec obtinuiſſe. Hoc anno primum delectus a Sixto Pontifice, ſequenti Regis Ferdinandi aſſenſum impetravit. Romam profectus, ut ſi quo modo ad Meſſanæ ſuæ patriæ Archiepiſcopatum poſſet aſcendere, creditur ibidem vitam terminaſſe.

XVII. In-

XVII. Invaleſcente hoc tempore opinione immaculatæ Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, ægre audiebant fideles prædicari vel inſinuari contrariam. Introducta jam ubique ſolemnitate feſti ejuſdem Conceptionis immaculatæ, ſeu ab originali peccato præſervationis, ſub alio ſenſu & vocabulo *Sanctificationis* cœperunt Patres Prædicatores eodem die feſtum celebrare. Hinc ortæ controverſiæ, præſertim Marpurgi in Germania, quibus obviaturus Henricus Lantgravius Haſſiæ, quibus potuit modis Prædicatores induxit ad celebrandum ritu Eccleſiæ Romanæ conſueto, omiſſo ſuo peculiari ſub nomine *Sanctificationis*. Idipſum peculiari edicto omnibus Prædicatoribus poſtea præcepit Gregorius XV. Marpurgenſis conventionis, huic præcepto conformis, inſtrumentum exhibeo.

Marpurgi ſtabilitur feſtum Cōceptionis B. Mariæ.

XVIII. *Nos Henricus Dei gratia Lantgravius Haſſiæ, Comes Zigenbein & Medde, fatemur publice, denunciamuſque omnibus vigore præſentium. Poſtquam hactenus inter Religioſos, venerabiles & honeſtos, nobis cariſſimos, devotos & probos Patres & Fratres utriuſque Conventus Marpurgi Nudipedum, & Prædicatorii Ordinis, contentiones & diſſidia oborta ſunt, & præſertim laudabile feſtum Conceptionis intemeratæ Virginis Mariæ mœſtorum Conſolatricis ſingularis, a prædictis Patribus & Fratribus ſecundum doctrinam Patrum, & etiam morem utriuſque Ordinis præfatorum Conventuum, concionando, pſallendo & legendo in Eccleſiis, duplici contrario ritu celebratum eſt. Hinc eſt, quod ad Omnipotentis Dei, glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, mœſtorum ſingularis Conſolatricis, ſuper omnes benedictæ, & omnium cœleſtium Hierarchiarum laudem & gloriam, & proſperitatem, ſalutem & conſolationem majorum noſtrorum, omniumque fidelium defunctorum animarum, etiam diſſenſiones, quæ ex hoc inter ſubditos noſtros oriri poſſent, attendentes, maturo & deliberato conſilio Conſiliariorum noſtrorum, intenderimus præmemoratos Patres & Fratres inter ſe mutuo conciliare, & ad concordiam perducere, & prædictos Patres & Fratres Ordinis Prædicatorii informare, quod ob allegatas rationes deſideremus & velimus prædictum feſtum Conceptionis non aliter concionando, pſallendo & legendo, quam ut ab alma Matre Eccleſia celebrari inſtitutum, a beatiſſimis Patribus noſtris ſummis Pontificibus ratificatum & confirmatum, & etiam in diœceſibus Moguntina & Trevirenſi, Parochia item noſtra Marpurgenſi & prædictorum Patrum Nudipedum Conventu peragi ſolitum, etiam ab ipſis in poſterum ſemper obſervari & celebrari, & ita una cum præfatis Eccleſiis & Conventibus idem feſtum ſumma cum devotione concorditer ſub titulo & nomine* Conceptionis *venerari. Ad quod prædicti Patres & Fratres Prædicatorii Ordinis, bona & matura deliberatione prævia, nobis inſtantibus, voluntarie ſeſe obligarunt, & tam ſuo, quam ſucceſſorum ſuorum nomine nobis & hæredibus noſtris conceſſerunt, & idem feſtum taliter a ſe celebrandum promiſerunt: & ſi forte aliter, quam præfata methodo in poſterum ab ipſis celebrari contigerit, vel ulla hac in parte diſſenſio ſuborta fuerit, concionando, pſallendo vel legendo, nullatenus permittere cogitamus, ſed id ipſum, ut dictum eſt, ab ipſis celebrari, & huic nec per ſe, nec per alias Eccleſiaſticas aut ſeculares perſonas ullo modo contravenire poſſe volumus. In hujus teſtimonium, nos Henricus Landtgravius ſupranominatus, ſigillum noſtrum tribus Diplomatibus, noſtro & hæredum noſtrorum nomine appendi fecimus, & unicuique Conventui prædictorum Patrum unum dari & tertium nobis reſervari curavimus. Ad majorem omnium ſecuritatem & certitudinem, nos etiam Guardianus & Lector Conventus Fratrum Nudipedum, & nos Prior & Lector Conventus Prædicatorum, noſtro & Fratrum pariterque ſucceſſorum no-*

Ex Arch. Marpurgen.

noſtrorum nomine, utriuſque Conventus ſigilla ſcienter & volenter, juxta præmemorati Domini noſtri gratioſiſſimi ſigillum, hiſce litteris appendi curavimus. Datum ipſo feſto ſancti Sylveſtri, anno MCCCCLXXIX.

Conv. Trevii. Gonz. in Provin. S. Franc. Con. 18.

XIX. Ad Cœnobiorum narrationem deſcendo. Abbas Monaſterii ſancti Petri in Boario, Ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Spoletanæ, Obſervantibus conceſſit in commodo loco, non procul a Trevio Umbriæ oppido ejuſdem diœceſis, ſitum ſufficientem ut ſibi Conventum conſtruerent. Communitas Trevienſis reliqua Cœnobio ædificando neceſſaria conceſſit, obtentaque Sixti IV. facultate, ſtructuram ſub titulo ſancti Martini complevit.

Conv. Cremonen. Lib. 146. bullar. fol. 262.

XX. Franciſcus de Granellis, civis & U. J. Doctor Cremonenſis, ſui teſtamenti tabulis juſſerat, ut ex ſuis facultatibus domus Ordinis Minorum conſtrueretur extra muros Civitatis: obtinuit autem a Sixto Pontifice Amadeus Hiſpanus, de quo ſæpe locuti ſumus, ut ſibi ſuiſque Sodalibus domus iſta conſtruenda daretur, initis quibuſdam pactis cum Guardiano & Fratribus alterius Cœnobii extra eoſdem muros, cum præceptore hoſpitalis ſancti Spiritus in Saxia, & Priore ſanctæ Praxedis de Urbe, aliiſque, quibus teſtator quædam bona legaverat. Rata omnia voluit hoc anno Pontifex, ſed non invenio conſtructi extra muros Cœnobii pro Amadeitis veſtigium. Quid ſi fortaſſis intra mœnia conſtructum ſit, idque ipſum cenſendum ſit, quod ſub titulo ſancti Lucæ in eadem urbe eos habuiſſe ſcribit Gonzaga, licet Eccleſiam parochialem ſuis uſibus adaptandam nonniſi ſub annum MDXXXII. a Clemente VII. impetrarint? Suppreſſa hac Congregatione Amadeorum, tranſivit domus iſta in poteſtatem Patrum provinciæ Bononienſis.

Gonz. in Provin. Bonon. Conv. 31.

Conv. Creſcentini. Lib. 133. fol. 67. Gonz. in Provin. Gen. Conv. 23.

XXI. Ante hunc annum cœperat Univerſitas oppidi Creſcentini, Vercellenſis diœceſis, ædificare Obſervantinis domicilium. Petierunt licentiam a Sixto illud tradendi Vicario & Fratribus provinciæ Januenſis, eamque Sixtus VII. Idus Martii conceſſit. Titulum habet ſanctæ Mariæ Gratiarum.

Conv. Groſſetan. Lib. 149. fol. 37.

XXII. Ejuſdem Inſtituti viri Cœnobii ſancti Benedicti *della Nave*, Groſſetanæ in Etruria diœceſis petierunt hoc anno facultatem a Pontifice acquirendi ſibi hoſpitium ſeu receptaculum aliquod in ipſa urbe Groſſetana, ad quam frequenter eleemoſynas petituri, aut Verbum Dei prædicaturi declinabant. Erat ea in urbe Monaſterium antiquum & incultum Annunciationis beatæ Mariæ, in quo una dumtaxat habitabat Monialis mente capta, cujus Inſtitutum ignorabatur. Rogarunt hoc ſibi concedi, tranſlata vetula ad domum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci. Annuit Pontifex, commiſſo rei examine Petro de Monte-Piſtali, Canonico Groſſetano. Impedimentum aliquod occurriſſe indicat narratio Gonzagæ, qui nonniſi ſub annum MCCCCLXXXII. domum Fratres obtinuiſſe refert, ad lapidem unum ab ea Civitate, ubi quædam beatæ Virginis Mariæ imago in humili ædicula miraculis coruſcabat. Conventus Groſſetani Senatus ære conſtructus eſt, & Virginis ſimulacrum crebrioribus quotidie miraculis majorem conſequitur reverentiam.

Gonz. in Provin. Tuſciæ Conv. 32.

Conv. Trica. Lib. 151. fol. 271. Gonz. in Provin. Baſilic. Conv. 1.

XXIII. Vir nobilis Hieronymus, Princeps Berettæ, vulgo *Biſinlani*, & Tricarici Comes, impetravit a Sixto, V. Kal. Octobris licentiam ædificandi Obſervantibus domum intra vel extra Tricaricenſem Civitatem, tradendam Commiſſario (nec enim pauculæ Obſervantum ædes in ea regione adhuc obtinuerunt Vicarium) & Fratribus Baſilicatæ. Manum ſtatim admovit operi, perfecitque cito ſub ſancti Antonii de Padua invocatione.

XXIV. Fer-

XXIV. Ferdinandus Siciliæ ſive Neapolis Rex donaverat Franciſco de Baucio Andriæ Duci, urbiſque Vigiliæ in Apulia Domino, & communitati ejuſdem Civitatis, Eccleſiam ſancti Laurentii ad ſe jurepatronatus ſpectantem, extra urbem conſiſtentem. Rogarunt Dux & Vigilienſes cives ut eam Fratrum Obſervantum, adjuncto habitaculo, uſibus liceret adaptare. Annuit Sixtus XVIII. Kal. Octobris.

Conv. Vigiliæ. *Lib. 152. fol. 158. Gonz. in Prov. S. Nicol. Conv. 26.*

XXV. Bina oppida Ocræ & Foſſæ, diœceſis Aquilanæ, convenerunt ad ædificandum unum Obſervantum domicilium, quod utriuſque populo inſtruendo deſerviret, abſolveruntque hoc anno ſub ſancti Angeli invocatione. Religioſa exemplariſque Fratrum converſatio domum reddidit populis commendatiſſimam, maxime vero trium optimorum virorum corpora ibidem ſepulta: Bernardini de Foſſa, (cujus ſanctiſſimam vitam ſcripſit Antonius de Amicis conterraneus) ante majus Altare jacentis; Timothei Aquilani a Monticulo, vulgo *Montecchio*, miraculis illuſtris; Ambroſii de Populo Aquilani, beati Joannis Capiſtrani diſcipuli, qui miranda in vita & poſt mortem opera patravit.

Conv. Ocræ. *Gonz. in Prov. S. Bernard. Conv. 13.*

Bernardinus de Foſſa. Timotheus a Monticulo. Ambroſius de Populo.

XXVI. Nobiles mulieres Brianda Carroz de Mur, relicta quondam Nicolai Carroz de Arborea, inſulæ Sardiniæ Proregis, & Eliſabetha Durea, & de Mur, Briandæ ſoror, executrices teſtamenti per dictum Nicolaum conditi, quo juſſit domum Fratrum Obſervantum in ea inſula loco opportuno fabricari, omnibuſque rebus ſacris & utenſilibus affluenter provideri, petierunt a Sixto Pontifice, ut liceret ſibi eamdem conſtruere in territorio urbis Calaritanæ, ubi præerat Eccleſia quædam vetuſta, totaliter deſtructa ſancti Saturnini, pro qua, & quibuſdam terræ menſuris contiguis, Archiepiſcopo Calaritano ſufficientem volebant dare compenſationem, vel alio quocumque loco decenti. Litteris datis VII. Idus Junii ad Decanum Calaritanum, plenam conceſſit in his diſponendi facultatem. Quid in hac re factum ſit, ignoratur; neque enim prædicti templi ſancti Saturnini, neque nobilium iſtarum fœminarum mentio habetur apud Gonzagam, qui nonniſi anno MDVIII. publicis & privatis Calarenſium facultatibus longiuſcule a Civitate Fratribus conſtructum Cœnobium ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu recenſet. Eccleſia pulcherrima & capaciſſima, multis inſignibus ſacellis exornata, non unum ſortita eſt auctorem. Princeps ſacellum fieri curavit Petrus Maſſa, reliqua varii cives Calaritani. In ſacello ſancti Petri jacet & reverenter colitur beatus Salvator ab Horta, Catalanus laicus, admirandæ ſanctitatis, magnorumque ſignorum perpetuus effector, de quo ſuo tempore agemus diffuſe.

Conv. Calaritanus. *Lib. 136. fol. 251.*

Gonz. in Prov. Sardin. Conv. 2.

B. Salvator ab Horta.

XXVII. Morientibus epidimia anno præterito omnibus Sororibus ſanctæ Claræ Monaſterii Carcaſſonenſis, Minores, opitulante Ludovico Rege, Monaſterium ſibi dari procurarunt, ad quod dejecto inſigni, quod prope urbem habebant, Cœnobio, ne hoſti eſſet præſidio, Fratres tranſierunt.

Conv. Carcaſſonen. *Gonz. in Provin. S. Ludov. Conv. 8.*

XXVIII. In oppido Corbech, Comitatus Walducenſis in finibus Haſſiæ, Conventum Obſervantum hoc anno extructum, & MDLXXIII. deturbatis Fratribus devaſtatum & deſtructum narrat Gonzaga; Sed monumenta Provinciæ Colonienſis ex codice MSS. conſtructionem referunt in annum MCCCCLXXXVII. Profanatus & in alios uſus deputatus eſt locus, non autem deſtructus, & anno MDCXXVII. Provinciæ Saxoniæ adjudicatus. Corbejenſem inſcribit Gonzaga, ſed Corbecenſis venit appellandus, & omnino diſtinguendus ab alio Corbejenſi, ſito inter diœceſis Paderbonenſis terminos, in Ducatu Brunſvicenſi, juxta oppidum Hoxteren. ubi adhuc ſupereſt Conventus derelictus a Patribus Conventualibus, quem Obſervantes re-

Conv. Corbech. *Gonz. in Prov. Colon. Conv. 10. Monum. MSS. Prov. Colon.*

Conv. Elginii. cuperare ſperabant anno MDCXXVII. & deſignarunt Fratribus prædictæ Provinciæ Saxoniæ S. Crucis. Elginii, quod Boreale Scotorum oppidum eſt, *Gonz. in Prov. Scotiæ Conv. 7.* Joannes Inneſenſium Vicecomes, Obſervantibus hoc anno commodum poſuit habitaculum. Irruente in Scotiam hæreſi, funditus everſum eſt.

Conv. Ticocini. Idem in Prov. Polon. Conv. 21. Monum. MSS. Prov. Polon. XXIX. Martinus Gaſtoldus Palatinus Trocenſis, erga Obſervantum Inſtitutum mirifice affectus & ſumme beneficus, prope Ticocini oppidum, Vilnenſis diœceſis in Lithuania, juxta ſchiſmaticos Ruthenos, ex adverſo Arcis, aream & fundum Conventui ædificando eiſdem donavit. Templum ſub titulo duodecim Apoſtolorum, & clauſtrum ædificavit, paramenta, ſuppellectilem Eccleſiaſticam, vaſa quæque Divino uſui neceſſaria, libros rituales, & ſi quæ alia Fratribus opportuna, tanta exhibuit liberalitate, ut donariis Fratres modum ſæpe poſuerint, & multa eidem remiſerint. Neque huic domui ſolum, verum etiam aliis pleriſque beneficæ ſuæ pietatis oſtendit argumenta. Quocumque ibat, comites volebat hujus Inſtituti viros, miſſuſque Kioviam, olim totius Ruſſiæ Metropolim ampliſſimam, Regia functurus Præfectura, eoſdem duxit, ut ſchiſmaticos converterent, & Catholicos permixtim viventes in fide conſolidarent. Structuram hanc Cœnobii Sixtus Pontifex anno MCCCCLXXXI. uſuali Idib. Febr. confirmavit, & ſub id tempus ædificium bene inſtructum optimus heros conſignavit fratri *Tom. 10. Ann. 1419. n. 12.* Mariano Vicario Obſervantum. Alias monuimus, in narrationem Gonzagæ mendum circa annum irrepſiſſe, dum ſub annum MCCCCXIX. fundationem reponit. Primum ædificium ligneum Martinus effecit, & dum ex lapide reficeret, Eccleſia, choro & ambitu vix perfecto deceſſit. Quod deerat, abſolvit Anna Regina, olim Stephani Regis Poloniæ relicta, adjuta magno pecuniarum ſubſidio per Sigiſmundum III. Regem collato. Sigiſmundus II. timens ne propinquæ Arci, irrumpente hoſte, potuiſſet officere, ſtatuit Cœnobium transferre ad locum ſalubriorem & amœniorem prope Ripam Narvæ, fluvii navigabilis, ubi pulchram ædificaverat ex ligno Eccleſiam, ſed morte interveniente, non eſt ſecuta translatio. Curavit autem idem hic Sigiſmundus prata & hortum olim ad Conventum ſpectantia, Fratrum incuria alienata reſtitui, cujus de hac re tum illius, tum Stephani Bathorii, & Sigiſmundi III. extant diplomata. Porro Martinus, primus hujus loci fundator, ſororem habuit Alexandram, mirum etiam in modum huic Sodalitio addictam, Fratribuſque faventem, quorum vitam, prout licuit, ſub tertia Regula ſancti Franciſci æmulata eſt.

Domus Aldenkerken. Lib. 133. fol. 175. XXX. Infra limites Eccleſiæ parochialis in Aldenkerhem, Colonienſis diœceſis, habebant Sorores Tertii Ordinis domum, ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ, eiſque hoc anno Joannes Heyden de Berkem prædictæ Eccleſiæ Rector, conceſſit quantum in ſe erat, & pro tempore ſui Rectoratus, facultatem habendi capellam publicam cum cæmeterio, conſecratis Altaribus &c. ſub expreſſis quibuſdam conditionibus, ratumque habuit hoc anno Sixtus conventionis inſtrumentum.

Dom. Aſvalfarache. Lib. 136. fol. 166. XXXI. Antonius de Triana Miniſter & Fratres domus ſancti Joannis de Aſualſarache, Hiſpalen. diœceſis, Tertii Ordinis obtinuerunt a Sede Apoſtolica ſibi deputari Viſitatorem & confeſſarium ex Fratribus Regularis Obſervantiæ. Reſtitit huic proviſioni Garſias Quexada Ordinis Minorum Conventualium, dicens ſibi injunctum utrumque munus per Franciſcum Samſonem Miniſtrum Generalem, neque Pontificem voluiſſe hoc revocare. Ortis hinc turbis, commiſit Pontifex controverſiæ deciſionem Decano & Archidiacono de Aſtigia, ac Didaco Lupi de Enciſa Canonico Eccleſiæ *Ibid. fol. 85.* Hiſpalenſis. Raro exemplo conceſſit Pontifex hoc anno plenariam peccatorum

torum remiſſionem in mortis articulo, rite confeſſis, & Catholice morientibus Fratribus in Valetudinario Conventus ſancti Franciſci Villæ Cervariæ, Vicen. diœceſis,& omnibus utriuſque ſexus fidelibus in hoſpitali ſanctæ Trinitatis, & ſancti Franciſci prope dictum Conventum decedentibus. *Conv. Cervariæ ratum privilegium.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. GEnuenſes a fœdere, Mediolanenſiumque Ducum regimine deficientes, Ludovicus & Aſcanius Sfortia, cum Roberto Sanſeverino extorres, novis motibus ac turbinibus in Inſubria anſam præbentes, Bonnam Ludovici Sabaudi filiam, relictam vero Galeatii Mariæ Sfortiani Ducis Mediolanenſis, in favorem nepotis ad meliora conſilia excitarunt, ut Mediolanenſis Ducatus honor & ampla majeſtas conſervaretur, quod latius temporum hiſtorici narrant. Interea vero (ut noſtra referamus) fratri Jacobo de Rubiis collato beneficio: *Religionis zelus &c.* pridie Nonas Januarii; cujuſdam ſacræ Imaginis Intemeratæ Virginis Mariæ, *de Ara-Cæli* Fratribus cuſtodia demandata fuit die XXXI. Januarii: *Commiſſimus tibi &c.* quod hoc eodem anno ſub III. Nonas Octobris alio diplomate: *Regularem vitam &c.* ſeroſius Pontifex commendavit. Servus Dei frater Angelus a Clavaſio Familiæ Ciſmontanæ Vicarius Generalis, in devotiſſimo Cœnobio ſanctæ Mariæ de Monte prope Genuam cum moraretur, litteras, quas vocant Filiationis, pro Nobilibus Viris de Carretto ex Marchionibus Saonæ, expedivit, eaſque referre, quod antiquam devotionem illius inclytæ & Nobiliſſimæ Familiæ teſtentur, æquum eſſe putamus: Sunt autem tenoris, qui ſequitur. *Dogl. cit. 461.* *Indic. ex Vatic.*

Magnificis, ac generoſis viris, Dominis Georgio, ac Carolo de Carretto ex Saonæ Marchionibus, eorumque conſortibus, dominabus Clementiæ, Mariæque, ac etiam natis Filiis & Filiabus, Ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci benefactoribus devotiſſimis.

Frater Angelus de Clavaſio memorati Ordinis, ac R. P. Generalis in Ciſmontanis partibus, quoad Fratres de Obſervantia nuncupatos, Vicarius immeritus, pacem & ſalutem in Domino ſempiternam.

„ *QUamvis ex caritatis debito omnibus teneamur, illis tamen longe amplius obligari noſcimur, quorum devotionem, beneficiorum indiciis frequentius experimur; proinde veſtræ devotionis ſinceritatem attendentes, quam ad noſtrum geritis Ordinem, veluti clara experientia cognovi, dignum putavi, & Divinæ acceptabile voluntati, ut ab ipſo Ordine prærogativam ſentiatis ſpiritualium gratiarum. Verum, quod nudi temporalibus bonis, caritatis veſtræ ſubſidiis dignas rependere vices nequaquam temporaliter valemus, ſpiritualibus nihilominus beneficiis recompenſare quampluribus affectamus. Eapropter ego, qui (licet indignus) curam Fratrum Minorum de Obſervantia & Sororum ſanctæ Claræ, ac Tertii Ordinis in partibus Ciſmontanis habeo generalem, vos prænominatos ad Confraternitatem noſtram, & ad univerſa & ſingula noſtræ Religionis ſuffragia in vita recipio pariter & in morte, plenam omnium vobis participationem chariſmatum & ſpiritualium bonorum, ut Miſſarum,* ora-

,, *orationum, officiorum Divinorum, ſuffragiorum, jejuniorum, abſtinen-*
,, *tiarum, peregrinationum, meditationum, prædicationum, confeſſionum,*
,, *lectionum, obſervantiarum, devotionum, diſciplinarum, & aliorum ſpiri-*
,, *tualium bonorum, tenore præſentium liberaliter conferendo, quodque ſu-*
,, *pradictos Ordines operari & acceptare dignabitur clementia Salvatoris:*
,, *addens inſuper de dono & gratia ſingulari, quod, cum Divinæ placuerit*
,, *voluntati de exilio inſtantis miſeriæ vos vocare, veſtrumque obitum noſtro*
,, *fuerit Capitulo nuntiatum, idem volo, quod pro vobis fiat officium, quod*
,, *pro Fratribus noſtris ibidem annuatim ex more per totum Ordinem fieri*
,, *conſuevit. Valeat in Chriſto veſtra devota & fervens caritas. Ex loco ſan-*
,, *ctæ Mariæ de Monte apud Januam, die* XI. *Februarii* MCCCCLXXIX.

Signat. *Fr. Angelus Generalis Vic. propria manu ſubſcripſi.*

Topogr. Ferrer. ,, II. Ovetum, urbs Epiſcopalis Hiſpaniæ Tarraconenſis, vulgo *Ovie-*
,, *do*, in finibus Aſturum apud Scyrichium promontorium, & oram mari-
,, timam, in planitie apud Montis radices, elegans, forma quaſi rotunda,
,, quæ Univerſitate inſignis, haud procul Aſturum urbe diruta, cui illa ſuc-
,, ceſſit, jacens, ab Ova fluviolo nomen accepit. Hac in urbe etiam ante
Indic. ex Vatic. ,, hunc annum ſanctæ Claræ Monaſterium præextitiſſe oſtendit diploma:
,, *Injunctum nobis &c.* pridie Nonas Martii, circa ſubſtentationem Sancti-
,, monialium ejuſdem loci, cum nihilominus ejuſdem Monaſterii Ovetenſis
,, memoria in annum MCCCCXC. rejiciatur, referaturque Alphonſum a
,, Quintanilla Catholicorum Regum conſiliarium, in eo perpetua aliqua
,, Sacerdotia, & anniverſaria defunctorum, a Canonicis publica quotannis
Tullum C. Epiſc. ,, ſupplicatione honoranda fundaſſe: attente qui hæc conſiderat, ab hujuſ-
,, modi Monaſterii fundatione plurimum aliena reperiri cognoſcet. Per-
Indic. ex Vatic. ,, miſſum eſt etiam Obſervantibus Cuſtodiæ Lotharingiæ in Provincia Fran-
,, ciæ locum habere in oppido *de Linoyo*, Diœceſis Tulli: *Piis fidelium &c.*
,, V. Idus Martii. At quid actum fuerit, nullibi apparet. Eſt autem Tullum,
,, vulgo *Toul*, Civitas Epiſcopalis in Belgio apud Moſellam fluvium, urbs
,, olim libera, nunc Ducibus Lotharingiæ parens, a Naſco Ducum Sede in
,, Cæciam V. M. P. Gallicos diſſidens. Quarto Nonas Maii diſpenſato ad
,, Eccleſiaſtica beneficia obtinenda fratre Joanne *de Beſt*: *Religionis ze-*
,, *lus &c.* Ad inſtantiam Franciſci Ducis, & Margaritæ ejus Conthoralis
,, Duciſſæ Britanniæ, modum recitandi Pſalterium beatiſſimæ Virginis Ma-
,, riæ, non tantum approbavit, ſed etiam conceſſis indulgentiis illud reci-
,, tantibus decoravit, dato diplomate, cujus tenorem, ad excitandam vel
,, augendam antiquam in noſtro Ordine devotionem in Deiparam, liben-
,, ter exhibeo.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Speculo fol. 55. ,, E*A, quæ ex fidelium devotione ad Dei omnipotentis & glorioſæ Virgi-*
,, *nis Mariæ laudem & gloriam pie ordinata ſunt, ut firma perma-*
,, *neant, noſtræ approbationis robore ſolidamus, ac fideles ipſos ad devotio-*
,, *nis opera exercenda, indulgentiis & remiſſionibus libenter invitamus, ut*
,, *exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores, maxime cum Catholicorum Prin-*
ci-

,, *cipum id expoſcit devotio, & hoc conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.*
,, *Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Franciſci Ducis, & dilectæ in*
,, *Chriſto filiæ nobilis mulieris Margaritæ ejus contboralis Duciſſæ Britan-*
,, *niæ, nobis fuit nuper propoſitum, quod in Ducatu Britanniæ, & pluribus*
,, *aliis locis, creſcente fidelium devotione, ab aliquo tempore citra, innova-*
,, *tus eſt certus modus ſive ritus orandi pius & devotus, qui etiam antiquis*
,, *temporibus a Chriſtifidelibus in diverſis mundi partibus obſervabatur, vi-*
,, *delicet, quod quilibet volens eo modo orare, dicit qualibet die ad honorem*
,, *Dei & beatiſſimæ virginis Mariæ, & contra imminentia mundi pericula,*
,, *toties Angelicam Salutationem* Ave Maria, *quot ſunt Pſalmi in Pſalte-*
,, *rio Davidico, videlicet centies & quinquagies, ſingulis decem Salutatio-*
,, *nibus hujuſmodi orationem Dominicam ſemel præponendo. Et iſte ritus ſive*
,, *modus orandi, Pſalterium virginis Mariæ vulgariter nuncupatur: unde*
,, *Dux & Duciſſa præfati propter ſingularem & ſinceram, quam ad ipſam*
,, *beatiſſimam virginem Mariam gerunt devotionem, cupiunt ritum ſive mo-*
,, *dum orandi prædictum, ad obſtruendum ora aliquorum detrahentium, per*
,, *Sedem Apoſtolicam approbari.*
,, *Quare pro parte Ducis & Duciſſæ, & aliorum fidelium plurimorum*
,, *nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ritum ſive modum orandi hu-*
,, *juſmodi approbare, aliaſque ſuper præmiſſis opportune providere, de beni-*
,, *gnitate Apoſtolica dignaremur.*
,, *Nos igitur tam Ducis & Duciſſæ, quam aliorum fidelium piam de-*
,, *votionem in Chriſto habentium commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus*
,, *inclinati, præfatum Pſalterium, ſive modum orandi prædictum aucłori-*
,, *tate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, illumque tolerandum*
,, *fore, ac cunctis fidelibus eo modo orare debere & licere decernimus & de-*
,, *claramus.*
,, *Et ut omnes & ſinguli Chriſtifideles ad devotionis opera, & prædicto*
,, *modo orandum eo ferventius inducantur, quo exinde animarum ſuarum fa-*
,, *cilius ſalutem conſequi ſperaverint; univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus*
,, *præfato modo orare volentibus ubilibet exiſtentibus, præſentibus & futu-*
,, *ris, pro qualibet vice, qua ſic, ut præmittitur, oraverint, pro qualibet*
,, *quinquagena præfati Pſalterii quinque annos, & totidem quadragenas in-*
,, *dulgentiæ miſericorditer in* Domino *relaxamus: præſentibus perpetuis fu-*
,, *turis temporibus duraturis.*
,, *Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cete-*
,, *riſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile foret præſentes litteras ad*
,, *ſingula loca, in quibus illis opus eſſet &c. volumus &c. quod tranſumpto*
,, *earum, manu duorum Notariorum alicujus Eccleſiaſticæ Curiæ ſubſcripto,*
,, *& ſigillo alicujus Prælati, ſeu in dignitate &c. fides detur in omnibus &*
,, *per omnia &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum,*
,, *anno* MCCCCLXXIX. *Idibus Maii, Pontificatus noſtri anno* VIII.
,, III. Subinde expeditis litteris pro Sororibus Tertii Ordinis Civita-
,, tis Caſtelli, Aretinæ Diœceſis: *Ex debito &c.* VI. Idus præfati; & ad be-
,, neficia approbato fratre Bartholomæo: *Religionis zelus &c.* VI. Idus Ju-
,, nii, quamdam conſtitutionem edidit Sixtus circa confeſſiones, ex ejus
,, tenore, quem ſubjicio, addiſcendam.

SIX-

SIXTUS PAPA QUARTUS.

Dilectis filiis Vicario ac Prælatis Conventuum ac Monaſteriorum reformatorum ac reformandorum Provinciæ Caſtellæ & Legionis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ *Supplicari nobis humiliter feciſtis, ut cum in conſtitutionibus & privilegiis veſtri Ordinis expreſſe caveatur, ne Fratres Ordinis ejuſdem, præterquam ſuis Prælatis, & de eorum licentia, Fratribus dicti Ordinis confiteantur, dignaremur concedere, ut aliquando alterius Ordinis Sacerdotibus, maxime neceſſitate exigente, poſſint confiteri.*

„ *Nos, ut cum majori animi quiete & conſcientiæ pace Fratres vobis ſubditi Altiſſimo famulari poſſint, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut Fratres, veſtri, vel aliorum Prælatorum ſuorum, qui pro tempore erunt, licentia, ſolummodo tamen cum itineraverint, vel fuerint extra Conventus eorum, prout eis conceditis, confiteri poſſint, & vos quomodocumque Sacerdotibus cujuſcumque ſecularis ſeu Regularis Ordinis confiteri valeatis, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica concedimus & indulgemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* 11. *Auguſti, anno* MCCCCLXXIX. *Pontificatus noſtri anno* IX.

„ IV. Interea permiſſo tranſitu Franciſco de Euſtachio ad Cruciferos: Ludovicus Epiſc. *Religionis zelus &c.* XVIII. Kalendas Septembris, Ludovicum Joannis Eccleſiæ Ampurienſi præfecit: *Divina diſpoſitione &c.* XII. Kalendas ejuſdem: V. Idus præſati menſis, Eccleſiam Glacienſem noſtri Ordinis, Rodulphus Epiſcopus Wratislavienſis, cujus ſupra meminimus, conſecravit. Euſroſinam Doneſmundi virginem Mantuanam, virtutibus inſignem, hoc anno in patria claruiſſe, pridie Nonas Julii, in ſuo Catalogo *Thom. Man. in Catal.* Sanctorum & Beatorum Ordinis refert Thomas Mantuanus Minorita; Hermoſylla Virgo & Pollicina. Hermoſyllam itidem Virginem in Hiſpania Tarraconenſi floruiſſe commemorat Natalis Boniſacius in ſua Navi Seraphicæ Religionis; ſed Bernardinus Panormitanus Minorita Jacobam Pollicinam virginem, patria Meſſanenſem commendat, quæ anno ætatis ſuæ vigeſimo ſecundo ſe Deo devovit in Monaſterio Clariſſarum Montis Virginum, ubi aliquando Vicaria Conventus electa, officium magna cum caritate exercuit, ibidemque virtute clara, hoc anno MCCCCLXXIX. octavo Kalendas Aprilis, miraculis corruſca, requievit; Iſabella Gondinez. & Iſabellam *Gondinez* Virginem, unam ex primis fundatricibus Monaſterii Salutationis beatæ Mariæ Rexenſis in *Ægidius Gonz. de Avila l. 2. c. 3. ad hunc an.* Provincia Caſtellæ, laudat egregie Ægidius Gonzales de Avila, agens de rebus Madritenſibus.

ARGUMENTUM.

Joannes Populeus vir Princeps fit Minorita. Moriuntur viri pii. Mittuntur viri religioſi in Æthiopiam, ſed infructuoſe. Bernardinus Feltrenſis mire fructificat in cultu animarum. Florent viri illuſtres. Joanna filia Regis Caſtellæ & Luſitani ſponſa, fit Clariſſa, necnon Catarina ejus amita, prius Navarræ, deinde Anglorum Regibus conjux promiſſa. Statuitur modus in ferendis ſuffragiis electoriis. Sixtus liberat Conventuales Religionum Mendicantium a variis gravaminibus. Extruuntur Cœnobia.

I. Sixtus Pontifex, præter alios viros nobiles, qui religionis cauſa hoc anno in Urbem venerant, Hiſpanum heroem Regis Ferdinandi conſanguineum, dignis honoribus in Urbe affecit. Is erat Joannes *de la Puebla* ſive *de Soto-major*, primus Belalcazerenſium Comes, Alphonſi a Soto-major, & Elviræ Zunigæ, nobiliſſimorum Regiæ proſapiæ conjugum primogenitus. In venatu, cui plurimum erat addictus, denſa nube contecto, palam viſa ſunt inferni antra manifeſtari, & miſerorum tormenta ob oculos expandi. Hinc interna immiſſa cogitatio mundo valedicendi, idque vitæ genus aſſumendi, per quod ſecurius poſſet intolerabiles illas pœnas evadere; & quidem protinus feciſſet, niſi patris imperium & lamenta retardarent. His retinaculis detentus, dum moroſe hæret, aliud immiſſum e cœlo ſpectrum Dei imminentis ſupplicii, per quod vincula omnia diſſolvit, & ad inſigne Guadalupenſe Monaſterium Ordinis ſancti Hieronymi, inſalutatis parentibus, convolavit, ibique habitum Regularem ſuſcepit. Nihil intentatum mater reliquit, per quod a propoſito revocaret, ſed ille contrariis perſuaſionibus conſtantior effectus, profeſſionem emiſit. Poſt annos quatuor auſterioris vitæ cupidus, Romam venit, ubi hoc ipſo anno benigne & favorabiliter a Pontifice admiſſus, petiit licentiam ad Minores Regularis Obſervantiæ tranſeundi. Libenter annuit Sixtus, habitum ſuis manibus ille obduxit, ſtatimque ad profeſſionem admiſit. Id ipſe refert hoc diplomate ineunte anno ſequenti, quo ad Cœnobiolum Carcerum in Monte Subaſio prope Aſſiſium, ſolitudinis avidum cum ſocio tranſmiſit.

[Bulla] Sixti. Cimarel. 4. p. l. 5. c. 50. Gonz. in Prov. Angelor. Marc. 3. p. l. 6. c. ult.

Fr. Joan. de la Puebla magni fit a Sixto Pontifice.

Initiatur apud Hieronymitas.

Deinde apud Minoritas.

Mittitur Aſſiſium.

Dilecto filio Vicario Provinciali Provinciæ ſancti Franciſci de Obſervantia.

II. *Dilecte fili, ſalutem &c. Dilectus filius Joannes de la Puebla, cum Antonio de ſancta Maria ejus ſocio, qui nuper habitum beati Franciſci de Obſervantia ſuſceperunt, & profeſſionem eodem contextu in manibus noſtris fecerunt, cupiunt ex devotionis fervore locum iſtum Carcerum viſitare. Nos eorum pium propoſitum confovere volentes, devotioni tuæ in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus eumdem Joannem, qui virtute, nobilitate & vitæ integritate præditus eſt, cum ejus ſocio benigne accipias, & ſincera in Domino tractes caritate, ac in ipſo loco Carcerum, quamdiu voluerint, eos ſtare & morari permittas, ita ut poſſis de obedientia & devotione tua erga nos non immerito commendari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XXIV. *Januarii* MCCCCLXXX. *Pontificatus noſtri anno* IX. *Ex originali.*

III. Illic perſtitit annis ſeptem, donec anno MCCCCLXXXIV. occiſo in bello Granatenſi Guttiero fratre, ampliſſimi dominii ſucceſſore, qui uxo- *Remittitur in Hiſpaniam.*

rem duxit Tereſiam Enriquez, Admirati Caſtellæ filiam, ſepultuſque eſt apud Minores Conventus Columnæ, ex Pontificis præcepto, ſollicitantibus conſanguineis, anno MCCCCLXXXVI. oportuit in Hiſpaniam reverti, & pueruli Alphonſi nepotis, regendique ſtatus curam ſuſcipere. Magis autem ſuæ ſuorumque Conſodalium ſaluti intendebat, nec quidquam omittebat, quod ad Religionis reformationem conducebat. Multa in hoc genere religioſe & conſtantiſſime præſtitit, etſi multa a laxioris vitæ ſautoribus illum pati oportuerit. Fautricem habuit Reginam Eliſabetham, ſub cujus patrocinio felicia poſuit initia religioſiſſimæ Provinciæ Angelorum, uti per annos ſequentes narrationem dividentes, juxta rerum eventus referemus.

Inchoat Provinciā Angelorum.

Fr. Petrus de Capriolis moritur. *Marian. l. 5. c. 35. Monum. MSS.*

IV. Alterius Provinciæ inceptor, & peculiaris Congregatiunculæ auctor frater Petrus de Capriolis, de quo ſæpe ſermonem habuimus, & Congregationem Capriolanorum diximus inchoaſſe in agro Brixienſi, dum hoc tempore Velitris magno applauſu prædicaret, eamque in populo obtineret opinionem, ut, conſentiente Miniſtro Generali, cives removerint e ſuo Conventu Patres Conventuales, eique ac ſequacibus tradiderint, hoc anno vel præcedenti deceſſit: per quod factum eſt ut Cœnobium Conventualibus reſtitueretur, & omnes, quos in agris Brixienſi, Bergomate & Cremonenſi ædificaverat, aut procuraverat Conventus, regimini Obſervantum committerentur, ſub titulo tamen Provinciæ Brixienſis, a Mediolanenſi & Veneta ſancti Antonii Provinciis ſeparatæ, quæ, accedentibus quotannis aliis domiciliis, amplius confirmata eſt, & etiamnum perſeverat.

Item Liberatus de Civitella. *Marian. cit. c. 37.*

V. Sub hunc annum pie obiit frater Liberatus de Civitella Aprutina, laicus, valetudinarii ut plurimum præfectus, in quo munere indeſeſſa uſus eſt erga infirmos caritate. Eo fervore orabat, ut frequenter extra ſe & ſupra terram elevaretur. Tantæ fuit virtutis, ut ſignis & miraculis promicaret. In Civitate Pennæ puerum manibus contractum ſanavit; Civitellæ a quadam puella obſeſſa dæmonium fugavit, & juvenem morti proximum, a morte liberavit. Sui tranſitus diem longe ante prædixit, pieque defuncti anima viſa eſt per Angelos in paradiſum deduci. Jacet ſub Altari inferioris ſacelli.

Et Dominicus Campenſis. *Marian. cit. c. 41. Gonz. in Provin. Tuſciæ Conv. 9. Tom. 11. anno 1440. n. 18.* Ac Ludovicus de Caponibus.

VI. Hoc anno deceſſiſſe fratrem Dominicum Campenſem in Conventu ſancti Salvatoris, ſcribit Marianus, ſed ex Gonzaga longe antea obiiſſe narravimus, atque poſt dies octo ibidem ſecutum fuiſſe fratrem Ludovicum de Caponibus adoleſcentem nobilem, qui ut uxorem duceret dum nullis artibus, neque precibus neque minis induci potuit a parentibus, clam ad Minores confugit, inter quos annis quatuor religioſiſſime vivens, magna ſanctitatis opinione deceſſit, viſaque eſt anima illius præeuntibus multis ſanctis Fratribus in cœlum aſſociari. „ Ludovicum hunc Cherubinum „ nuncupat Bartholomæus Cimarella, a quo diffuſius utriuſque hujus Dei „ Servi facta narrantur.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Cimarel. 4. p. l. 1. cap. 34.*

Necnon Ludov. Placentinus. *Marian. cit. Marc. l. 6. c. 36.*

VII. Hoc tempore in Provincia ſancti Angeli, in Conventu Campibaſſi vitam ſanctiſſime abſolvit frater Ludovicus Placentinus, virtutibus, humilitate præſertim inſignis. Provincia exceſſit Bononienſi, ut periculoſas Fratrum Præfecturas fugeret, & in longinquam abiit regionem Apuliæ ut ſecurius lateret: ſed neque hic abſcondi potuit talentum a Domino conceſſum prudentiæ & conſilii; quapropter Fratres ſtatuerunt eum ſibi Vicarium præficere. Omnia ferme in eum cojere ſuffragia, quando ille publice electionem deteſtatus, dixit e provincia ſe receſſurum, ſi in illa Patres manerent ſententia, quos ſcire voluit, non ideo ad eos veniſſe ut regeret, ſed ut regeretur. Totus concionandi ſtudio convertendiſque peccatoribus intentus, nullum refugiebat laborem, nullum non contemnebat incommodum,

dum, quod in ſalutem tendere poſſet animarum. Multis miraculis ab obitu clarus, Angelum de Monicello Campobaſſanum paralyticum, ſtatim atque iſte ſepulturam illius attigit, ſanavit. Antonii Amici de Monſana filiam, os laterale ſuo loco dimotum, graviter patientem, a fratre Hieronymo de Ferezano ad ejus ſepulcrum deductam, contacto corpore liberavit. Antonii Joannis Belli de Caſtellucio fractum genu conſolidavit, & graviſſimam ægritudinem a Joanne Bello, Antonii patre, ſolo habitus ſegmento appoſito, propulſavit. Ex multis hæc pauca placuit enarrare.

VIII. Circa hunc annum obiit Catarina Valentis, oppidi Amatricis, Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginatenſis alumna, Divinis Chriſti & ſancti Franciſci apparitionibus aſſueta. Horribili ulcere diu laborantem Antonius Patavinus & Bernardinus Senenſis, quos ſibi delegit patronos, repente ſanaverunt. Anima viſa eſt ſub ſpecie fulgentiſſimæ ſtellæ in cœlum avolare.

Necnon Catarina Valentis. *Jacobill. de SS. Fulgin. pag. 249.*

IX. Venerat hoc anno in urbem ſanctam Hieroſolymorum voti cauſa Æthiops Princeps, nepos Presbyteri Joannis Regis Abiſſinorum & Jacobitarum, obtinuitque a Sultano, ut per ipſos dies, quibus ille Hieroſolymis maneret, januis patentibus liber omnibus eſſet aditus ad Chriſti ſepulcrum. Cum Fratribus Montis Sion habitavit, & a Dominica in ramis palmarum uſque ad feriam tertiam Paſchatis Reſurrectionis diurnis nocturniſque interfuit officiis. Regreſſurus petiit ſibi concedi pro itineris ſolatio, & Æthiopum inſtructione, illius Sodalitii viros religioſos, quod & Sixtus Pontifex ſuis litteris fieri præcepit. Conceſſit Præſes Franciſcum Sageram Hiſpanum, virum doctiſſimum vitaque integerrimum, Joannem Calabrum, Sacerdotes, & Baptiſtam Imolenſem Tertiarium. At primus morbo correptus in via, regreſſus eſt in Hieruſalem, reliqui duo poſt undecim menſes pervenerunt Bazar, ubi Rex commorabatur. Paulo antea defuncto Rege, ſucceſſerat filius Alexander, adoleſcens, vir ferox, Latinis infeſtus, ad quem difficilem habuerunt acceſſum.

Nepos Regis Æthiopum Minoritis cohabitat Hieroſolymis. *Marian. cit. Surian. in itinerario Paleſtinæ lib. 1.*

Ducit Fratres in Æthiopiam.

X. Interim venerunt Hieroſolymam defuncti Regis Nuncii duo ad Sixtum IV. amandati, ab eodem benigne habiti, muneribus aucti. Unus ex eis miſere defecit, pro Mahometana relicta fide Catholica; alteri titubanti an ad Regem reverteretur, additus eſt animus & ſocius frater Grifon Slavus, qui in Æthiopiam comitaretur, & in fide contineret, ut Pontificis porrigeret litteras & donaria. Vel hujus vel aliorum dolo Grifon necatus eſt, cujus corpus inter rubos & arbuſta conjectum, cœleſte lumen revelavit. Annos tres conſumpſerunt Fratres in hac miſſione, fructu tamen exiguo. Eam diffuſius narrat frater Franciſcus Surianus, qui de rebus & locis ſanctis Paleſtinæ libros duos compoſuit, & ſe tunc Hieroſolymis fuiſſe, ac litteras a Guardiano Paulo de Canneto ad Regem miſſas, ſe ſcripſiſſe teſtatur. Ex Urbe miſit Sixtus, qui in eas regiones proficiſcerentur, Antonium de Modoetia, & Hieronymum Torniellum Novarien. provinciæ Mediolanenſis, Antonium Ferrarienſem, & Simonem Regienſem provinciæ Bononienſis, conceſſis ſociis pro arbitrio eligendis. Sed dum Venetiis ſe parant ad transfretandum, ſupervenit quidam Epiſcopus, qui ſe miſſionis caput & præfectum aſſerebat, ortoque diſſidio cum homine vano & inconſtante, non ſine Pontificis indignatione, unuſquiſque reverſus eſt in regionem ſuam.

Miſſi Nuncii ad Sixtum Pontificem.

XI. Bernardinus Feltrenſis ineunte hoc anno multas multo fœnore habuit Bergomi conciones, Ticini vero quadrageſimales, quibus ludi Magiſtri univerſi ſuos volebant intereſſe diſcipulos; juvenum enim inſtructioni

Bernardin. Feltrenſis prædicat Bergomi & Ticini.

Legenda MSS. Hebræos infeſtatur.

multa dicebat appoſite, & tenellis animis efficaciter imprimebat. Contra Hebræos Chriſtianis inſidiantes, eouſque exarſit, ut Dux Mediolanenſis miſerit, qui moneret, miſſos facere vellet in ſua cæcitate pertinaces, ne gravis aliquis oriretur in populo tumultus. At ille nullius imperio verbum Domini alligatum eſſe reſpondens, in eos predicare non deſtitit, perſpiciens mala, quæ ex nimia Chriſtianorum cum infecta hominum fæce familiaritate oriebantur. Illic rogatus cum nobili quadam fœmina loqui, recuſabat, dicentique Chriſtum Dominum & ſanctos viros non dedignatos mulierum colloquium, reſpondit: *Chriſtus non ſum ego, neque ſanctus, ſed miſellus peccator, neque mihi plus audeo promittere, quam mea vilis & miſera fert conditio*. Prædicanti in domo Cathedrali revelata eſt mors ſui genitoris, quam ille, poſtquam parumper in concione ſubſtitit, auditoribus enarravit, pauciſque poſt diebus per litteras Feltro ſcriptas innotuit, ea ipſa hora deceſſiſſe.

Mulierum fugit alloquium. Prædicanti revelatur mors genitoris. *Vide ann. 1494. ubi dicitur revelata etiam mors genitricis. Marian. cit. Marc. l. 6. c. 40.* Floret Paulus Lucen.

XII. Præter eos, quos diximus anno prædecenti, floruerunt hoc tempore litteris & virtutibus Paulus Lucenſis in ſacra Theologia Magiſter, magnus quidem Theologus & maximus Prædicator, vitæ ſanctimonia illuſtris. Ter ad Vicariatum provinciæ Tuſciæ aſſumptus, novem annis eamdem prudentiſſime gubernavit. Sæpe in Definitorem Generalem electus, optima miniſtrabat ſupremis Rectoribus ſeu Vicariis Generalibus conſilia; in quorum numerum etiam ille cooptaretur, niſi gracili & debili nimis corpore videretur impotens ad tot labores ſuſtinendos. Celebri memoria dignus jacet in Conventu Lucano. Franciſcus de Aragonia, regia ſtirpe progenitus, univerſam ferme Italiam ſua prædicatione illuſtravit. De viro hoc plura dicemus inferius. Alexander Arioſtus, in utroque Jure & Theologicis doctiſſimus, qui præter alia opera tractatum, *Serena conſcientia* nuncupatum, qui inter Ordinis monumenta circumfertur, conſcripſit. Cherubinus Spoletanus, Bernardinus Feltrenſis, & Marcus de ſancta Maria in Gallo, de quibus infra dicturi ſumus. Joannes Valentinus Hiſpanus auctor libri, *Doctrinale ſalutis* inſcripti. Guido Brianſolius provinciæ Aquitaniæ, Doctor & publicus profeſſor Pariſinus. „ Leonardus Florentinus, vir egregius, „ prudens moderator religioſi Conventus Montis Alvernæ, inſignis Ar„ chitectus, multis virtutibus Inſignis, hoc anno e vivis exceſſit.

Franciſcus de Aragonia. Cherubinus Spoletanus. Marcus de ſancta Maria in Gallo. Joannes Valentinus. Guido Brianſolius. ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Leonardus Florentinus. Dominicus de Ponzo Spediano.

XIII. Dominicus de Ponzo Spediano Prædicator celeberrimus, vultu rigidus, in declamando terribilis, auditores perterreſaciens, a vitiis potenter retrahebat. Florentiæ acriter in Hieronymum Savanarolam invectus, contra eumdem publice prædicabat. Romæ corruptos quoſque Curiæ mores conſtanter arguebat. Anno ſequenti collecta multa pecunia, triremem optime inſtructam ſimul cum claſſe Pontificia, & Regia duxit in Sarracenos, qui Hydruntum occuparunt. Anno MCCCCXCIX. ad Aram-cœli deceſſit. Michael Aquenſis provinciæ Januenſis ex roſtris facundiſſimus Orator, Savanarolæ itidem doctrinam & mores impugnavit. In patientia per multos labores & morbos probatus, miraculis effulſit. Jacet in veneratione ad Cœnobium ſuæ patriæ, tunc provinciæ Januenſis. Impetravit ab Innocentio VIII. ſeptem annos & totidem quadragenas pro iis, qui coronam beatæ Virginis recitarent. Erat etiam doctrina & concionibus celeberrimus, Seraphinus de Squilatio, qui hoc anno, XIII. Kalend. Novembris ad Archiepiſcopatum Hydruntinum, per obitum Stephani aſſumptus eſt. Hunc ſolum invenimus hoc anno ad Epiſcopatum aſſumptum.

Michael Aquenſis.

Seraphinus de Squilatio Arch. Hydruntinus. Joanna Princeps fit Clariſſa. *Garib. lib. 18. c. 16. & lib. 35. c. 19.*

XIV. Joanna Caſtellæ Princeps, filia Henrici IV. & Joannæ Eduardæ Luſitaniæ Regis natæ, deſponſata avunculo Alphonſo Luſitaniæ Regi, ut

tot

Digitized by Google

tot bellorum incendia, quæ inter Ferdinandum Caſtellæ Regem,& Alphonſum ſponſum de jure Regni propter ejus ſponſalitia exorta erant, extingueret, decrevit mundo & ſponſo valedicere. Itaque hoc anno, die XV. Octobris, præſente Joanne Principe, Alphonſi filio & hærede, Regiſque Caſtellæ Legatis, profeſſionem ſolemnem emiſit in Monaſterio graviſſimo ſanctæ Claræ Conymbricenſi, ubi diu vixit, ſanctitatis exemplo memorabili. Sermonem tunc habuit doctiſſimum de mundi contemptu, & cœleſtium cupidine Ferdinandus a Talavera Prior Monaſterii de Prato Valliſoletani, Ordinis ſancti Hieronymi, Regi Ferdinando a confeſſionibus, mox Epiſcopus Abulenſis, deinde primus Archiepiſcopus Granatenſis. Ludibrium hoc inſanientis fortunæ, & Alphonſi Regis dolorem diffuſe & graviter narrat Ruyzius de Pina in hiſtoria, quam de geſtis Alphonſi V. & Joannis II. Regum Luſitaniæ concinnavit, & MSS. mihi accommodavit vir Princeps egregiis dotibus illuſtris, Emanuel de Moura a Curia Regali, Marchio Caſtri Roderici, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis apud Urbanum VIII. annis multis Orator, deinde apud Ferdinandum III. Imperatorem Legatus, mox Belgii Gubernator, ſolertiſſimus hujuſmodi librorum collector, & prudens bonorum Monumentorum æſtimator. Hujus Joannæ amita Catarina, prius Carolo Navarræ Principi, poſtea Anglorum Regi promiſſa conjux, paulo antea, anno ſcilicet MCCCCLXXIII. idem Inſtitutum ſubiit Ulyſſiponæ in religioſiſſimo ſanctæ Claræ Monaſterio, nobilibus ſanctiſque Sororibus perilluſtri.

Emanuel de Moura Marchio Caſtri Roderici commendatur.

Catarina Joannæ amita fit Clariſſa.
Vaſconcel. in Eduardo Rege n.8.

XV. Multoties retuli Fratrum & Superiorum nimios ſcrupulos, varias inconſtanteſque ſententias circa modum obſervandum in ferendis ſuffragiis pro Superiorum electione. Sedata aliquantulum controverſia per declarationem factam in Comitiis Generalibus Aquilanis, hoc anno revixit. Ut tandem terminaretur, hanc legem Sixtus promulgavit.

Dilecto filio Vicario Generali Ciſmontano Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

Dilecte fili, ſalutem &c. Humiliter expoſuiſti nobis, quomodo Fratres familiæ tibi creditæ, in electionibus Prælatorum ſuorum communiter procedunt, & tenent formam ſcrutinii in Concilio Generali a bo. me. Innocentio III. predeceſſore noſtro traditam: Quam quidem formam tenere & ſervare eſt valde durum, & cauſa aliqualis inquietudinis: & altera forma tradita & ſtatuta ſimiliter a fel. rec. Nicolao III. & ad decidendas dubitates Doctorum circa eam, a bo. me. Bonifacio VIII. prædeceſſore noſtro approbata, ſeu forma compromiſſi limitati, ſeu forma mixta, magis communitati Fratrum prædictorum placeret; utpote quæ facilior & expeditior eſt, & quieti ac paci omnium Fratrum præfatorum magis convenit. Sed ex ſcrupulo conſcientiæ quorumdam eorumdem Fratrum, ſecundum eam procedere in electionibus timent, propter quamdam determinationem factam in Capitulo Generali eorumdem Aquilæ celebrato vigore litterarum noſtrarum, cui Capitulo committebamus determinationem, an voces eſſent publicandæ vel ne? quod quidem determinavit publicari debere, ut diſpoſitioni juris conveniebat; & etiam pavent in ea procedere, quia ſæpius contingit, quod unanimiter omnes de Capitulo non conſentiunt ſecundum eam procedere. Nos igitur quieti & paci præfatorum Fratrum providere, & omne dubium circa hujuſmodi ab eis removere volentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica declaramus, quod, non obſtante præfata de-

Ex originali.
Vide Concil. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 24. & hab. c. Quia propter. de elect.

C. Audientes. de elect. in 6.
C. Si cui. & c. Cum expediat. de electione in 6.

Vide ſupra anno 1472. n.9.

determinatione dicti Capituli Generalis, quæ eſt ad formam ſcrutinii referenda, ſicut & litteræ noſtræ præfatæ referebantur, de qua nobis fuerat querelatam; inſuper non obſtan. quod non omnes conſentiant ſecundum præfatam formam in electione procedere, dum tamen major pars totius Capituli in eam conſentiat, licite & libere in omnibus electionibus veſtris ſecundum præfatam formam compromiſſi limitati procedere potuiſtis & poteſtis. Mandantes omnibus vocalibus tam Generalis veſtri Capituli, quam Provincialium, pro tempore futurorum, quod ſecundum alterum præfatarum formarum in omnibus electionibus procedant, in quam major pars totius Capituli conſenſerit procedendum: non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. *Novembris* MCCCCLXXX. *Pontificatus noſtri anno* X.

Jubet Pontifex ne moleſtentur Conventuales.

XVI. Conventuales Patres non ſolum Minores, ſed etiam Prædicatores, Auguſtiniani, & Carmelitæ multas patiebantur hoc tempore moleſtias ab Obſervantibus, Principibuſque eorum fautoribus, qui eos domibus expellebant, boniſque ſpoliabant. Ne id fieret, vetuit Sixtus hoc conſtituto.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Salsburgen. ac Friſingen. & Ratiſponen. Epiſcopis.

Lib. 152. bullar. fol. 41.

Humilibus &c. Dudum ſiquidem fel. rec. Paulus Papa II. prædeceſſor noſter univerſis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſoribus, ne domus Fratrum dicti Ordinis, Conventualium nuncupatorum, ſeu eorumdem Fratrum habitationes, neve quod Monaſteria Monialium, eorumdem Fratrum Conventualium curæ commiſſa, ipſorum Fratrum de Obſervantia curæ committerentur, quærere aut recipere præſumerent, per quaſdam ſuas litteras inhibuit. Et deinde dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum, & prædictorum Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Generalium Magiſtri, Miniſtri, & Priorum, & aliorum dictorum Ordinum profeſſorum relatione non ſine querela per nos accepta, quod laici in diverſis Mundi partibus conſtituti, propriis incumbentes affectibus, dum Magiſtri, Miniſtri & Priores ipſi tam Generales, quam Provinciales, & domorum eorumdem Ordinum Cuſtodes, Guardiani, & Fratres Conventuales nuncupati, dictarum domorum jure proſequuntur, ac pecunias & bona, ad licitos uſus eorumdem Fratrum pia Chriſtifidelium largitione eis & eorum domibus, ac eorum Ordinibus relicta ſeu legata, aut alias debita, ab eiſdem laicis exigere curabant, aut ipſarum domorum bona præfatis laicis pro eorum beneplacito & voluntate concedere, ſeu civiles laicorum eorumdem diſſenſiones, particulares diſcordias & factiones ſequi, vel a laicis in litteris, quæ laici ipſi a Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Guardianis & Fratribus memoratis minus licite poſtulabant, eiſdem laicis complacere recuſabant, ac alias dum laici ipſi Magiſtrum, Miniſtros, Priores, Cuſtodes, Guardianos & Fratres prædictos aliis variis plerumque occaſionibus, ea quæ debebant affectione non proſequebantur, ut de eiſdem Magiſtro, Miniſtris, Prioribus, Cuſtodibus, Guardianis & Fratribus Conventualibus nuncupatis valerent in ſe vendicare, aut occupatorum per ipſos laicos bonorum ad domos eorumdem Fratrum pertinentium, reſtitutionem differre, & ſi domus ipſæ ad Fratres dictorum Ordinum, de Obſervantia nuncupatos pervenirent, bona eorum eis commoda emere, & pro minori pretio quam valerent, habere poſſent, exquiſitis modis curabant, quod domus ipſæ Ordinum eorumdem per dictos Fratres Conventuales longo tempore inhabitatæ, Fratribus de Obſervan-

tia

tia vel alio nomine nuncupatis eorumdem Ordinum concederentur, novas gabellas & onera a quibus Fratres ipſi exempti ſunt, ab eis exigere, varia gravamina eis inferre, ac alias injurias irrogare præſumebant, ex quo plurima eiſdem Fratribus Conventualibus incommoda proveniebant; nam metu moleſtiarum hujuſmodi, quas eis inferri formidabant, in exigendo & proſequendo domorum ſuarum jura timidiores reddebantur, & eoſdem laicos vereri, ultra quam deceret, & a libere prædicando, quod illos tangebat, abſtinere, & illos ultra quam ipſorum qualitas exigeret, & Ordinum prædictorum utilitas perſuaderet, deferre cogebantur inviti, non abſque Divinæ Majeſtatis offenſa, & Ordinum eorumdem gravi præjudicio & jactura; adeo ut propter incommoda prædicta, etiam aliqui dictorum Ordinam profeſſores nonnumquam domos deſererent, & ad alios non Mendicantium Ordines ſe transferrent, tales moleſtias evitare curantes; aliqui vero, qui Ordines ipſos ingrederentur, ab ingrediendo abſtinere conarentur, quod ad eorumdem Ordinum perniciem paulatim cedere manifeſte dignoſcebatur. Nos tunc tot malis, quot Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini & Carmelitarum Ordinum Mendicantium profeſſores prædicti, Conventuales nuncupati, quorum ſcientia & doctrina militans Eccleſia continuo ſuſcipit incrementum, ex præmiſſis patiebantur, obviare cupientes, per alias noſtras litteras motu proprio, non ad prædictorum Magiſtri, Miniſtri, Priorum, Cuſtodum, Guardianorum & Fratrum Conventualium, vel alterius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra deliberatione, & ex certa ſcientia, litteras prædeceſſoris hujuſmodi tunc ratas habentes & innovantes, omnibus & ſingulis Clericis & Religioſis de Bulla, *alias de Obſervantia nuncupatis, Ordinum quorumcumque, ac laicis utriuſque ſexus, cujuſvis dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis forent, etiamſi Marchionali, Ducali, Comitali, Patriarchali, Archiepiſcopali, Abbatiali, & alia qualibet Eccleſiaſtica vel mundana præfulgerent dignitate & auctoritate, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, eo ipſo toties, quoties illos contrafacere contingeret, incurrenda, ne quod domus & loca profeſſorum dictorum Ordinum, Conventualium nuncupatorum, aut Monaſteria Monialium eorum curæ commiſſa, aliis Fratribus, Monialibus ſeu Sororibus etiam ejuſdem Ordinis, quovis nomine nuncupatis, quomodolibet concederentur, aut, quod amotis exinde Fratribus & Sororibus, illæ & illas inhabitantes reformarentur, & alii Fratres aliæve Moniales ſeu Sorores eorum loco ſubrogarentur & ſubſtituerentur ibidem, ſeu quod Monaſteria prædicta aliorum curæ committerentur, procarare, quærere aut attentare, niſi apud Magiſtrum, Miniſtros & Priores, Generales vel Provinciales dictorum Ordinum pro tempore exiſtentes, qui tenerentur & deberent, quoties opportunam foret, & poſtquam eſſent requiſiti, infra annum domos ipſas debite reformare, & quæ correctione & emendatione indigerent, corrigere & emendare, nec etiam ad effectum hujuſmodi amotionis eorum a domibus ſuis, eiſdem Fratribus Conventualibus, & eorum curæ commiſſis Monialibus injurias aut gravamina aliqua inferre, ſeu ab eiſdem Fratribus pro rebus & bonis, quæ negotiationis cauſa non deferrent, pedagia, quidagia, gabellas, & alia quovis nomine nuncupata nova onera petere, exigere vel levare quoqao modo præſumerent, auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibuimus; ac voluimus, & motu ac ſcientia prædictis ſtatuimus & ordinavimus quod Fratres ipſi Conventuales, & Sorores & alii quicumque, reformationibus, quas fieri contingeret per Generales aut Provinciales prædictos, acquieſcere, illaſque obſervare omnino tenerentur & deberent, quodque laici prædicti in faciendis reformationibus prædictis alias, quam ut præ-*

fer-

fertur, nullatenus ſe intromitterent, aut ne fierent, opponerent vel contra dicerent, nec quod poſtmodum facta reformationes alterarentur vel mutarentur, aut in eis ultra adderetur, quærere auderent, ſub eadem excommunicationis ſententia, ſi contrafacerent, eo ipſo tunc incurrenda, diſtricte præcipiendo inhibuimus: decrevimus quoque irritum &c. attentari. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii loci Monacen. Fratrum Minorum, & ſanctæ Claræ Ordinum, Friſingen. diœceſis, petitio continebat, ipſi Guardianus & Fratres, ac Abbatiſſa & Conventus dubitent, ne aliqui inhibitioni & litteris prædictis in ipſarum præjudicium contravenire præſumant; pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum, ac Abbatiſſæ & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras prædictas, & in eis contenta, quoad eos eorumque domum & Monaſterium prædicta obſervari mandare &c. dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, Guardiano & Fratribus, ac Abbatiſſæ & Conventui præfatis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ac præmiſſa omnia & ſingula, ubi & quando expedire cognoveritis, fueritiſque deſuper pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum, ac Abbatiſſæ & Conventus legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, non permittatis eos vel eorum domum & Monaſterium prædicta, contra præſentium tenorem per quoſcumque, etiam prætextu quarumcumque commiſſionum & delegationum ac facultatum viſitandi, quæ a nobis & Sede Apoſtolica emanaſſent vel in poſterum emanarent, in quibus de præfatis & præſentibus litteris noſtris ſpecifica & individua mentio non fieret, quomodolibet inquietari ſeu moleſtari, ac illos omnes & ſingulos, quos vobis hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurriſſe conſtiterit, in Eccleſiis & aliis locis, ubi vobis videbitur, excommunicatos publice nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, excommunicationis ſententiam hujuſmodi iteratis vicibus aggravare curetis, invocato &c. donec prævia debita ſatisfactione meruerint ab eadem excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium obtinere. Contradictores &c. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem &c. quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCLXXIX. XV. *Kalendas Aprilis anno* VIII.

Suſpenſionem Indulgentiarum, Mendicantium Ordinum a ſe factam declarat Pontifex.

XVII. Suſpenderat Sixtus Indulgentias & facultates Ordinibus Mendicantium, præſertim Minorum, a ſe ſuiſque Prædeceſſoribus conceſſas, excitatus querelis Epiſcoporum aliorumque Prælatorum. Qua id ratione intelligendum eſſet, an abſolute quoad omnes, vel reſpective quoad ſeculares dumtaxat? rogavit Vicarius Generalis explicari. Hanc Pontifex emiſit declarationem.

Dilecto filio Vicario Generali Ciſmontano Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

Ex originali.

Dilecte fili, ſalutem &c. Superioribus diebus ad querelam multorum Prælatorum Eccleſiaſticorum nobis factam, ſuper quibuſdam exceſſibus aliquorum Fratrum de Ordinibus Mendicantium, & præſertim Minorum, providere, ac ſcandalis, quæ inde provenire poſſent, occurrere cupientes, quaſ-

quaſdam litteras noſtras fecimus, quæ incipiunt: Ad futuram rei memoriam. Dum contingit interdum ad Romani Pontificis deduci memoriam &c. *Et cum in præfatis litteris infraſcripta ponantur verba*: Approbatione Indulgentiarum hujuſmodi conceſſarum a Prædeceſſoribus noſtris viſitantibus Eccleſias dictorum Ordinum, & pia ſuffragia ibidem erogantibus, aut alia pia opera exercentibus memorata, & illarum de novo, ac aliarum, quas prædictis Ordinibus, ſeu alicui eorum in ſpecie, & demum reciproce, ut præfertur, & illas concernentia, facultates & Indulta quæcumque, auctoritate Apoſtolica, ad noſtrum & dictæ Sedis beneplacitum, præſentium tenore ſuſpendimus; *dubitetur a pleriſque ne præfata clauſula, qua dicitur*, Seu facultates & indulta quæcumque, *includat ſuſpenſionem omnium privilegiorum & indultorum, a nobis vel Prædeceſſoribus noſtris dictis Ordinibus Mendicantium conceſſorum, cujuſcumque facultatis vel tenoris exiſtant, humiliter declarari petiiſti. Nos igitur paterno affectu materiam jurgiorum amputare volentes, tuis ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, declaramus & decernimus, præfatam clauſulam ſolum referri debere ad facultates & indulta quæcumque indulgentiarum & abſolutionum vel remiſſionum peccatorum, perſonas quaslibet, quæ non ſunt dictorum Ordinum aut Monialium, vel Sororum Tertii Ordinis collegialiter viventium ſub eorum cura, aut ſervientes eiſdem continue, concernentia, & non ad alias facultates ſeu indulta, a nobis vel prædeceſſoribus noſtris eiſdem Ordinibus conceſſa: quæ omnia & etiam quoad indulgentias, & peccatorum remiſſiones temporales non plenarias, in ſuo robore perdurare volumus & decernimus. Non obſtan. præfatis litteris noſtris, aut aliis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret has litteras ad diverſas Mundi partes mittere, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod harum tranſumpto, manu publici Notarii ſubſcripto, & ſigillo officii tui munito, tamquam præſentibus litteris originalibus, firmiter ſtetur, & ea fides adhibeatur, ac ſi eædem originales litteræ exhibitæ vel oſtenſæ forent. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XVIII. *Decembris* MCCCCLXXX. *Pontificatus noſtri anno* X.

XVIII. Nobilis mulier Maria de Cardona Comitiſſa Goliſani, & Domina oppidi Naſi, Meſſanen. diœceſis, & Univerſitas ejuſdem oppidi ante aliquot annos Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Jeſu extra muros dicti oppidi fabricarunt, adjectaque domuncula, inhabitandam dederunt fratri Ægidio Macri Obſervantino ejuſque ſociis, adhibitis diœceſani conſenſu, & Sedis Apoſtolicæ facultate. Hoc anno impetrarunt licentiam Cœnobium perficiendi. Opus hoc Artaxi a Cardona adſcribit Gonzaga, idque a Conventualibus occupatum, Obſervantinis fuiſſe adjudicatum. Hic requieſcit Franciſcus Galatinus, in vita & poſt mortem miraculis coruſcans.

Conv. Naſi. *Lib.*145.*fol.*308.

*Gonz. in Prov. Sicil. Conv.*28.

Fr. Franciſcus Galatinus.

XIX. Extra muros oppidi Portus-Gruarii, Concordienſis diœceſis, ſitam Eccleſiam ſanctarum Agnetis & Luciæ pene dirutam & deſtitutam, olim, ut refertur, ad Moniales quaſdam pertinentem, hoc tempore menſæ Epiſcopali Concordienſi unitam & incorporatam, jam pridem conſentiente Epiſcopo, oppidani refecerant, incœperuntque commodum addere Obſervantum habitaculum. Hoc anno pridie Kalendas Novembris impetrarunt facultatem opus eiſdem tradendi. Die XVIII. ejuſdem menſis frater Franciſcus Albizoto, & Univerſitas oppidi de Meſtre obtinuerunt a Joanne Mocenigo Duce Venetiarum licentiam fabricandi locum pro Fratribus Minoribus ad prædictum oppidum, ſub invocatione ſancti Rochi. Poſtea impetra-

Conv. Portus-Gruarii. *Lib.*157.*fol.*217.

*Gonz. in Prov. S. Anton. Conv.*24.

Conv. Meſtrii. *Rodul. fol.*272. *par.*1.

runt Pontificiam facultatem. Subeſt hic locus Patribus Conventualibus Provinciæ & Cuſtodiæ Venetiarum.

Conv. Suſpitelli. Gent. in Prov. Genuæ Conv. 20.

XX. Dederat hoc anno Gabriel de Albertis fundum Conventui ædificando opportunum prope Suſpitellum, oppidum Liguſticum, & Communitas incolarum Conventum ex publico ærario conſtruxit anguſtulum ſub nomine Obſervantiæ Suſpitelli.

Conv. Romanengi. Idem in Prov. Mediolan. Conv. 33.

XXI. Ad oppidum Romanengi in Inſubria, diœceſis Cremonenſis, conſtructum eſt integrum Cœnobium ſanctæ Mariæ de Miſericordia Fratrum Obſervantum. Ut ædificaretur, ſuarum facultatum partem teſtamento legavit Joannes Baptiſta Cropellius. Oppidani, quæ deerant, adjecerunt. Duo habet clauſtra, bibliothecam inſtructam, Eccleſiam pulchram & amplam, a Leonardo Ceva Bidanenſi Epiſcopo, Cremonenſis ſuffraganeo XXIII. Auguſti anno MDLVI. conſecratam. Frequentes habet hoſpites; illac enim itur Mediolanum, Brixiam, Cremam & Laudam. Hic natus eſt frater Pacificus, celebris Prædicator, præcipuis functus muneribus in Provincia Mediolanenſi.

Fr. Pacificus Romanengi.

XXII. Catanzarii, quæ Calabriæ Civitas eſt Epiſcopalis ad mare Adriaticum, circa hoc tempus apparuit beata Virgo Maria cuidam pio civi, juſſitque ut ſitum e regione caſtri ſive arcis antiquum ſacellum, in Minoriticum Conventum ſibi ſacrandum coaptaret. Dum id facit, urbis Princeps reſiſtit, dicens contra arcem conjunctumque ſuum palatium, aggerem ſeu munitionem præparari. Prædicabat illic vir optimus Paulus Sinopolitanus, corripuitque dure adverſantem, & prædixit arcem ac domum non ab illa Cœnobii parte, ſed ab interiore urbis paſſuras. Verum dixit; nam paulo poſt orta civium ſeditione, irruerunt in Principem, & utrumque diruerunt ædificium. Ex illarum ruinis circa hunc annum domus iſta ſub titulo beatæ Mariæ de Gratiis conſtructa eſt.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Conv. Calitri. Idem in Prov. S. Angeli Conv. 17.

„ XXIII. Quemdam Jeſualdum Venuſiarum Principem ad hunc an„ num Conventum ejuſdem Inſtituti Sectatoribus ſub invocatione ſancti „ Sebaſtiani ad radices montis & oppidi Calitri diœceſis Conſanæ conſtru„ xiſſe, narrat Gonzaga. Sed neque hoc anno, neque ab alio, quam ab „ oppidi ſeu caſtri Univerſitate conſtructum fuiſſe percipiet, qui litteras „ Innocentii VIII. datas anno MCCCCLXXXIX. incipientes: *Cognita devo„ tionis conſtantia*, Pridie Idus Januarii, velit in regeſto conſulere „

Fr. Thomas de Peſcopagano.

Porro jacet hoc in loco frater Thomas de Peſcopagano Sacerdos, vir ſui Inſtituti zelantiſſimus, Divinæ orationi & contemplationi ſemper intentus, „ qui VIII. Idus Decembris hoc anno obiit. „ Hic etiam ſepulta eſt Sveva, Gonzæ Comitiſſa, Fabricii Jeſualdi Comitis uxor, ſingularis erga pauperes miſericordiæ, erga domeſticos manſuetudinis, & erga Deum pietatis.

ADDITIO ALIORUM Ex P. Antonio de Macro ad hunc Annum. Conv. Montis-Sarchii. Idem in Prov. Terræ lab. Conv. 28.

Prope Montem-Sarchium in Campania felici oppidum, alium fabricavit ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratiis Carolus Caraffa, ejuſdem oppidi Marchio, Religioni addictiſſimus.

Conv. Villabaden. Lib. 257. fol. 263.

XXIV. Per aliquot annos poſſederunt Minores Eremitorium beatæ Mariæ de Villabade, diœceſis Lucenſis in Regno Gallæciæ, ſibi Ordinaria & Apoſtolica auctoritate conceſſum. Hoc tamen anno per Alphonſum Epiſcopum & Capitulum Lucenſe ſunt inde exturbati, de quo apud Sedem Apoſtolicam conqueſtus eſt Fernandus de Bolano, Miniſter Provinciæ ſancti Jacobi. Commiſſa fuit controverſiæ deciſio Abbatibus Monaſteriorum de Brus, & de Cyns, diœceſis Compoſtellanæ. Quid judicaverint, neſcio: Eremitorii inter domos Minorum nullum reperio veſtigium. „ In oppido „ de Ramo Provinciæ Burgenſis ſub hoc tempus N. Princeps Joannis

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Ara-

„ Aragoniæ & Navarræ Regis filius, ſub invocatione ſancti Joannis, loco „ ſylveſtri & nemoroſo Conventum conſtruxit pro Fratribus Obſervanti- „ bus, a quibus ad Conventuales tranſiit, & ex his iterum in Obſervantum „ poteſtatem devenit anno MDLXVII. Pio V. jubente. Hic vixit annis „ multis frater Joannes Gonzalez laicus, ad obediendum paratiſſimus, in „ paupertate, vitæ auſteritate, erga pauperes caritate admirandus.

Conv. Rami. *Gonz. in Prov. Burg. Conv. 19.*

Fr. Joann. Gonzalez.

XXV. Extra Safram, Pacis Auguſtanæ diœceſis, & Ducatus Feriani oppidum munitum, locuples & populoſum, ad CCC. P. Gomeſius de Figueroa, Comes Ferianus, Obſervantibus commodum ſatis ſub nomine ſancti Benedicti poſuit domicilium, patrem æmulatus, qui ante annos fere viginti alterum Dominicanis conſtruxit. Hortos adjecit amœniſſimos atque ampliſſimos, irriguis aquarum fertiliſſimos. Hoc in oppido Duces Feriani pulchrum habent palatium, Fratribus ſemper benefici. Hujus gentis heroes multa ſtatuerunt ſuæ erga Minores pietatis monumenta, Monaſterium Clariſſarum in hoc ipſo oppido, ſanctæ Marinæ Fraxineti, & ſanctæ Annæ Pacis Auguſtæ, præter alia collata beneficia, conſtruxerunt. Patroni ſunt hujus Conventus Duces prædicti, ſibique proprium reſervarunt majus ſacellum, in quo nemo ſepeliri poteſt abſque eorum licentia. Jacet ibidem ſub ſepulcro lapide marmoreo nobilis fœmina Anglicana, hoc inciſo Epitaphio.

Conv. Safræ. *Gonz. in Prov. S. Michael. Conv. 3. Monum. MSS. ejuſd. Prov.*

Duces Feriani Minoritis addictiſſimi.

Domina Suſanna Clarentia, Sereniſſimæ Reginæ Angliæ Mariæ, Philippi Hiſpaniæ Regis Uxoris a Camera præcipua. Illa Duciſſam Feriæ huc uſque comitata obiit anno M. D. LXV.

In eodem ſacello ſupra ſacrarii oſtium, ſub duabus clavibus, quarum unam habet Guardianus, aſſervantur privilegia, prædicto oppido a Regibus Hiſpaniæ conceſſa. Hic requieſcunt religioſiſſimi viri, virtutibus plurimis, maxime oratione, pœnitentia caſtiſque moribus ornatiſſimi, Didacus de ſancto Alexio Sacerdos Luſitanus, Blaſius & Joannes a ſancto Michaele laici, quorum memoria in benedictione eſt inter Conſodales. Spectabat domus hæc ad Provinciam ſancti Jacobi, nunc autem pertinet ad eam, quæ vocatur ſancti Michaelis, ex illa divulſam.

Fr. Didacus a S. Alexio.
Fr. Blaſius, & Fr. Joan. a S. Michaele.

XXVI. In eadem ſancti Michaelis Provincia ædificata eſt domus altera, etiam ſub invocatione ſancti Benedicti, prope Montes Marianos, vulgo *Serra Morena*, D. P. a Villa *Securæ Legionenſis*, ejuſdem diœceſis Pacis Auguſtanæ, inter denſas pinus, quercus aliaſque ſilveſtres arbores, in amœna planitie, aquis irrigua. Situm & neglectum Oratorium ſancti Benedicti, a quo Conventus nomen accepit, impetravit frater Joannes a Villa Didaci, porrecto libello ſupplici Alphonſo de Cardenas, militiæ ſancti Jacobi de Spata poſtremo magiſtro, tunc Vileſii in comitiis Præſidenti, qui donationem hoc anno confirmavit in alio cœtu Ottanienſi. Deinde domum totam ipſe ſuis ſumptibus ædificavit, quadraginta Fratrum capacem, in qua communiter gymnaſium habetur Philoſophiæ.

Conv. Securæ. *Indid. Conv. 10. Monum. MSS.*

XXVII. Prope oppidum Pontis-Limani, diœceſis Braccaren. Leonellus de Luna, primus Vicecomes Villæ novæ de Cerveria, Cepten. diœceſis, & Philippa conjux, cœperant hoc anno Conventum Minoribus ſub invocatione ſancti Antonii conſtruere, & anno ſequenti XIV. Kalendas Auguſti impetrarunt a Sixto IV. facultatem abſolvendi; & quidem ampliſſima menſura pro Conventualium more abſolverunt. Vetuſtate labentem renovarunt & reſtrinxerunt anno MDXCII. Fratres ſtrictioris Obſervantiæ. Hic jacent viri tres religioſiſſimi, Petrus a Carnota Miniſter Provinciæ Portugalliæ, multis religionis & ſanctitatis documentis illuſtris, humilibus Cœnobii

Conv. Pontis-Limæ. *Idem in Prov. S. Anton. in Portugal. Conv. 4. Monum. MSS. ejuſd. Prov. Lib. 158. fol. 282.*

Fr. Petrus Carnota.

Fr. Gonſalvus.

nobii miniſteriis, etiam horto colendo totus intentus; Gonſalvus Clericus, ſancti Franciſci verus æmulator, adeo humiliter de ſe cogitans, ut nunquam voluerit ad presbyteratum aſcendere, etſi ferme nonagenarius virtutibus & meritis plenus obierit; Salvator laicus, paupertatis & Regularis diſciplinæ obſervantiſſimus, cui frequentes ſtruebant dæmones inſidias, ſæpe etiam cominus pugnam ſed inutiliter conferentes.

Fr. Salvator.

Conv. Plajæ. *Idem in Prov. Algarb. Conv. 27.*

XXVIII. Inter eas Inſulas maris Oceani, quas Luſitani vocant *Terçeiras*, oppidum eſt, quod *Plaja* nuncupatur. Hic ex communibus privatiſque facultatibus circa hunc annum Conventus Immaculatæ Conceptionis extra muros fabricatus eſt. In alia Inſula Oceani, quæ magna dicitur Canaria, aliud Obſervantibus obtigit capaciſſimum Cœnobium. Cum enim Reges Catholici Ferdinandus & Eliſabetha, emptis tribus inſulis Canarienſibus, Joanne Rexiono claſſis Præfecto, majorem Canariam debellaſſent, ex hoſtium ſpoliis in loco amœniſſimo, aquis irriguo, aſſentientibus Regibus, conſtructus eſt Conventus ſub invocatione ſancti Franciſci, iis Fratribus, qui claſſem aſſociarunt. Majus ſacellum pulcherrimum ædificarunt Genuenſes, quorum ſepulturæ deſervit. Illic requieſcunt duo religioſiſſimi Patres, Ludovicus a Lugo & Emanuel Lomadas. Inter Canonicos Cathedralis Eccleſiæ & Minores hujus urbis, ea ſtabilita eſt obſequiorum viciſſitudo, ut Canonicorum exequiis Fratres aſſiſtant, & Fratrum funeribus Canonici interſint.

Conv. Canariæ. *Idem in Provin. Canar. Conv. 2.*

Fr. Ludov. a Lugo.
Fr. Emanuel Lomadas.

Conv. Legneji. *Gonz. in Prov. Franc. Conv. 13.*

XXIX. Georgium Trimovillam, Legneii in Barenſi Ducatu Comitem, anno præcedenti Conventum fabricaſſe extra muros ſcribit Gonzaga; ſed neque hoc anno inchoatum conſtat ex diplomate Sixti Pontificis, quo hoc anno v. Idus Martii, ut conſtrueretur ab oppidanis, indulget, nulla facta Trimovillæ mentione. Poſt paucos annos translatus eſt intra Legnejum per Ludovicum a Borbonio Ruſſilionis Comitem; abſolutumque Ludovici & oppidanorum facultatibus, conſecravit anno MCCCCLXXXV. ſub ſancti Ludovici nomine Joannes Buxetus titularis Epiſcopus, Tullenſis ſuffraganeus.

Conv. Maſſilien. *Idem in Prov. Franc. Conv. 29.*

XXX. Renatus Rex Siciliæ & Hieruſalem per tria milliaria ab urbe Maſſilienſi, loco commodo, ædificavit hoc anno Eremitorium ſancti Hieronymi, concedente Sixto Pontifice VI. Nonas Julii facultatem: ibi conſervantur ipſius ſancti Hieronymi imago, manibus Renati venuſte depicta, & nobiles Sanctorum reliquiæ, ab eodem Sixto ad Renatum per ſuum confeſſarium, Magiſtrum Bernardum de Capua Minoritam tranſmiſſæ.

Fr. Bern. a Capua Renati Regis confeſſarius.

Con. Bidgoſtien. *Gonz. in Prov. Polon. Conv. 22.*

XXXI. Caſimirus Poloniæ Rex, per fratrem Michaelem Bal Exprovincialem Vicarium, ſcripſit hoc anno ad Sbigneum de Oleſvica Epiſcopum Uladislavienſem, Sbignei olim Cardinalis Epiſcopi Cracovienſis, de quo ſæpe diximus, nepotem, ut Obſervantibus in urbe Bidgoſtienſi locum aſſignaret Conventui ædificando. Dedit ille, aſſentiente Joanne Coſelecio Civitatis Præfecto, prope arcem locum inter vepres & arbuſta, in quo multa committebantur ſcelera, quem quidam ante plures annos, affixis crucibus, prædixit Divino cultui dedicandum. Regiis ſumptibus opus inchoatum adjuvit inſigni beneficentia nobilis vir Jerandus, cui etiam plurimum debet Conventus Vartenſis. Illic deceſſit anno MCCCCXCVII. Frater Blaſius Lithuanus, laicus ſimplicitate prudens, & humilitate ſublimis, qui viginti quinque annis in hujus Cœnobii fabrica laboravit.

Fr. Blaſius Lithuanus.

Conv. Grenovien. *Lib. 162. fol. 317.*

XXXII. Eduardus Angliæ Rex, allectus optima fama, quæ ubique de Obſervantum Inſtituto percrebuit, vocavit in Angliam Guillelmum Bertholdi, Vicarium Generalem Ultramontanum, & cum eo egit de introducenda & propaganda religioſa iſta familia. Primum deſignavit locum in Vil-

Villa ſua de Greue Wicke, Roſſenſis diœceſis, quem tamen renuit Vicarius acceptare abſque prævia Pontificis licentia. Dedit hoc anno pridie Nonas Januarii Sixtus facultatem ampliſſimam ut vel illic, vel alio quovis opportuniori totius Regni loco Conventum fabricaret.

XXXIII. Nicolava Lonne, ſive de Gofredis, locuples vidua, annorum viginti duorum relicta Militis cujuſdam Metenſis (illius fortaſſis quem Gonzaga Joannem de Gourani appellat, & Monaſterii perperam dicit fundatorem) obtinuit hoc anno licentiam a Pontifice ædificandi Parthenonem Monialibus, juxta præſcriptum primæ Regulæ ſanctæ Claræ, ab Innocentio III. confirmatæ, victuris abſque ullis reditibus, ſub regimine Vicarii Generalis Obſervantum Ultramontani; ad quarum conſortium liceret Virgines, viduas, & Tertii Ordinis Sorores, quas *Griſeas* nuncupabant, aggregare, & ex eis Abbatiſſam inſtituere, cujus etiam diſciplinæ illa ſe volebat committere. Ædificavit porro in Civitate Metenſi, quæ poſtquam a Germanis in Gallorum abiit poteſtatem, Moniales vidit per incertas ſedes divagari. Galli enim, ſumpta occaſione quod Monaſterium urbis fortitudinem minueret, inde Sorores deturbarunt. Porro in ſanctiſſimæ Trinitatis Eccleſia exceptæ, inde ad parochialem ſanctorum Ferucii atque Ferreoli templum translatæ ſunt, ubi tum propter loci anguſtias, tum propter alia incommoda miſerrimam vitam per annos multos duxerunt. Conceſſa tamdem eis hac poſteriori Eccleſia per Canonicos ſancti Theobaldi, ob interceſſionem Regis Franciſci, Monaſterium adjunxerunt. Primæ fundatrices ex Brabantia venerunt, atque hinc prodiere illæ, quæ Barenſe, Alanconienſe & Pariſienſe Monaſteria ſanctiſſime inchoarunt.

Mon. Metenſe. *Lib. 152. fol. 207.* *Gonz. in Prov. Franc. Pariſ. Monaſt. 1.*

XXXIV. Prope ſanctum Dinannum, Maclovien. diœceſis in Britannia, ubi præerat ſacellum ſanctæ Catarinæ, Monaſterium ejuſdem Inſtituti, & reformationis beatæ Coletæ, per Franciſcum Britanniæ Ducem conſtructum eſt, adjectis omnibus neceſſariis „ In Suburbiis celeberrimi emporii
„ Luſitanici, Ulyſſiponis, ex ea parte quæ Enxabregas dicitur, ad aurei
„ Tagi ripam, Regina Leonora Joannis II. uxor, ejuſdem reformationis
„ inſigne & pulchrum conſtruxit Monaſterium ſub titulo matris Dei, pro
„ triginta tribus Sororibus. Et quidem nihil ab inſtitutricis beatæ Coletæ
„ Regulis, quas binæ illius diſcipulæ tradiderunt, videntur poſteræ defle-
„ xiſſe. Propter vitæ ſanctimoniam, nobilemque proſapiam in magna illa
„ Civitate, magna habentur in veneratione.

Conv. S. Dinnani. *Idem in Prov. Turon. Mon. 5.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Mon. matris Dei Ulyſſipone. *Gonz. in Prov. Algarb. Mon. 1.*

XXXV. Pro Tertii Ordinis Sororibus in Viromandorum oppido Royæ, hoc anno, conſentiente Carolo VIII. Rege Francorum, domicilium conſtitutum eſt, ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ Hungarorum Regis filiæ: a quodam Ebroicenſi Epiſcopo conſecrata eſt Eccleſia, totumque Monaſterium creditur ex communi Royenſium ærario fabricatum, quorum benevolentiam in quotidianis ſubſidiis Sorores experiuntur.

Domus Royæ Soror. Tert. Ordinis. *Idem in Prov. Franc. Pariſien. Mon. 19.*

XXXVI. Eiſdem conſtructum eſt hoc anno aliud domicilium Leopoli, Ruſſiæ Metropoli, in ſuburbio, ubi etiam Minorum exiſtit Conventus. In hoc Monaſterio ſe condidit, ſpretis mundi pompis natalitiiſque majorum, illuſtris matrona Parbova, præmiſſo filio, quo Rex Caſimirus familiariter utebatur, ad Ordinem ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ. Fabricæ clauſtri bona dederunt initia honeſtæ & devotæ fœminæ Catarina Hanuſſora & Catarina Vovalca hoc Inſtitutum profeſſæ, utraque civis Leopolienſis. Capellam ſub invocatione ſanctæ Annæ ſoror Sophia ejuſdem Ordinis lateritiam extruxit, quam Joannes Demetrius Solicovius Archiepiſcopus Leopolienſis infra octavam Corporis Chriſti anno MDLXXXIII. conſecravit. Seden-

Domus Leopolien. *Mon. MSS. Prov. Polon.*

Digitized by Google

dente Paulo V. & regnante Sigiſmundo III. Rege, Eccleſia grandis in honorem Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ, ac item Conventus, & circumferentia clauſtri de lapide ſecto conſtructa ſunt ex dotibus Monialium, opera fratris Bernardini Avelidæ induſtrioſi & laborioſi Patris. Sororum numerus olim erat viginti, nunc excrevit ad quinquaginta: inter quas de ſanguine Principum Lituaniæ & Ruſſiæ non paucæ virginitatem ſuam Deo conſecrarunt, maxime vero de ſtirpe Jagellona Regia Magdalena Sanguſc-duna, quæ in brevi conſummata, explevit tempora multa, & ſpatio viginti quatuor annorum, quibus vixit, iis floruit virtutibus, quæ in provecta ætate vix in aliis conſpiciuntur.

Magdalena Sanguſc-duna.

Tom. 10. ann. 1423. n.21. Lib. 149. fol.45. Domus Montis Citorii.

XXXVII. Inſinuavi alias, duo fuiſſe contigua recluſoria Sororum Tertii Ordinis Romæ in regione Campi Martis in illo loco, qui *Mons Citorii* vulgariter nuncupatur. Unius tunc dedimus humile exordium, ſecundum, hic miniſtramus ex Sixtinis litteris, quibus alias ſui prædeceſſoris Pauli II. inſertas confirmat. Narrat porro Paulus ſe ad preces Petri Antonii de Cellinis Canonici Aretini, ſuæ Capellæ clerici, ſuique familiaris, conceſſiſſe Margaritæ Alexandri, Camillæ Vici, & Joannæ Antonii de Civitate Caſtelli, Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci profeſſis in domo ſanctæ Cæciliæ ejuſdem Civitatis, domum quamdam cum clauſtro & puteo, ſito in Urbe, & regione Campi Martis prope Eccleſiam ſancti Andreæ Britonum, quæ ſpectabat ad Fraternitatem beatæ Mariæ de Miſericordia urbis Aretinæ, in qua pauperes mulieres, præſertim religioſæ, jamdiu habitare ſolebant. Conſentiente prædicta Fraternitate, donationem approbavit hoc anno VI. Idus Maii Sixtus, ea adjecta conditione, ut omnes & ſingulas mulieres Aretinas in Urbem venientes, & ad domum prædictam declinantes, gratanter admitterent. Paulatim hoſpitium abiit in Religioſarum recluſorium, & cum altero, quod diximus, contiguo in nobile accrevit Monaſterium.

Approbatur officium Conceptionis a Bernardino de Buſtis compoſitum.

Ann. 1477. n. 2. Buſtis in Mariali ſermone 3. de Concept. par. 3. & ſerm. 4. par. 3.

XXXVIII. Invaluerat plurimum hoc tempore populorum devotio erga Immaculatam Conceptionem beatæ Virginis Mariæ, & libenter omnes concurrebant ad celebrationem hujus myſterii. Viſum eſt Bernardino de Buſtis Mediolanen. officium a Leonardo de Nogarolis compoſitum, & a Sixto conceſſis Indulgentiis, uti ſupra narravimus, commendatum, non adeo ab omnibus probari, aliudque proinde conſcripſit, quod eidem Sixto expoſuit, ut recitari juberet, uti ipſe non ſemel enarrat. Permiſit ille, non præcepit, ſed recitantibus lucrum non propoſuit indulgentiarum. Periit tamen iſtud, & prævaluit Leonardi officium. Do Pontificis diploma.

Dilecto filio fratri Bernardino de Buſtis de Mediolano, Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex reg. Ordin. Specul. Minor. tract. 2. fol. 46.

Libenter ad ea concedenda inducimur, quæ devotionis reſpiciunt incrementum. Tuis igitur in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut officium Conceptionis beatæ Virginis Mariæ per te compilatum & ordinatum, tu & omnes qui id voluerint pro devotione ſua dicere & recitare, libere & licite poſſitis & valeatis, ſeu poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die IV. *Octobris* MCCCCLXXX. *Pontificatus noſtri anno* X.

XXXIX. Innumeros ſcrupulos gignebant in cordibus Fratrum timorato-

torum tot ordinationes, ſtatuta & præcepta, quæ ex variis Pontificum, & Superiorum Ordinis conſtitutis coaluerunt, & ad peccatum mortale obligare dicebantur. Ut omnes tolleret Sixtus, reduxit cenſuras, præcepta, & ſi quæ alia, ad pœnas comminatorias & temporales, hoc emiſſo diplomate. Declarat Sixtus ſtatuta Ordinis non obligare ad mortale.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumſpecta Apoſtolicæ Sedis benignitas ſalutis operibus ſemper intenta, ad ea præcipue ſuæ ſollicitudinis ſtudium convertit, per quæ Chriſtifideles ſinguli, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantes, ſemotis ſcrupulis univerſis, in pacis tranquillitate & conſcientiæ puritate illi, cui ſe ſponte devoverunt, vota ſua exolvere valeant, cenſuras & pœnas aliquando revocando, interdum vero limitando, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Generalis, & univerſorum Fratrum Ordinis Fratrum Minorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet multis Fratribus ejuſdem Ordinis ſatis durum & difficile ſit Regulam beati Franciſci tenere, ac ad ſuarum ſalutem animarum ſufficere videatur, Regulam ipſam laudabiliter obſervare, nihilominus, quia nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, & alii, ac etiam Generalis & Fratres ipſius Ordinis fervore devotionis accenſi, ultra dictam Regulam nonnulla ſtatuta & ordinationes, ſive conſtitutiones fecerint, per quæ aliqua eiſdem Fratribus prohibentur, ut puta, comedere carnes in Nativitatis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, ac beatorum Petri & Pauli, ceteriſque aliis feſtivitatibus & diebus, quædam vero alia ipſis præcipiuntur fieri ſub excommunicationis vel aliis cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu aliis pœnis, quas contrafacientes ipſo facto incurrunt, multi propterea dicti Ordinis Fratres contrafaciendo, cenſuris & pœnis taliter latis ſæpenumero involvuntur & illaqueantur, unde ſtatuta & ordinationes prædicta potius ad animarum ſuarum diſpendium, quam ſalutem ædificare videntur. Verum, ſi cenſuræ & pœnæ prædictæ, in contrafacientes, ut præfertur, ipſo facto latæ, in comminatorias & infligendas, aut temporales pœnas mutarentur, profecto ſaluti plurimorum opportune conſuleretur. Quare pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui fidelium animarum diſpendiis libenter obviamus, eorumque ſalutem ſinceris deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus atque decernimus, quod Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani & Fratres dicti Ordinis præſentes, & qui pro tempore fuerint, ex ſtatutis ſeu conſuetudinibus, vel declarationibus dicti Ordinis præter Regulam, quomodolibet, & a quibuſcumque editis, etiam confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, illis contrafaciendo nulla Eccleſiaſtica cenſura, nulloque mortalis peccati vinculo ligari valeant, neque cenſuras & pœnas ſeu mortale peccatum hujuſmodi incurrant, niſi tales eſſent caſus vel exceſſus, qui Divina lege, ſeu præcepto Romanæ Eccleſiæ merito inducerent ad mortale, cenſuras & pœnas taliter latas, harum ſerie revocantes & annullantes, illaſque ad vim commutationis pœnarum comminatoriarum & ferendarum, ſeu corporales & temporales pœnas prædictas, per Generalem Miniſtrum, Cuſtodes, Guardianos & alios Prælatos ipſius Ordinis ferendas & infligendas reducentes; quodque Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani & alii ipſius Ordinis Prælati prædicti, corporales & temporales ſeu alias pœnas pro non obſervatione dictorum ſtatutorum, ſecundum Specul. Minor. tract. 2. fol. 19.

dum qualitatem perſonarum, locorum & temporum, & alius prout videbitur ſaluti animarum Fratrum eorumdem in Domino expedire, ferre & promulgare, ac delinquentes ab illis abſolvere valeant. Non obſtantibus ſtatutis, ordinationibus & declarationibus præmiſſis, quibus quoad hoc expreſſe derogamus, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon aliis ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, annullationis, ſtatuti, decreti & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXX. Kalendis Decembris, Pontificatus noſtri anno X.

Vota Tertiariorum ſunt ſolemnia.

XL. Magna orta controverſia circa qualitatem trium votorum, quæ a profeſſoribus Tertii Ordinis collegialiter viventibus emittebantur, Sixtus definivit ea habenda pro ſolemnibus, ad modum eorum, quæ alii Religioſi in ſuis profeſſionibus emittunt.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ibid. fol. 39.

AD Chriſti Vicarii, præſidentis in ſpecula Apoſtolicæ dignitatis, providam circumſpectionem pertinere dignoſcitur, quarumlibet perſonarum Altiſſimo ſub regulari habitu, mundanis oblectationibus abjectis, ſedulo famulantium qualitates attendere, ſicque ferventer invigilare profectibus, ut ab eis omnis dubietatis materia, quæ ſalutem animarum obnubilare videtur, auferatur, & contemplationis ſuavitate quieſcere valeant, ac tranquillum Domino reddere famulatum. Sane jam dudum accepimus, quod quidam Fratres & ſorores Tertii Ordinis beati Franciſci, ex ſpeciali conceſſione noſtra, vel prædeceſſorum noſtrorum collegialiter viventes, poſt annum probationis, in manibus ſui Miniſtri ſeu Miniſtræ, ab eorum collegio canonice electi vel electæ, vovent & promittunt obedientiam, paupertatem, & caſtitatem perpetuam ſolemniter coram toto ſuo collegio: Dubitatur a pleriſque an tale votum ſit ſolemne & obliget ſicut tale? Nos igitur, qui Ordini prædicto, & in illo Altiſſimo famulantibus perſonis, ut vota ſua firmiori ſtatu Chriſto, cui voverunt, quietius perſolvere valeant, & animarum periculis, quantum poſſumus, providere intenſis deſideriis affectamus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus & ſtatuimus, quod votum præfatum ſic, ut præmittitur, emiſſum, vel quod emittetur in futurum, de cetero habeat vim & validitudinem voti ſolemnis, ac omnem induat effectum, quem inducit votum ſolemne factum in quacumque de Religionibus a Sede Apoſtolica approbatis: diſtricte præcipiendo mandantes omnibus & ſingulis cujuſcumque gradus, dignitatis, Ordinis aut conditionis fuerint, ſub quorum cura aut juriſdictione Fratres vel Sorores prædicti degunt vel morantur, aut degere vel morari contigerit in futurum, ne de cetero Fratres vel ſorores prænominatos, præfatum votum modo prædicto emittentes, matrimonium contrahere de cetero, ſeu ante contractum conſummare, aut Religionem ipſam dimittere, & ad ſecularem vitam redire permittant; quodque ſi ipſi Fratres vel ſorores contrarium fecerint, matrimonium hujuſmodi nullum fuiſſe & eſſe, eadem auctoritate decernant, ac ipſos Fratres vel Sorores id facientes excommunicationis ſententia innodatos fore tamdiu denuncient, donec ad cor revertentes, habitum dictæ Religionis reaſſumant, & votum ac profeſſionem ſuam juxta ſtatuta & con-

conſuetudines dicti Ordinis prædicto modo collegialiter viventes obſervent, meruerintque ab hujuſmodi excommunicationis ſententia a ſuis Superioribus abſolutionem obtinere. Non obſtantibus conſtitutionibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, ſtatuti, mandati & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXX. *Kalendis Decembris, Pontificatus noſtri anno* X.

XLI. Aliqua privilegia impetravit hoc anno Albertus de Forlano Peruſinus, Angeli Vicarii Generalis ſocius; Primum, ut omnes Fratres & Sorores magnam Indulgentiam Portiunculæ, ſeu quæ habetur in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Angelis prope Aſſiſium die 11. Auguſti, lucrari poſſent in omnibus Eccleſiis noſtræ Religionis. Secundum, ut univerſas Indulgentias plenarias & non plenarias, quæ ſunt in ſingulis Urbis Eccleſiis, eodem die & modo habeantur in Eccleſiis Ordinis Minorum pro Fratribus dumtaxat. Tertium, quod fieret feſtum Conceptionis cum officio Leonardi de Nogarolis, juxta rubricas ab eo præſcriptas, etiamſi incideret in Dominicam Adventus, & feſtum ſanctæ Luciæ transferretur poſt octavam. Sed in Capitulo Generali habito Ferrariæ anno ſequenti, de voluntate ipſius Papæ ordinatum fuit, ne transferretur, ſed ſuo die celebraretur, niſi incideret in Dominicam. Multa item declarari impetravit circa feſta ſancti Joſephi, ſanctæ Annæ, Viſitationis beatæ Virginis, & omnium Sanctorum. Demum Vicarius Generalis Angelus obtinuit, ut ſymbolum Apoſtolorum dici poſſet per octavam beati Franciſci.

Varia privilegia.

Indulgentia Portiunculæ communicatur omnibus Ordinis Eccleſiis.

Stabilitur dies celebrandæ feſtivitatis Conceptionis.

Conceditur recitari poſſe *Credo* per octavam S. Franciſci.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Venetos inter & Vaticanum initum fœdus in Chriſtianæ Reipublicæ bonum, ut viſum eſt, ſequutum eſt Mahometis II. in Equites Hieroſolymitanos atrox bellum in Rhodo Inſula Mediterranei Maris, cui hi prudenter & chriſtiane imperitabant; juxta Cariam inter undas jacet illa, olim Solis Coloſſo inter ſeptem Orbis miracula numerato, clara: Tribus continuis menſibus, per mare, per tellus, omnibus viribus & arte tentata reſtitit Rhodus, deluſitque hoſtem; verumtamen ajunt patrocinio e Cœlo Sanctorum (quod facile credendum eſt) fuiſſe tutatam, fatente ipſo Mahomete, in majori furore belli & conflictus, Joannem Baptiſtam, Crucis Sacroſanctæ præcedente Vexillo, pluribus Cœlicolis armatis undequaque ſtipatum, & ſibi minitantem excidium ſe vidiſſe. At ſi ſtetit immota *Rhodus*, ſub eodem immani hoſte cecidit Hydruntum in Japygia, vulgo *Otranto*, Salentinorum urbs Archiepiſcopalis apud Leucam promontorium ſaxoſæ rupi impoſita, licet Arce in ſaxo munitiſſima. Kalendis Januarii fratri Ambroſio Antonio de Plumbino beneficium: *Religionis zelus &c.* conceſſum fuit. Agnes Monialis Clariſſa Valentina permiſſa eſt tranſire ad aliud Monaſterium x. Kal. Februarii: *Religionis zelus &c.* Frater Antonius de Mugnano, qui Ex-Guardianus Hieroſolymitanus a Gabrele Bononienſe cognomento Mezzavacca ſuo in eo munere ſucceſſore dimiſſus, ut quædam feria cum Pontifice Pio II. & Burgundiæ Duce de Turcica expeditione tractaret, Crucem in Turcas his diebus prædicabat, eleemoſynaſque pro ſacro bel-

Rhodus Inſula fruſtra aggreditur.

Dogl. cit. fol. 462.

Ex Topogr. Ferrer.

Indic. ex Vatic.

Vide Harold. ad an. 1475. n. 8. & 1461. n. 6.

„ lo collegerat, ad quem his deſuper binas litteras Apoſtolicas ſub XXVII.
Indic. ex Archiv. Aracælit. „ Februarii direxit Sixtus, unam: *Pridem dilecto &c.* alteram vero:
„ *Relatum nobis eſt &c.* Confirmatis Indulgentiis pro Monialibus ſanctæ
„ Claræ Urbini: *Supplicaſtis nobis &c.* IX. Martii, & Monaſterio ſanctæ
Ex copia. „ Claræ *de Urdiales* privilegiis & exemptionibus: *Sacræ Religionis &c.*
„ III. Idus ejuſdem menſis; III. Kal. Aprilis Beneficium fratri Jacobo de
„ Peſco Majore: *Religionis zelus &c.* collatum eſt; ſubindeque permiſſa
„ conſtructione atque translatione Conventus Marcharellæ Caſtri Veteris
Ex Vatic. „ Comitatus Eugubini: *Sedis Apoſtolicæ &c.* IV. Idus Aprilis, XII. Kal.
„ Maii duorum Cœnobiorum Monachii, Fratrum Conventualium unum,
„ alterum vero Sororum ſanctæ Claræ in *Anger*(locus eſt in eadem Urbe)
„ juſſa reformatio a Suprema Sede exiit. Hic autem parum perimmorandum eſt.

„ II. Monachium, urbs in ſuperiori Bavaria ad Alpes & Auſtrum, „ ad ripam Iſaræ fluvii, Ducis ſedes, duo Cœnobia (ut dicebamus) habebat, quorum reformationem Albertus utriuſque Bavariæ Dux, Comes „ Palatinus Rheni, & gener Friderici III. Imperatoris, zelo Religionis „ plenus exoptabat: ſecundum autem ejus pia deſideria prodiit memoratum breve, cujus executores Pontifex conſtituebat Epiſcopum Friſingenſem, & Abbates in *Tegernſee* & *Eberſperg*, qui ſeſe ab impoſito „ munere excuſarunt: quamobrem ipſemet Princeps ſecum aſſumptis venerabilibus Fratribus Joanne *de Lare* Vicario Provinciali Provinciæ Argentinenſis, & Joanne *Altepart* Guardiano Norimbergenſi, cum Patre „ fratre Joanne Ulrici *Eglenſan* Guardiano Bambergenſi, omnibus de Obſervantia, Conventum Monacenſem ingreſſus, præſentibus ſpectabilibus „ Dominis Uldarico *Alſinger* legum Doctore ad ſanctum Petrum, Joanne „ de Dezeſaro Auguſtanorum & Ciſtercienſium Canonicorum, & Joanne „ *Perkamer* utriuſque juris Doctore, ipſiuſque Principis Conſiliario pro „ teſtibus rogatis, dicti Conventus Monacenſis Minorum Conventualium „ Guardiano & Fratribus litteras Apoſtolicas legere fecit: quibus legitime „ promulgatis atque intimatis, requiſivit ab eis, an reformationem libere „ bonoque animo ſuſcipere vellent? Ad hæc Guardianus & Fratres unanimes reſponderunt negative, ſeſe protegentes Apoſtolicis litteris Pauli II. pro concordia latis, & ejuſdem Sixti IV. ſuper inhibitione &c. & „ aliis ſibi conceſſis, interque cetera aſſerentes reformationem & Viſitationem vigore promulgatæ Bullæ, Epiſcopo & Abbatibus Collegis directæ & ſibi exhibitæ, haud ſufficienter ſuis juribus derogantis, fieri non „ debere nec poſſe.

„ III. Erat inter eos quidam frater Lector, nomine Joannes Sartorius, de Villa quadam prope Monachium, ex paupere ſutore genitus, „ quem ipſe Princeps ſuis ſumptibus & favore in Academiis ſuſtinuerat, „ cui ſæpe ſæpius confidenter Princeps reformationem ſe utriuſque Conventus in votis habere communicaverat, interrogaveratque an reformatione ſequuta, in Regulari Obſervantia vivere vellet? Reſpondebat autem reformationem ſibi plurimum placere, eamque ſummopere deſiderare: at hic Lector, priorum quæ dixerat, oblitus, plus ceteris ſuis „ Conſodalibus inſoleſcens, non tantum hujuſmodi reformationi obſiſtebat, ſed etiam in venerandos Fratres de Obſervantia convicia & improperia evomens, clamabat: *Hi non ſunt Fratres Minores, ſed Fratres de bulla*: hunc diſcolum & ſui immemorem, quem tanti Principis præſentia refrænare non poterat, ejuſdem pia manſuetudo his verbis compeſcere

ſtu-

„ ſtudebat. *Numquid mibi vobis dicenti, quod reformare intenderem hunc*
„ *Conventum, & veſtrum beneplacitum inquirenti, ſæpius reſpondiſtis, vobis*
„ *reformationem placere, & velle in ea manere?* At Lector doloſe promiſſa,
„ & reſponſiones jam factas interpetrando, ait: *Approbavi & promiſi qui-*
„ *dem, ſed non hanc per Fratres de Obſervantia, at quam Miniſter Genera-*
„ *lis introduceret*. Tunc Princeps pluſquam patienter: *Obſervat ne* (in-
„ quit) *Miniſter veſter S. P. Franciſci Regulam?* Ille vero confuſus ad hæc
„ obmutuit, cauſaque relicta & Cœnobio, cum ſuis in privata domo ali-
„ quot diebus morabatur, Principe clementiſſimo eidem neceſſaria ſubmi-
„ niſtrante: Clinodia aurea & argentea, ac plures Calices, melioraque
„ Altarium paramenta præſcius Lector inducendæ reformationis, furtim,
„ aſſentientibus ſuis, Auguſtam abduxerat: Eorum nonnulli in Auſtriam,
„ alii in Boemiam, & omnes ad alias Conventualium domos ſe contulere:
„ reformationem enim nullus tunc eorum amplexus eſt; Poſt autem ali-
„ quot annos eorumdem tres regredientes, caritative accepti fuere, quo-
„ rum nomina ſunt: frater Albertus, ſocius & Capellanus Reverendiſſimi
„ Domini Patris fratris Uldarici *Pramlerger*, Suffraganei Friſingenſis,
„ frater Eraſmus *Scharthorfer*, qui abſens tunc Venetiis ſtudio vacabat,
„ & frater Joannes *Sumerler*. Expulſis igitur Conventualibus, Fratres de
„ Obſervantia, qui in celebri Canonia Inderſtorffenſi rei eventum præſto-
„ labantur, admoniti Monachium ſubito perrexerunt, & in quadam domo
„ recepti, ex ea ſolemniter cum Cruce proceſſionaliter admiſſi fuere: his
„ peractis, piiſſimus Princeps ad Curiam Romanam miſit pro ſupplendis de-
„ fectibus canonicis, ſi qui forte in hujuſmodi reformatione ſequuti fuiſ-
„ ſent, ac etiam pro ejuſdem confirmatione. Primus Guardianus Mona-
„ cenſis de Obſervantia fuit venerabilis P. frater Petrus Chriſtiani de Wra-
„ tislavia oriundus, qui uſque tunc Concionator ordinarius Conventus
„ Norimbergenſis extiterat.

„ IV. Reformato Virorum præfato Conventu ſancti Franciſci Mona- *Monaſterium Monachii reformatur.*
„ chii, Virginum quoque Clariſſarum Monaſterium ſancti Jacobi in *Anger*
„ ejuſdem urbis reformandum, Obſervantiæque Patrum Regimini ſubji-
„ ciendum erat: at in eo difficilius reformatio introduci potuit: factum *Guillelmus Bertholdi obiit die 6. Februarii 1481.*
„ modeſte & paucis aperiam. Joannes *de Lare*, qui cum nuper obiiſſet In-
„ golſtadii Guillelmus Bertholdi Vicarius Generalis Ultramontanæ fami-
„ liæ, Vicarium provinciæ Argentinenſis agebat, & defuncti locum tene-
„ bat, ſedulus in ſuo munere Monachii cum eſſet, coram illuſtribus per-
„ ſonis accitis præfati Monaſterii Angeriani Sanctimonialibus, eas graviter
„ & religioſe, ut ſua vota Domino Deo exſolverent, eique, exploſis diſ-
„ ſonis moribus, juxta Monaſticos & ſuæ Profeſſionis ritus ſervirent,
„ adhortatus eſt: quod ut facilius executioni demandare poſſent, Obſer-
„ vantiam amplectendam, juxta Pontificis Sixti Breve, miti qua poterat &
„ dulci eloquentia perſuadebat; piis ſalutaribuſque monitis, non corda,
„ ſed aures ficta quadam compoſitione præbentes, libenter ſe omnia præ-
„ ſtituras, facile reſponderunt. Verbis eorum compoſitis facilius credentes
„ Vicarius præfatus, ceterique adſtantes, & nullo pacto dolum in ſermo-
„ ne ſuſpicantes, Domina Dorothea *Ebiſingerim*, inventa domus Abba-
„ tiſſa, eodem in munere, accepto ab omnibus ſubjectionis juramento,
„ relinquitur; ars fœminea eo devenerat, ut proponenti Vicario e Par-
„ thenone Norimbergenſe Sorores nonnullas, a quibus Regularis Obſer-
„ vantiæ normam addiſcere poſſent, fronte ſerena conſenſerint: quamob-
„ rem rebus ita compoſitis, Vicarius cum ſuis ad Conventum ſe recepit.

,, Interim, nemine ſuſpicante dolos, Abbatiſſa per crates Monaſterii pre-
,, tioſa Clinodia Laico famulo Hierophilacio inſervienti conſignabat, Ma-
,, giſtro Curiæ, ſeu Econoino domus furtive tradenda: Laicus autem ille
,, ſtimulo conſcientiæ percitus, ne Monaſterio nuper reformato aliquid
,, ſiniſtri eveniret, ſcandalaque exorirentur in urbe, nonnullis viris Deum
,, timentibus rem aperiens ſecreto, conſilium expectabat; verum (ut ac-
,, cidere ſolet) res quantumcumque ſecreta, Ducis Alberti penetravit au-
,, res, qui confeſtim Œconomo præfato Monialium ad ſe accito, ex ejus ore
,, cuncta, & etiam fugam, quam meditabatur Abbatiſſa cum ſuis didicit;
,, tantumque facinus exhorreſcens, nihil remoratus optimus Princeps,
,, Monialibus ne ulla earum ſepta Monaſtorii tranſiret, additis vigilibus,
,, indixit, & Conventum Fratrum ingreſſus, Guardianum interrogat, ſi
,, circa Sorores Monaſterii in *Anger* res proſpere procederent? Et Guar-
,, diano, qui nil mali ſuſpicabatur, dicenti, *bene*, ſubjunxit: *Nos aliter*
,, *ſcimus*, machinationeſque muliebres detexit: quibus auditis properat
,, Guardianus, Monaſterium viſitat, ac evidenter probat audita: quam-
,, obrem Abbatiſſam graviter correctam deſtituit, in ejuſque locum Feli-

Prov. Bavar. reform. de eo Monaſt.

,, citatem *Trautmanin* Primiceriam domus inſtituit, & alteram ejuſdem
,, nominis, cognomento vero *Gralatin*, ex Norimbergenſi Familia evoca-
,, tam ad reformationem conſtabiliendam, Prioriſſam elegit, ut ſub utra-
,, que Felicitate reliquæ diſciplinam Regularem edoctæ, Deo juvante, de
,, virtute in virtutem proficerent. Acta per Guardianum non tantum ſuis
,, litteris confirmavit, ſed etiam alias quatuor Sorores religioſiſſimæ con-
,, verſationis e Conventu Norimbergenſi Monachium miſit: exauctoratam
,, vero Dorotheam *Ebiſingerim*, una cum aliis duabus ſuæ ſequelæ præci-
,, puis Norimbergam tranſtulit, ubi reſipiſcentes, in Monaſterio ſanctæ
,, Claræ laudabiliter in ſua Profeſſione uſque ad mortem perſeverarunt.
,, V. Iiſdem temporibus fere apud Lanſdhutum urbem in inferiori
,, Bavaria, ubi Georgius cognomento Dives, Dux & ipſe Bavarus, ſuam
,, ſedem habebat, quædam Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci Sorores
,, privatis in domibus manentes, tanta religioſitate probatæque vitæ exem-
,, plo vivebant, ut civium animos ædificarent, quorum oculos ſubterfu-
,, gere non poterant: quamobrem & fama illas glorioſe & cum honore de-

Georgius dat Eccleſiam.

,, prædicabat; unde Georgius Dux præfatus earum religioſam diſciplinam,
,, & percompoſitos mores admiratus, non tantum eas impenſe veneraba-

Chronica Provinciæ Bavariæ de eo Monaſt.

,, tur & diligebat, ſed etiam ſuo patrocinio fovebat; unde ut commodius
,, Deo in unum famulantes, viam virtutis proſequi valerent, ſperans &
,, ipſe Deum ſibi propitium fore, ad urbis præfatæ mœnia domum & Ec-
,, cleſiam, quam etiamnum incolunt religioſiſſime, magnifica liberalitate
,, donavit.

Indic. ex Vatic.

,, VI. Summus Pontifex dum præfata fierent, Monaſterio Clariſſarum
,, Brugenſium in Flandria, præſcripto numero quinquagenario Sanctimo-

Ex Vatic. copia.

,, nialium: *Digna reddimur &c.* v. Kalend. Maii, III. Nonas Julii con-
,, ſtructionem Conventus Piſſini de Iſtria in provincia Boſnæ indulſit: cu-
,, jus Religioſæ domus memoriam ſervat Catalogus anni MDXVI. de pro-
,, vincia Dalmatiæ Conventu ſanctæ Mariæ de Gratiis. VI. Idus Julii fratri
,, Dominico de Potarenis conceſſo beneficio ad Altare Conceptionis ſan-
,, cti Laurentii in Damaſo de Urbe: *Vitæ & morum &c.* & Epiſcopo Ale-
,, riano commiſſa executione præfatæ Capellaniæ Conceptionis: *Hodie di-*
,, *lecto filio &c.* ſub XII. Kalend. Auguſti, Sanctimonialium Clariſſarum
,, Papienſium lites, quæ inter ipſas & Ciſtercienſes, quarum locum ſanctæ
Ma-

„ Mariæ inter hortos, virtute Apoſtolici Brevis Sixti Papæ IV. occupave- „ rant, finem habuere. Contentæ quidem ac tacitæ aſſignatam ſibi man- „ ſionem apud ſanctam Eliſabetham in eadem urbe, Moniales Ciſtercien- „ ſes uſque annum MCCCCLXXVII. ſilenter habitavere: at ab eo anno hic „ præfato, nova appellatione interpoſita, quietem & pacem diſturbarunt: „ pluries commiſſa cauſa, pluries etiam pro Clariſſis ſententia ſtetit. Fide- „ bant illæ protectioni Cardinalis Rhotomagenſis, qui earumdem Ordinis „ apud Sedem Apoſtolicam Protector erat, ſed tamen optime perpenden- „ tes ſua facta, dimiſſis litibus, quieti & paci Religioſæ ſtuduerunt, tranſ- „ actionis inſtrumento facto die XXI. Julii hujus anni MCCCCLXXX. per „ Joannem de Scanzolis publicum Notarium Papienſem, quod in Archi- „ vo Monaſterii Clariſſarum præfatarum, cum aliis litteris Apoſtolicis ori- „ ginalibus cuſtoditur. Pridie Nonas Auguſti indultum eſt Fratribus Tertii „ Ordinis ſancti Patris Franciſci poſſe hæreditare bona ſecularia: *Juſtis* „ *petentium &c.* Collato beneficio III. Kalend. Seprembris fratri Ludovi- „ co de Clivio: *Religionis zelus &c.* & aliis minuſculis expeditis; pridie „ Kalend. Novembris modum celebrandi feſtum Omnium Sanctorum Si- „ xtus Pontifex attenta devotione præſcripſit; licet autem alicui poſſet vi- „ deri ſuperfluum ejuſdem ſummi Pontificis referre his deſuper Apoſtoli- „ cum Breve, nihilominus illud hic exhibere ad gloriam Dei & omnium „ Sanctorum laudem non diſplicet, cum etiam pietatem ejuſdem Pontifi- „ cis ex ſe ipſo commendet.

Lis inter Clariſſas, & Ciſtercienſes ſedatur.

Monum. MSS. Provin. reform. ſancti Didaci.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ E*T ſi omni tempore Deum ſummum & verum tum Verbo ſuo, & Spi-* „ *ritu ſancto, unum Deum Omnipotentem, omnis animæ omniſque* „ *corporis Creatorem atque Factorem, cujus ſunt participatione felices om-* „ *nes, qui ipſum in veritate colunt, venerantur & adorant, benedicere &* „ *laudare, ore prophetico inſtruamur*: Benedicam, *inquit*, Dominum in „ omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo; *cum etiam in Sanctis ſuis* „ *laudare Catholica Religione jubemur, eodem Propheta dicente*: Laudate „ Dominum in Sanctis ejus: *Deum nempe in Sanctis ſuis laudamus, cum in* „ *primis beatæ, glorioſæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ, Nativi-* „ *tatis, Annunciationis, Aſſumptionis, & ceteras ejus Feſtivitates quo-* „ *tannis anniverſario quodam reditu devotiſſime celebramus; cum ſanctos* „ *Angelos potentes virtute, triumphantis Eccleſiæ cives, & in militante* „ *Eccleſia Dei Miniſtros, facientes verbum ejus, noſtrique Cuſtodes mul-* „ *tipliciter in communi & particulari nos adjuvantes; tum ſanctos Apoſto-* „ *los, populorum Principes, cum Deo Abraham aggregatos, vera Mundi* „ *Lumina; cum Candidatum exercitum Martyrum, qui ſtant ante thronum* „ *amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum; cum denique Confeſſores,* „ *Virgines & Continentes, Beatorum conſortes, ſingulorum diem cuique* „ *eorum deſtinatum aſſignantes, annua votivaque Feſtivitate veneramur.*

En Speculo fol. 53.

Pſalm. 33.

Pſalm. 150.

„ *Hac itaque devota conſideratione accenſus felicis recordationis Boni-* „ *fatius Papa IV. prædeceſſor noſter, cupiens cunctos in communi Sanctos &* „ *Sanctas Dei, piæ devotionis reminiſcentia venerari, Templum beatæ Ma-* „ *riæ Rotundæ de Urbe, quod ab antiquis* Pantheon *vocabatur, ut quaſi* *ſimu-*

,, *ſimulacrum omninm videretur eſſe Deorum, ejecta ex eo omni ſimulatro-*
,, *rum ſpureitia, ac illo exorcizato, in honorem ejuſdem glorioſæ Virginis*
,, *Mariæ, atquæ omnium Martyrum Chriſti (nondum enim ſacroſancta Ro-*
,, *mana Eccleſia Confeſſorum & Virginum feſta ſolemnizare ſtatuerat) ad*
,, IV. *Idus Maii conſecravit; ac ſtatuit, quod eodem die ipſius Virginis Ma-*
,, *riæ, ac omnium Martyrum feſtum hujuſmodi in eodem annuatim ſolemni-*
,, *ter celebraretur, ut excluſa inde dæmonum multitudine, Sanctorum am-*
,, *plitudo a cunctis Chriſtifidelibus in memoria haberetur.*
,, *Poſtea vero, creſcente Chriſtifidelium devotione, ſanctorum Confeſſo-*
,, *rum, Virginum atque Continentium inſtitutis Feſtivitatibus, piæ memo-*
,, *riæ Gregorius Papa IV. ſimiliter prædeceſſor noſter, ut eo magis devotio*
,, *Chriſtiana augeatur, feſtum hujuſmodi ad Kalend. Novembris tranſtulit,*
,, *ſtatuens, quod eo modo, quo in dicta die* IV. *Idus Maii celebrari conſue-*
,, *vit, non ſolum in honore beatæ Virginis Mariæ, & ſanctorum Martyrum*
,, *hujuſmodi, ſed etiam in utriuſque teſtamenti Sanctorum honore, Patriar-*
,, *charum videlicet & Prophetarum, Sanctorum Apoſtolorum, Evangeliſta-*
,, *rum, & Confeſſorum, ſanctarum Virginum atque Continentium perpetuis*
,, *futuris temporibus celebraretur; ut quod humona fragilitas, vel per igno-*
,, *rantiam aut deſidiam vel per ſollicitudinem temporalium rerum, in ſingu-*
,, *lis Sanctorum ſolemnitatibus minime peregiſſet, in hujuſmodi celebritate*
,, *adimpleret.*
,, *Et cum pluriam Sanctorum ſolemnes Octavæ conſueverint celebrari,*
,, *ut ſicut primus ſui obitus dies ipſorum in Cælo Nativitatem, & in Ange-*
,, *lorum ac Sanctorum Patrum conſortii aſſumptionem ſignificat, ita in octa-*
,, *va reſurrectionem corporum recolontes ipſorum, duplici ſtola, animæ vide-*
,, *licet & corporis glorificatis congratulemur: Octavus, inquit Dominus in*
,, *Levitico, dies vobis celeberrimus atque ſanctiſſimus eſt: Et octava die re-*
,, *ſurrexit Dominus noſter Jeſus Chriſtus: Et in octava hujus ſeculi ætate*
,, *cum eodem reſurgere firmiter expectamus: Conſonum quoque eſt, ut feſti-*
,, *vitatem Sanctorum omnium per octo continuos dies ſolemniter celebre-*
,, *mus.*
,, *Nos, qui, licet immeriti, illius, qui Cælum Terramque regit,*
,, *vices gerimus in terris, cupientes Chriſtifideles quoslibet, quorum nobis*
,, *eſt cælitus cura commiſſa, ad venerationem omnium Sanctorum & San-*
,, *ctaram Dei, & jugem erga eos devotionem quantum poſſumus excitare,*
,, *ut per eorum patrocinia noſtrum ſuppleatur imperfectum, de venerabilium*
,, *Fratrum noſtrorum, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, ſtatui-*
,, *mus & ordinamus, quod feſtivitas omnium Sanctorum hujuſmodi per octa*
,, *continuos dies, prima ſcilitet & octava cum majori ceterorum dierum ſo-*
,, *lemnitate, annis ſingulis, & laudam cantico, lætitiæ jubilo, cordiſque*
,, *tripudio, ſub duplici officio, ut in aliis Sanctorum & Sanctarum feſtivi-*
,, *tatibus ſolemnibus eorumdem Octavis obſervatur, per univerſum Orbem*
,, *perpetuis futuris temporibus celebrari & obſervari debeat: ita, quod de*
,, *feſtivitatibus, quæ infra prædictas Octavas evenire contigerit, tunc nulla*
,, *commemoratio habeatur, ſed illæ poſt eaſdem octavas celebrentur.*
,, *Univerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, & alios Eccleſiarum Præla-*
,, *tos in Domino exhortantes, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte*
,, *præcipiendo mandantes, quatenus tam glorioſi & celebris feſti octavas, ut*
,, *præfertur, devote & ſolemniter celebrent, & faciant per univerſas Ec-*
,, *cleſias ſuarum Civitatum & diæceſum celebrari, ac Officium peragi ſu-*
,, *pradictum; ut piis ejuſdem Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum &*
San-

Google

” *Sanctarum Dei hujuſmodi intercesſionibus ipſi Chriſtifideles a noxiis prote-*
” *gi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi mereantur.*
” *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti,*
” *ordinationis, exhortationis & mandati infringere, vel ei auſu temerario*
” *contraire. Si quis autem &c. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, an-*
” *no Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXX. *pridie Kalend. Novembris,*
” *Pontificatus noſtri anno* X.
” VII. Præfatis nonnulla memoratu digna ſubjiciemus: In Conventu
” ſanctæ Mariæ de Angelis provinciæ Aquitaniæ antiquioris mirifice flo-
” rente virtutum gratia, plures inibi religione & ſcientia ſpectabiles, quo-
” rum nomina ſunt in libro vitæ, hoc tempore Minoriticum Ordinem
” reddebant ſua ſanctimonia illuſtrem: quibus haud abſimiles moribus &
” ſanctitate in Cœnobio ſancti Benedicti apud *Safram* oppidum, tertio
” Provinciæ ſancti Michaelis in Hiſpania, erant Blaſius, & Didacus de
” ſancto Alexio cum Joanne a ſancto Michaele: hi enim & ipſi irrepræhen- Joannes a ſancto Michaele.
” ſibiles, moribus & inſtitutis Monaſticis ornatiſſimi, perennem ſui memo-
” riam a Conſodalibus XVI. Kalend. Septembris conſignatam, ut habent
” ejus Provinciæ Monumenta, reliquerunt. Piſis etiam Civitate Archiepi-
” ſcopali in Etruria, Arno fluvio diviſa, mire emicabat venerabilis Dei
” Servus P. frater Antonius, ex Pago ſancti Joannis de Valdarno oriun-
” dus, Concionator eximius, qui paupertate dives, atque vitæ ſanctitate
” præclarus, dum hoc anno in urbis præfatæ Cathedrali per Quadrageſi-
” mam prædicaret, ſupremum diem clauſit, cujus late meminerunt Ulyſ-
” ſiponenſis & Gonzaga, diemque vigeſimam nonam Martii ſibi dicatam
” in noſtro Martyrologio tenet. Guido Brionſolius, provinciæ Aquitaniæ
” Alumnus, a Mariano digne commendatus, quem non tantum ſacræ Theo-
” logiæ Laurea Doctoratus, & Pariſiis ejuſdem publica Profeſſio cum ho-
” nore & applauſu, ſed etiam, quod plus eſt, vitæ ſanctitas decorabat.

ARGUMENTUM.

Martyres Marochii miraculis illuſtres Eccleſiaſtico donantur officio. Ludovicus Rex Galliæ ſanctum Bernardinum pulchro nobilitat donario. Obſervantes eis ultraque montes Comitia celebrant Generalia. Moriuntur viri pietate conſpicui. Bernardinus Feltrenſis in Lombardia Tranſpadana cum ingenti prædicat fructu. In Polonia florent viri docti, & ex illa Provincia tranſeunt ad alias regiones Verbi Divini ſatores. Minoritæ cooperantur contra Turcas militaturis. Creantur Epiſcopi. Multiplicantur domicilia.

I. PRIMITIAS illas ſanguinis, quas diximus Ordinem Minorum Chriſto in Africa obtuliſſe, quinque illos fidei athletas, apud Marrochium paſſos, amplius honorificaturus Deus, hoc tempore miraculis multis illuſtravit, per quæ Conſodales excitati, de publico indicendo eis cultu apud ſummum Pontificem impenſius egerunt. Ex multis pauca recenſebo. Ab illo tempore quo cæſi ſunt, & Conymbriam deportati, per omnem illam regionem honorifice habiti, multa ſupplicibus præſtiterunt beneficia. Mariæ Vaſquez Petri Danſins conjugi, utroque lumine orbatæ, poſtquam oculos lavit aqua, in quam Sanctorum Reliquiæ demiſſæ fuerant, viſum protinus reſtituerunt. Canonicus Regularis illius Monaſterii ſanctæ Crucis,

Tom. 1. an. 1219. & 1220. Martyres Marrochii multis florent miraculis. *Monumen. MSS. Monaſt. ſanctæ Crucis Conymbr. Marc. 3. p. lib. 6. c. 35.*

Digitized by Google

cis, in quo requieſcunt, inadvertenter epota aqua, ſanguiſugam ebiberat, & dies viginti unum ex hæmorhoiſſa naſi de vita periclitabatur; ſed votis a noverca, pia fœmina pro eo ad Martyres conceptis, ſanguinis profluvio reſtagnato, convaluit. Joannes Vaſquez, civis Conymbricenſis filius hernioſus, ad Martyrum ſepulcrum una cum patre vigilans, ſanus effectus eſt. Apud Falem, Conymbricenſis diœceſis vicum, liberati a peſte cum patre quinque filii, voto ad Martyres perſoluto, eodemque modo Joannes Capellus Agricola a morbo caduco. His aliiſque publicis beneficiis excitati omnes illius loci incolæ, ſingulis annis, toto ferme corpore nudi, uti alias retulimus, procedunt ad venerationem Reliquiarum.

Tom. 1. an. 1220. n. 51.

II. Dæmoniaca ad Martyrum ſacellum deducta; perque dies tres parentibus orationes & Miſſarum ſacrificia Deo offerentibus, malus genius ab ea receſſit. Altera e montanis Luſitaniæ partibus, quas *Beira* appellant, Conymbria ad delubrum ſanctæ Mariæ Virtutum tranſitura, gravius ab inſidente ſpiritu oppreſſa, ad eumdem locum deducta liberata eſt. In Petroſæ oppido quidam habuit Viverram (animalculum ex muſtellarum genere, quo ad cuniculos ex antris extrahendos utuntur) quæ in furorem converſa, filiolum ejus momordit, rabiemque latenti naturæ vi ita communicavit, ut puellus ſe cuperet interimere. At epota aqua ex Martyrum Reliquiis ſanctificata, ſanatus eſt. Infantulus e matris alvo herniam portans, ad ſacellum delatus, conſolidatus eſt. Dentium dolore afflicto, poſt votum de Martyribus colendis conceptum, noctu ipſi apparuerunt, tactaque maxilla, malum profligarunt. Rodericus Laurentius Regius Aulicus ad mortem damnatus, Martyrum implorato auxilio, ex carceribus & vinculis per miraculum ſolutus, compedes ad Martyrum ſepulcrum appendit. Ferdinandus adoleſcens ſtomacho taliter affectus, ut per dies quindecim nihil manducarit, & ad mortem languenti ſepulcralia pararentur, matris votis & precibus ad Martyres emiſſis, perfecte convaluit. Didacus Perez de la Curta vineam curabat, viteſque putabat in die natalitio ſanctorum Martyrum. Monitus a prætereunte, quem tamen videre non poterat, ut a labore deſiſteret, contempſit vocem, quam poſtea ex immiſſo tremore & languore judicavit cœleſtem. Perrexit itaque ad ſanctorum ſacellum, totoque hærenti die, & promittenti ſe illa luce perpetuo ferias acturum, vires reſtitutæ ſunt. Porro palam teſtatus eſt, nullam ex vitibus, quas eo die putaverat, vel racemum unum produxiſſe, cum reliquæ omnes multis gravarentur. Nepos Epiſcopi Conymbricenſis anno MCCCCLXVI. in natalitiis Martyrum ad ſepulcrum nudus ad inſtar aliorum ſupplicantium ductus, candelam in manu geſtans accenſam, & coram reliquiis orans, a moleſta hernia, præſente Epiſcopo, curatus eſt. Duo etiam ſurdi auditum recepere, aliique a graviſſimis infirmitatibus perſanati: propter quæ miracula Sixtus Pontifex precibus Minorum, maxime Angeli a Clavaſio Vicarii Generalis Obſervantum, eorum cultum, uti alias narravimus, publico a nobis ibidem exſcripto indixit conſtituto. Lectiones ex paſſione illorum in Chronicis Minorum deſcripta deſumptas, & officium ac Miſſam ab eodem Angelo compoſita recitari, & in Miſſa ſymbolum Apoſtolorum cantari conceſſit. In Sacrario Minorum Valliſoletano aſſervatur harpe ſeu falcatus enſis, quo a Rege decapitati; flagra, quibus cæſi, & pectines, quibus excarnificati ſunt ſacri pugiles, illic per Ferdinandum Regem Catholicum, ut fertur, depoſita.

Cultu donantur Eccleſiaſtico. Tom. 1. an. 1220. n. 53.

An. 1472. n. 18. Rex Galliæ mittit thecam argēteam corpori S. Bernardini condendo.

III. Ludovicus XI. Galliarum Rex pulchrum & nobile donum, uti ſupra inſinuavimus, miſit hoc anno ad Cœnobium Aquilanum, ſancti Bernardini corpori condendo; arcam ſcilicet argenteam deauratam, pondo mil-

mille ducentarum & novem librarum, longam palmorum octo, altam quinque, egregio varioque opere fabrefactam, cervis quatuor innixam, valoris, uti habet Rodulphus, aureorum decies millium, ſeu undeviginti, uti Marcus, ſive viginti duorum, ut ex aliis refert Maſſonius. Voti ſolvendi cauſa miſſam ipſe ſuis litteris profitetur; Rodulphus, propter filium a morte liberatum, Maſſonius ut filium a Deo impetraret, Marcus, ut ipſe a regio ſeu comitiali morbo liberaretur, variis, ut puto, conjecturis recenſent. Ultimum probabilius reputo, exciſa enim erat in arcæ latere dextro imago ſancti Bernardini Regem ipſum genuflexum beatæ Mariæ Virgini offerentis; nullum vero filii, aut obtenti aut liberati, vel alterius miraculi indicium. Et quidem comitiali morbo preſſum, elephantiæ quoque occulta indicia præſetuliſſe, & magnis muneribus certaſſe opem a Divis impetrare, ſcribunt auctores Gallicani. Porro Epiſtolam donario adjunxit, quam hic exſcribo.

Rodul. fol. 91. Marc. 3. p. l. 5. c. 56. Maſſon. in vita ſancti Bernard.

Guaguin. hiſtor Franc. lib. 10. Comineus comment. lib. 9 & alii.

IV. *Ludovicus, Dei gratia, Francorum Rex, nobilibus viris, amicis noſtris. Satisfacientes cuidam voto noſtro noviſſimo, mandamus dilectum Secretarium noſtrum Petrum Chaxxon, qui fert ſecum ad Monaſterium veſtrum beati Bernardini argenteam capſam, quam illi damus ad decus glorioſi illius Confeſſoris, & ut Reliquiæ & oſſa ſancti corporis in ea recondantur. Et quia nolumus ullo unquam tempore dictam munuſculum noſtrum contaminari, aut in alios uſus converti, quam in hos, in quos illud vovimus, rogamus vos omnes quantum poſſumus, anxius caveatis & cuſtodiatis, ne aliquis cujuſvis dignitatis aut ſtatus pro quacumque neceſſitate privata ſeu publica, aut etiam religioſa, manus injiciat in dictam capſam, ſed perpetuo remaneat uſui & decori jam dictis, & in hoc complacebitis nobis quam maxime, unde perpetuo exiſtimabimus nos obnoxios vobis. Valete, ex domo noſtra Pleſſeyaci Parci prope Turon. die* XXII. *menſis Maii* MCCCCLXXXI.

Ex Ordin. regeſto.

V. Romam tranſeunter advectam thecam hanc vidit Sixtus Pontifex, rogatuſque a ſecretario Petro, muneris conductore, Diploma hoc dedit ad Magiſtratum & cives Aquilanos.

Sixtus Pontifex jubet eam diligentar cuſtodiri.

Dilecti filii, ſalutem &c. Cum cariſſimus in Chriſto filius Ludovicus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus, pia devotione ductus, mittat iſthuc capſam argenteam pro recondendo beati Bernardini corpore, nos ſanctum ejuſdem Regis votum commendatione digniſſimum cenſentes, ac volentes ut juxta ipſius deſiderium capſa prædicta collocetur; vobis harum ſerie mandamus, quatenus omni reverentia debita & adhibitis conſuetis circa hoc cæremoniis ac ſolemnitatibus, eamdem capſam recipiatis, in eaque corpus illud glorioſum collocari curetis: mandantes & prohibentes ne illa in alios uſus ullo unquam tempore deputetur; quod ſi aliquis ſecus fecerit, aut fieri perſuaſerit, excommunicationis ſententiam incurrat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVIII. *Junii* MCCCCLXXXI. *Pontificatus noſtri anno* X.

Ex Ordin. regeſto.

VI. Aquilæ depoſitam in Eccleſia Collis-Maii, omnes cum admiratione conſpexerunt, deinde poſt aliquot dies currui triumphali impoſitam, per portam Lauretanam, indicta ſolemniſsima omnium Ordinum utriuſque ſtatus ſupplicatione, deduxerunt, ſacroque pignori cuſtodiendo dedicarunt. Gratias deinde acturi tanto Regi, miſerunt qui referret, daretque cingulum aureum, quo Bernardini corpus cingebatur, pulchramque ejus imaginem, auro gemmiſque circumornatam. Poſt annos multos thecam hanc militibus ſolvendis ſuſtulit, ut diximus ſupra, Philibertus Chalonius Aurantii Princeps, Neapolitani regni ſub Carolo V. Prorex, & adverſus

Digne eam recipiunt Aquilani.

Sed abripit Philibertus Chalonius.

An. 1472. n. 18.

Non tamen impune.

Lautrechum exercitus imperator, quamobrem nec ita multo poſt gemina trajectus glande, ab equis protritus ſpoliatusque, vix ut agnoſceretur, inventus eſt. Aquilani ſuo tutelari Divo repoſuerunt aliam argenteam, quæ facile conſtitit aureorum millibus quatuordecim, in qua ſanctum corpus aſſervatur, habitum referens viventis.

Capitulum Generale Obſerv. Ciſmontanorum 14. Ferrariæ. *Marian. lib. 5. c. 44. Marc. lib. 6. c. 18. Ann. 1482.*

VII. Habita ſunt hoc anno, die XIII. Maii Comitia Generalia Obſervantum Ciſmontanorum in urbe Ferrarienſi, ſucceſſitque Angelo a Clavaſio, ſua præfectura laudabiliter ſuncto frater Petrus a Neapoli, ſecundo ad hoc ipſum munus electus. In Curia Romana Commiſſarius inſtitutus eſt Franciſcus Placentinus, Hieroſolymorum in Monte Sion Guardianus, Paulus de Canneto, Candiæ Vicarius, Antonius Novarienſis, Baſilicatæ Commiſſarius, Antonius a ſancto Angelo, Sardiniæ, Pacificus a Novaria, ſive potius a Ceredano, de quo infra dicemus. Eodem etiam tempore Obſervantes Ultramontani in Conventu Montis-Lucii provinciæ Burgundiæ ſuum celebrarunt Capitulum, indictum a Guillelmo Etemandi ejuſdem Provinciæ Vicario, qui vices agebat Vicarii Generalis. Etenim qui in ultimo Capitulo electus erat Guillelmus Bertholdi, diem ſuum obiit in provincia Argentinæ, commendatumque eſt officium Joanni de Larre ejuſdem provinciæ Argentinæ Vicario: ſed & hic paulo poſt defunctus eſt, ſubſtitutuſque dictus Etemandus præfuit his Comitiis, in quibus tertio aſſumptus eſt ad regimen generale Joannes Philippi.

Capitulum Ultramontanum 15. in Monte Lucio.

Moritur Petrus Florentinus. *Marian. cit. Marc. cit.* Ejus virtutes.

VIII. In Civitate Aſculana obdormivit in Domino hoc ipſo anno frater Petrus Florentinus, dilectus Jacobi Piceni ſocius, ab eo inſtitutus dicta in urbe Guardianus, & per Superiores ad triginta continuos annos confirmatus. Pauperrimus in veſtitu, auſterus in victu, affabilis in converſatione, erga omnes benevolus, & erga hoſpites beneficus, Deo & hominibus gratus, omnium ſibi conciliavit amorem. In ſenectute bona defunctus, multis miraculis claruit, quæ populum Aſculanum ad majorem ejus venerationem excitarunt. Per aliquot dies inhumatum, ſolemnibus decorarunt cives exequiis, advocatis univerſo Clero cum Religioſis viriſque primariis. Sepultus eſt in medio Eccleſiæ nondum perfectæ, neque contignatæ, & dum poſt quinquennium cooperiretur, cadens ex alto trabes, in terram defixa, tibiam illius vulneravit. Ex vulnere copioſe profluxit ſanguis, collectuſque eſt ad mediocris ampullæ menſuram. Poſt hæc cum pavimentum Templi lateribus ſternendum eſſet, & ſolum adæquandum, exhumare oportuit corpus, quod integrum & illæſum inventum eſt, licet ipſe obeſus valde & adeo pinguis eſſet, ut ventrem ſubjecta tabella ligaculis ex collo pendentibus ſuſtentarit. In exhumatione ligone percuſſus, ſanguinem ſecundo emiſit. Virtutibus ejus detrahenti, atque erga ſanctorum miracula parum credulo, intenſos Deus immiſit cruciatus; neque mitigari aut tolli poterant, donec agnita culpa, veniam ad illius tumulum humiliter deprecatetur.

Item Laurentius Firmanus. *Marian. cit. Marc. cit.*

IX. Hoc etiam anno ſancto fine quievit in Monte Alvernæ Laurentius Firmanus, qui per annos quadraginta in eodem monte commoratus, ſine calepodiis aut ſandaliis in pedibus, ſine operimento in capite, rigidiſſimas illius regionis hyemes patienter toleravit. In cibi parcitate & veſtis tenuitate, in vigiliis multis, aſſidua oratione & contemplatione, nocte per duas horas alios præveniebat ad matutinum, devote Divinum pſallebat officium, & Miſſas, longa præmiſſa præparatione, celebrabat. Anno centeſimo decimo ſuæ ætatis, poſtquam nonaginta in Religione ſanctiſſime tranſegerat, in Domino requievit. Adeo puſillus erat ſtatura, ut Zachæi potius, quam pro-

proprio nomine audiret inter Fratres, peculiaribus uteretur paramentis, & altiori ſub pedibus ſcabello. Diſciplinam Regularem hauſit a diſcipulis Paulutii Trincii, a quibus etiam habitum ſuſcepit.

X. Deceſſit inſuper eodem anno in Cœnobio ſanctæ Crucis prope Piſas, Antonius a ſancto Joanne, diſertiſſimus concionator, inſignis ſuæ profeſſionis zelator, qui Regularis Obſervantiæ cupidus, litteras impetravit Apoſtolicas, quibus ſibi ſuiſque zeli participibus quadraginta Conſodalibus indulgebatur domos ſibi ſtatuere, in quibus Regulam juxta ſuam puritatem, abſque explicationibus & mitigantibus commentariis ſecundum nudum litteræ ſenſum liceret obſervare. Sed hoc ſuum ſuorumque deſiderium propter ardua quædam impedimenta caruit prorſus effectu. Quamobrem vitæ reliquum in ſupradicto Cœnobio laudabiliter & pie tranſegit; magnamque nactus ſanctitatis opinionem, a Piſanis certatim reliquias ex ejus indumentis & crinibus deſumentibus, pro ſancto Deoque caro pia colitur veneratione.

Necnon Antonius a S. Joanne. Gonz. in Provin. Tuſciæ Conv. 23.

XI. Bernardinus Feltrenſis hoc anno in Comitiis provinciæ ſancti Antonii, habitis in domo Deſerti prope Venetias, delectus Definitor, amandatus eſt cum Petro Mantuano etiam Definitore, ut regimen & curam admitterent, ita jubente Sixto Pontifice, Monaſterii ſanctæ Crucis Veneti Clariſſarum. Improbantibus aliquibus Patribus hujuſmodi periculum & tædioſum fœminarum gubernium, dixit, periculoſum quidem eſſe, ſed meritorium, tædioſum, ſed ſalutare, & compatiendum eſſe miſellis Sororibus in carcere pereuntibus abſque ductore, noſtroque aliquali incommodo proximorum ſalutem debere procurari. Tarviſium deinde profectus, mox in patriam, deinde Vincentiam & Veronam, frequentes habuit ubique conciones. Veronenſes decreverunt in die ſancti Joannis Baptiſtæ nobile exercere haſtiludium, quod ille vehementer condemnavit, maxime in tanta ſolemnitate. Tam efficaciter dixit, ut licet omnia fuerint parata, magnoque deſiderio omnes eo die pulchra hæc expectarent ſpectacula, præceperit Magiſtratus in alium diem transferre. Ex nimio ſtudio & vehementi lucrandarum animarum conatu, vehementes capitis alioſque paſſus dolores, ductus eſt Mantuam, ubi poſt aliquot menſes convaleſcens, iterum Veronam ad priſtinum prædicationis munus reverſus eſt.

Bernard. Feltren. delectus ſuæ Provinciæ Definitor. Legenda MSS. Curam ſuſcipit Monaſterii Clariſſarum.

Pluribus in locis magno cum fœnore prædicat.

XII. Ut Venetiis per dies Quadrageſimæ prædicaret, juſſit Sixtus Pontifex, rogatus a Duce & Senatoribus. Sabbatorum diebus ad horam vigeſimam ſecundam prædicavit de beata Virgine, ad ſingula verba ſalutationis Angelicæ diſtributis concionibus. In ultima, aſſumptis pro themate illis verbis: *Benedicta tu in mulieribus*, adjunctiſque illis *& benedictæ omnes mulieres, quæ vanitates deponunt*, cumulatiſsimo fructu vanos mulierum ornatus condemnavit. A Dominica Palmarum uſque ad octavam Reſurrectionis prædicavit in aperto foro; neque enim Templum tantam capere potuit multitudinem. Feria quarta poſt Paſcha, audita ad ſanctum Marcum ejus concione, viginti duo adoleſcentes ad Sodalitium admitti rogaverunt, quos partim Guardianus Venetus Bartholomæus Loredanus, partim alii Guardiani initiarunt. Semel efficaciter è roſtris hortatus, ut locupletes viri rebus ſuis diſponerent, & tempeſtive ſua conderent teſtamenta; multi, atque inter hos Andreas Bragadinus, obſecuti, fructum reportarunt, alii contemnentes ſalutare conſilium, raptim obeuntes, cum facultatibus interminabiles lites conſanguineis reliquerunt.

XIII. Dum Mantuæ hæreret, & ſingulis prædicaret diebus feſtivis, dolore cruciatus colico in feſtivitate Aſcenſionis non potuit; ſupplevit tamen

Michael de Carcano Mediolanenſi, inſignis concionator, & in Bernardini populo gratiſſimi, laudes prorupit. Priſtina brevi recuperata ſalute, uſque ad Dominicam nonam poſt Pentecoſten ſermocinatus eſt ingenti lucro animarum. In exequiis Principis Barbaræ, Ludovici quondam Marchionis Mantuani conjugis, & Electoris Brandeburgenſis filiæ, concionatus eſt in ampliſſima area Templi Cathedralis præ foribus Principum; ubi ſeculi vanitates exemplo nobiliſſimæ & pulcherrimæ mulieris, quæ tamquam flos agri deciderat, efficaciſſime docuit contemnendas. Aliam habuit concionem funeralem in obitu ſororis Angelicæ, prædicti Principis Ludovici filiæ, Clariſſæ, quæ in ſanctæ Paulæ Monaſterio obiit magna ſanctitatis opinione, aſſumpto themate. *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis &c.*

Doneſm. in hiſt. Mantuan. lib. 7.

Eccli. 50. 6.

XIV. In vigilia Aſcenſionis antequam illum dolor invaderet iliacus, doctiſſime prædicavit de Sanguine Chriſti, eo die ante biennium reperto in abſcondito Templi ſancti Pauli, & nunc in Cathedrali ſancti Petri ſumma veneratione cuſtodito, multiſque documentis probavit verum hunc Sanguinem a Chriſto in paſſione ſparſum fuiſſe. In die Conceptionis Virgineæ luculenter prædicaverat de præſervatione Dei genitricis a peccato originali. Non defuerunt, qui apud Benedictum Maſtinum Epiſcopi Vicarium traducerent, & hæreticum inclamarent, quod contra apertas & univerſales ſacræ Scripturæ ſanctorumque Patrum locutiones quempiam præter Chriſtum ab illo reatu voluerit innoxium. Inſuper fuit qui ex ſuggeſto & libro Vincentii Bandelli plurimas hujuſmodi recitaret ſententias, cenſuraſque ab eo præfixas fulminaret. At miſſis ad Vicarium Alberto Terdonenſi, & Nicolao Patavino, doctis conſodalibus, Bernardinus in frequentiſſimo cœtu probavit ſe recte docuiſſe, neque præſcriptas nuper a Sixto IV. regulas tranſilliſſe; in eumque excitavit immaculatæ Conceptionis cultum cives univerſos, ut ſtatim prope ſancti Petri ædem, Templum ſub appellatione Conceptionis Virginis Mariæ, quod a frequenti donariorum oblatione *ſanctæ Mariæ Votorum* nuncupatur, conſtructum ſit, & Fridericus Princeps ſolemniori cultu curaverit Conceptionis feſtum celebrari, & extra agrum Mantuanum futurum edixerit, qui piam ſententiam de Virginis Conceptione, a Sede Apoſtolica paulo antea commendatam, ultra juſtum & equum condemnaret.

In provincia Poloniæ floret Angelus Oſtrovius. *Monumen. MSS. Provin. Poloniæ.*

XV. Floruerunt hoc tempore in Provincia Poloniæ tres viri docti pariter & religioſi, qui noviter exortam prudenter & laudabiliter rexerunt, & magnis auxerunt incrementis; Angelus Oſtrovius vir nobilis, doctus & religioſus valde, qui antequam illa Provincia ab Auſtriaca & Boemica ſepararetur, primus ex Polonis electus eſt Commiſſarius, & poſt ſeparationem ſecundus Vicarius. Etſi nullum vellet ab omni labore otiari, plus tamen promovebat in Fratribus exercitia ſpiritualia; probe ſciens animæ cultum potiorem eſſe corporeo. Ab ipſo tirocinio propter ſummam prudentiam & morum gravitatem, aliis regendis deſtinatus eſt, neque ullo ferme tempore ab aliorum cura licuit feriari. Malos & protervos ſevere corrigebat, & cervicoſos humiliabat, bonis ſummopere favebat, ſuoque religioſiſſimo exemplo ad majora virtutum incrementa excitabat. Orationis mentalis & vocalis exercitium quantum potuit, ſemper promovit; iiſque, qui ſe in oratione aridos & ſteriles eſſe querebantur, dicebat: *Sive ſapiat ſive deſipiat oratio, ſive proficiat ſive ſterileſcat, ab ea non recedatis: perſiſtite, pulſate, petite, tamdem exaudiemini, dabitque vobis Dominus gratiam orandi. Nolite deficere, ne omnino pereatis. Credite mihi Fratres, animæ cibus eſt oratio: qui ſumere neglexerit, certo morietur.*

Electus eſt commiſſarius, poſt ſecundus Vicarius.

XVI. Mi-

XVI. Michael Bal, de quo ſuperius locuti ſumus, Angeli ſucceſſor in Vicariatu, & Chyſoſtomus de Poniet, Michaeli in eodem officio ſubrogatus. Vir erat devotiſſimus, & regularis diſciplinæ amator, in exhortationibus & viſitationibus ob placidam & mitem naturam omnibus gratus & acceptus. Inquietos, diſcolos, & murmuratores tamquam religioſæ reipublicæ peſtem abhorrebat. Uratiſlaviæ dum novitiorum ageret Magiſtrum, juvenem habuit diſcipulum, fratrem novellum, quietis & moræ impatientem, alio mitti quotidie expetentem, quem poſt multas inſtructiones & mortificationes obtinuit a ſuperiore dimitti, ne reliquos adoleſcentes magis magiſque perturbaret. Abiturum paterne monuit, ut ſibi caveret a dæmonis inſidiis, eaſque ſibi parari in tanta mutandi domicilii cupidine. Dum ad Cœnobii oſtium accedit, quemdam ſpecie fraterculum ſe parantem itineri ejuſque comitatui conſpiciens, interrogavit, quis eſſet? reſpondit ille: *Ego dæmon ſum, qui ſpiritum tibi libertatis infudi, & ut Magiſtri jugum excuteres, perſuaſi: quocumque perrexeris, te aſſociabo.* Ad hæc expaveſcens miſellus, corde compunctus, quieto & tranquillo ſpiritu in eodem loco perſeveravit. Porro Chryſoſtomus in omnibus præfecturis prudentiſſime ſe geſſit, & ſancto fine quievit. *An. 1471. n. 28. Et Michael Bal. Ac Chryſoſt. Poniet.*

XVII. Multi Fratres ex hac Provincia ad vicinas regiones Lithuaniæ, Samogitiæ, Ruſſiæ, Vallachiæ, Scytiæ, Tartariæ fidem Chriſtianam docturi, vel Schiſmaticos ad Eccleſiæ unionem reducturi, a Mariano Teſiorcovio, quarto Poloniæ Vicario amandati, magnam collegerunt ſegetem; eoque animarum fructu illas peragrarunt regiones, ut multis magniſque eos affecerit Pontifex privilegiis, quæ locis & Fratribus Terræ ſanctæ & Regni Boſnenſis ſolebant concedi. Ecce teſtimonium. *Multa concedit Pontifex privilegia Fratribus inter hæreticos & ſchiſmaticos prædicaturis.*

Dilecto filio Vicario Provinciæ Poloniæ Regularis Obſervantiæ.

Ex Mon. MSS. Prov. Polon.

D*Ilecte fili, ſalutem &c. Cupientes pro paſtorali officio noſtro Barbaras omnes nationes, & a Chriſtiana religione aberrantes, relicto pravitatis & infidelitatis errore quem inſectantur, ad fidei Catholicæ unionem Eccleſiæque unitatem converti: ac conſiderantes, quod tu & alii a te deputati tui Ordinis Fratres, melius id facere, & ſanctum hoc opus exequi poteritis, quo majori ad id fueritis facultate fulciti; tenore præſentium, tibi & quibuſcumque aliis perſonis idoneis a te deputatis, ceteriſque tui Ordinis & Obſervantiæ, qui ſponte inter infideles ire voluerint, necnon Confeſſoribus inter ſchiſmaticos, ac alios infideles conſtitutis, utpote in Lithuania, Samogitia, Ruſſia, Valachia, Scythia & Tartaria, & in omnibus terris ſchiſmaticorum, Paganorum & quorumcumque infidelium permanentibus, facultatem damus recipiendi ad unitatem fidei, ſanctæque Eccleſiæ gremium Græcos, Ruthenos, Valachos, Armenos, & omnes ſchiſmaticos, hæreticos, Apoſtatas aliosque infideles, & eoſdem, ſi & poſtquam ad fidei unitatem juxta formam litterarum per Eugenium IV. prædeceſſorem noſtrum in concilio Florentino editarum, converſi erunt, abſolvendi ab omni vinculo excommunicationis tam majoris, quam minoris, ac ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, necnon a ſimonia, & quocumque perpetrato homicidio, ab omnibuſque criminibus, exceſſibus & delictis, etiamſi talia eſſent, propter quæ Sedes Apoſtolica veniret merito conſulenda: Præterea cum Presbyteris Clericiſque omnibus, id humiliter petentibus, diſpenſandi ſuper omni irregularitate, exceptis voluntario homicidio, bigamia & mutilatione membrorum; præterea etiam reponendi & reſtituendi eos ad beneficia, officia, honores*

res & dignitates: decernentes, & taliter declarantes, quod tam tu, quam alii Fratres Provinciæ Poloniæ in Terris & dominiis præfatis exiſtentes in locis tui Ordinis, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis per nos ac Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, & alios quomodolibet locis & Fratribus Ordinis Minorum in Terra ſancta, & Provincia Boſnæ conceſſis, frui, uti & gaudere poſſitis & valeatis, ac ſi vobis ſpecialiter & expreſſe conceſſa eſſent; illorum tenores & continentias, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſerta eſſent, pro ſufficienter expreſſis habendo. Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, ultima Auguſti anno Domini MCCCCLXXXI. *Pontificatus noſtri anno* XI.

An. 1476. n. 6. Petrus Card. de Fuxo multa præſtat glorioſe. *Garib. lib. 29. de reb. Navar. c. 9. & 10.*

XVIII. Petrus Cardinalis de Fuxo, quem bonorum ſcriptorum opinione diximus Minoritam, multa & præclara hoc anno præſtitit in Regno Navarræo pro Franciſco Phæbo, ſuo ex fratre nepote, ad Regni Thronum evehendo. Poſtquam enim cum avunculo ſuo Ferdinando Rege Aragoniæ & Caſtellæ, de præſtandis adoleſcentulo Regi auxiliis, Cæſarauguſtæ conſilium habuit, ſocio Principe Jacobo germano fratre, Navarram profectus, Beaumontium & Agramontium nobilium familiarum ferales ſedavit diſcordias, & præcipua capita Regni, Comitem Stabuli, & Mareſcallum ad pacis fœdera reductos, ſuis manibus partita hoſtia, ſacra communione in templo Minorum ſancti Sebaſtiani ad Villam Taſſaliæ refecit. Deinde Regem Stationario ſtipatum milite, magnis ſequentibus copiis, Navarram duxit, & omnium Ordinum conſenſu atque applauſu ſolemniter coronari fecit anno ſequenti in Eccleſia Cathedrali Pampilonenſi.

Angelus a Clavaſio Nuncius & Commiſſarius Cruciatæ.

XIX. Sub finem anni præteriti Sixtus Pontifex pro colligendis ad ſanctum opus Cruciatæ, quam adverſus Turcas meditabatur, ſubſidiis, ſuum & Apoſtolicæ Sedis Nuncium ac Commiſſarium deſtinaverat Angelum a Clavaſio, Vicarium Generalem Ciſmontanum, cum poteſtate delegandi ad hoc opus quos judicaret idoneos. Ad multos Provinciarum Vicarios invenio tranſmiſſas hoc anno litteras hujus tenoris.

Dilecto filio Vicario Provinciæ ſancti Franciſci Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

Ex originali. Et Vicarius Provinciæ S. Franciſci.

D*ilecte fili, ſalutem &c. Pridie Nonas Decembris, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXXI. *Pontificatus noſtri anno* X. *Dilecto filio Angelo de Clavaſio Ordinis Minorum de Obſervantia profeſſori, & ejuſdem Ordinis citra montes tunc Vicario Generali, & extra ubilibet noſtro & Apoſtolicæ Sedis Nuncio & Commiſſario, per litteras noſtras inter cetera conceſſimus facultatem aſſumendi & deputandi idoneos verbi Dei prædicatores, qui Chriſtifidelibus litteras noſtras in ſubſidium Orthodoxæ fidei, & contra Turcas conceſſas publicarent & declararent, ac eos ad contribuendum tam ſancto operi inducerent & hortarentur, necnon pro hujuſmodi contributionibus colligendis & fideliter conſervandis, in Civitatibus & aliis locis Truncos ſeu capſas ordinandi, cuſtodes fideles & aptos deputandi, ſuper male ablatis incertis & per uſurariam pravitatem acquiſitis componendi, necnon & cetera peragendi, quæ in ipſis litteris plenius continentur. Qui quidem Angelus coram nobis ad excuſationem ſuam multa expoſuit, & ut tale onus aliis committeremus, humiliter ſupplicavit. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut prædictum Angelum in aliqua parte alleviaremus, & nihilominus præfatæ lit-*

litteræ noſtræ juxta deſiderium noſtrum, debitum quanto citius conſequantur effectum, te pro tempore officio ſuccedentem, uſque ad triennium, de quo in ipſis litteris noſtris prædictis ſit mentio, in noſtrum & Apoſtolicæ Sedis Nuncium & Commiſſarium in tota Provincia tua ſancti Franciſci ſecundum morem tui Ordinis, per præſentes deputamus, cum poteſtate & facultate abſolvendi, diſpenſandi, componendi, quietandi, compeſcendi, ſubdelegandi, revocandi & exequendi omnia & ſingula, quæ præfatus Angelus vigore dictarum noſtrarum litterarum facere & exequi poſſet. Mandantes tam tibi, quam ſucceſſoribus tuis in tali officio Vicariatus, ut pecunias & cetera quæ pro ſancta Cruciata colligentur, ad capſam Aræ-cœli in alma Urbe conſtitutam pro ipſis conſervandis, ſicut colligentur, ſic ſucceſſive fideliter tranſmitti cures, meliori & tutiori modo quo poteris, & etiam per Fratres tui Ordinis, quando aliter meliori modo fieri non poſſit, declorantes, quod hoc non eſt facere contra eorum Regulam, cum pecunias non recipiant per ſe vel interpoſitam perſonam, ſcilicet ad eorum uſum, ſicut Regula veſtra prohibet, ſed ad commodum & uſum reipublicæ Chriſtianæ: diſtricte etiam præcipientes omnibus & ſingulis, cujuſcumque ſtatus, gradus & conditionis fuerint, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam ipſo facto eos incurrere volumus, ſi poſtquam a te vel quibus commiſeris, fuerint moniti, non deſtiterint & ceſſaverint a quibuſcumque impedimentis tibi in præmiſſis inferendis directe vel indirecte. Per hanc autem noſtram commiſſionem non intendimus in aliquo conceſſionem & commiſſionem factam dicto Angelo diminuere, aut ei derogare, ſed firmam & ratam perſiſtere, & in ſuo robore permanere decernimus, cum poteſtate revocandi te, & quoſcumque etiam ſpecialiter a nobis inſtitutos ſuper præfata Cruciata, quotieſcumque ſibi videbitur opportunum. Et quia foret difficile has litteras noſtras & præfatas contra Turcas conceſſas ad diverſas partes deferri, volumus & auctoritate Apoſtolica decernimus, ut tranſumpto ipſarum ſubſcripto manu tua, vel tui ſucceſſoris in officio Vicariatus, cum ſubſcriptione duorum proborum Fratrum, & appenſione ſigilli tui Vicariatus, plena fides tam in judicio, quam extra adbibeatur, ac ſi litteræ noſtræ originales exhiberentur. Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIX. *Julii* MCCCCLXXXI. *Pontificatus noſtri anno* X.

XX. Pia hoc anno a Genuenſibus expeditio ſuſcepta eſt, miſſis quatuor navibus ad recuperandam Mitylenem inſulam a Turca occupatam. Auctorem dicit Ubertus Folieta, rerum Genuenſium nobilis ſcriptor, Monachum Franciſcanum, religionis fama conſpicuum, quem tamen ejuſdem gentis alter non ignobilis hiſtoricus Dominicanum dicit, ex Pontia Maris Tyrrheni inſula oriundum, magna vitæ integritate & eruditione pollentem. Expeditionem ait publicis ſumptibus factam, pleriſque inſignibus matronis, & nonnullis viris a vitæ ſanctimonia commendatis, neceſſaria conferentibus. Multa tamen, opus ne ad exitum duceretur, impedierunt, neque quidquam amplius in hac re tentatum eſt.

Quidam Minorita ſuadet Genuenſibus expeditionem in Turcas.
Folieta lib. 11.
Bizar. lib. 15. ad hunc annum.

XXI. Diximus ſuperius, Pontificem facultatem conceſſiſſe Minoribus ſuccedendi in hæreditatibus parentum & conſanguineorum, idque male habuiſſe Obſervantes, neque velle ſe his litteris comprehendi, aut privilegio potiri. Tamdem a Pontifice obtinuerunt hoc anno iſtas declaratorias.

An. 1472. n. 117.
Privilegium ſuccedendi in hæreditatibus reſpuunt Obſervantes.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem &c. Licet nos dudum ad importunam nonnullorum inſtantiam conceſſerimus per certas litteras noſtras, etiam quarumdam aliarum Prædeceſſorum noſtrorum confirmatorias, ut generaliter Fratres Ordinis Minorum poſſint in hæreditate ſucce-*

Ex autographo.

* *Vide loco ſupra cit. & in Reg. Bulla 2.*

cedere parentibus & conſanguineis ſuis mortuis & morituris ab inteſtato, hæreditateſque eorum adire & tenere, prout in eiſdem litteris noſtris, quarum tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Nihilominus eum deſideremus, Familiam & Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos, ſub cura Vicarii Generalis viventes, quos paterno proſequimur affectu, in ſua Regulari Obſervantia conſervari, nec dari eis materiam alicujus ſcandali vel inquietudinis, cum id expreſſe adverſetur ipſorum emiſſæ profeſſioni & promiſſæ paupertati: tenore præſentium, ex certa noſtra ſcientia decernimus pariter & declaramus, mentis ac intentionis noſtræ fuiſſe & eſſe, ut prædictæ noſtræ & aliæ litteræ circa ſucceſſionem hæreditatum hujuſmodi ad Fratres ipſos familiæ de Obſervantia ſe nullatenus extendant, nec eis aut eorum alicui in judicio vel extra quoquo modo ſuffragentur, neque vim aliquam habeant ſeu habere cenſeantur: mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Fratribus ejuſdem familiæ de Obſervantia, ne quis eorum conceſſione hujuſmodi uti velle præſumat quovis prætextu vel colore, quinimo in puritate Regulæ ſuæ, ſicut decet, omnes permaneant, perinde ac ſi litteræ prædictæ numquam emanaſſent: in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Ceterum, quia difficile foret, præſens Breve ad omnia, in quibus opus eſt, loca deferri, volumus ut illius tranſumpto, manu publici alicujus Notarii ſubſcripto, & ſigillo Vicarii Generalis prædicti munito, ea prorſus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur ſi idem Breve originale produceretur vel oſtenderetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. *Auguſti* MCCCCLXXXI. *Pontificatus noſtri anno* X.

L. Griſus.

Ottanen. Epiſc. Fr. Ludovicus. Adrimitanus Fr. Joannes. Vaſaten. F. Raymundus. Aſſiſias Fr. Franciſcus. Sagonen. Fr. Guillelmus.

XXII. Electus eſt hoc anno Epiſcopus Ottanen. in Sardinia, ſub Arch. Turritano, frater Ludovicus Camanyas, per obitum Hieronymi, VII. Idus Februarii. Adrimitanus in Aſia ad Helleſpontum, ſub Arch. Cyziceno, frater Joannes Welmechier, per obitum N. XIV. Kal. Julii. Erat hoc tempore Epiſcopus Vaſaten. in Gallia, ſub Arch. Auxitano, frater Raymundus de Torculari, ſive de Trevil; & Aſſiſias, immediate ſub Pontifice Romano, frater Franciſcus Inſignia, hoc anno vel præcedenti electus. Fulginates aliquandiu gubernavit, & Peruſiæ pro Joanne Baptiſta Cardinale Sabello fuit Vicelegatus, vir doctrina inſignis, & regimine prudens. Anno MCCCCXCVI. pie deceſſit. Sagonenſis in Corſica, ſub Arch. Piſano, frater Guillelmus Savonenſis, Ibid. Martii. Obiit an. MCCCCXCIV.

Conv. Sepis. *Lib. 160. bullar. fol. 181. Gonz. in Prov. S. Franc. Con. 25.*

XXIII. Fratribus Provinciæ ſancti Franciſci exorantibus, conceſſa eſt facultas Eccleſiam ſine cura animarum beatæ Mariæ de Caſtroveteri, extra muros oppidi Sepis, vulgo *Frattæ* filiorum Uberti, comitatus Peruſini, diœceſis Eugubinæ, quæ de jure patronatus Univerſitatis dicti oppidi cenſebatur, transferendi ad locum, qui dicitur *Mercatale*, oppido magis propinquum, & domum addendi pro Fratrum Obſervantum habitatione. Ita factum ex publicis oppidanorum facultatibus. Eccleſiam ſuis ſumptibus ſub titulo ſanctæ Mariæ de Pietate conſtruxit Bartholomæus Buſellus a Nello Sepienſis, civis Peruſinus, cujus ſucceſſores magnam gerunt curam hujus cœnobii, Fratribuſque favent impenſe.

Conv. S. Geneſii. *Lib. 176. fol. 246.*

XXIV. Incolæ terræ ſive oppidi ſancti Geneſii, diœceſis Camerinenſis, petierunt licentiam Monaſterium quoddam Ordinis Ciſtercienſis intra muros, in loco fœmineæ honeſtati minus idoneo, ſitum, in quo duæ dumtaxat vetulæ Moniales commorabantur, coaptandi in Cœnobium Fratrum Obſervantum, ex quo dicebant ſingularem oppidanorum conſolationem plu-

plurimam animarum ſalutem, & Divini cultus augmentum conſecutura. Commiſſa fuit rei diſcuſſio Præpoſito Eccleſiæ ſancti Michaelis de ſancto Geneſio. Sed quid egerit, non comperio, dum inter Conventus Provinciæ Marchiæ, intra cujus limites ſancti Geneſii oppidum conſurgit, non habetur.

XXV. Gandini (quod Tranſpadanum, lanificio dives, oppidum eſt, diœceſis Bergomenſis) incolæ religioſis, præſertim Minoribus addictiſſimi, Fratribus Obſervantibus hoc anno domicilium poſuerunt, ſub invocatione beatæ Mariæ, in eoque habitantium neceſſitatibus frequenter ſuccurrunt.

Conv. Gandini. *Gonz. in Provin. Brixiæ Conv. 6.*

XXVI. Salatinus Scotti de Fregona incola oppidi Serravalli, diœceſis Cenetenſis, bonorum hæredem ſcripſit Joannem Antonium filium, eoque decedente, ſuffecit Fratres domus ſancti Franciſci de Coneglano, cum aliquibus conditionibus, quas mortuo filio, hæreditatem adeuntes partim compleverunt, partim moleſtas a Pontifice tolli hoc anno curaverunt. Sacellum ſanctorum Antonii & Chriſtophori cum perpetuo pro legatoris anima ſacerdotio fabricarunt, & Conventum refecerunt. Spectat hic locus ad Patres Conventuales Cuſtodiæ Venetiarum, de quo alias locuti ſumus.

Conv. Coneglani. *Lib. 175. fol. 46.*

Tom. 8. an. 1372. n. 44.

XXVII. Joannes Paulus a Legha, vir Princeps, Inſulæ Corſicanæ, hoc anno, impetrata Sixti facultate III. Kal. Julii, prope Vici oppidum Conventum ſub titulo ſancti Franciſci fabricavit, deditque fratri Guillelmo a Speluncato Sacræ Theologiæ Juriſque Canonici Doctori, Corſicanæ Provinciæ poſtea Vicario Provinciali, de cujus doctrina, dignitate & ſanctitate agemus inferius. Mortuo autem hoc pio fundatore, antequam opus abſolveret, Leghena familia, quod deerat, complevit.

Conv. Vici. *Gonz. in Prov. Corſica Conv. 17.*

An. 1490.

XXVIII. Ludovicus XI. Francorum Rex, præmiſſis multis elogiis Fratrum Obſervantum, narratiſque fructibus, qui ex eorum converſatione & incolatu proveniunt iis, inter quos commorantur, petiit hoc anno facultatem a Pontifice domum hujus Inſtituti conſtruendi intra vel extra Civitatem Toloſanam. Sixtus facile conceſſit, adjunctis aliis laudibus ejuſdem Religionis: *Superna diſpoſitione*. III. Idus Octobris. Rex vero gravioribus impeditus negotiis, multiſque aggravatus infirmitatibus, cum id operis per ſe præſtare non poſſet, Ludovicus Luithierus Toloſanæ Eccleſiæ Archidiaconus, clauſtrum, reliquum opus, & templum, a ſancta Maria de Angelis nuncupatum, conſtruxit. Floruerunt hic multi Fratres, ſcientia & virtute illuſtres, inter quos plurimum emicuit Oliverius Mailhardi, prophetia inſignis, bis familiæ Ultramontanæ Obſervantum Vicarius, ab Innocentio VIII. Nuncius ad Carolum VIII. deſtinatus; & Melchior Flavius ſanguine clarus, ſcientia & linguarum peritia clarior, probis moribus & virtutibus clariſſimus, præſago ſpiritu a Deo inſignitus, Commiſſarius Generalis in Germania a Joanne Calvo Miniſtro Generali deſignatus. Uterque hic ſepultus eſt, miraculis, uti fertur, glorioſus. Spectabat hic Conventus ad Provinciam Aquitaniæ, ſed anno MDCI. ſub menſem Decembris adjudicatus eſt cuſtodiæ Recollectorum per Nicolaum Albaſpinam Miniſtrum Provincialem, anno vero MDCXV. decreto Capituli Generalis Romæ anno MDCXII. celebrati, ex auctoritate Antonii de Trejo Vicarii Generalis, adſcriptus eſt Provinciæ immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, in Gallia noviter erectæ.

Conv. Toloſanus. *Gonz. in Prov. Aquit. Conv. 11. Monum. MSS. Prov. Aquit.*

XXIX. Ante annos ſexdecim in regno Daciæ & diœceſi Scaren. erectum erat oppidum Novelodoſiæ, mercibus & populi frequentia inſigne: Ut hic domum ſibi conſtruerent Miniſter & Fratres Provinciæ Daciæ conceſſit Sixtus hoc anno Nonis Julii facultatem. Ædificaverant Obſervantes do-

Conv. Novelodoſiæ. *Lib. 166. fol. 97.*

Conv. Reyſerſperch. Lib. 175. fol. 181.

domum ſancti Joannis M. P. ab oppido Reyſerſperch. diœceſis Baſileen. in loco, quem experientia probarunt incommodum, humidum & inſalubrem. Obtinuerunt itaque hoc anno, X. Kalendas Novembris facultatem eam ad ipſum oppidum transferendi, ſub obedientia tamen Vicarii Argentinenſis.

Tres Conventus Obſerv. in Anglia.

XXX. Nobili mulieri Margaritæ, Duciſſæ Burgundiæ, Eduardi Regis Sorori, nonnulliſque regni Anglicani nobilibus, erga Fratres Obſervantes ſumme propenſis, dedit Sixtus facultatem tres domos in eodem regno, Vicario Generali Ultramontano ſubjiciendas, ædificandi: *Paſtoralis officii.* VIII. Kalendas Octobris.

Mon. Albienſe. Gonz. in Prov. Aquit. antiq. Monaſt. 2. Monum. MSS. Prov. Aquit. Eliſabetha Navarræa.

XXXI. Ludovicus de Amboiſia, cognomento *Bonus*, Georgii Archiepiſcopi Rothomagenſis frater, Albienſium Epiſcopus, hoc anno Clariſſarum Monaſterium, annuentibus Sixto IV. & Ludovico XI. Albiæ conſtruxit. Laudantur hujus Monaſterii Sorores ab inſigni pietate, perfecta Regulæ Obſervantia, & generis claritate. Hic habitavit Soror Eliſabetha Navarræa, ex ſereniſſima Principum Bearnenſium familia, humilitate, caritate, paupertate aliiſque virtutibus pluſquam ſanguine illuſtris. Multa dicitur miracula patraſſe. Hic etiam ſe Deo conſecravit nobilis matrona

Catarina Turnabona.

Catarina Turnabona, ab ornatu Ludovicæ Galliarum Reginæ, Alphonſi ſecundi Delbene, a ſecretiori Galliarum Regis conſilio, Epiſcopi Albienſis mater. Eo ipſo die, quo Julianus Delbene, Henrici III. & IV. cubicularius, vir ſpectatæ fidei & virtutis, ejus conjux deceſſit, illa ſeculum reliquit & habitum ſuſcepit. Mortua eſt anno MDCVIII. die ultima Aprilis in ſenectute bona, virtutibus inſignis. Aliæ pleræque Sorores hic ſanctiſſime vixerunt.

Mon. S. Franciſci de Cruce Venetiis. Gonz. in Prov. S. Anton. Mon. 5. Vide regeſt. hujus tomi an. 1485. & Regeſt. Tom. ſequent. an. 1491.

XXXII. Venetiis ex tenui ſatis initio inſigne & nobile ſuccrevit Monaſterium ſancti Franciſci de Cruce ejuſdem Inſtituti ſanctæ Claræ. Anno MCCCCLXX. quidam Monachi Ordinis Cluniacenſis, certis de cauſis, creditum ſibi Prioratum ſeu Monaſterium derelinquerunt: ne vero penitus corrueret, omnino neglectum, ingreſſa Sophia Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſectatrix, adjuncta ſibi pia comite, ex conſenſu illorum, ad quos locus ſpectabat, cœpit ædes reficere. Acceſſerunt paulo poſt multæ Virgines & devote fœminæ, quibus inſtruendis hoc anno ex Monaſterio Patavino ſancti Bernardini evocata eſt Pontificia auctoritate quædam Soror Ludovica Clariſſa. Creſcente numero, & cura regiminis commiſſa Fratribus Obſervantibus, eductis ex Monaſterio ſanctæ Claræ de Mariano Veneto quatuor ſororibus, Obſervantiæ monaſticæ magiſtris, omnes ad Inſtitutum ſanctæ Claræ & primæ Regulæ profeſſionem tranſierunt.

Domus ſororum Methymnæ Campenſis. Idem in Provin. Concept. Mon. 35.

XXXIII. Similiter ex humili jacto fundamento exurrexit pulchra moles domus ſeu Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ Sororum Tertii Ordinis in oppido Methymnæ Campenſis; cum enim quinque honeſtæ mulieres, ſumpto hujus Inſtituti habitu, in humili domo conveniſſent, ſummaque concordia & pietate vixiſſent, breviſſimo tempore excreverunt ad numerum quadrageſimum, commodamque domum, & ſufficientes reditus ſibi ſtabilierunt.

Domus Ambianen. Idem in Provin. Franc. Pariſ. Monaſt. 15. Lib. 199. fol. 97.

XXXIV. Narraturus originem domus ſancti Nicolai Ambianenſis in Pichardia, inhærebo diplomati Sixti Pontificis in multis diſcrepanti a Gonzagæ hiſtoria. Ita porro habet. Ædificaverunt olim Ægidius Ravim & Celaya conjuges, ante hunc annum defuncti, hoſpitale pauperum ſancti Nicolai de Coqueres infra metas parochiæ ſancti Firmini Ambianen. pauperum capax quadraginta, & ſacellum, annuente Epiſcopo, addiderunt, in quo Miſſa & Divina officia celebrarentur. Poſtea Joanna de Wernich Magiſtra & Sorores tredecim, Tertii Ordinis ſancti Franciſci nuncupatæ, quarum plu-

plurimas in Belgio diximus extitiſſe, fugientes incommoda belli, quod tunc in Comitatu Arteſiæ & confinibus Franciæ vigebat, Ambianum, refugii cauſa, ſe contulerunt. Benigne a Majore ſeu Prætore & Scabinis admiſſæ, dicti hoſpitalis obſequio & caritatis operibus deſtinatæ ſunt. Numero deinde creſcentes domicilium auxerunt, & in religioſæ domus formam transtulerunt. Omnia confirmavit Sixtus anno MCCCCLXXXIII. ſubjiciens eas regimini Vicarii Provinciæ Franciæ, concedens etiam omnia privilegia & gratias, quibus Fratres gaudebant Ordinis Minorum. Diploma dabimus ſub illum annum in Pontificio regeſto. Sixti conſtitutum Leo X. confirmavit. Eccleſiam conſecravit Nicolaus Lagrencius Eborenſis Epiſcopus, Ambianenſis Antiſtitis ſuffraganeus.

XXXV. Renatus Siciliæ Rex, Dux Lotharingiæ, hoc anno ejuſdem Inſtituti Sororibus intra mœnia oppidi Lunevillæ in Lotharingia domum ſub invocatione ſancti Antonii de Padua conſtruxit. Templum ſacravit anno MCCCCXCIV. die XX. Maii Joannes a Sorzejo Epiſcopus Chriſtopolitanus. Domus quatuor hujus Ordinis lego in monumentis MSS. Provinciæ Colonienſis ab Hermano illius urbis Archiepiſcopo privilegiis & gratiis liberaliter munitas, & in Monaſteriorum dignitatem erectas; primam ſcilicet ſanctæ Eliſabethæ in agro ſanctæ Mariæ, Parochiæ Goterſvicenſis, territorii Clivenſis; ſecundam in parva Tremonia ad fontem Mariæ, Comitatus Marchienſis; tertiam in Parochia Reineren. ad curiam beatæ Mariæ; quartam in Camen. intra muros oppidi, ejuſdem Comitatus. Omnia exiſtebant intra eamdem diœceſim Colonienſem. Pontificis litteras dabo ad finem regeſti Pontificii.

Domus Lunevillæ. *Indid. Mon. 21.*

Domus quatuor Colonienſis diœceſis.

XXXVI. Jacobus Archiepiſcopus Treverenſis, ante hunc annum defunctus, dedit Sororibus Tertiariis domum juxta Capellam in Filzen. quæ parochialis Eccleſiæ de Wintach, diœceſis Treveren. erat filialis, ibique Monaſterium Sororum ejuſdem Inſtituti ſub perpetua clauſura propria erexit auctoritate, eiſque quamplura privilegia, gratias & indulta conceſſit. Omnia rata & firma voluit Sixtus, addiditque omnia privilegia, quibus domus ſancti Nicolai Treveren. ejuſdem Inſtituti gaudebat.

Domus Filzen. *Lib. 158. fol. 166.*

XXXVII. Ortam hoc anno controverſiam inter Abbatiſſas & Monaſteria ſancti Antonii Barcinonenſis, & beatæ Mariæ de Petris albis, diœceſis Barcinonen. Ordinis ſanctæ Claræ, & Antonium Agulanam Vicarium Generalem Gondiſalvi Epiſcopi, circa conſuetudinem immemorabilem, qua nobiles & honeſtæ mulieres illa Monaſteria ingrediebantur, quam omnino tollere Vicarius laudabiliter conabatur, remiſit Pontifex decidendam Berengario electo Turritano, Pontio Andreæ Abbati Monaſterii Rivipulli, Vicen. diœceſis, & Antonio Gener Canonico Barcinonenſi: quod idcirco referre volui, ut etiam hoc tempore Monaſterium ſancti Antonii Ordinis fuiſſe ſanctæ Claræ, nec Benedictinum, uti alias diximus, niſi poſtremo ſeculo evaſiſſe conſtaret. Sorores Monaſterii ſanctæ Agnetis Corduben. ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ noluerunt hoc anno admittere viſitationem Ludovici de Olivera Miniſtri Provinciæ Caſtellæ, aſſerentes dictum Monaſterium ſubeſſe juriſdictioni viſitatoris Monaſterii de Tordeſillas, diœceſis Palentinæ. Roderico Epiſcopo Portuenſi S. R. Eccleſiæ Vicecancellario, Valentino Antiſtiti conceſſa eſt facultas Monaſterium Clariſſarum primæ Regulæ ad Xativæ ſuæ diœceſis oppidum conſtruendi, & illuc transferendi partem Monialium religioſiſſimi Monaſterii ſanctæ Claræ Villæ Gandiæ, quæ nimia paupertate ex ſiniſtris eventibus prædictæ Villæ premebantur.

Cõtroverſia Monaſteriorum Barcinonenſium circa ingreſſum mulierũ ſecularium. *Ibid. fol. 145.*

Tom. 2. an. 1233. n. 16.
Mon. S. Claræ Corduben. *Lib. 174. fol. 7.*

Mon. Xativæ. *Lib. 181. fol. 297.*

Attamen hujus Xativani Monaſterii hujuſmodi ſtrictioris Inſtituti aliunde non potui adipiſci notitiam.

Varia indulta Pontificia. Indulgentia ſtationis ſanctiſſimi Sacramenti.

XXXVIII. Multas gratias & privilegia Pontifex hoc anno Fratribus & Sororibus conceſſit. Die XVIII. Julii, rogante Angelo a Clavaſio, indulſit ut tam Fratres, quam Sorores, qui tenſis in crucem brachiis quinquies orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitarent coram ſanctiſſimo Altaris Sacramento, orantes pro ſummo Pontifice, & felici ſtatu univerſalis Eccleſiæ, lucrarentur omnes indulgentias & gratias ſpirituales, quæ illo die per quaſcumque Eccleſias & Stationes Urbis habentur. Ad preces fratris Petri Neapolitani Vicarii Generalis ei placuit, quod in matutinis & veſperis, quando fiunt commemorationes Sanctorum, ſub una Antiphona commemorentur omnes SS. Ordinis Minorum. Declaravit quod infra octavam omnium Sanctorum, quam ipſe inſtituerat, repetatur ipſum diei officium, & dicatur parvum beatæ Mariæ. Ad Moniales viventes in clauſura tam ſanctæ Claræ, quam Tertii Ordinis, & ſervitrices earumdem extendit gratiam Franciſcanis, uti diximus, conceſſam, de lucrando in domibus propriis prima & ſecunda die Auguſti magnam illam Portiunculæ indulgentiam. Eiſdem Sororibus Fratrum curæ commiſſis, ſupplicante Ludovico Polentino, qui poſtea fuit Vicarius Generalis, poteſtatem impertiit tangendi & lavandi ſacra quæque linteamina, exceptis corporalibus, cibum præbendi in loco honeſto & publico extra ambitum Monaſterii ſecularibus, qui intra Monaſterii ſepta laborant, medicum ad interiora ſolum abſque famulo aut ſocio admittendi; aſſociandum tamen a tribus vel quatuor Sororibus provectioris ætatis. Fratribus maxime Prædicatoribus, & Sororibus earumque famulabus itinerantibus aut quæſtuantibus facultatem dedit lucrandi ubicumque ſuerint, ſingulis diebus eaſdem Indulgentias, quæ in propriis Eccleſiis habentur. Clariſſis viventibus ſub Fratrum Obſervantum regimine communicavit declarationem primæ Regulæ ſanctæ Claræ, quam diximus Guillelmum de Caſali auctoritate Apoſtulica compoſuiſſe, noluit tamen eas ad ipſam obligari ſub vinculo peccati. Fratribus, qui non ſunt deputati ad Monialium obſequium, indulſit, ut ad illarum templa & loca, in quibus habitant Fratres, regimini aut ſervitio illarum deſignati, poſſint accedere, habita prius a Superioribus licentia. Confirmavit demum omnia privilegia Ordinis Minorum, eaque communia voluit Clariſſis & utriuſque ſexus Tertiariis religioſis. Poſtremo indulſit, quod Fratres poſſent abſolvere a caſibus reſervatis Epiſcopis de jure ſive de conſuetudine, quos Benedictus XI. recenſet in extravaganti, quæ incipit: *Inter cunctas*, & quod Fratres debite præſentati Epiſcopis, vel gratioſe ab eiſdem recepti, poſſint etiam extra illorum diœceſim Epiſcopo ſubditorum confeſſiones excipere.

Commemoratio ſanctorum Ordinis.

An. 1480. n. 41.

Tom. 10. Ann. 1415. n. 22.

XXXIX. Fratres Provinciæ Turonenſis, propter multas moleſtias & gravamina ab Eccleſiarum Prælatis & Principibus ſecularibus ſibi illata, rogarunt Pontificem, ut vellet adhibere remedium. Conſtituit ille Conſervatores & Judices, qui injurias repellerent, Archiepiſcopum Turonenſem & Epiſcopos Aurelianenſem, ac Trecorenſem: *Officii nobis*. Idibus Januarii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. SEnis Ferdinando Neapolis Rege revocanti Filio in Turcas, qui Hy-
„ druntum occupaverant, quandn Florentini ſubmiſſo capite, miſ-
Dogl. fol. 463. „ ſis duodecim Legatis, a reatis & excommunicatione, qua fortiter preme-

,, mebantur , abſolvi meruerunt & benedici . Res nihilominus , Italiæ
,, præcipue , ob quoſdam motus inter Venetos & Herculem Ferrarienſem
,, fluctuabant . Plura pro noſtris , qui ibidem & alibi communem ſortem
,, malorum Mundi experiebantur , e Vaticano provide emanaſſe comperio.
,, Nonis Januarii ſeparationem ſeu diviſionem Provinciarum Auſtriæ , Po-
,, loniæ & Boemiæ , necnon Cuſtodiarum Wratislaviæ & Aurimontanæ au-
,, ctoritate Apoſtolica ſuorum Prædeceſſorum factam, Sixtus nedum appro-
,, bavit , ſed etiam edito Brevi , cujus tenorem hic exhibeo , plures Con-
,, ventus ſuſcipiendi conceſſa licentia , ab Hæreticis in iiſdem partibus
,, occiſis Fratribus , contritis , licet inconfeſſis indulgentiam plenariam
,, elargitus eſt , ut latius ex ipſo diplomate apparet .

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVOUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam .

,, *ADmonet nos ſuſcepti cura regiminis , ut pro ſalubri locorum & per-*
,, *ſonarum Religioſarum ſtatu ſollicite vigilantes , ſic eorum diſpendiis*
,, *obviemus , & profectibus inſiſtamus , quod eis ſub pacis tranquillitate quie-*
,, *ſcentibus ſalutiferi fructus per ſpiritualia gratiarum munera & indulgen-*
,, *tias , ac alia laudabilia dona & exempla , ex illis commodius colligi poſ-*
,, *ſint , etiam confirmando , & quandoque conceſſa per Sedem Apoſtolicam*
,, *immutando , & alia de novo concedendo , prout , rerum & perſonarum ac*
,, *temporum qualitate penſata , id conſpicimus in Domino laudabiliter ex-*
,, *pedire .*
,, *Dudum ſiquidem felicis recordationis Pius Papa II. prædeceſſor noſter*
,, *piis ſupplicationibus dilecti filii Gabrielis de Verona , Ordinis Minorum de*
,, *Obſervantia nuncupatorum , profeſſoris , ac de more ejuſdem Ordinis in*
,, *Auſtriæ & Boemiæ Vicaria Generalis Vicarii Commiſſarii , nunc vero*
,, *S. R. E. tituli ſanctorum Sergii & Bacbi Cardinalis , inclinatus , quadam*
,, *perpetuo valitura conſtitutione ſtatuit & ordinavit , quod Provinciæ Au-*
,, *ſtriæ & Boemiæ præfatæ , quas piæ memoriæ Nicolaus Papa V. etiam præ-*
,, *deceſſor noſter , ſuis litteris in unam Provinciam ſeu Vicariam redigiſſe ,*
,, *& ſub cura & regimine Vicarii Generalis Ciſmontani Ordinis & Obſer-*
,, *vantiæ prædictorum , conſtituiſſe reperiebatur , ſub ejuſdem cura & regi-*
,, *mine perſeveraret : in qua etiam Provincia ſeu Vicaria , partes Regni Po-*
,, *loniæ , quæ juxta conſuetudinem ejuſdem Ordinis , cum Boemia præfata*
,, *comprebenſæ fuerant & exiſtebant , eſſe & fore intelligerentur , omniaque*
,, *& ſingula in Provincia ſeu Vicaria bujuſmodi , ac etiam olim ad Provin-*
,, *ciam Saxoniæ (more præfato) pertinentem ſancti Bernardini locum , in*
,, *Suburbiis Wratislavienſibus , pro Ordine & Obſervantia prælibatis , per*
,, *quondam Joannem Capiſtranum , ejuſdem Ordinis profeſſorem , & dictum*
,, *Gabrielem vel alios ex eorum diſpoſitione , hactenus auctoritate Apoſtolica*
,, *recepta loca , Ordini & Obſervantiæ prædictis perpetuo confirmavit , præ-*
,, *fatumque locum ſancti Bernardini ab eadem Provincia Saxoniæ ſeparavit ,*
,, *& eidem Vicariæ Auſtriæ & Boemiæ , in qua ſuſceptus eſt , & ab inde ci-*
,, *tra habitus extentus fuerat , appropriavit , ac obedientiæ pro tempore exi-*
,, *ſtentis Vicarii hujuſmodi Provinciæ ſeu Vicariæ , ſubeat : ſtatuens , quod*
,, *Fratres dicti Ordinis ibidem tunc & pro tempore exiſtentes regeret &*
,, *gubernaret , quodque dicta ſic Provincia unita illiuſque Fratres Vicario*
Ge-

Generali Citramontano ſubeſſent, eique (ſicut ceteri Fratres Italiæ) parere tenerentur.

Et deinde pro parte quondam Baptiſtæ de Levanto Vicarii Citramontani & Capituli Generalis Fratrum memorati Ordinis, ſanctæ memoriæ Paulo Papæ II. etiam prædeceſſori noſtro, expoſito, quod in dicta Vicaria domorum numerus ac Fratrum multitudo ita excreverat, ut difficile foret illos per unum Vicarium, propter locorum diſtantiam, linguarum, morum ac Dominiorum diverſitatem, debite poſſe regi, & propterea deſiderarent eamdem Vicariam in duas Provincias ſeparari, domumque Wratislavienſem prædictam eorum alteri applicari; idem Paulus prædeceſſor noſter, tunc præfato Baptiſtæ, aut alicui Fratri dicti Ordinis, per eum vel aliquem ſucceſſorem ſuum ſpecialiter ad hoc deputato, dictas Provincias in unam Vicariam ſic unitas, ab invicem ſeparandi, ut petitum erat, & dividendi, domumque Wratislavienſem, necnon aliquas domorum alterius Provinciarum hujuſmodi alteri, pro bono domorum earumdem Provinciarum regimine, Fratrumque quiete & pace, juxta ipſius Baptiſtæ vel ipſius per eum deputati conſcientiam applicandi & conjungendi, plenam & liberam per quaſdam ſuas certi tenoris litteras, conceſſit facultatem: inter alia volens & ſtatuens, quod in eiſdem dividendis Provinciis duo Vicarii eligerentur, qui Generali Vicario præfato pro tempore exiſtenti, tamquam Capiti, in omnibus ſubeſſent, diviſionique & ſeparationi ac applicationibus per Baptiſtam vel deputatum jam dictum faciendis, perpetuo ſtari, illaſque obſervari debere, prout in litteris ejuſdem Pauli prædeceſſoris plenius continetur: quarum vigore dilectus filius Petrus de Neapoli, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum profeſſor, ab ipſo Baptiſta Vicario ad hoc ſpecialiter deputatus, in quadam Congregatione ſeu Provinciali Capitulo Fratrum earumdem ſic unitarum Provinciarum, in domo ſancti Bernardini in Suburbiis Civitatis Cracovienſis dicti Ordinis celebrato, vocatis qui fuerant vocandi, ac omnibus ſuper præmiſſis plene & diligenter examinatis, & ex illis cognito, quod bono Fratrum ipſarum Provinciarum regimini condecebat; dictas ſic unitas Provincias, in tres Provincias ſeu Vicarias dividi ordinavit, & quod Provincia Auſtriæ ſecundum antiquam Ordinis diviſionem, cum omnibus locis & Fratribus ſuis præſentibus tunc & futuris, ſub uno Vicario, quem pro tempore eligerent, prædicto Generali Vicario Citramontano ſubjecto, regi deberet, & ſimiliter ſub alio Fratres & loca intra limites Regni Poloniæ & Ruſſiæ tunc & pro tempore exiſtentia; adjecto, quod alia loca totius Regni Boemiæ uſque ad confines Provinciæ Saxoniæ & terminos Regni Poloniæ, una cum prædicto loco ſancti Bernardini Wratislavienſis, ſub uno Commiſſario ab eo conſtituendo, qui prædicto Vicario Generali ſubeſſet, regerentur, donec de dictis locis applicandis vel Vicario eligendo aliud decerneretur.

Demum idem Paulus prædeceſſor venerabili Fratri Epiſcopo Wratislavienſi per alias ſuas litteras mandavit, quatenus de præmiſſis diligenter ſe informaret, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe reperiet, ad hoc, quorum intererat, accedente conſenſu, diviſionem Provinciarum prædictarum per ipſum Commiſſarium, ut præmittitur, factam, auctoritate Apoſtolica approbaret & confirmaret. Et nihilominus eiſdem Fratribus Regni Boemiæ conterminatis, ut dictum eſt, præſentibus tunc & futuris, ut ſibi unum Vicarium Provincialem, cum ſuis Fratribus & locis prædicto Vicario Generali Citramontano ſubjectum, eligere valerent, concederet: quarum quidem litterarum vigore venerabilis frater Rodulphus Epi-

„ *Epiſcopus Wratislavienſis ad earum executionem rite procedens, conſen-*
„ *tientibus omnibus, quorum intererat, diviſionem hujuſmodi confirmavit;*
„ *ſtatuto, quod tunc & pro tempore exiſtentes Fratres Boemiæ, Moraviæ &*
„ *Sileſiæ, ac ſancti Bernardini locorum prædictorum, in unam Vicariam*
„ *totius Regni Boemiæ, ut præmittitur, reductorum, unum Vicarium, ſicut*
„ *prædictum eſt, ſibi eligere poſſent; prout in ſingulis tam memorati Pauli,*
„ *quam aliorum prædeceſſorum prædictorum litteris ac proceſſibus illarum*
„ *vigore ſubſecutis, quorum tenores hic haberi volumus pro expreſſis, plenius*
„ *continetur.*
„ *Cum autem, ſicut dolenter accepimus, Fratres dicti Ordinis & Ob-*
„ *ſervantiæ in Boemiæ & Moraviæ partibus, propter hæreticorum perfi-*
„ *diam, qui partes ipſas multis in locis occupant & perturbant, domos eo-*
„ *rum & loca eorum non ſine magno timore tenere poſſint, imo propter dicto-*
„ *rum Hæreticorum metum in Sileſiam ſæpius confugiant, unde in ejuſdem*
„ *Sileſiæ partibus major domorum numerus dictis Fratribus ſit neceſſarius:*
„ *Nos, qui cultus Divini ampliationem, Religionis propagationem, &*
„ *ipſorum Religioſorum, quos ſemper paterna caritate ſumus proſecuti, &*
„ *nunc tamquam peculiares filios ſpeciali amore proſequimur, quietum ſta-*
„ *tum intenſis deſideriis affectamus, ſuper his opportune providere volentes,*
„ *motu proprio, & non ad alicujus ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam,*
„ *ſed de noſtra mera voluntate, & ex certa ſcientia, diviſionem Provincia-*
„ *rum prædictarum confirmamus, approbamus, & præſentis ſcripti patroci-*
„ *nio communimus; necnon ex certis rationabilibus cauſis animum noſtrum*
„ *merito moventibus, Cuſtodias Wratislavienſes & Aurei Montis Provinciæ*
„ *Saxoniæ, in quibus jam dicti Fratres tria loca habere noſcuntur, quoad*
„ *ipſos tantum Fratres de Obſervantia & eorum loca, reliquis Conventibus*
„ *& locis ſub obedientia Miniſtri & Prælati Fratrum Conventualium*
„ *ejuſdem Provinciæ & præfatarum Cuſtodiarum illæſis permanentibus, ab*
„ *ipſa Provincia Saxoniæ ſeparamus, & eidem Provinciæ Boemiæ unimus,*
„ *annectimus, incorporamus & appropriamus: ita tamen ut loca in illis Cu-*
„ *ſtodiis per dictos Fratres de Obſervantia jam recepta vel in poſterum reci-*
„ *pienda, obedientiæ pro tempore exiſtentis Vicarii Provinciæ Boemiæ om-*
„ *nino ſubjiciantur. Volentes præterea, quod loca jam in dictis Cuſtodiis per*
„ *dictos Fratres recepta, licite per eos retineri poſſint, quodque infra limites*
„ *dictarum Cuſtodiarum, alia quatuor, ſi alias eis legitime conceſſa fue-*
„ *rint, recipere, ſeu de novo fundare poſſint: illa quoque & quæcumque*
„ *alia in dicta Provincia recepta, & in poſterum ſpeciali auctoritate Apo-*
„ *ſtolica recipienda, legitimis urgentibus cauſis, quoties eis opportunum vi-*
„ *debitur, mutare, ſeu penitus relinquere, cujuſvis licentia ſuper hoc mi-*
„ *nime requiſita, plenam & liberam eadem auctoritate, tenore præſentium*
„ *licentiam elargimur ac etiam facultatem; ſupplendo auctoritate, motu &*
„ *ſcientia ſimilibus omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan in eorumdem lo-*
„ *corum largitione, acquiſitione & receptione intervenerint.*
„ *Et inſuper, cum Fratres ipſi pro animarum ſalute, Hæreticorum &*
„ *Schiſmaticorum illarum partium reductione, circa quod ſolerti cura invi-*
„ *gilant, propriam vitam exponere non formidant, & cum ipſis Hæreticis*
„ *& Schiſmaticis propterea nonnumquam converſando, ut ipſi omnes & ſin-*
„ *guli, quos ab iiſdem Hæreticis & Schiſmaticis quoquo modo occidi contige-*
„ *rit, in mortis articulo, etiamſi non habita tunc confitendi aut Confeſſoris*
„ *facultate, non confiteantur, omnium, de quibus corde contriti fuerint,*
„ *plenariam ſuorum peccatorum remiſſionem habeant, motu ſimili concedimus*

per

„ *per præſentes: necnon eiſdem, quibus in dictis locis ſive domibus præfa-*
„ *tarum Provinciæ Boemiæ, & annexarum Cuſtodiarum, pro tempore ere-*
„ *ctis ſeu erigendis, transferri & commorari ſeu inhabitare contigerit, ut*
„ *omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indulgentiis & indultis, aliis locis*
„ *dicti Ordinis quomodolibet in genere conceſſis & concedendis, uti & gaudere*
„ *poſſint & debeant, auctoritate, motu & ſcientia ſimilibus concedimus &*
„ *indulgemus. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam*
„ *prædeceſſoris noſtri Conſtitutione, probibente ne Fratres Ordinum Mendi-*
„ *cantium in aliqua Civitate vel Caſtro aut Villa, ſeu alio quocumque loco,*
„ *ad habitandum domos vel loca quæcumque de novo recipere, ſive jam rece-*
„ *pta mutare, vel relinquere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia*
„ *ſpeciali, faciente de probibitione hujuſmodi expreſſam mentionem, & an-*
„ *tiqua dicti Ordinis Provinciarum diviſione, ac quibuslibet aliis conſtitutio-*
„ *nibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento,*
„ *confirmatione Apoſtolica vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, con-*
„ *ſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino ho-*
„ *minum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, commu-*
„ *nionis, ſeparationis, unionis, annexionis, incorporationis, approbatio-*
„ *nis, voluntatis, elargitionis, conceſſionis & indulti infringere, vel ei auſu*
„ *temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indigna-*
„ *tionem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe*
„ *noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarna-*
„ *tionis Dominicæ* MCCCCLXXXI. *Nonis Januarii, Pontificatus noſtri an.* X.
„ II. Ad inſtantiam venerabilis P. Fratris Ludovici de Vincentia, ore
„ tenus conceſſit, quod Prælati noſtri Ordinis poſſint commutare legata
„ facta locis noſtris ad unum uſum in alium, ſine ſcandalo tamen illorum,
„ ad quos ſolutio talium legatorum pertinet: etiam pariter ſupplicante
„ Patre præfato, iis, qui ſerviunt Sororibus ſanctæ Claræ & Fratribus, in-
„ dulgentiam plenariam in morte, & ſemel in vita de reſervatis indulſit,
„ VI. Idus Januarii. Nono Kalendas Februarii fratri Franciſco *de la Guar-*
„ *dia*: & IV. Kalendas ejuſdem, fratri Ludovico *Cabre*, conſimilibus datis
„ brevibus: *Religionis zelus &c.* beneficia contulit. Quarto decimo Kalen-
„ das Aprilis Epiſcopo Dunchaldenſi facultate facta duo erigendi Cœnobia
„ pro Fratribus Regularis Obſervantiæ Minorum in Provincia Scotiæ:
„ *Quoniam in his &c.* fratrem Bartholomæum de Gualandris ad Eccleſiaſti-
„ cum beneficium approbavit, expedito brevi executoriali ad Epiſcopum
„ Arbenſem, ſub eadem data V. Kalendas Aprilis: *Religionis zelus &c.*
„ Fratribuſque Alexandrinis nonnulla bona habere poſſe: *Ex injuncto &c.*
„ III. Kalendas ejuſdem: Moniales Tertii Ordinis Grundebergenſes, cum
„ ſuis ædibus ſancti Pauli, ad Ordinem ſancti Auguſtini tranſire valere vo-
„ luit: *Decens reputamus &c.* IV. Nonas Maii. Et Nonis ejuſdem menſis
„ Fratribus de Obſervantia in Hiberniæ Provincia duas domos in locis con-
„ venientibus: *Quoniam in his &c.* VII. Idus Maii: ac III. Idus ejuſdem
„ Indulgentias conceſſas Fratribus prædicantibus contra Turcas, admiſit
„ & confirmavit: *Providentia Sedis &c.*
„ III. Iiſdem autem temporibus ſua ſatagentes Ultramontani Regularis
„ Obſervantiæ Patres, Clauſtri nedum diſciplinam reparantes, ſed optime
„ virtutum exemplo ſeculum allicientes, a vitiis deterrebant; erat autem illis
„ vice Generalis Primicerius Guillelmus *Bertho*, quem etiam dicunt Guil-
„ lelmum *Bertholdi*, vel *Berthonis*, cujus in Annalibus licet memoria fiat,
„ nihilominus hiſtoriæ veritas, primis ſub menſibus anni, cujus nunc lo-
qui-

Guillelmus Vicarius Generalis ſancte obiit. *Wadd. ad ann.* 1481.

„ quimur, ab integritate vitæ, zelo Religionis & ſedulitate in opere ſuo,
„ commemoratum deſiderat, ut ſubinde Ultramontana Comitia, quantum
„ nobis eſt, referamus; itaque Guillelmus *Bertho*, tertio ſui Vicariatus
„ Generalis anno, ſua Paſtorali cura initia faciens, die XXVI. Januarii,
„ quæ feſtum Converſionis ſancti Pauli immediate ſequitur, Norimbergæ
„ ſuos Fratres & Sorores etiam ſanctæ Claræ devotas vigili caritate inviſit,
„ eiſque religioſis exhortationibus confortatis, & de more benedictis, ad
„ Montem beatæ Mariæ prope *Meng* tranſiit cum ſociis; ubi viſitatis Fra-
„ tribus, & eorum aliquibus, præmiſſo examine juxta Regulam, approba-
„ tis, Prædicationis officio injuncto, diem illum exhortandis Fratribus
„ tranſegit; ſequenti vero nimium ægrotare cœpit, quod intuentes Fratres,
„ Norimbergam repetere illi perſuadebant, quod ibi cura Medicorum ea
„ infirmitate commodius uti valeret: at non conſenſit Guillelmus, ſed
„ mente profunda, & animo in Cœlum erecto, dicebat: *Grandis, o Fra-*
„ *tres, mihi reſtat via:* quibus dictis, Guardiano loci injunxit, ut oppor-
„ tuna diſponeret, quibus ad Ingolſtadii domum duci valeret: ſperabat
„ enim in via convaleſcere, vel ſaltem reſiſtere morbo, & ad Monacenſe
„ Cœnobium nuper reformatum pervenire; at invaleſcente & corporis vi-
„ res ſuperante infirmitate, vix Ingolſtadium tenere potuit: illuc enim ut
„ pervenit, graviorem Dei manum expertus, adſtantibus Fratribus, ma-
„ gno caritatis affectu ita faſſus eſt: *Vocantis me vocem, o dilectiſſimi, au-*
„ *dio, & ego libenter diſſolvi cupio, & illi præſto eſſe, qui ſua voce me vo-*
„ *cat: Eja Fratres, afferte mihi Dominum meum, & ſuæ ſacroſanctæ Eccle-*
„ *ſiæ viviſica Sacramenta miniſtrate, ut eo Divino Viatico & ſpiritualibus*
„ *auxiliis munitus, non deficiam in via, quæ grandis eſt, precumque veſtra-*
„ *rum, quam enixe peto, adjungite opem.* Ad hæc Fratres commoti, qui
„ eum ſummopere venerabantur, & ut cariſſimum Patrem habebant, omnia
„ ſedulo Eccleſiaſtica, ut inſtanter petierat, adminiſtrarunt: quibus ipſe
„ refocillatus & conſolatus, pauliſper quievit, & poſtea cum Fratribus
„ ſumma attentione oravit; & iterum poſt parvulam moram, elevatis in
„ cœlum oculis, in medio pſallentium ſimul & gementium Fratrum, ani- *Chronica MSS.*
„ mam ſuam Domino commendans, ad quem properabat, die VI. Februa- *Provinciæ Reformatæ Bavariæ c.*
„ rii Divæ Dorotheæ ſacra, piiſſime obdormivit, & a circumſtantibus luctus *3. de Conventu*
„ & ploratus multus factus eſt. Parentantibus ſubinde Religioſis tanto Pa- *Ingolſt.*
„ tri, adfuerunt urbis Magiſtratus & Collegia cum Nobilibus Plebeque
„ multa, ac demum in Choro Fratrum ſepultus eſt. Tamquam ſubinde in
„ munere Vicariatus Generalis, ſtatutaria diſpoſitione Joannes *de Lare*
„ provinciæ Argentinenſis Vicarius, rerum pondus univerſum egregie ſu-
„ ſtinebat, donec opportune & congruo tempore ad Capitulum Genera-
„ le convocarentur Fratres, ut in feſto Pentecoſtes apud Montem Lucii
„ congregato cœtu, novi Vicarii Generalis Canonica electio fieret: ſed *Specul. tract. 3.*
„ brevi poſt Guillelmum & ipſe mortuus eſt. Celebrata nihilominus fuere *fol. 202.*
„ Comitia, & in iis P. frater Joannes Philippi Vicarius provinciæ Franciæ Joannes Philippi
„ ad Generale Ultramontanorum gubernium aſſumptus eſt; quæ vero in ad Generale gubernium aſſum-
„ eo congreſſu ordinata fuerint ad regimen ſpectantia non reperio: ptus.

„ IV. Cuidam ex noſtris Minoritis nomine Joannes ad Eccleſiaſticum *Ex Vatic.*
„ beneficium habilitato: *Zelo Religionis &c.* VII. Idus Julii; alterum, fra-
„ trem ſcilicet Palaganum ad Epiſcopatum Labellen. promovit: *Paſtoralis* Palaganus Epi-
„ *officii &c.* XI. Kalend. Julii; VI. Kalend. Auguſti, quia Sixtus Pontifex ſcopus.
„ Angeli a Clavaſio doctrinam & optimas noverat qualitates, Cru- *Ex Origin. ſervato in Archivo*
„ ciatæ publicandæ in Turcas Commiſſarium cum ampliſſimis facultatibus *Clavaſii.*

,, inſtitutum, novis etiam auctoritatibus cumulavit, ut tenor Brevis appo-
,, ſitus oſtendit.

SIXTUS PAPA IV.

Dilecto filio fratri Angelo de Clavaſio Ordinis Minorum de Obſervantia Commiſſario noſtro &c.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

,, *UT Chriſtifideles eo promptius ad contribuendum ſancto operi Crucia-*
,, *tæ inducantur, quo facilius ſpiritualium munerum fieri ſe partici-*
,, *pes viderint, Diſcretioni tuæ per præſentes litteras committimus, & au-*
,, *ctoritate Apoſtolica tibi concedimus, ut cum quibuſcumque, qui ex uſu-*
,, *raria pravitate aliqua bona ipſi, vel prædeceſſores eorum extorſerunt,*
,, *poſſis componere, tam ſuper incertis, quam etiam certis, quando vix &*
,, *cum magna difficultate creditores inveniri poſſent, & eos quittare & ab-*
,, *ſolvere: ita, quod ſoluta jam aliqua quantitate, prout tibi videbitur,*
,, *pro hoc ſancto opere Cruciatæ, liberi ſint a reſiduo reſtitutionis cujuſcum-*
,, *que & inhabilitatis ad Sacramenta, vel confectionis teſtamenti: nec ul-*
,, *terius de præteritis, de quibus per te, ut præmittitur, fuerint quittati,*
,, *poſſint moleſtari ab aliquo Ordinario, ſeu etiam Legato vel Delegato no-*
,, *ſtro & Apoſtolicæ Sedis.*
,, *Inſuper auctoritate prædicta concedimus tibi, ut quoſcumque excom-*
,, *municatos, etiam ab homine, vel Auditore Cameræ Apoſtolicæ, poſſis ab-*
,, *ſolvere, quando partes ſint concordes.*
,, *Item, quod poſſis hereticos non relapſos recipere ad unitatem fidei &*
,, *abſolvere, ac ſuper bonis eorum, quæ ratione hæreſis Fiſco ſunt confiſcata,*
,, *componere: ita, quod ſoluta aliqua quantitate ad opus præfatum Crucia-*
,, *tæ, libere reliqua bona tenere poſſint & poſſidere, ac eos totaliter a præ-*
,, *teritis liberare.*
,, *Intelleximus etiam, quod ſunt nonnulli, qui Legata a ſuis prædeceſ-*
,, *ſoribus facta pro Miſſis dicendis, puellis maritandis, aut pauperibus nu-*
,, *triendis & hujuſmodi, ex antiqua non executione, & varia diſpoſitione*
,, *hæredum, numquam implere potuerunt, nec ipſi nec eorum Succeſſores;*
,, *ideo diſcretioni tuæ committimus per præſentes, quod quando tibi videbi-*
,, *tur præfata Legata ad pias cauſas ſuum numquam, vel vix ſortiri effectum*
,, *poſſe, auctoritate Apoſtolica cum talibus obligatis ad ea exequenda, com-*
,, *ponere, ſecundum quod tuæ conſcientiæ videbitur magis ſaluti legantium*
,, *& gravatorum expedire, & a reliquo eos liberare & totaliter abſol-*
,, *vere.*
,, *Concedimus etiam auctoritate præfata, quod mulieres & viros, qui*
,, *tenentes juxta ſe pueros tenellos occiderint, poſſis abſolvere, & eis pæni-*
,, *tentiam illam remittere, quam eis Ordinarii in die Jovis ſancti publice*
,, *imponunt: Non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus ſeu ſtatutis Or-*
,, *dinariorum ſeu Inquiſitorum aut quorumcumque aliorum, ceteriſque &c.*
,, *Dantes tibi pariter facultate præfata, omnia & ſingula, etiam per*
,, *alios executioni mandandi, & ſublegandi vices tuas tuis Subdelegatis ad*
,, *dictam Cruciatam pertinentibus.*
,, *Et quia foret difficile has litteras noſtras ad diverſas partes tranſ-*
,, *mittere, tenore præſentium &c. auctoritate decernimus, ut earum tran-*
,, *ſumpto, manu tua ſubſcripto, cum ſubſcriptione Religioſorum, & tui ſi-*
gilli

gilli impreſſione munito, plena fides adhibeatur in judicio & extra, ſicut ſi præſentes litteræ noſtræ originales exhiberentur.

Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVII. *Julii, Pontificatus noſtri anno* X.

V. Indulta conſtructione Conventus de Angelo Tullen. In Lotharingia: *Eximiæ devotionis &c.* IV. Nonas Augusti; Fratrem Angelum *de Barbianis* (Barbianorum Familia clara & nobilis eſt in Pedemontio) Eccleſiæ Mutilen. præfecit: *Apoſtolatus officium &c.* XIV. Kaland. Septembris. Sororibus ſanctæ Agathæ Delphii Trajecten. Tertii Ordinis poſſe permutare nonulla bona permiſit, VI. Kalend. Octobiis: *Cum Paſtolaris &c.* Et IV. Kalend. præfati fratri Ludovico de Colle collato beneficio: *Religionis zelus &c.* Et altero fratri Antonio Mancipi ad Altare Conceptionis beatæ Mariæ Virginis in Eccleſia Dertuſenſi: *Vitæ & morum &c.* VI. Kalend. Novembris. Ac tertio fratri Ambroſio Antonio de Plumbino: *Religionis zelus &c.* III. Nonas Novembris. Tamdem ne Fratres curam Sororum beatæ Coletæ, abſque Superiorum licentia ſuſciperent, vetavit, expedito Brevi, cujus tenor mox ſequitur. *Indic. ex Archiv.*

SIXTUS PAPA IV.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Ultramontanorum.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cupientes quidem dilectas in Chriſto filias, Abbatiſſas & Sorores Ordinis ſanctæ Claræ, reformationis quondam Coletæ Sororis ejuſdem Ordinis, in ſervitio Dei Apoſtolicis præſidiis confovere, ut Viſitatores earum auctoritate Apoſtolica deputati quoſcumque Fratres Ordinis Minorum, tam ſub immediata obedientia Generalis Miniſtri ejuſdem Ordinis, quam & Vicariorum Generalium, ſub Regulari Obſervantia degentium, ad obſequium dictarum Sororum circa ſpiritualia (de licentia tamen ſuorum Superiorum, ſaltem petita, licet non obtenta) deputare, & ſervitio ſuo dedicare, Fratreſque ipſi prædicti ad ſervitium ipſum, abſque cujuſque impedimento tranſire, & in illo manere poſſent, per alias noſtras litteras in forma Brevis conceſſimus. *Roderic. bull. 29. fol. 163.*

Cum autem, ſicut nuper accepimus, plures Fratres tibi ſubditi, prætextu conceſſionis hujuſmodi, a bono obedientiæ, & Majorum correctione deviaverint hactenus, & in futurum deviaturos merito ſuſpicetur, & tua Religio propterea non modicum perturbetur: hinc eſt, quod nos, qui numquam mente geſſimus per litteras noſtras prædictas alicui dare materiam malignandi, aut quod perſonæ, quæ ſub Religionis habitu vacare deberent ſtudio bonæ vitæ, a bono obedientiæ, & a perſeverantia Divini ſervitii ullatenus retraherentur; in præmiſſis, prout ex debito tenemur Paſtoralis officii, ſalubriter providere cupientes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium volumus & etiam ordinamus, quod omnes Fratres tuæ curæ commiſſi, qui hactenus abſque tua licentia ex Familia tua receſſerint, perinde tibi & correctioni tuæ in omnibus & per omnia ſint ſubjecti, ac ſi Breve noſtrum prædictum nullatenus emanaſſet: quod etiam penitus, ſpecifice & expreſſe, quoad tuos, revocamus & etiam annullamus: decla-

,, *rantes ex nunc omnes & ſingulos Fratres tuæ curæ commiſſos, qui abſque*
,, *tua licentia aut ſui Provincialis Vicarii, ex Familia tua, contra tenorem*
,, *litterarum prædictarum hactenus receſſerint, eo ipſo majoris excommuni-*
,, *cationis ſententiam incurriſſe, ac ut tales ab omnibus Chriſtifidelibus ar-*
,, *ctius evitari debere: devotioni tuæ, illos, ac eorum receptores, tam præ-*
,, *miſſam excommunicationis ſententiam, quam alias cenſuras & pœnas con-*
,, *tra receptores Fratrum tuæ Familiæ, per fel. record. Paulum II. præde-*
,, *ceſſorem noſtrum & nos inflictas incidiſſe, publicandi, & alia damna circa*
,, *eos faciendi, quæ ad officium tuum pertinent, plenam & liberam faculta-*
,, *tem concedentes: præmiſſis litteris, quarum tenorem hic haberi volumus*
,, *pro expreſſo, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus qui-*
,, *buſcumque &c. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris,*
,, *die* III. *Decembris, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXXI. *Ponti-*
,, *ficatus noſtri anno* X.
,, *Griffus.*

Ludovicus de Amboiſia Epiſc. fundat Monaſt. Topogr. Ferrer.

Harold. ad hunc annum n. 12.

Chronic. MSS. Provinc. Aquit. antiq. de eo Conventu.

Monaſt. Albigenſe floret.

,, VI. Albigæ, vel Albiæ, Helviorum Auguſtæ, vulgo *Alby*, Civita-
,, tis Epiſcopalis Aquitaniæ, ejus tractus, qui ſub lingua Occitana compre-
,, henditur, inter Gadurcum & Rhodium ſitæ, Ludovicum *de Amboiſia*
,, ejuſdem Epiſcopum Monaſterium ſanctæ Claræ excitaſſe, referunt Anna-
,, les: quibus ſupplendum videtur, quod inter cetera, quæ pius Funda-
,, tor inſtituit, ſacellum eſſe pro Sacerdote ſeculari, ab loci Abbatiſſa,
,, vel etiam ab eo, qui Monaſterio eſt a ſacris Confeſſionibus nominando,
,, qui quidem Sacerdos ſingulis hebdomadibus ſemel, & iterum in ejuſdem
,, Monaſterii Eccleſia Sacrum facere tenetur: ob quam ſervitutem quater-
,, centum libras quotannis accipit. Ex ea ſacra domo diverſis temporibus
,, inſignes meritis & virtutibus Virgines prodiere, a quibus alia ſeptem
,, Monaſteria ortus ſuos ſanctaſve inſtitutiones habuere: quorum aliqua
,, mitigatam Urbani Regulam tenent, & aliæ primæ Regulæ aſperitates
,, ſtrenue ſervant. Inter eas vero, quæ Albiæ florentes, ſanctimoniæ famam,
,, etiam apud poſteros ſervatam acquiſiverunt, ſunt Venerabiles Soro-
,, res Martha *de Alary*, & Clara *de la Baſtida*: quarum profectus in virtu-
,, te & pietate, necnon a ſenſibus corporeis alienationes ſeu extaſes,
,, quas probarant antiquiores, junioribus enarrantes, per has etiamnum
,, fama ad nos tranſmittit. Venerandæ etiam Sororis Matris *de Reſengau*
,, felix memoria ſervatur: traditur autem humilitatis virtutem præ ceteria
,, coluiſſe, & ab ejus obitu anno IV. cum forte ejus ſepulcrum aperiretur,
,, cadaver ejuſdem integrum in nulloque læſum, niſi quod aliquantulo pul-
,, vere conſperſum videretur, ſuaviſſimum exalaſſe odorem: cujus rei ad-
,, monitus Pater Provincialis, mandavit iterum viſitari ſepulcrum, quod
,, executioni demandatum, ita in pulverem omnino cadaver redactum in-
,, ventum eſt, ut eo in loco nullum unquam tumulatum fuiſſe videretur:
,, Sorores, quæ Virginem agnoverant, ad ejus id humilitatem retulerunt.
,, Ceterum in eo Monaſterio unius ex undecim millibus Urſolinis Caput
,, aſſervatur, quod quotannis in feſto ſanctæ Urſulæ ſuper Altare majus
,, publice expoſitum, ab utroque Civitatis Collegio, cum reliquis Ordini-
,, bus, inſtructa Proceſſione, veneratur: adorantur ſimul tres e ſacris Spi-
,, nis Coronæ Chriſti, quæ ibidem diligentiſſime cuſtodiuntur.

AR-

ARGUMENTUM.

Magna ſolemnitate canonizatur ſanctus Bonaventura Cardinalis. Diſceptatur circa Conceptionem beatæ Virginis Mariæ, de qua gravem edit Pontifex conſtitutionem. Moritur Amadeus Luſitanus, cujus aliquot miracula referuntur, & doctrina explicatur. Alii etiam viri pii decedunt. Florent alii; & Bernardinus Feltrenſis magna ubique ſuæ virtutis & doctrinæ exhibet argumenta. Robertus Licienſis Romæ magno auditorum prædicat applauſu. Celebrantur Comitia Generalia. Aſſumuntur aliqui ad inſulas Pontificias. Multiplicantur Cœnobia.

Sixtus honorifice recipit Comitem Wirtembergenſem. *Diario Sixti.*

I. PRÆTER alios Principes, quos ſub Sixti Pontificatu diximus in Urbem veniſſe, & ab eo fuiſſe magnifice receptos, etiam hoc anno die XV. Martii Eberhardus Princeps, Comes Wirtembergen. & Montis Poligardi ſenior, ſororius Franciſci Gonzagæ Diaconi Cardinalis, ſplendide ſuſceptus eſt, miſſis obviam Cardinalium & Pontificis familiis. Votum ſoluturus venit veneratum Apoſtolorum limina. Sexaginta Equites pulla veſte habebat in comitatu. Dominica quarta quadrageſimæ accepit a Pontifice roſam auream, quæ illo die ſolet benedici. Ab Urbe receſſit die XII. Aprilis, Franciſco ſancti Euſtachii & Franciſco Gonzagæ ſanctæ Mariæ novæ Diaconis comitantibus.

Præludia canonizationis S. Bonaventuræ.

An. 1478. n. 6.

Oratio Octaviani Sueſſani commendatur.

II. Poſtquam Sixtus Pontifex repetitis precibus interpellatus ab Imperatore, a multis Regibus & Principibus, eo quo decuit, pondere inquiri fecit in Acta Bonaventuræ Balneoregienſis, & examinanda commiſit tribus, quos ſuperius dixi Cardinalibus aliiſque Prælatis, jam tandem hoc anno die Mercurii, Aprilis decimo, vocavit ad publicum conſeſſum S. R. E. Cardinales in aula majori Pontificia; ubi inſignem habuit orationem Octavianus de Martinis Sueſſanus Juriſconſultus, & ſacri palatii Apoſtolici Advocatus Conſiſtorialis, cujus eſt doctum illud conſilium CL. inter conſilia legalia Venetiis impreſſa anno MDLXXXI. apud Franciſcum Zilettum. Jacobus Maffejus Volaterranus in notis diariis, quas de Pontificatu & geſtis Sixti collegit, ita de eo ſcribit: *Orationem habuit Clariſſimus Juriſconſultus & Senatorius Advocatus Octavianus, quæ etſi propter ſtrepitum frequentiſſimi Senatus audiri vix potuit, mirifice tamen commendata fuit ab illis, qui audierunt*; & ſubjungit: *Paucis cum reſpondiſſet Pontifex, commiſit Prælatis omnibus in Romana Curia exiſtentibus, ut de meritis beati Patris in proxima Senatu, ea tantum cauſa cogendo, ſententiam dicerent.* Mox addit: *die veneris Aprilis* XII. *vocati ſunt in concilium non modo Cardinales, ſed & Epiſcopi omnes, Abbates, Judices Rotæ Palatinæ, Religionum quarumdam Prælati & Procuratores Generales. Concilii locus fuit aula major ſupra primam palatii portam, quæ ſancti Petri aream reſpicit. In Senatu iterum oravit Octavianus, & quia in priori conſiſtorio a paucis fuerat propter ſtrepitum auditus, camdem, ut audio, orationem recitavit cum ſumma omnium attentione & commendatione.* Eam hic nos exſcribimus.

Octaviani de Martinis Sinveſſani J. U. Doctoris.

ORATIO.

III. J*Uſtitia ſuffragiorum, Beatiſſime Pater, ad quæ porrigenda deſiderabar, hærentem me concitavit ad indicti mihi muneris provinciam,*

remota cunctatione, capeſſendam. Neque enim me alioquin fallebat, quam arduum, quamve anceps munus obirem, poſtulare, ex merito ſanctum Romanæ Sedis decreto referri in Ordinem ſive catalogum cœleſtium, qui cum Chriſto regnant, ſanctorum: idque in hoc tremendo auditorio, ſub aſpectu ſacri Reverendiſſimorum Patrum Senatus, ac ſapientum Prælatorum & virorum, quibus tua Sanctitas, cœleſti ſuperum dono, in ſua majeſtate ſapientiſſime præſidet; ubi non ego modo, qui in actione cauſarum forenſium, noſtri ſeculi ſtylo verſor, verum & alium quemlibet exercitatum ac denique conſummatum oratorem, expavere quidem poſſe credendum ſit. Nam per immortalem Deum, quis tam ſapiens aut diſertus, quidquam adeo elimatum, aut ſtudioſa lucubratione excogitatum hic proferat, quo majeſtatem loci, dicendo vel medioeriter æquare poſſit? Quid porro tanto ſtudio adinventum, quod prævisum ac tritum non fuerit apud tantæ ſapientiæ Patres? ac te ante alios, Sanctiſſimæ Princeps, qui cum ex multis jam annis Divinarum atque humanarum rerum, ac omnis denique Philoſophiæ ſcientiam pleniſſime edidiceris, velut ſplendidiſſimum ſidus in firmamento, in Dei Eccleſia ceteros illuſtraſti.

Sixtus a multiplici doctrina laudatur.

Quæ quidem revolventi, non levem animo tremorem incuſſiſſe poterant, atque ab hac actione, qua nulla illuſtrior, penitus dehortari, niſi juſtitia meritorum, ut præmiſeram, beati Bonaventuræ, pro quo intercedimus, animum erexiſſet atque confirmaſſet. Accedebat præterea, quod Princeps non profanus pro religioſo, aut indoctus pro litterato rogandus erat: ſed tu profecto, Pater beatiſſime, qui Divinis obſequiis in beati Franciſci Religione ex matris utero cœlitus deſtinatus, in eadem Omnipotenti Deo religioſius ſerviviſti, ac demum ad ejus Principatum ſingularibus tuis meritis vectus, illam ſapienter ac ſalubriter gubernaſti, auxiſti atque ampliaſti: Qui cum Divinorum myſteriorum ſcientiam, per traditiones Patrum fueris nactus, tum vero ex operibus ejuſdem Divi Bonaventuræ (quæ Divino ſpirante lumine edidit) Conditoris intelligentiam certiſſime comparaſti. Ita namque par erat te, quem Conditoris vices oporteret gerere in terris, in illius mandatis commiſſum gregem erudire; neque enim illius fauſte quis vices gerit, quem non penitus novit; neque illius porro mandata recte alios edocet, quæ non prius luculenter edidicit. Quare cum pro Divinæ ſapientiæ patre, Ordinis Minorum Generali Miniſtro, Epiſcopo Cardinali Albanenſi, interceſſurus eſſem apud te, beatiſſime Pater, qui iiſdem meritis clarus, iiſdemque officiis glorioſe perſunctus, & proinde ad hoc opus, tibi in hos uſque dies Divinitus ſervatum, electus, nequaquam mihi verendum fuit, ne per inſufficientiam tibi negligerer, qui etiam meritus fidelium Paſtor, imbecillitati noſtræ clementiſſime compati didiciſti. Jamque ego, qui horrore quodam non ſine titubatione occeperam, perſpecto quam benigno vultu, ac clementi nutu audientiam indulgeas, erectus in ſpem meliorem, fidentior proſequor: tuique ſacri affectus oraculo meis auribus illud

Pſal. 80. 12.

Eſther. 14. 13.

propheticum inſonare videtur: Dilata os tuum, & ego implebo illud. *Et rurſus:* Dabo tibi ſermonem bene ſonantem in os tuum, ut complaceas in ore Principis: *ac proinde obſecro, pari clementia velis favere, dum Divino numine adjutus, ac tuo benigno favore firmatus, proferam quæ ad ipſius Conditoris, Bonaventuræ, ac hujus ſanctæ Sedis laudem perpetuam cedere poſſint. Exoraturo a tua Sanctitate, Pater beatiſſime, Divi Bonaventuræ Canonizationem, ingens mihi ſtudium fuit, ſacrarum litterarum codices diligentius evolvere, ad dignoſcendum quænam rei, de qua agimus, convenirent. Quibus quidem curioſius perſpectis, quantum colligere potui, duo potiſſimum inſpicienda ac merito inquirenda fuiſſe intelligo, vitam ſcilicet & miracula, quæ ſi recitando monſtraverim in hoc viro eſſe comperta, qualia ad Canonizationem*

In canonizatione inquirendum in vitam & miracula.

tionem ſufficiant, tua Sanctitas, cujus arbitrio id ſubjicitur, benigne dignabitur votis ſupplicantium reſpondere. Et quoniam vitæ initium, quod ex Religione ſuſcipio, miracaloſum exiſtit: nemo mihi vitio vertet, ſi vitam ante miracula relaturus, alterum cum altero recenſendo permiſceam. Nec rurſus mirabitur, quod quemadmodum plerique cujuſpiam memoriam commendaturi, non ego primordiis natalium ac pacritiæ Divi Bonaventuræ inſiſtam, aut eo altius a parentum ipſius dignitate exordiar. Probibent namque crebra & clariora viri facinora, ab illo in ſtatu perfectiori agitata. Nec tamen omittam quod Bonaventura natione Tuſcus, patria Balneoregias, Joanne Fidanza, & Ricella fidelibus conjugibus ortus, Baptiſmatiſque unda reſperſus, quæ ex Joanne Medicinæ Magiſtro, & Felice Antonii, qui & ipſi ab illis majoribus originem trahunt, atque aliis teſtibus Balneoregiis prope comperta ſunt. Cecerum prætermiſſa longiore ſerie præmiſſorum, vita inde exordium capiet, ubi relicto mortalitatis ſtatu, mundo moritur, ac Omnipotenti Deo, meritis beatiſſimi Franciſci, victimam ſe perpetuam dedicavit. Glorioſus Deus in Sanctis ſuis, quos ſibi ab æterno prædeſtinavit electos, & ſecundam neceſſitatem temporis, ad ſalutem humani generis producit in lucem; cum beatum Bonaventuram Vas electionis ſibi delegiſſet, ac ſuis obſequiis in Religione ſancti Franciſci deſtinaſſet, quo tamen illius converſio poſſet aliquando a Deo diſponente profecta intelligi, & in illo ſuæ Majeſtatis gloria revelari, eumdem in extrema valetudine periclitari permiſit. Cujus ſaluti anxia ſollicitudine timens cariſſima parens, ubi Phyſicoram, quos adhibuit, diligentiam fruſtra experta eſt, & medelarum vires ad illum levandum minus valere comperit, ſolius Dei opem, quem ſancta timebat, & cui caſtos pueri mores, qaos probe ut mater noverat, intelligebat acceptos, humiliter in ſalutem pueri invocavit, ac ſancti Franciſci ſuffragia reverenter implorans, illum, ſi ſanum recuperaret, ipſius Religioni perpetuo devovit. Exaudita eſt pro Divina clementia & ſua reverentia: & ſanitate recuperata, integer puer evaſit, non ſine admiratione Phyſicorum, præſertim qui eum ſtatum corporis probe in illo deprehenderant, ut humana ope ægrum levari poſſe penitus deſperaſſent. Idem jam adoleſcens, ac porro ætate provecta, cum Religioni maturam ſe, & illi ex parentis voto debitum intelligeret, memorque Divini mandati per David prophetam humano generi prolati: Vovete & reddite Domino Deo veſtro: *anno ſuæ ætatis circiter ſecundo & vigeſimo habitum Religionis S. Franciſci devotiſſime ſuſcepit, & in profeſſionis emiſſione beneficium illius his verbis aperte teſtatus eſt:* Voto pro me languente graviſſime ad beatum Franciſcum emiſſo a matre, cum adhuc eſſem puerulus, ab ipſis ſum mortis faucibus erutus, & in robur vitæ incolumis reſtitutus. Quod cum viva memoria teneam, vera nunc confeſſione profiteor, ne tantum beneficium reticens, ſceleris arguar ut ingratus: *Orationemque ad illum piiſſime his effundens:* Accipe igitur Pater beate, quaſcumque exiles meritiſque tuis, ac beneficiis impares gratiarum actiones: Et cum ſuſceperis vota, culpas noſtras ſic orando excuſa, ut a malis præſentibus eruas, & ad bona ſempiterna perducas. *Igitur Vir ſanctus in eadem vocatione progrediens, cum omnis ipſius vita in Dei certa cognitione & contemplatione verſaretur, ad quam aſſequendam per ſacrarum ſcripturarum aſſiduam perlectionem, orationes ac contemplationes intenderet, docente illum Alexandro de Ales ſacræ paginæ Magiſtro, tantam doctrinarum perfectionem brevi adeptus eſt, ut a ſeptimo ſui ingreſſus anno, conſono Magiſtrorum Ordinis judicio delectus, librum Sententiarum in Pariſienſi Univerſitate clariſſime legerit, & Cathedram Magiſtralem receperit. Admirabilis proinde cunctis, quod tam parvo ſpatio eam ſufficientiam*

S. Bonaventuræ patria & parentes.

Puer adhuc graviſſime ægrotat.

Sed a morte S. Franciſco devotus convaluit.

Pſal. 75. 12.

Fit Minorita.

Magiſtro Alenſi mire proficit in doctrina.

va-

valuerit comparare. Sed admirentur ſane, qui res humanas ex naturali tantum curſu, non autem ex Divina potentia metiuntur, quæ duos diſcipulos litterarum prorſus ignaros, Emaus oppidum contendentes, brevi itineris ſpatio comitata, Divinorum ſcientiam pleniſſime docuit. Idem Divus dona ſancti Spiritus pro ſuis aſſiduis meritis conſecutus, magna in dies doctrinæ incrementa recipiebat, quæ magis Divinitus inſpirata, quam humanitus acquiſita videbantur. Cumque per tres annos ſequentes Cathedram magiſtralem rexiſſet, anno ſuæ ætatis ſecundo & trigeſimo, inter primos religione & doctrina in Ordine habebatur. Namque illi tamquam infinitus Theſaurus ſcientia erat, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. Et quod notabilius, & admirabilius erat in illo, quo magis ſcientia & auctoritate emerſerat, eo magis humilitate mentis deprimebatur: nec, ut plerique, litterarum ſcientia inflati, vilia miniſteria domeſtica faſtidiebat; ſed vix, nec niſi per obedientiam, ægre tamen ab illorum execuſione coercebatur, reputantibus Prælatis indignum, ſi a talibus, non ut egregius ſequeſtraretur, in quo ſancti Spiritus gratia habitare perſpicue cernebatur. Nec tamen Vir ſanctus ulla caritatis officia ob litterarias actiones prætermittebat, ſed in omnes Fratres oculos intendens, ſi quem forte triſtem, aut profeſſionis pænitentem intelligeret, tanta dulcedine in ſermone conveniebat, conſolabatur, monebat ac confirmabat, ut nullus ab eo diſcederet, qain libens cæptum Religionis iter proſequeretur. Infirmorum præterea cura, ſupra quam credibile ſit, delectabatur: quove gravioribus aut contagioſis morbis gravarentur, eo magis ſe totum illorum obſequio applicabat. Quibus officiis cum majorem diei partem abſumeret, non eo minor erat in publicis lectionibus & interpretationibus ſcripturarum: quas tanta claritate audientibus intelligendas reddebat, ut ipſe auctor illarum merito videri poſſet. In Capitulis vero aut Provincialibus aut Generalibus tanta ſapientia ipſius reſponſa dabantur, ut jam Generalis Miniſter, perſpecta magnitudine conſiliorum illius, nihil omnino grave exequendum putaret, in quo ſancti Viri judicium non antea exploraſſet. Quibus donis & gratiis illuſtratus, cum jam in Religione eſſet omni merito clarus, defuncto Generali Miniſtro, tredecimo ipſius ingreſſus anno, ex tam multis ſanctis viris, quibus Religio in ſua novitate florebat, unus omnium ſine contradictione extitit ſubrogatus. Hic vir ſanctus accingens ſe gravioribus actionibus, cum jam Religioſi cæpiſſent a fundatoris diſciplina paulalum declinare, ubi monendo, inſtando, caſtigando, ac operoſius laborando, ad meliorem vitæ frugem reduxiſſet; in Capitulo Generali, quod primum Narbonæ tenuit, Regulam beati Franciſci * reformavit atque expoſuit, Ordinemque in Provincias & Cuſtodias taxavit, & duas addidit: ubi ſtrenue decertans adverſus venenoſas oppugnationes temeratorum & obtrectatorum, qui in Religionem Mendicantium, ac ſanctum virum impudentius ora ſolverant, atque artificioſis calumniis velitabantur, ſola juſtitia atque innocencia tutus, permanſit invictus, tamquam qui Integer vitæ, ſceleriſque purus, non eget Mauris jaculis nec arcu, nec venenatis gravida ſagittis, Fuſce pharetra: expertus fructus ſanctorum monitorum magni Baſilii Divini interpretis Homerici carminis, ubi Ulyſſem pro meritis ad cælum tollit, aſſerens Poetam clara voce teſtatum: O homines, ſit vobis cura virtutis, quæ cum naufrago enatat, & ejectum in littore venerabiliorem oſtendit. Ubi etiam libellum contra Minores pernicioſiſſimum, a Magiſtro Giraldo de Abbatis Villa (ut putant) per Apologiam editum, non minus eloquenter quam ſubtiliter confutavit. Qui etiam Giraldus non longo poſt, juſto Dei judicio damnatus, meritas ſui ſceleris pænas dedit, paralyticus

Luca 24. 27.

Sap. 7. 14.

Quo Doctior eo humilior.

Triſtes benigne ſolatur.

Deligitur in Generalem Ordinis Miniſtrum.

* Al. declaravit.

Horat. lib. Carm. ode 20. ad Ariſtium.

Baſil. hom. ad adoleſcentes de doctrina gentilium ad med.

Ordinem Minorum contra detrectatores defendit.

cus ac miſeranda lepra reſperſus, quibus erumnis vitam finivit. Congregato vero Generali Capitulo Piſis, eo auctore inſtitutum eſt, ut Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine, *uſque ad Epiphaniam continuaretur, eodem modo, quo infra octavam Nativitatis Dominicæ cantatur: & aliæ rubricæ in Breviario reformatæ, & aliæ additæ. Idem etiam piiſſimus cultor glorioſæ Virginis Matris Jeſu inſtituit, ut Fratres populum hortarentur ad ſalutandam eamdem ſigno campanæ, quod poſt Completorium datur, quod creditum ſit, eamdem ea hora ab Angelo ſalutatam. Tunc translatum fuit venerabile corpus beati Antonii ad prægrandem Eccleſiam Paduanam, cujus lingua ſecundo & trigeſimo ſui obitus anno, recens & rubicunda reperta eſt. Quam vir ſanctus in manibus devote recipiens, ac largioribus lacrymarum imbribus perfundens, talibus reverenter affatus eſt.* O lingua benedicta, quæ Deum ſemper benedixiſti, & alios benedicere docuiſti, nunc perſpicue cernitur, quanti meriti fueris apud Deum! *Cui oſcula devote infigens, illam honeſte collocari curavit. Cujus etiam fama permotus Pontifex tunc Clemens IV. ut illum in partem ſollicitudinis traheret, opulentæ Eboracenſi Eccleſiæ præfecit. Nec tamen aſſequi potuit, ut vir ſanctus eam promotionem acceptaret: qui propoſiti conſtans, maluit in Religione manere, ubi divitias & dignitates ſibi procuraret in cælis. Cujus conſtantiam Pontifex admiratus, ad illum:* Sta, *inquit*, in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce. *Nunc vero ſe offert numeroſior cumulus Divinorum ſcriptorum ipſius. Cum Pariſiis legiſſet primum librum Geneſis, nobile opus, quod* de ſeptem viſionibus Bonaventuræ *intitulatur, editum eſt. In libros ſententiarum celebria commentaria edidit, ſecundum & quartum præſertim, quos etiam metrice extitit proſecutus. Et incipiunt.* O fons ſplendoris, vas dulcoris, & amoris, *quibus ob ſublime ingenium auctoris ibi inſperſum*, ſententiæ ſententiarum Bonaventuræ *titulas inditus eſt. Super Evangeliis compendioſe & utiliter ſcripſit, Lucæ præſertim Cancellarii piæ matris Jeſu, quam pectori impreſſam aſſidua meditatione ſemper extitit veneratus. Rurſus contemplatione ſancti Ludovici Regis Franciæ, officium de Cruce devotiſſimum edidit, quod ab Eccleſia nullo immutato receptum, in ea ſolemnitate ubique legitur. Compoſuit & ſolemne officium in honorem beati Franciſci, & de ipſius vita hiſtoriam ſerioſo tractatu primum, & ſecundo reductorie adnotavit. Compoſuit & libellum* de ſex aliis ſeraphim. *In monte Alvernæ duo nobilia opuſcula edidit piiſſimas contemplationes fragrantia: quorum alterum* Itinerarium mentis in Deum, *& alterum* in ſe ipſum *appellata ſunt. Compoſuit & libellum approbatorium Religionis Mendicantium, quod* Deſenſorium *appellant. Compoſuit & libellum* de vita Chriſti, *ſive meditationum paſſionum ipſius, quem* arborem crucis *nominant. Compoſuit &* Breviloquium, *item & ſermones Dominicales ſuper Evangeliis & Epiſtolis per totum anni circulum. Item* compendium veritatis ſacræ ſcripturæ, *item libellum ordinationis ſive* inſtitutionis novitiorum, *item & libellum* de ſtimulo amoris, *item & libellum, quem appellant* pharetram *de auctoritatibus principalibus Doctorum approbatorum, quem per Alphabetum extitit proſecutus, & alia plura opuſcula uſque ad trecenarium numerum, quæ in partibus Galliarum frequentius habentur in manibus. Et cum B. Franciſci Religio, quam annis octo & decem ſancto regimine gubernavit, ipſius monitis & exemplis in ſolidioris ſanctitatis ſtatu firmata eſſet, & viri claritas ob vitæ ſanctitatem, doctrinæ eminentiam, atque operum Divinitatem ubique eluceſceret, tum forte Romana Sedes plurimum laborabat difficultatibus, quæ in Concilio, quod Lugduni congregabatur, inextricabiles emerſerant,*

Multa circa ritus Eccleſiaſticos utiliter inſtituit.

S. Antonii linguam integram repertam reverenter reponit.

Eboracenſem oblatam Eccleſiam renuit accipere.

Eccl. 11. 21.

Doctiſſimos ſcribit libros.

Trecenta opuſcula edidiſſe narrant Ordinis monumenta.

Gregorius tunc Papa X. & reliquus Sacer ſenatus, illecti ſtudio viri, quem levandis dictis difficultatibus, ac univerſalis Eccleſiæ regimini intelligebant

Creatur Cardinalis Epiſcopus Albanus.

plurimum præſtiturum, atque ob merita alioquin ſublevandum, in Cardinalem, quamvis reluctantem promoverunt: &, quod rarum eſt, ex ipſo initio, ob viri excellentiam, Epiſcopum Albanenſem; moxque pertractandis arduis rebus Concilii unus omnium delectus eſt, deputatis qui illi aſſiſterent, Rhotomagenſi & Tripolitano claris Epiſcopis illius temporis, qui & ipſi de Religione ſancti Franciſci ad Epiſcopatum ob meritum vocati fuerant. In quo

Opera ejus Græci ad Eccleſiam redeunt. Ad eos miſſi Minoritæ.

Concilio de multis illius ſapientia ſancte conſultum atque decretum, & Græcorum compoſitæ hæreſes: qui tum præſente Paleologo eorum Imperatore, qui in hoc Lugdunum venerant, libere ad Romanæ Sedis obedientiam redierunt. Ad quorum reductionem miſſi fuerant frater Hieronymus de Eſculo, & fratre Bonagratia Dalmata, Ordinis Minorum, religioſi eximii meriti. Quibus cum litteris reverſis, lætus idem Gregorius Fratres ac Prælatos, qui in Concilio aderant, in Lugdunenſi Eccleſia convocavit. Ubi vir ſanctus præclaram habuit orationem, propoſito Themate, quod legitur Baruch quinto:

Baruch 5. 5.

Exurge Hieruſalem & ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem; & vide collectos filios tuos ab Oriente Sole, uſque ad Occidentem. *Succeſſive in ea vocatione pari ſanctitate & operum fructu perſeverans, cum in Dei Eccleſia diutius laboraſſet, ita ut cum Apoſtolo vere dicere poſſet:*

2. Timot. 4. 7.

Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, *anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, & ſuæ ætatis quinquageſimo tertio, hora matutina diei Dominicæ, quæ menſis Julii erat tertia & decima, ex humanis ſublatus eſt, & ſanctis Patribus, ut credere debemus,*

Abiit e vita.

æternum victurus redditus. Qua die ipſius venerabile corpus ſepulcro reconditur in Eccleſia ſancti Franciſci Lugdunenſis cum multis lacrymis & conſternatione Fratrum lamentantium, ſe tanti viri ſocietate deſtitui, qui parem ſibi in Dei Eccleſia relinquere non videbatur: Gregorio Pontifice permaxime eum reputante, qui ibidem publice teſtatus eſt, Eccleſiam Dei illius morte magnam incurriſſe jacturam. In cujus exequiis primam Miſſam celebravit frater Petrus Tarantaſienſis Epiſcopus Cardinalis Hoſtienſis, & ſermonem habuit, propoſito themate: Doleo ſuper te mi frater Jonatha. *Ubi inter ceteras commemorationes gratiarum & donorum, quæ illi Deus dedit,*

2. Reg. 1. 26.

Aſpectus ejus gratioſus omnium favorem conciliabat.

etiam fuit, quod quicumque eum videbat, ſtatim ipſius amore capiebatur, ejuſque monita libenter recipiebat, Græci præſertim, quibus reducendis ipſius Divina eloquia & conſilia plurimum contulerunt. Benignus, affabilis, omnibus gratus, & nulli unquam ſcandalo, pius, prudens, humilis, pudicus, ſobrius, caſtus atque quietus; quarum virtutum actiones, & officia

Ejus virtutes.

ſemper ſtrenue extitit exequutus. Quod etſi nullo alio probante doceremur, ſatis ex Divinis ſuis ſcriptis liquido patet, quibus tam intenſo affectu ſingula præmiſſa proſequitur, ut niſi per aſſumptum de illis habitum, adeo ardenter illis inſiſtere non valuiſſet. Tum vero quod Alexandri de Ales præceptoris ipſius teſtimonio, mundus ab omni vitio probatus eſt, qui ejus vita & moribus probe compertis, de eo dicere ſolebat: Verus Iſraelita eſt iſte, in quo Adam non peccaſſe videtur. *Cujus Doctoris auctoritatem tanti apud Eccleſiam valuiſſe conſtat, ut de illius dictis aut ſcriptis nefas putaverint dubitare: conſummatumque omnes teſtati ſunt Divinum oraculum, per beatum*

Sancti Franciſci de eo vaticinium.

Franciſcum de illo editum: futurum eum magnum virum in Eccleſia Dei, Religionemque ſuam magna per illum ſanctitatis incrementa recepturam. Jam intelligis, Pater beatiſſime, quod & per te planius intelligebas; quis qualiſve fuerit Bonaventura, de quo agimus, cujus vita & exemplis beati Fran-

Franciſci Religio illuſtrata, & doctrina omnis terra repleta eſt. Nunc quod ſecundo loco aggredimar, pari patientia audire digneris, dum refero, quæ memoranda Omnipotens Deus in illo, & ipſius virtute in aliis monſtrare dignatus eſt. A re miranda exordior. Bonaventura adhuc in minoribus agens, demiſſæ mentis humilitate potius, quam ex injuſtitia pluribus diebus abſtinuerat a perceptione ſacratiſſimi Corporis Chriſti; veritus ne ſi illud indignus ſumeret, judicium ſibi manducaret & biberet. *Camque die quadam in Miſſa devotus adeſſet, Deus reſpiciens ad illius humilitatem, particulam conſecratæ hoſtiæ de manu celebrantis per Angelum acceptam, illius ori clementer immiſit. Reſpexit enim ad humilitatem ſervi ſui, propter quam beatus omnibus gentibus prædicatur. Rurſus, cum intenſo affectu ſtuderet, contemplando & adnotando vitam beati Franciſci, glorioſus ſanctus Thomas de Aquino, qui eadem tempeſtate meritis claruit, & Bonaventuræ magna caritate conjunctus fuit, accedens ad illius cubiculum, per foramen oſtii introſpexit, viditque illum in contemplatione raptum, & a terra mirifice ſublevatum: tum retrocedens ad ſuos:* ſinamus, *inquit*, Sanctum, qui laborat pro Sancto. *Simona Lugdunenſis beatum Bonaventuram viventem ſumma devotione proſequebatur, quæ, ſicut Domino placuit, mortuum peperit filium. Ad quam evocatus Vir ſanctus, expoſito cadavere ante illius pedes, & mater, quæ in lecto coram ingemiſcebat, & reliquæ mulieres, quæ aderant, ſancti Viri opem in ſalutem mortui deprecatæ ſunt. Tum Vir ſanctus commiſeratus, manibus atque oculis erectis in cœlum devotiſſime oravit. Mox ſigno crucis ſuper puerum facto, viventem reddidit matri. Tritum ac frequens apud Lugdunenſe Caſtrum Villanam, ac totam Provinciam, quod mulieres utero laborantes invocatus exaudit, & de periculo eximit. Joanna Lugdunenſis, octo dies continuos utero diſtenta, atque aſſiduo enixu parturiendi cruciata, deſperaverat de ſalute. Monita a mulieribus, quæ laboranti aderant, ſe Sancti precibus & ſuffragiis commendavit, certum votum pro ſalute recuperanda faciens, & ſtatim incolumis incolumem peperit. Petrus filius Joannis Ajuſſe Chaphelier, dextra tibia notabiliter claudus, ita ut quatuor menſibus ſine baculo nec ambulare, nec in veſtigiis conſiſtere poſſet, precibus, voto & orationibus in ſepulcro ipſius factis, ibidem novennam facere cœpit, & in fine ſex dierum melius habere cœpit, & infra novem dies ſalutem omnimodam recuperavit. Eadem invocatione, ſimili ægritudine liberatus filius Franciſci Maſſodii Notarii Lugdunenſis. Nobilis Miles Dominus locoram de Vincellis & de Gromellis, peſtilenti febre attritus & exinanitus erat, quem loquela, ſenſu & motu deſtitutum, extra ſalutis ſpem denunciaverat Marcus de Ferrariis nobilis Phyſicus Papienſis, qui in illo omnia mortalitatis ſigna probe compererat. Ceterum Religioſus quiſpiam aderat, frater Matulinus Biblicus Conventus ſancti Franciſci Lugdunenſis, qui commemorare cœpit, quæ mira Omnipotens Deus per invocationem dicti Sancti operaretur, & propterea illius opem in ſalutem morientis poſcendam perſuaſit. Tum votiva invocatione per cognatos & dictum Religioſum, & certo voto pro illius ſalute ad beatum Bonaventuram facto, qui moriturus videbatur, ſtatim ſentire, moveri, loqui & melius habere cœpit, & brevi ſalutem omnimodam recuperavit. Simili invocatione de graviſſimis febribus liberati ſunt frater Joannes Benedicti, Ordinis ſancti Franciſci, ſacræ paginæ Magiſter, Ludovica uxor Petri Rover, Gaſparda filia nobilis Viri Petri Carionis de Camberiaco, filius Richardi Ridani, ſoror Pinetæ, uxor Claudii, Pinolus, Antonius Cathalanus, Lanzelotus Mercurius, Stephanus Gennes Chaphelier, famulus Joannis Ajuſſe de quartana, & frater Philippus Laicerti. Franciſca, luem ſive formicam,*

Varia ejus miracula.

1. Cor. 11. 29. Angelus ei defert partem hoſtiæ conſecratæ.

S. Thomas Aquinas Bonaventuræ amicus. Dum S. Franciſci vitam ſcribit a terra ſublevatur.

Fœtum mortuũ ad vitam revocat.

Parturientes facit facile eniti.

Claudus ſanatur ad ejus ſepulcrum.

Et Febrientes.

Alii liberantur a variis morbis.

In collo patiebatur, cujus ignis ſenſim in reliquam corporis partem ſe prorogabat, & teneras puellæ carnes miſere urebat atque vorabat: ſuper quom dolens Gilbertus Alerii infelix pater, ad venerabile ſepulcrum ſancti Bonaventuræ ſe contulit, illiuſque opem & ſuffragia in ſalutem filiæ devotiſſime invocavit, ac certum votum in hoc fecit. Mox domum reverſus, extincto igne, ſanam & liberam miraculoſe invenit.

Cæci vident.

Stephaneta relicta Joannis Michaelis, caſu trabis oculo percuſſa, graves dolores incurrit, & in periculum perdendi oculam deducta fuit: commendavit ſe beato Bonaventuræ, atque ad illius ſepulcrum virguneulam filiam cum cerea imagine oculorum miſit. Quæ reverſa doloribus liberata eſt, & brevi integram oculorum ſoſpitatem recuperavit. In qua & illud notabilius, quod cum Lugdunum perveniſſet Religioſus quiſpiam Prædicator Verbi Dei, indixiſſetque populo, quod quicumque ſciret aliquid de miraculis beati Bonaventuræ, ſibi revelare deberet; eadem Stephaneta, quæ in oculorum ſuorum ſalutem etiam invocaverat auxilia glorioſæ Virginis Mariæ, perplexa cujus benificio ſoſpitatem oculorum conſecuta fuerat, aliquandiu detrectavit quidquam Prædicatori referre. Tum in graviorem oculorum ægritudinem incidit, mittenſque etiam filiam denuo, ut antea fecerat, ad idem ſepulcrum, & facta oratione & voto, miraculoſe extitit liberata. Tum ſuum reatum agnoſcens, ad eumdem Prædicatorem acceſſit, & rerum ſeriem omnimodam revelavit. Simili invocatione de doloribus & periculo oculorum liberati fuerunt Dionyſius de Forreſta mercator, Claudia de Piſcaria, Claudius Poleti Corduernis, Margarita uxor Joannis Petit textoris, Joannis Adjuſſæ filius.

Paralytici ſanantur.

Joannes Adjuſſe Chapbelier dira paralyſi repente percuſſus, amiſſis ſenſibus, & media ſui corporis inferiori parte, hebes factus cecidit: cujus caſum dolens pater, flexis genibus commendavit illum beato Bonaventuræ, & ſtatim qui ceciderat, ſentire, loqui & melius habere cœpit. Tunc imponentes eum lecticæ pater, mater & Petrus alter filius detulerunt eumdem ad Sancti ſepulcrum, quem ibidem ſiſtentes, flexis genibus invocaverunt beatum Bonaventuram, & factis certis orationibus & voto, ſanum ac liberum reduxerunt domum. Eadem invocatione de ſimili ægritudine liberati, Franciſcus Davegnier, alias Rovillon, Guillemus de Bietena textor, Catarina de Bauline, Joanna relicta Petri Rolini, Margarita relicta Joannis de Vaux aurigæ.

Capitis & renū dolores pelluntur.

Illuſtris Dux Aurelianenſis a potenti magnæ Britanniæ ſive Angliæ Rege captivus detinebatur, ubi veterem quartanam paſſus, intenſos capitis & renum dolores incurrit: deſtitutus omni auxilio, opem beati Bonaventuræ devotiſſime invocavit, in illius ſuffragiis devotiſſime ſperans: ſtatim miraculoſe doloribus & ægritudinibus liberatus, in Gallias infra annum extitit reſtitutus. Mox Lugdunum petens viſitavit venerabile Sancti ſepulcrum, & oblationibus factis, gratias Deo & Sancto pro acceptis beneficiis egit: & quæ per illius invocationem fuerat conſecutus, Religioſis dicti Conventus manifeſtavit.

Leproſa mundatur.

Laqueda uxor Nicolai Clineti Lugdunenſis, horrenda lepra reſperſa atque infecta, ſuis vitabilis, jam diutius detrectare non poterat, quin relicto lare, cognatis & urbe, miſerabili conſortio leproſorum ſe redderet. Quæ cum ſemper nomen beati Bonaventuræ devote coluiſſet, ad illius ſepulcrum procubuit, intenſius precata, ut miſereretur ſortis ſuæ, devote oblatione ac voto factis, mundari atque a lepra liberari obtinuit:

Equi calce ictus graviter perſanatur.

Michael de Chel, alias de Gennes, in cujus latus dextrum equus vehementi ictu validum calcem detorſerat atque impegerat, ita ut duabus coſtis pene attritis, cum magno anhelitus impedimento, tres menſes languidus jacuerit, variiſque fomentis, delinimentis ac cataplaſmatibus fruſtra adhibitis, deſperata ſalute commendavit ſe beato Bonaventuræ, & certo voto in illius honorem facto,

de

de periculo exemptus, & ſaluti extitit reſtitutus. Simili invocatione liberatus etiam de dolore coſtarum Joannes Michaelis de Cheval, ſerviens Curiæ Lugdunenſi, & eadem Margarita Joannis Petit, quæ de celſiori ædium parte delapſa deciderat.

Hydropſ propulſatur.

Joannes Garboti regius Secretarius, uxorem perpetuo languore habuit tabidam, ſive hydropicam, & nullo medico juvamine curare poterat. Acceſsit ad venerabile Sancti ſepulcrum, ſalutem conjugis imo communem, illi reverenter commendans, & facto certo voto in honorem Sancti, ſanam & liberam domum reverſus extitit conſecutus.

Marcida tibia conſolidatur.

Joannes Duſolier Mareſcallus Lugdunenſis, putri ac marcida tibia, quatuor menſes languidus jacuit; cumque cruciabiles dolores diutius perpeti non valeret, in ſola tibiæ amputatione ſpem conjecerat. Nocte forte per quietem monitus, commendavit ſe beato Bonaventuræ, atque uxorem cum cerea imagine tibiæ ad illius ſepulcrum devotiſſime miſit. Qua reverſa, doloribus penitus exemptus eſt, & ſalutem omnimodam brevi recuperavit.

Molendinum ſubmerſum reſtituitur.

Petrus Moyer ligneum molendinum habebat in flumine Rhodano, qui affluenti aquarum colluvione elatus & auctus, molendinum ipſum, valida alioquin catena retentum, violentior rapuit, & in ſe voravit. Quo conſpecto, idem Petrus, qui ſemper coluerat beatum Bonaventuram, ad illius ſepulcrum confugit, ac procumbens reverenter precatus eſt, ut a ſui devoto calamitoſam jacturam averteret. Mox egreſſus, inconcuſſum molendinum ad alteram Rhodani ripam in littore ejectum & miraculoſe reſtitutum conſpexit & recuperavit.

Morienti reverentiam ingerit ſacræ Euchariſtiæ.

Stephaneta mater prædicti Franciſci Davegnier, alias de Rovillon de Squilincia, in extremis laborabat, quæ allatum Dominicum corpus nec agnoſcere nec recipere potuit: quod ægerrime ferens Franciſcus filius, qui probe noſcebat matrem magna devotione beatum Bonaventuram ſemper coluiſſe, ad illius venerabile ſepulcrum confugit, devotiſſime precatus, ne ſuſtineret ſui devotam ſine ſalutis Viatico vita decedere. Domum reverſus, fideliſſime ſperans in beato Bonaventura, corpus Dominicum iterum afferri curavit, quod ſtatim agnitum mater reverenter recepit.

Res amiſſas reſtituit.

Venerabilis Religioſus frater Benedictus de Lulino, Ordinis ſancti Antonii Viennenſis, Procurator domus ſancti Antonii Lugdunenſis, cenſuales libros domus amiſerat, quos multa adhibita diligentia reperire non valuit, cum magno ſcandalo & detrimento domus. Acceſſit ad venerabile ſepulcrum beati Bonaventuræ, & ibidem accenſis candelis commendavit ſe eidem, & domum reverſus libros meruit invenire. Pari invocatione Richardus Ridani mercator, amiſſa inſtrumenta probatoria, & alias res apothecæ valuit invenire. Itidem & frater Petrus Fabri, res ad ſui uſum deputatas amiſſas.

Podagroſi curantur.

Margarita Gruellæ, uxor Hugonis Franciſci Burgundi Calzetarii, habitatoris Lugdunenſis, intenſo podagræ dolore cruciabatur: Quæ cum probe noſſet medicam artem in hoc parum valere, confugit ad invocationem ſuffragiorum beati Bonaventuræ, virgunculamque filiam cum cerea pedis imagine ad illius ſepulcrum reverenter miſit, & ſtatim podagra extitit liberata, nec illa unquam de cetero gravata fuit. Eadem invocatione liberata Catarina uxor Joannis textoris de Hiſpania, & filius Magiſtri Franciſci Maſſedii Notarii.

Item hernioſi.

Margarita uxor Benedicti Garrini, filium habuit in inguinibus ruptum, ac viſceribus miſere putreſcentem, qui medica manu ſectus, in deteriorem ſtatum ac certum mortis periculum deductus fuit: quod ingemiſcens mater, quæ ſpecialius beatum Bonaventuram venerabatur, ad illius ſepulcrum reverenter confugit; ibidem quam devotiſſime precata eſt, ut ſuæ orbitatis misereretur, novennamque in illius honorem facere cœpit, & octava die ſanum ac liberum conſequi meruit. Petrus Morget dolium vino plenum in cellarium inferens, illius oneri impar preſſus ſuccubuit, & illo ſuper eum incumbente quaſ-

ſa-

Digitized by Google

Quaſſati & contriti ſanantur.

ſatus fuit ac pene contritus : commendavit ſe beato Bonaventuræ, & ſalutem conſequi meruit. Simili invocatione liberata illius cognata, quæ caſu ſpatulam & brachium enormiter læſerat. Sunt prætcrea & alii innumeri, qui meritis ejuſdem Sancti de variis doloribus, ægritudinibus ac periculis miraculoſe liberari meruerunt : quorum ſingulos ſi recenſere pergam, præſenti operi detrimento potius quam uſui aut favori indubie futurus ero. Hoc tamen loco non committam, ut ſilentio tranſeam ſtupendum ac memorabile quiddam, quod Omnipotens Deus ad perhibendum certum teſtimonium ſanctitatis Viri, in illius venerabili corpore, pro ſua clementia monſtrare dignatus eſt. Dum idem venerabile corpus transferretur ad novam Eccleſiam ad titulum ſancti Franciſci, Lugduni erectam, centeſimo & ſexageſimo ſui obitus anno, reliqua corporis parte alioqui exeſa atque corroſa, caput tamen ſolidum, capillamentum hærens, labia, dentes & lingua in nullo a vitali ſtatu aut colore demutata, reperta ſunt. Erat profecto Divinæ clementiæ illud os a putrefactione ſervare, quod ad ſalutem fidelium, atque in Divinis laudibus ſemper extitit operoſum, nec dare Sanctum ſuum videre corruptionem. Extant præterea crebra & memoranda beneficia, quæ frequenter concives Balneoregii, & Urbevetani, per invocationem ejuſdem Sancti meruerunt obtinere : de quibus tam multis, vel unum aut porro duo recenſere non piget. Laodomia Urbevetana filiarum ſarcina oneraverat domum, ac proinde Franciſco Matthæi Nebie viro quodammodo inviſa, qui rei familiaris anguſtia, impar ſarcinæ, matrimonio abſtinebat, de quo nonniſi fœminas compererat proficiſci. Eos conjuges conſolatus venerabilis Religioſus Minorum, Magiſter Franciſcus de Aquapendente, qui illis admodum cultor erat, affirmavit ſe habere documenta ex inſtitutis D. Bonaventuræ, quæ ſi moniti ſuſciperent, maſculinam prolem conſequerentur. Auſcultantibus : Una mecum, inquit, votivas effundite preces ad glorioſum Bonaventuram, & pie ſperetis aſſequi quod optatis. Qui parentes monitis, pauculis diebus gignendæ proli operam indulſerunt, & uxor gravida facta eſt, & ſtatuto menſe peperit maſculum, cui nomen ex inſtituto ejuſdem Religioſi, Bonaventuræ impoſuerunt, laudantes Deum & Sanctum, in cujus virtute mirabilia ſecum operatus eſt. Triennio poſt, dum ea Civitas Epidemiæ morbo atque internecinio graviter affligeretur, domus omnis conjugum eo veneno reſperſa eſt, & filiabus omnibus extinctis, Bonaventura extra ſpem ſalutis conſtitutus, credebatur pari mortalitate jamjam ſorores ſecuturus. Qui etiam immundorum ſpirituum præſentanea inſtantia vexatus, nulla domus parte illorum perſecutionem effugere poterat, clamitans infelix : Succurrite : gladio, & fuſte hos ſpiritus maligniores fugate. Parentibus præ talium afflictione & mæſtitia conſternatis, atque omni prorſus remedio deſtitutis ſubiit Sancti recordatio, cujus munere filium fuerant conſecuti : mox in ſpem adducti, illum hac prece precati ſunt : Sancteglorioſiſſime, qui benignus nobis hunc filium procuraſti, eadem benignitate præſtes, ut fugatis malignis ſpiritibus, a peſte ſalvum retineamus. Et prece facta, ſpiritus extorres excluſi, febris ceſſavit, & brevi puer omnino ab ægritudine ſalvus ſurrexit, cum magna parentum & omnium civium lætitia, gaudentium quod ad ſuperandas morborum & ſpirituum malignitates, defenſoris tam validi præſidio cognoſcerent ſe munitos. Poſſem forte ineptus videri, ſi ſtudens cœpto proſequar diem abſumere, recenſendo miracula : quorum relationi nec diem, nec certe dies ſufficere ſatis ſcio. Sed quid ulterius exquirimus miracula ? quaſi vero Baſilium Magnum, Hieronymum & Auguſtinum, noſtræ fidei lucida ſidera, Thomam Aquinatem, & alios quamplures, quos in Dei Eccleſia Sanctos colimus, ob miracula, non au-

Caput ejus integrum repertum poſt annos centum ſexaginta.

Maſcula proles ejus precibus impetratur.

Eadem & a dæmone defenſa, & a peſte liberatur.

Sanctitatem amplius ejus comprobat doctrina.

autem ex Divinitate doctrinæ miremur & veneremur: quos tamen ſanctitatis teſtimonium, non ex alio certius conſecutos probe intelligimus, quam ex eorum commentariis, quæ, at Divinitatis plena, nonniſi per infuſam ſcientiam poteront edidiſſe, ex quibus Spiritum ſanctum in eis habitaſſe verius comprobatur. At ſi porro miracula exigimus, non tam quæ per illum in aliis, quam quæ in eo ipſo apparuerint, conſideremus. Si igitur divum Bonaventuram in ſuis operibus miraculoſum jam conſtat; ſi infuſam dono ſancti Spiritus obtinuiſſe ſcientiam, Divina illius commentaria profitentur; ſi caritatis officia ardentius executum, mundanos honores contempſiſſe, affectus terrenorum abjeciſſe, in perſecutionibus conſtantem permanſiſſe, in beati Franciſci ac univerſali Religione fructuoſum extitiſſe; ſi ſuperna vocatione, ut Paulum, in ſortem Domini miraculoſe converſum; ſi Divino beati Franciſci præſagio ſanctum prædicatum; ſi Alexandri de Ales Doctoris irrefragabilis ipſius præceptoris ſedula obſervatione ſanctum compertum ac judicatum; ſi religioſorum Minorum voto, qui ſanctitate pollebant, ut ſanctior ſummus Prælatus aſſumptus; ſi Romanæ Sedis judicio, ut clarus meritis ad univerſalis Eccleſiæ regimen profuturus accitus; ſi denique communi omnium opinione fidelium, ſanctus tenetur & nominatur & colitur; ſi benignus ſuccurrit quotidie invocantibus ſe; poterat Sanctitas tua, etiam nullo petente, ſancto, quod unum deerat, publicos honores decernere, quanto magis id debes celſorum Principum votis? Accedunt pientiſſimæ preces Sereniſſimorum ac Clariſſimorum Friderici Romanorum Regis ſemper Auguſti, Ludovici Francorum Chriſtianiſſimi, Ferdinandi Siciliæ, & etiam Matthiæ Hungariæ Regum Catholicorum: qui cum de republica Chriſtiana bene mereri ſueti ſint, digni certe videri debent, qui a Sanctitate tua tam ſanctam rem impetrent. Rogant præterea illuſtres Duces ac populi, ac loco maximi muneris hoc petunt, Calabriæ, Venetiarum, Mediolani, Sabaudiæ, & Duciſſæ Calabriæ & Borbonii, Florentini, Senenſes, Peruſini, Lugdunenſes, & Civitas Balneoregii, quæ licet humilis ſit, tamen clariſſima & Deo gratiſſima videri debet, cui contigit tantum filius producere. Rogat præterea iſtius Ordinis Reverendiſſimorum Patrum Joannes de Arragonia ejuſdem Sereniſſimi Regis Ferdinandi Illuſtris proles, quæ ſanctos, qui in eo Ordine claruerunt, religioſius veneratur & colit. Exigit denique ſuo jure beati Franciſci ſancta Religio, cujus alumnus, vel juſta petenti deeſſe non potes. Exigit & ipſe Sanctus, ex promiſſione Omnipotentis Dei nomine facta ſtrenue militantibus: quod illorum laudes cantet Eccleſia, cui obligationi ipſius Vicarius ſatisfacias neceſſe eſt. Tam multis igitur vinculis obligatum, nullus judex quamlibet favorabilis, niſi ſolventem ſolvere poſſet: Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris, Et te defendat Servius * ipſe licet: Non potes abſolvi. Comperto, præter ea quæ dixi, ſingulari ſtudio, quod prænoſcendis vitæ & miraculis Sancti, exactiſſimum indulſerunt Reverendiſſimi Patres, Julianus de Rovere ſancti Petri ad Vincula Ordinis ejuſdem meritus Protector, Stephanus Mediolanenſis, & Franciſcus de Gonzaga Mantuanus, tuæ Sanctitatis in hoc Commiſſarii; Mediolanenſis præſertim, quem contra adverſam valetudinem, aeri inſtantia colluctantem, a ſancto propoſito, nec propriæ ſalutis ratio valuit retardare: qui etiam Reverendiſſimi Patres illecti ſtudio compertæ ſanctitatis viri, id inſtantiſſime poſcunt. Quid igitur tua Sanctitas ulterius differt? quid cunctatur? quid alterius gloriæ id prorogat? Multa certe extant celebria tua geſta, quæ te ac tuos illuſtrant, atque perpetuo illuſtrabunt: nil tamen ſic æque Romano Pontifici glorioſum, meo captu, contingere poſſe crediderim, quam ut ſancto pro meritis publicam celebritatem decernat. Quam & tu Pa-

Epilogus virtutum.

Multi Principes petunt ut canonizetur.

Eccli. 44. 1.

Martial. lib. 4. epigr. 16.

* Regulus.

Rogatur Sixtus ut ad canonizationẽ procedat.

Pater Beatiſſime, qui omni jure neceſſitudinis beato Bonaventuræ conjunctus, auctoritate Omnipotentis Dei, quem Semideus mortalibus in terris refers, ſupplicantibus concedere pro tua clementia benigne digneris.

IV. Finita hac oratione, de qua eſt quod moneam deſumptas eſſe lectiones quæ in Officio ſancti Bonaventuræ apud Minores recitantur, ventum eſt ad ſuffragia, & poſtremo poſt aliqualem diſcrepantiam, tamdem communi omnium concordia decretum eſt, ut Vir Dei in ſanctorum numerum referretur. Die Dominico, qui erat octava Paſchatis, ſumma ſolemnitate, & conſeſſus majeſtate, rogante & inſtante fratre Petro de Rodulphis de Viglevano, Procuratore Generali Ordinis Minorum, & proteſtante de juſtitia nomine Imperatoris, Regum, Principum & urbium multarum, ut juxta ſententias Purpuratorum Patrum, & conſiſtorialia decreta vir ſanctus canonizaretur, demum adſcriptus eſt cathalogo Sanctorum. Bullam exhibeo canonizationis, cui ejuſdem Pontificis litteras ad Capitulum Minorum hujus ſolemnitatis enunciativas, ſubjungo.

Petrus de Rodulphis Ordinis Procurator.

Tandem canonizatur.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pſal. 121. 3. Gaudia magna a meritis Sanctorum. Iſai. 12. 6.

S*Uperna cæleſtis patria Civitas Jeruſalem*, cujus participatio ejus in idipſum, *ita omnium electorum ſalvatione lætatur, ut quorum præſtantiora ſunt merita, copioſiora etiam ſumant gaudia præmiorum: quod in exceſſu mentis ſuæ poſitus Iſaias Propheta, ſenſiſſe videtur cum diceret*: Exulta & lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui ſanctus. *Exultent igitur omnium Angelorum chori, qui de vacuarum ſedium habitatione ſolliciti, conantur* de virtute in virtutem, *ad beatas illas manſiones, unde ſuperbi ruerunt ſpiritus, humilitate perducere. Exultent quoque omnes animæ juſtorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, atque omnes tam veteris, quam novi teſtamenti fideles, amici Dei, qui, contemptis hujus ſeculi vanitatibus, concivium numeroſitate congaudent. Exultet cælum laudibus, reſultet terra gaudiis, quoniam* Sanctorum editio lætitiam habet plurimorum. *Valde enim pietas fidei exigit, ut quod pro ſalute multorum geritur, communibus ubique gaudiis celebretur. Præcipue vero exultet Pontificum cætus Beatorum, & ſacra Doctorum concio, qui* fulgent in cœlo tamquam ſtellæ in perpetuas æternitates: *quos inter, dum ſanctus Bonaventura tamquam novum ſidus, ex hac lacrymarum valle ad cæleſtem, quæ* ſurſum eſt Jeruſalem, *vocante eum Domino migraret, emicuit. Nos autem qui, diſponente Altiſſimo, ad culmen Apoſtolatus evecti, Chriſtiani gregis curam gerimus, quem pro debito paſtoralis officii, jucundo Sanctorum collegio conformare, ut debemus, intenſis deſideriis affectamus; Eccleſiæ militanti (pro cujus ædificatione & incremento ipſum Bonaventuram in catalogo Sanctorum referendum duximus) haud incongrue dicere poſſumus*: Exulta hodie & lauda habitatio Syon, *ideſt, Chriſtiana Religio, in qua tamquam in Monte Syon, per veram fidem habitat verus Deus*, quoniam magnus in medio tui ſanctus. *Quippe*, in medio Eccleſiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, & ſtolam gloriæ induit eum, & coronavit ad portas paradiſi, *in qua una cum Angelis gloria & felicitate lætatur. Lætemur itaque & exultemus, quia cæleſtis illa Curia ex nobis habet, cui ſit cura de nobis, qui ſuis nos protegat*

Pſal. 83. 8.

Ambr. lib. 2. in Luc.

Daniel. 12. 3.

Galat. 4. 26.

Iſai. 12. 6.

Eccli. 15. 5.

Habet cælum e nobis, quibus cura de nobis.

tegat meritis, quos informavit exemplis, illuminavit doctrinis, & miraculis confirmavit; quem Deus dedit cunctis populis in gloriam & honorem, cujus memoria in benedictione eſt. Ea namque de Divinis rebus ſcripſit, ut in eo Spiritus ſanctus locutus videatur; ita pie, religioſe & ſancte vixit, ut ſcriptis vita congrueret, & quod ſcribebat doceret exemplo: in quo morum virtus, & ſignorum claritas ita comperta eſt, ut congruentibus maximis meritis & miraculis, veræ ſanctitatis teſtimonium a militante Eccleſia debeatur eidem. Nam cum in flore virente juventutis, humanis abjectis illecebris, Divino ſe addixiſſet ſervitio, Religionem beati Franciſci, quæ per ardua tendit, ingreſſus, tantum ſedula lectione & aſſidua oratione profecit, ut cum ſapiente merito dicere poſſet: optavi & datus eſt mihi ſenſus. *Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem ſenſum, qui* lux, via, veritas eſt, & vita, *paucorum annorum ſpatio, incredibilem eſt ſcientiam conſecutus. Nec talentum ſibi a Domino creditum ſudario inligavit, & terræ infodit, ſed ut ſapientiſſimus diſpenſator, in communem utilitatem convertit. In celebri enim Pariſienſi Gymnaſio Cathedram rexit: ubi abſcondita ſcripturarum enucleans, non ſolum viva voce profuit multis, ſed etiam plurima librorum optimorum tum in ſacris litteris, tum in majoribus ſcientiis monumenta reliquit, quæ eſſent omni tempore poſteris profutura. Magnus doctrina, non minor humilitate & vitæ meritis, quem Alexander de Ales Doctor clariſſimus, cui ſe in diſciplinam ſanctus Bonaventura tradiderat, tantæ innocentiæ, ac columbinæ ſimplicitatis expertus eſt eſſe, ut dicere ſolitus fuerit, ſibi videri, quod in eo Adam numquam peccaſſet. Magnus etiam in Ordine Fratrum Minorum, cui unus omnium poſt beatum Franciſcum plurimum profuit: ad ejus enim gubernacula vocatus, & Generalis Miniſter, Domino inſpirante, creatus, talem ſe ſuis præbuit ſubditis, ut in illo Dominicum illud verbum videretur impletum:* Qui major eſt veſtrum, ſit Miniſter veſter. *Nam ſapientia & morum integritate major, prælationis officium cum tanta exercuit caritate, ut ſponte humilis, nunc doctrina, nunc monitionibus, nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali ſervitio ſatagebat, ut bonus Chriſti miles, inferioribus miniſtrare. Nec ſolum quæ ab ipſo beato Franciſco pie & ſancte fuerant inſtituta, diligentiſſime cuſtodivit, ſed multa etiam adinventa, quæ, creſcente Fratrum numero, neceſſaria videbantur, adjecit; Ordinem quoque ipſum in Provincias Cuſtodiaſque diviſit. Magnus etiam dignitate in Romana Eccleſia fuit. Increbreſcente enim fama innocentiæ, doctrinæ, ac prudentiæ ejus, a fel. record. Gregorio Papa X. prædeceſſore noſtro, ad Cardinalatus vocatus eſt honorem, ut ejus opera, in maximis difficillimiſque rebus, quæ temporibus illis inciderant, uteretur. In quem Gregorius ipſe ob ingentia viri merita, novo eſt uſus exemplo. Statim enim illi Albanenſem commiſit Eccleſiam, quæ nonniſi vetuſtioribus Cardinalibus ſolet committi. Non fefellit expectationem ſummi Pontificis ac ſacri Senatus optimus Deoque amiciſſimus vir: ſed in Concilio Lugdunenſi præſidens, omniaque ad Dei laudem dirigens, ſedatis diſcordiis, difficultatibuſque ſublatis, ipſi Eccleſiæ maximo uſui fuit & ornamento: quibus rebus aperte cognoſcitur, quod* Statuit illi Dominus teſtamentum pacis, & Principem fecit eum; ut ſit illi ſacerdotii dignitas in æternum. *Quem inanis gloria non inflavit, non divitiæ ſiniſtrorſum egerunt, ſed in fide lenitateque perſeverans, pius in Deum, in pauperes miſericos, juſtus in omnes, ita hoc corruptibile corpus exuit, ut cum Apoſtolo dicere poſſet:* Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ. *Qui etſi ex ſola perſeverantia poterat Sanctus credi, juxta illud:* Eſto fidelis uſque ad

Bonaventura docte ſcripſit, & ſancte vixit. Breviarium ejus vitæ.

Sap. 7. 7.

Joann. 14. 6.

Multa præſtitit in Ordine Minorum.

Luc. 22. 26.

Et in Eccleſiæ Romanæ obſequiũ.

Eccl. 45. 30.

2. *Timot.* 4. 7.

Apoc. 2. 22.

Digitized by Google

ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Subjecuta ſunt tamen poſt vitam multa maximaque miracula, quæ certum ſanctitatis ejus præbent indicium, & nos ad ipſius venerationem inducunt, quem Deus, meritis præcedentibus, venerandum oſtendit. Ipſe enim Deus Omnipotens, ut ſuæ virtutis potentiam*

Signis & prodigiis Fides confirmatur.

manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam pandat, fideles electos ſuos, quos coronat in cœlis, ſæpe etiam honorat in mundo, ad eorum memorias ſigna faciens & prodigia, quo hæretica pravitas confundatur, & fides orthodoxa ſervetur. Agimus igitur ipſi Deo quantas poſſumus gratias, quod nos dignos duxerit, per quos hæc canonizatio celebraretur: quæ licet, Divinis litterarum monimentis exſtantibus coruſcantibuſque miraculis, jam pridem potuerit rite fieri, numquam tamen antehac vel a Principibus, vel ab aliis tanta diligentia fuit petita. Noſtro tempore cariſſimi in Chriſto filii noſtri, Fridericus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ludovicus Francorum Chriſtianiſſimus,

Reges & Principes petunt ut canonizetur S. Bonaventura.

Ferdinandus Siciliæ, & Matthias Hungariæ Reges Illuſtres, dilecti quoque filii, nobiles viri Alphonſus Calabriæ, Joannes Monzenico Venetiarum, Joannes Haleam Mediolani, & Joannes Borbon, Duces inſignes; prætere a Civitates Florentinorum, Senenſium, Lugdunenſium, Peruſium, &, quæ tale jubar talit, Balneoregiam, tanto ſtudio tantaque perſeverantia petierant a Nobis, ut durum & impium putaremus, eis in re tam pia reſiſtere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Acceſſerunt aſſiduæ venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Juliani Sabinenſis, ipſius Ordinis Protectoris, dilectorum quoque filiorum Franciſci Samſonis Generalis Miniſtri, & Petri de Rodulphis Procuratoris dicti Ordinis, ſacræ Theologiæ Profeſſoris preces: qui nomine Generalis eorum Capituli, id tamquam juſtum & debitum repoſcebant. Legeramus ſtudioſiſſime Sancti hujus Divina ſcripta, quibus, poſtquam per ætatem aliquid ſapere licuit, ſemper fuimus delectati. Audiveramus quoque ab antiquioribus præfatæ Religionis Fratribus, & gravibus quidem viris, qui & ipſi a majoribus natu acceperant, de ſanctimonia vitæ ejus; conſtantem famam eſſe ſciebamus, de multis maximiſque miraculis: nec erat præterea apud nos dubium, quin in triumphante Eccleſia triumpharet in cœlo, & venerationem mereretur in terris. Sed memores, Nos eumdem Minorum Or-

SixtusIV. ex voto factus Minorita.

dinem ex voto ingreſſos, in quo, Divina aſſiſtente gratia, in ſacris litteris & religioſis moribus utcumque profecimus, eademque Miniſteriatus officia exercuimus, atque inde ad Cardinalatus dignitatem, ita ut per conſimiles gradus ad Pontificatus culmen ſublevatos Nos fuiſſe, diſponente Domino, cognoſcamus, per quos ipſe Bonaventura ſanctus ad triumphantis Eccleſiæ immarceſcibilem gloriam evectus eſt; ne ad id videremur potius adfectione propria, quam debita devotione moveri, eam adhibuimus diligentiam ac gravitatem, quam rei magnitudo poſcebat. Commiſimus enim tribus ex Venerabi-

Quanta cura examinata ejus miracula.

libus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ut de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque unus ex eis, inchoato proceſſu, ut Deo placuit, ab hac luce migraſſet, alium in locum defuncti ſubrogavimus Cardinalem; quo etiam decedente, alium ſubſtituimus. Nec his contenti, cum jam proceſſus ipſe pene perfectus eſſet, & hi qui delegati erant, fideliſſime retuliſſent; tamen quia non videbatur in procedendo tanta quanta requiritur obſervata ſolemnitas, illum reiterari juſſimus. Demum cum ex uberiori relatione & fide dignorum teſtium ſuper hoc receptione compertum fuiſſet, multa & magna a Deo per ipſum Sanctum miracula fieri, quæ in conſpectu multitudinis cernebantur: Nos ne Spiritui ſancto reſiſtere videremur, qui per os Prophetæ

Pſalm. 150. 1.

Laudare Deum in Sanctis ſuis jubet; *in Conſiſtorio noſtro ſecreto, hujus rei cauſa habito, eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardina-*

nallum votu ſuper hujuſmodi canonizatione ſumus ſcrutati; eumque omnium una eademque fuiſſet ſententia, ut in Sanctorum numerum referri deberet, Conſiſtorium publicum deinde habuimus, in quo, magna multitudine adſtante, in triduum orationes jejuniaque indiximus, ut Deus Omnipotens Nobis, quod factu optimum in hac re eſſet, oſtendere dignaretur; nec pateretur Eccleſiam ſuam militantem errare, quæ ſe triumphanti conformare ſtuderet. Triduo deinde elapſo, omnes, qui in Romana Curia erant, Prælatos juſſimus convenire, qai ad unum interrogati, quid faciendum videretur, in eamdem ſententiam convenerunt, beatumque Bonaventuram canonizandum cenſuerunt. Nos ergo Dei nutum & voluntatem ſequentes, attendenteſque juſtam ac debitum eſſe, ut quos Deus honorat in cælis, Nos venerationis officio laudemus & glorificemas in terris, eum ipſe potius laudetur & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis & glorioſus in ſecula; hunc diem canonizotionis ipſius ſancti Bonaventuræ, in medio Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, quo maxima omnis generis ordiniſque multitudo confluxerat, celebrandum ſtatuimus. Ibi reliquis omnibus legitime peractis, prædicti Ordinis Minorum Procurator in medio ſtans, dictum illud beati Joannis Apoſtoli clara voce proponens, videlicet: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, 1. Joan. 5. 7.
Verbum, & Spiritus ſanctus; *probavit etiam, habito ſuper præmiſſis proceſſu, ipſas beatiſſimæ Trinitatis perſcnas teſtimonium, quod beatus Bonaventura in cælo ſit, præſtitiſſe. Patrem ſcilicet, in miraculorum potentia, Filium in doctrinæ ſapientia, & Spiritum ſanctum vitæ ipſius bonitate. Et propterea non ſolum nominibus omnium, qui hanc ipſam canonizationem fieri supplicarunt, ſed etiam ex parte individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut ipſum beatum Bonaventuram ſanctum pronunciare dignaremur, inſtanter, inſtantius, inſtantiſſime requiſivit. Confidentes igitur, quod in hac canonizatione non permittet Nos Deus errare, qai omnia in ea quomodolibet requiſita, etiam ſuperabundanter obſervari fecimus & obſervavimus, de eorumdem Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Prælatorum in Romana Curia exiſtentium, unanimi conſenſu & maturo conſilio, de Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, beatæ memoriæ Bonaventuram Balneoregienſem, ſacræ Theologiæ profeſſorem, ex gremio ſacri Ordinis Minorum, & ex officio Generalatus in Epiſcopum Cardinalem aſſumptum, Sanctum eſſe, ac aliorum Sanctorum Dei cathalogo adſcribendum, adjiciendum & aggregandum fore,* Sanctis connumeratur.
ac fideliter firmiterque teneri debere decernimus, ipſumque ſanctorum Confeſſorum Pontificum & Doctorum, quos ſancta Dei veneratur Eccleſia, conſortio ſolemniter inpræſentiarum adſcribimus, aggregamuſque per præſentes: ſtatuentes etiam & mandantes Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis dictorum, ac Patriarcharum, Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiaram Capitulis, & quorumvis Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium profeſſoribus, necnon quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis, ut feſtam ipſius ſancti Bonaventuræ ſecunda Dominica menſis Julii, ſingulis annis ſolemniter & devote celebrent, Divinum officium veluti pro uno Confeſſore Pontifice & Doctore tam publice, Anniverſaria ejus ſolemnitas celebranda.
quam privatim, prout contigerit, perſolventes: dilectis vero filiis Fratribus prædictis Minorum Ordinis, quatenus hujuſmodi officium ſub feſto duplici & octava, eo modo quo aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare feſta & octavas conſueverunt, celebrandi concedimus facultatem. Inſuper eadem auctoritate, omnibus vere pænitentibus & confeſſis, qui eadem Dominica Eccleſiam, in qua ſanctum ejus corpus requieſcit, devoce viſitaverint, annuatim

Indulgentiæ devotis conceduntur.

ſeptem annos & totidem guadragenas; his vero, qui aliis temporibus in ſingulis diebus Dominicis, centum dies; illis autem qui Eccleſias Fratrum Minorum ubilibet conſtitutas tam ipſa die feſti, quam in octava, Divinis officiis interfuerint, conſimiles indulgentias & peccatorum remiſſiones, quæ in ſinlis aliorum ejuſdem Ordinis Sanctorum feſtis, ex indultis Apoſtolicis generaliter promulgatis Romani Pontifices conceſſerunt, de injunctis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus & elargimur. Conſiderantes præterea, quanta ab hoc ipſo S. Bonaventura, ratione ſcientiæ & ſanctitatis vitæ, Epiſcopaliſque & Cardineæ dignitatis, S. R. E. ſuſceperit incrementa, quantamque idem Sanctus cum beato Thoma de Aquino, coætaneo, condiſcipulo, & commagiſtro ſuo, familiaritatem & ſpiritualem conjunctionem in hac vita ſervaverit; ut quos in hoc ſeculo fraterna junxit caritas, & eadem in cœlo præmia conſecutos credimus, præſens Eccleſia pari veneretur honore: prædictum feſtum inter ſacri Palatii Apoſtolici adſumentes adnumerantesque, eamdem indulgentiam in feſto prædicto, in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum de Urbe, quæ in feſto ſancti Thomæ de Aquino, in Eccleſia beatæ Mariæ Virginis de Urbe, Minerva vulgariter nuncupata, habetur, concedimus: paritérque decernimus, Fratres Minores in alma Univerſitate Pariſienſi, eiſdem privilegiis poſſe ac debere uti & gaudere, ob ipſius ſancti Bonaventuræ merita, quibus ex Apoſtolicis indultis Fratres Prædicatores in eadem Univerſitate, intuitu & gratia ejuſdem ſancti Thomæ potiri & gaudere conſueverunt, & gaudent, aut potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum. Quocirca omnes & ſingulos in dignitate conſtitutos requirimus & monemus, quatenus univerſis Clericis & populis ſuarum Civitatum, Diœceſum & Parochiarum, præſentes noſtras litteras ſolemniter publicantes, eoſdem hortentur, ut Deum ipſum, a quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur, ut ipſius ſancti Doctoris & Confeſſoris Bonaventuræ meritis & precibus exoratus, militantem Eccleſiam, Apoſtolicam Sedem, & cunctos Chriſtifideles, a paganorum & aliorum infidelium & hæreticorum tueatur incurſibus, & a periculis cunctis ſemper protegat ac defendat, & illam, quam nobis mundus dare non poteſt pacem, hoſtium omnium ſublata formidine, firma cum tranquillitate concedat; utque poſt hujus vitæ militiam, depoſitumque paſtoralis officii miniſterium, una cum grege nobis credito ad ſempiterna tamdem gaudia pervenire mereamur. Demum, quia difficile foret, litteras originales præſentes ad uniuſcujuſque notitiam deferri, volumus ac decernimus, quod earum tranſumpto, ſub ſigillo Generalis Miniſtri Ordinis antedicti, & manibus duorum Notariorum publicorum debite ſubſcriptis, fides adhibeatur indubia in omnibus & per omnia, & illis ubique ſtetur, ac ſi originales litteræ hujuſmodi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, adſcriptionis, aggregationis, ſtatuti, mandati, conceſſionis, relaxationis, largitionis, aſſumptionis, adnumerationis, monitionis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXII. XVIII. Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno XI.

Feſtum ejus connumeratur inter feſta ſacri Palatii.

Di-

Dilectis filiis, Miniſtro Generali, & Fratribus Ordinis Minorum in proximo Capitulo Generali congregandis.

Ex originali. Enunciatur Fratribus facta Canonizatio.

V. *Dilecti filii, ſalutem &c. Divina diſpoſitione factum eſt, ut canonizatio divi Bonaventuræ in noſtrum potiſſimum tempus inciderit, qui in eodem, quo ipſe Ordine coaluimus, & ejus ſcripta ſemper fuimus venerati. Quartadecima igitur menſis hujus, in Baſilica Principis Apoſtolorum ſolemni ritu canonizationem ipſam fecimus, diemque feſtum & ſolemnem ipſi Sancto, juxta ſacrorum Canonum ſanctiones ſtatuimus: qua in re nec gratiæ nec favori tribuendum aliquid fuit; tam clara enim ſanctimonia vitæ ipſius comperta eſt, tam dilucide de plurimis maximiſque miraculis fides facta, ut omnium venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliorum Prælatorum, quorum magnus numerus in Romana Curia eſt, pro ejus canonizatione certatim vota concurrerint. Hæc ut ita conſtare & agi poſſent, cura & diligentia venerabilis Fratris, & ſecundum carnem nepotis noſtri Juliani Epiſcopi Sabinenſis, Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, Protectoris, & dilecti filii fratris Franciſci Samſonis de Senis, Generalis Miniſtri Ordinis veſtri eſt factum: qui plurimis jam annis cauſam hujus cononizationis ſummo ſtudio proſecuti ſunt, nec ullis laboribus aut ſumptibus pepercerunt, ut tamdem debitum ſanctitatis teſtimonium ipſi Sancto, qui Ordini veſtro maximum decus affert, ab Eccleſia redderetur. Agimus igitur Deo Omnipotentis gratias; & vobis, filii dilectiſſimi, gratulamur, paterna caritate hortantes, ut exemplo hujus glorioſi Sancti, & beatiſſimi Franciſci Patris veſtri, Divino ſervitio & ſanctis operibus in dies ferventius inſiſtatis: quandoquidem perſpicitis, virtuti, doctrinæ, religioni & ſanctimoniæ magnam mercedem a juſto judice Deo Salvatore noſtro in terris & in cælo eſſe repoſitam. Dies autem ei ſolemnis, eſt ſecunda Dominica Julii, quocumque die occurret, quem ſub feſto duplici & majori, cum octavis, quemadmodum de beato Franciſco, & reliquis Sanctis Ordinis ſic celebrabitis; in commemorationibus vero ac Litaniis, poſt nomen ſancti Antonii de Padua, ſancti Bonaventuræ nomen invocabitis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XX. *Aprilis* MCCCCLXXXII. *Pontificatus noſtri anno* XI.

Quo die feſtum S. Bonaventuræ juſſum eſt celebrari.

Mirum quod uſque adeo dilata ſit canonizatio S. Bonaventuræ.

VI. Mirum profecto quod tanti taliſque Viri, doctrina & virtute celeberrimi, duabus annorum centuriis dilata ſit canonizatio, quippe facta anno ducenteſimo octavo ab ejus deceſſu. Ampliſſimæ Religionis caput, Academiæ Pariſienſis Doctor, S. R. E. Cardinalis, de Sede Apoſtolica in Concilio Lugdunenſi optime meritus, adeo ab omnium excidit memoria, adeo obſcure jacuit, ut neque ſui Inſtituti profeſſores, neque Conſodales Magiſtri Pariſienſes, neque Collegæ Cardinales, neque demum Pontifices Maximi, & præſertim ille vere Maximus Gregorius X. a Bonaventura ad ſummum celſitudinis faſtigium deſignatus, & per quem viciſſim reciproco affectu ille in tantam gloriam excrevit, & ſub quo ex hac vita deceſſit, ejus procurandæ canonizationi ſe accinxerint, quem tamen aliunde virtutum meritis & miraculorum ſignis facile judicare poterant cœleſtibus conregnare.

VII. Inſigni ſemper opinione virtutis & ſanctitatis effloruiſſe probat Franciſcus a Pavinis, Juriſconſultus non vulgaris, in relatione ad canonizationem prævia, quam Sixto & Cardinalibus exhibuit, & ad finem opuſculorum ejuſdem ſancti Doctoris licet videre, tantæ quidem eruditionis, ut paſſim ab omnibus, qui Sanctorum merita probant, & acta conſcribunt, in-

in teſtimonium adhibeatur; & nihilominus neglecta fuit Viri ſancti canonizatio prolixo tot ſeculorum decurſu. Teſtatur quidem ipſe Pontifex Sixtus ſe audiviſſe ab antiquioribus Fratribus Ordinis Minorum, & gravibus quidem viris, qui & ipſi a majoribus natu acceperant, de ſanctimonia ſancti Bonaventuræ conſtantem fuiſſe famam, de multis maximiſque miraculis, neque ſe ullatenus dubitaſſe, quin in triumphante Eccleſia triumpharet vir ſanctus in cœlo, & venerationem mereretur in terris. Octavianus etiam Sueſſanus in præmiſſa a nobis oratione palam refert, Bonaventuram etiam in vita miracula perpetraſſe, eaque continua ſerie edidiſſe, non tamen fuerunt, qui ea, qua oportuit preſſura & diligentia negotium promoverent, & magnificentiam ſanctitatis & gloriæ ſancti Viri a Sede Apoſtolica inſtanter poſtularent. Eo ſane culpam omnem Sixtus refundit: *Licet*, inquit, *canonizatio hæc Divinis litterarum monumentis extantibus, coruſcantibus miraculis, jam pridem potuerit rite fieri, numquam tamen antehac vel a Principibus, vel ab aliis tanta diligentia fuit petita*. Porro Deus aliquando ſervorum ſuorum gloriam differt, ut majorem demum exhibeat. Atque hæc ipſa ratio innuitur in officio Bonaventuræ, ubi ita legitur: *Quamvis autem canonizatio diu dilata fuerit, tamen quo tardius eo glorioſius & ſolemnius peracta eſt, omnibus pene Chriſtianis Principibus eam obnixe a Sixto Pontifice poſtulantibus.*

In offic. Translat. lect. 6.

Robert. Licien. hanc celebrat canonizationem.

VIII. Celebrem de hac canonizatione ſermonem habuit in Templo ſanctorum Apoſtolorum eadem die, qua peracta eſt, frater Robertus Licienſis Epiſcopus Aquinas, cujus etiam alius ſermo circumfertur ad finem opuſculorum ſancti Bonaventuræ, de hac ipſa celebritate habitus eadem die, non tamen eodem anno, ut patet ex fine ejuſdem concionis, ubi annum hunc MCCCCLXXXII. tamquam decurſum commemorat. Illic quibuſdam curioſis aut clanculis detractoribus Bonaventuram ſugillantibus, quod Archiepiſcopatui Eboracenſi oblato renunciaverit, majorem tamen dignitatem Cardinalatus libenter admiſerit, modeſte ſatisfecit, dicens forte obedientia aut precepto conſtrictum, ut munus hoc ſubiret; at illam dignitatem ejus arbitrio fuiſſe commiſſam: pro quo adducit illud Innocentii III. *Tunc in te veram humilitatem cuſtodies, eum per eam locum ſublimem effugies, & per obedientiam non dimittes*. Ego vero aliam genuinam adjungo. Archiepiſcopum ſcilicet Eboracenſem in latiſſima diœceſi, ingentem habere copiam animarum, quarum curam ſuſcipere judicaverit periculoſum; Cardinalatum vero ab hujuſmodi cura liberum, facilius & leviori conſcientiæ onere ſubeundum. Albanenſis porro adjuncta Eccleſia in uno vel altero tenuiſſimo viculo, pauciſſimas habet animas, eaſque Romanæ Urbi propinquas, uno vel altero die poteſt facili negotio Cardinalis Epiſcopus viſitare.

Rejecto Archiepiſcopatu Eboracenſi, cur Bonaventura admiſerit Cardinalatum.

Cap. Niſi cum pridem. de Renunciatione.

IX. Ut vero omnia, quæ ad Bonaventuræ gloriam ſpectant, in hunc congeram locum, ne per varios annos divagari lectorem oporteat, ſubjungam alterum inſigne ſanctiſſimi Viri decus, ab alio Sixto conceſſum. Quatuor erant præcipui Eccleſiæ Doctores, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, quintum addidit Pius V. Thomam Aquinatem, ejus conſodalem, coævum & coæqualem, ſexto loco & auctiori cultu Eccleſiaſtico Bonaventuram dignum Sixtus V. judicavit. Ecce illius diploma.

SI-

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Univerſis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis aliarum Eccleſiarum Prælatis per univerſum terrarum orbem conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Triumphantis Hieruſalem gloriam ſempiternam, & ſanctorum cum Chriſto feliciſſime regnantium numquam marceſcentes coronas, cum gaudio admirans ſancta mater Eccleſia, adhuc in terris militans, ad eamdem vero juſtitiæ coronam feſtinans, Deum in ſanctis ſuis mirabilem prædicare non ceſſat. Nec vero inſignes tantum victorias & præclara ſanctorum merita eximiis laudibus celebrat, ſed eoſdem ſanctos, quos Deus mirifice honorificat, ipſa quoque pie veneratur ac colit, quorum nimirum prædicatione ſalutarique doctrina inſtituta, ſanguine fundata, illuſtribus caritatis operibus atque exemplis educata, ferventibus illorum apud Deum precibus quotidie adjuvatur. Quamobrem debitis etiam congruiſque honoribus unicuique ſanctorum ſingulatim tribuendis, ad cœleſtis illius Hierarchiæ, ubi omnia in caritate perfecta ordinata ſunt, normam atque imaginem ſeſe conformare, quantum quidem in hujus prætereuntis mundi exilio licet, maxime ſtudet. Nam quemadmodum in magna illa ſummi Patris familias, boniſque omnibus cumulata domo manſiones multæ ſunt, & beatæ illæ animæ mira quadam varietate, unius gloriæ beatitudine perfruuntur, ſic Catholica Eccleſia, quæ cœleſtis illius effigies eſt, ut caſtrorum acies ordinata, in veneratione ſanctis Dei adhibenda ſacros illos Ordines, Divino illuſtrata lumine agnoſcit atque diſtinguit. Itaque dum glorioſum Apoſtolorum chorum, dum Prophetarum laudabilem numerum, dum fortiſſimorum Martyrum laudat exercitum, ceteriſque ſanctis ſuo loco & ordine rite honores defert, in uno caritatis ſpiritu, & conſimili piæ devotionis affectu multipliciter exultat. Inter illos vero beatiſſimos ſanctorum choros, quorum memoria a cunctis fidelibus religioſo cultu merito celebratur, inſigni ſplendore elucet ſanctorum Doctorum ordo, a Paulo Apoſtolo diſerte enumeratus cum ait: Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores: *quos vineæ ſuæ ſtrenuos fideleſque cultores atque operarios conſtituit, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Hi ſunt de quibus Divina Sapientia clamat:* Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *De his Angelus apud Danielem loquitur:* Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates; *eos denique Salvator ipſe Chriſtus Dominus inſigni illo elogio ornavit:* Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Cum autem omnibus temporibus ſacrorum Doctorum ſtudium & doctrina in Eccleſia Dei utilis & ſalutaris fuit; tum maxime fructuoſam & plane neceſſariam eſſe res ipſa demonſtravit, cum perſecutorum Chriſtiani nominis horribili furore repreſſo, in ipſa Eccleſiæ pace teterrima hæreſum bella vehementius excitata ſunt: tunc enim hæreticorum doli & fallaciæ, qui, diabolo inſtigante, in agro Domini zizonia ſuperſeminare non intermittunt, Doctorum cura & diligentia detectæ, & peſtiferi ac deteſtabiles errores gladio ſpiritus amputati, & Catholicæ veritatis vi, ſacris Doctoribus adminiſtris, mendacium proſtratum.*

Eccleſia Deum mirabilem prædicat in Sanctis ſuis.

Cantic. 6. 3.

Quæ Sanctis pie ſuos defert honores.

Epheſ. 4. 11.

Doctores Eccleſiæ fideles operarii.

Eccl. 24. 31.

Daniel 12. 3.

Matth. 5. 20.

Hæreſes convincunt.

Job. 9. 9. tum. Quare jure optimo Hyadum ſtellarum nomine ſancti Doctores in Eccleſia deſignantur, qui, perfrigida hyeme, & longis infidelitatis noctibus expletis, & perſecutionis tempeſtate ſedata, tunc clariores ſanctæ Eccleſiæ exorti ſunt, cum veritatis ſol per corda fidelium altius caleſceret, & tamquam novo fidei Vere lucidior annus aperiretur. Jam vero inter eos, quos

Eccli. 39. 9. Dominus magnus ſpiritu intelligentiæ replere voluit, quique tamquam imbres eloquia ſapientiæ ſuæ in Eccleſia Dei emiſerunt, merito numeratur ſanctus Bonaventura Confeſſor & Pontifex, & in eadem Catholica Eccleſia Doctor eximius, quem fel. rec. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter ob admirabilem vitæ ſanctitatem & præcellentem doctrinam in ſanctorum numerum adſcripſit.

S. Bonaventura pronunciatur Doctor Eccleſiæ.

Vitæ ejus compendiolum.

Is enim Balneoregii in Etruria natus, ut piæ matris voto ſatisfaceret, adoleſcens Seraphicam ſancti Franciſci Religionem eſt ingreſſus, per cujus veſtigia recentia adhuc novus Chriſti miles humiliter & conſtanter incedens, ſaluberrimam regularium inſtitutorum obſervantiam tanto animi ardore tantaque cordis aviditate hauſit, ut ſumma in eo ſanctitas appareret, ac vitæ innocentia & caſtitate, ſancta humilitate, patientia, manſuetudine, terrenarum rerum deſpicientia, cœleſtium deſiderio, omnibus & exemplo & admirationi eſſet: tanta quoque ſpiritus dulcedine, & Divini amoris fervore inflammatus in Deum rapiebatur, ut jam in cellam vinariam ſponſi introductus, & vino optimo caritatis ebrius, Jeſum Chriſtum crucifixum & patientem ubique intueri, & in ejus vulneribus habitare videretur.

Cant. 2. 4.

Ad hanc vero eximiam vitæ ſanctitatem vir Dei magnam præſtantis doctrinæ laudem adjunxit; Deo ita diſponente, ut ad ejus gloriam & Eccleſiæ utilitatem, non ſolum exemplo, ſed verbo & eruditione magnopere proficeret.

Ejus doctrina commendatur.

Itaque cum in ſacrarum litterarum ſtudio, ſanctorum Patrum lectione, & Scholaſticæ Theologiæ pernéceſſaria diſciplina, Alexandro de Ales Magiſtro, inſigni illius ætatis Theologo, diligentiſſime verſaretur; brevi temporis ſpatio, excellentis ingenii bonitate, aſſiduo labore, &, quod caput eſt, gratia Spiritus ſancti, qui vas aureum in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progreſſus fecit, & ad tantam doctrinæ perfectionem pervenit, ut Doctoris & Magiſtri inſignibus in celeberrimo Pariſienſi Gymnaſio ſolemni more decoratus, ſacram Theologiam ibidem publice profeſſus ſit.

2. Timot. 2. 20.

Tantam vero laudem in interpretandi munere, & in univerſæ Theologiæ ſcientia eſt conſecutus, ut viri doctiſſimi ejus doctrinam & eruditionem admirarentur. Et quidem multiplices ſancti viri lucubrationes, & præclara ſcripta, quæ adhuc magna Eccleſiæ utilitate, & non mediocri Dei beneficio extant, quæque & noſtræ & ſuperiorum ætatum viri eruditi multo cum fructu ſemper legerunt, & magnopere comprobarunt, quantus ille in Theologia fuerit, ſatis declarant. Etenim Divini ingenii ſui monimenta poſteris reliquit, quibus perdifficiles, & multis obſcuritatibus involutæ quæſtiones, magna optimorum argumentorum copia, vi & ordine, enucleate ac dilucide explicantur, fidei Catholicæ veritas illuſtratur, pernicioſi errores & profanæ hæreſes profligantur, & piæ fidelium mentes ad Dei amorem & cœleſtis patriæ deſiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in ſancto Bonaventura id præcipuum & ſingulare, ut non ſolum argumentandi ſubtilitate, docendi facilitate, definiendi ſolertia præſtaret, ſed Divina quadam animos permovendi vi excelleret: ſic enim ſcribendo, cum ſumma eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut lectorem docendo moveat, & in intimos animi receſſus illabatur, ac denique ſeraphicis quibuſdam aculeis cor compungat, & mira devotionis dulcedine perfundat: quam ſane gratiam in ejus ore & calamo diffuſam, admirans prædeceſſor noſter Sixtus IV. Pontifex, illud dicere non dubitavit, Spiritum

ſan-

ſanctum in eo locutum videri. *Cum igitur ſervo fideli tam multa & præclara a Domino talenta eſſent credita, ut illis ad Fratrum utilitatem exercendis & negotiandis, cæleſtis gratiæ theſauros amplificaret, Divino conſilio & ſummo totius ſui Ordinis conſenſu, Romæ Miniſter Generalis ſeptimus poſt beatum Franciſcum eſt factus: quo in officii munere non ſolum prudentiam, vigilantiam, ſollicitudinem præſtitit, ſed tanto fraternæ caritatis ardore exarſit, tantaque Chriſtianæ humilitatis demiſſione Fratribus inſervivit, ut in eo illud Salvatoris agnoſceretur:* Qui major eſt in vobis, ſit veſter miniſter. *Quin & piæ memoriæ prædeceſſor noſter Clemens Papa IV. qui ſanctum Virum valde dilexit, & ejus doctrina mirifice eſt delectatus, ut tam excellens virtus & prudentia ad multorum utilitatem latiori in campo excurreret, inſignem Eboracenſem Archiepiſcopatum ei obtulit. Ille vero, cum ſe a Seraphicæ paupertatis complexu divelli non facile pateretur, oblatam dignitatem modeſte atque humiliter recuſavit. Ceterum, cum Gregorius X. ſummus Pontifex ob graviſſimas Chriſtianæ Reipublicæ cauſas, Concilium Generale Lugdunum indixiſſet, viroſque ſanctitate, doctrina, ſapientia præſtantes perquireret, quorum forti & fideli opera ad rei maximæ tractationem atque explicationem uteretur, duo in primis clariſſima illius ætatis lumina e duobus florentiſſimis Ordinibus Prædicatorum & Minorum delegit, ſanctos Thomam & Bonaventuram, quos ad ſe ire juſſit. Sed cum alter in ipſo itinere in morbum incidiſſet, atque ad gloriæ coronam feliciter evolaſſet, ſanctus Bonaventura Lugdunum profectus, humaniſſime exceptus eſt a Romano Pontifice Gregorio, qui in ejus virtute & ſapientia ita acquieſcebat, ut Concilii recte dirigendi & adminiſtrandi partes ei præcipue tribuendas eſſe decerneret. Quare ex publica Eccleſiæ utilitate & neceſſitate, ut majori cum dignitate & auctoritate Concilii rebus non ſolum intereſſet, ſed præeſſet, ſtatuit lucernam ardentem & lucentem ſupra excelſum candelabrum ponere, ut in domo Dei magis luceret. Itaque ſanctum Bonaventuram nullos honores appetentem, fugientem potius, ſed Chriſti Vicario obtemperantem, nulloſque pro Eccleſia labores ſubire recuſantem, tamquam in totius orbis terræ theatro, in ſacrum Cardinalium Collegium, & in Epiſcoporum Ordinem ſtatim cooptavit; nam Eccleſiæ Albanenſi illum præfecit, qui bonos antiquioribus Presbyteris Cardinalibus tribui ſolet. Qua ille ampliſſima dignitate auctus, univerſam in Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem contulit: Etenim in rebus Concilii arduis operam egregiam præſtitit, Catholicam fidem conſtantiſſime defendit, pravas opiniones acerrime refutavit; ejuſdemque prudentia, doctrina, ſanctitate, orationibus, Gregorii Pontificis paſtoralis ſollicitudo tantopere adjuta eſt, ut ſublato per Dei miſericordiam ſchiſmatis diſſidio, Michael Palæologus Græcorum Imperator, Orientaleſque nationes, ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam, unitatem communionemque redierint: ac denique dignus habitus eſt, quem Græci Eutychii nomine appellarent. Merito igitur, cum paulo poſt in eodem Concilio fortiſſimus Chriſti athleta ex hujus vitæ peregrinatione ad cæleſtem patriam emigraſſet, omnes ejus mortem doluerunt, omnes communem jacturam deplorarunt, omnes illius funus lacrymis & laudibus ornarunt: ſed unus præter ceteros viri ſanctiſſimi vitam integerrime actam, mores probatiſſimos, labores permultos pro Eccleſia ſuſceptos, doctrinam in illo ipſo Concilio ſpectatam, inſigni laudatione veriſſime celebravit. Is fuit piæ memoriæ Petrus Cardinalis a Tarantaſia, vir eruditione & Chriſtiana eloquentia præſtans, qui poſtea ad Pontificatus faſtigium evectus, Innocentius Papa V. eſt appellatus. Ipſe vero ſummus Pontifex Gregorius X. ex intimi animi ſenſibus amiſſum fratrem, adjutorem, & conſiliarium fideliſſimum dolens,*

Matth. 20.26.

De tempore & loco quo creatus eſt Cardinalis vide quæ diximus Tom. 4. an. 1273. n. 11.

Vocatus in Concilio Lugdunenſi Eutychius.

lent, palam gravibas verbis teſtificatus eſt, Catholicam Eccleſiam, quæ ex tanti viri pietate & doctrina fructus uberrimos acceperat, magnam illius morte jacturam feciſſe. Sed vere a Spiritu ſancto dictum eſt: In memoria æterna erit juſtus; *nam qui in vita illuſtris fuerat, multo poſt mortem factus eſt illuſtrior, Deo, qui admirabilis & glorioſus eſt in ſanctis ſuis, ſignis compluribus, ac prodigiis & miracalis maxime inſignibus ſervi ſui ſanctitatem comprobante. Quorum miraculorum fama cum apud omnes percrebreſceret, idem Sixtus prædeceſſor noſter e ſublimi Apoſtolicæ Sedis ſpecula ea aſpiciens, digitum Dei, qui facit mirabilia magna ſolus, ibi plane eſſe intellexit. Itaque & ſponte ſua, & claræ memoriæ Friderico Romanorum Imperatore, Regibus, Rebuſpub. Ducibus Civitatibuſque permultis vehementer requirentibus, ac omnium fere fidelium conſenſu efflagitante, de viro præſtantiſſimo Bonaventura Epiſcopo Cardinali in ſanctos referendo, Pontifice Romano dignam cogitationem ſuſcepit. Summa igitur cura & diligentia vitæ illius eximia ſanctitate, & miraculorum veritate examinata atque comperta, omnibus denique quæ ad eam rem pertinebant, rite recteque actis, ad Dei gloriam & Eccleſiæ Catholicæ exaltationem, pro ſua ſumma eique a Deo in beato Petro Apoſtolo tradita poteſtate, eumdem beatum Bonaventuram, de Fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Prælatorum omnium conſenſu, in ſanctos retulit, & in ſanctorum Confeſſorum Pontificum Doctorum numerum adſcripſit atque aggregavit, ejuſque feſtum anniverſarium diem, ſecunda menſis Julii Dominica die celebrari, Officiumque de eo, veluti de Confeſſore Pontifice Doctore in univerſa Eccleſia recitari juſſit; aliis item decretis adjectis, quæ in ejuſdem Sixti litteris plenius continentur. Et quamvis glorioſus hic Doctor ſanctus Bonaventura, & in Eccleſia Catholica celeberrimus ſit, & in cælo maxime reſplendeat, ubi corona illa eſt coronatus, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, nec ulla humana re indigeat, qui bonis illis cum Chriſto perfruitur,* Quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt; *urget nos tamen caritas Chriſti, & ardens quidam devotionis affectus, quo erga eum ab ineunte fere ætate perpetuo exarſimus, ut de ejus ſanctitate & doctrina magis magiſque propaganda atque illuſtranda, quantum eam Domino poſſumus, cogitemus. Movemur quidem, ut par eſt, ſancta cum eo communione Seraphicæ Religionis noſtræ, in qua educati & tot annos verſati ſumus, & cui tamquam matri optime meritæ, omnia pietatis & grati animi monumenta præſtare debemus: ſed multo magis movent nos Dei gloria, paſtorale officium, quod gerimus, Viri ſanctiſſimi pro Eccleſia Dei tot ſuſcepti labores, tot illuſtria merita, tanta cum Romana Eccleſia conjunctio, in cujus ampliſſimo Ordine & Senatu ſumma cum laude conſedit: denique movet nos Eccleſiæ univerſalis utilitas, quæ ex tanti Doctoris eruditione ſemper major & uberior capi poteſt, præſertim cum hæreticorum inſidiæ & diabolicæ machinationes, quibus ſacram Theologiam, quæ* Scholaſtica *appellatur, hoc luctuoſo ſeculo oppugnant vehementiſſime, nos magnopere admoneant, ut eamdem Theologiam, qua nihil Eccleſiæ Dei fructuoſius, omni ſtudio retineamus, illuſtremus, propagemus. Divino enim illius munere, qui ſolus dat ſpiritum ſcientiæ & ſapientiæ & intellectus, quique Eccleſiam ſuam per ſeculorum ætates, prout opus eſt, novis beneficiis auget, novis præſidiis inſtruit, inventa eſt a majoribus noſtris ſapientiſſimis viris Theologia Scholaſtica, quam diu potiſſimum glorioſi Doctores, Angelicus ſanctus Thomas, & Seraphicus ſanctus Bonaventura, clariſſimi hujus facultatis profeſſores, & primi inter eos qui in ſanctorum numerum relati ſunt, excellenti ingenio, aſſi-*

Pſal. 11. 7.

Iſai. 64. 4.

Sixti V. erga ſuam Religioné Minorum gratitudo & affectus.

Quam neceſſaria Theologia Scholaſtica.

SS. Thomæ & Bonaventuræ elogia.

aſſiduo ſtudio, magnis laboribus & vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime diſpoſitam, multiſque modis præclare explicatam, poſteris tradiderunt: & bujus quidem tam ſalutaris ſcientiæ cognitio & exercitatio, quæ ab uberrimis Divinarum litterarum, ſummorum Pontificum, ſanctorum Patrum & Conciliorum fontibus dimanat, ſemper certe maximum Eccleſiæ adjumentum afferre potuit, ſive ad ſcripturas ipſas vere & ſane intelligendas & interpretandas, ſive ad Patres ſecurius & utilius perlegendos & explicandos, ſive ad varios errores & bæreſes detegendas & refellendas. His vero noviſſimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculoſa ab Apoſtolo deſcripta, & bomines blaſphemi, ſuperbi, ſeductores proficiunt in pejus, errantes & alios in errorem mittentes; ſane Catbolicæ fidei dogmatibus confirmandis, & bæreſibus confutandis perneceſſaria eſt: & profecto rem ita ſe babere, ipſimet veritatis inimici ſunt judices, quibus Theologia Scbolaſtica maxime eſt formidoloſa, qui profecto intelligunt, apta illa & inter ſe nexa rerum & cauſarum cobærentia, illo ordine & diſpoſitione, tamquam militum in pugnando inſtructione, illis dilucidis definitionibus & diſtinctionibus, illa argumentorum firmitate & acutiſſimis diſputationibus lucem a tenebris, verum a falſo diſtingui, eorumque mendacia multis præſtigiis & fallaciis involuta, tamquam veſte detracta pateſieri ac denudari.

2.Timot. 3. 1.

Quanto igitur magis illi banc munitiſſimam Scbolaſticæ Theologiæ arcem oppugnare & evertere conantur, tanto magis nos decet boc invictum fidei propugnaculum defendere, & bæreditatem Patrum noſtrorum conſervare & tueri, & acerrimos veritatis defenſores meritis bonoribus, quantum poſſumus, decorare. Quamobrem ut Serapbici Doctoris eruditio ad multorum utilitatem latius diffundatur, & ex ejus libris & operibus eruditi & ſtudioſi viri copioſiores ſuavioreſque in dies fructus capiant, quod ad ipſius ſancti, quamquam in cœlo beatiſſimi, gloriam aliquam facere non eſt dubitandum; primum quidem in alma Urbe noſtra, in bac Baſilica ſanctorum duodecim Apoſtolorum, ſancti Bonaventuræ nomine Collegium inſtituimus, in quo ex bujus præcipue eximii devotique Doctoris operibus & commentariis ſacra Theologia publice explicetur; deinde etiam opera illius omnia, quæ inveniri potuerunt, partim nondum edita, noſtraque auctoritate & impenſis undique conquiſita, partim jam evulgata, ſimul omnia decenti forma, & quam emendatiſſime imprimi, & e Tipograpbia noſtra Vaticana in lucem emitti curamus.

Sixtus V. inſtituit Collegium S. Bonaventuræ in Urbe. Curavit omnia ejus opera imprimi.

Quod autem ab ipſo Pontificatus noſtri initio, Deo, ut pie credimus, inſpirante, conſtanter propoſuimus ſancti bujus Doctoris nomen & merita glorioſa apud omnes pro viribus celebrare, fideliumque erga eum venerationem augere & amplificare, ſane ad id quoque non mediocriter excitati ſumus exemplo ſan. mem. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri, de Chriſtiana Repub. optime meriti, & quem ut parentem adhuc reveremur & colimus: is enim religioſa pietate & ſingulari devotione permotus, qua afficiebatur erga ſanctum Thomam de Aquino, Ordinis ſui decus, & Eccleſiæ Catbolicæ ornamentum, cupiens eodem modo eumdem ſanctum ob ejus præſtantiſſima in Catbolicam Eccleſiam merita, congruis bonoribus exornare, præter alia, boc juſſit atque decrevit, ut illius feſtus dies quotannis duplicis officii ritu ad inſtar ſanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum perpetuo celebraretur, quod & ſancto Bonaventuræ Doctori eximio tribui debere, æquum profecto exiſtimamus, cum tam multa inter eos virtutis, ſanctitatis, doctrinæ, meritorum conjunctio & ſimilitudo intercedat. Hi enim ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & caritatis pinguedine, & ſcientiæ luce totam Eccleſiam colluſtrant: bi ſingulari Dei providentia eodem tempore tamquam duæ ſtellæ exorientes, ex duabus clariſſimis

Apoc. 11. 4.

Regularium Ordinum familiis prodierunt, quæ ſanctæ Eccleſiæ ad Catholicam religionem propugnandam maxime utiles, & ad omnes labores & pericula pro orthodoxa fide ſubeunda paratæ ſemper exiſtunt, ex quibus tamquam ex fertili & bene culto ſolo, quotidie per Dei gratiam fœcundæ & fructuoſæ plantæ procreantur, hoc eſt, viri doctrina & ſanctitate præſtantes, qui Petri naviculæ, tot fluctibus agitatæ, & Romano Pontifici, ejus clavum non ſine magna ſollicitudine tenenti, fortem & fidelem operam navant. Hi duo ſancti cum eſſent coævi, iiſdemque ſtudiis dediti, condiſcipuli, ſimul Magiſtri, pari ratione a Gregorio X. ſummo Pontifice, cum ambo ad Concilium evocarentur, honorati, & in hujus vitæ peregrinatione fraterna caritate, ſpirituali familiaritate, ſanctorum laborum ſocietate valde conjuncti fuerunt; & denique pari greſſu ad cœleſtem patriam commigrantes, pariter felices & glorioſi illa ſempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem caritatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant, Divinamque opem implorant, ut merito idem Sixtus IV. hos duos ſanctos perſimiles, & quaſi geminos in Chriſto fratres agnoſcens, ſtatuerit ſanctum Bonaventuram conſimili venerationis & honoris prærogativa, atque ſanctus Thomas decorandum eſſe. Quod igitur a nobis & Seraphici Ordinis caritas, & ſancti Bonaventuræ meritorum magnitudo, & Catholicæ Eccleſiæ, cujus gubernacula nobis licet immerentibus, a Deo commiſſa ſunt, utilitas & ædificatio requirit, habita ſuper his omnibus cum venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura; de eorumdem conſilio & unanimi aſſenſu, & ex certa noſtra ſcientia, ac de attributæ nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione, doctrinam ipſius ſancti Bonaventuræ a ſupradictis prædeceſſoribus noſtris Clemente IV. Gregorio X. & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunenſi maxime ſpectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, graviſſimorum virorum auctoritate teſtificatam & commendatam, & eximio Eccleſiæ Doctore dignam, nos quoque plurimum in Domino laudamus & commendamus, ac litteras ejuſdem Sixti IV. quas pro expreſſis hoc loco haberi volumus, excepta ejus ordinatione de feſto die ſancti Bonaventuræ ſecunda Dominica Julii celebrando, harum tenore approbantes & innovantes, ipſum ſanctum Bonaventuram, jure ſanctorum Doctorum conſortio ab eodem Sixto IV. adſcriptum & connumeratum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium inter præcipuos & primarios, qui Theologicæ facultatis Magiſterio excelluerunt, habendum ac venerandum eſſe decernimus & declaramus. Atque ob eam cauſam ſperantes in Domino hujus Seraphici Doctoris lucubrationes ad doctrinam & devotionem, quam in Clero Populoque Chriſtiano magnopere lucere & ardere cupimus, maximo adjumento fore, illius libros, commentarios, opuſcula, opera denique omnia, prout ex noſtra Typographia Vaticana quam emendatiſſima, ut ſupra dictum eſt, emittuntur, ut aliorum Eccleſiæ Doctorum, qui eximii ſunt, non modo privatim, ſed publice in Gymnaſiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, diſputationibus, interpretationibus, concionibus, ſermonibus, omnibuſque aliis Eccleſiaſticis ſtudiis, Chriſtianiſque exercitationibus citari, proferri, atque, cum res poſtulaverit, adhiberi volumus & decernimus: & nihilominus ut ſapientiſſimi hujus Doctoris glorioſa recordatio, ſi non pro ipſius dignitate, at ſaltem pro humana tenuitate, ob ingentia illius merita, ardentiori ſtudio recolatur, fel. record. prædeceſſorum noſtrorum Bonifacii Papæ VIII. qui de ſanctis quatuor Doctoribus, & Pii Papæ V. qui de prædicto ſancto Thoma eadem præceperunt, exemplo adducti, præcipimus, ut ejuſdem ſancti Bonaventuræ dies feſtus in omnibus Chriſtiani orbis partibus, ſub du-

Bonaventuræ doctrina multipliciter laudata. Florentin. ſeſſ. x.

Digitized by Google

*duplici officio a cunctis perſonis Eccleſiaſticis ſecularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus tam publice, quam privatim pridie Idus Julii *, non obſtante prædicta Sixti IV. ordinatione de ſecunda Dominica dicti menſis, celebrari, atque in Kalendariis, cum Doctoris nomine & feſti duplicis adjectione deſcribi, & imprimi debeat, etiamſi in noviſſimis Breviarii, & Miſſalis Romani reformationibus aliter diſpoſitum fuerit, neque ſecus atque a nobis, ut ſupra, ordinatum fuit, per quoſcumque quavis auctoritate præditos cenſeri aut interpretari poſſe decernimus. Hortantes univerſos utriuſque ſexus Chriſtifideles Civitatis Balneoregii, quæ clariſſimum hoc edidit lumen, & illius diœceſis, ut eodem die feſto a ſervilibus, de ſanctæ Eccleſiæ more, operibus abſtineant. Ut autem Chriſtifidelium devotio ad Seraphici hujus Doctoris diem feſtum colendum, ejuſque opem pie implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc cæleſtis gratiæ dono ſe uberius conſpexerint eſſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam in dicta Civitate & diœceſi Balneoregii, quam in præclara Galliæ urbe Lugduno, ubi ille* Bono certamine legitime decretato, curſu conſummato, fide ſervata, *ex hoc calamitoſo ſeculo ad meritorum ſuorum præmium & coronam in cælum feliciter migravit, in almaque Urbe noſtra, ubi in hac Baſilica ſanctorum duodecim Apoſtolorum Collegium a nobis, ut jam diximus, eſt erectum, conſtitutis, qui ejus feſtum hujuſmodi, ut ceteras de præcepto Eccleſiæ ſervari ſolitas feſtivitates, devote colentes, vere pœnitentes, & ſacramentali peccatorum ſuorum confeſſione præmiſſa, eo die ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Qui vero Eccleſias Fratrum Minorum ſancti Franciſci ipſo die feſto, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem diei devote viſitaverint, pias inibi ad Deum preces, prout ſua cuique ſuggeret devotio, effundentes, decem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, per præſentes litteras perpetuo duraturas, quas ſub quibuſvis indulgentiarum revocationibus vel limitationibus nullo modo comprehendi volumus, miſericorditer in Domino relaxamus. Quocirca fraternitati & diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus ut præſentes litteras & in eis contenta quæcumque, in ſuis quilibet Provinciis, Civitatibus, Eccleſiis & diœceſibus ſolemniter publicari, & ab omnibus perſonis Eccleſiaſticis ſecularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, ubique locorum & gentium, inviolate perpetuo obſervari procurent. Volumus autem ut earumdem præſentium transſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum, approbationis, innovationis, decretorum, declarationis, voluntatum, præcepti, conceſſionis, elargitionis, relaxationis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Baſilicam ſanctorum duodecim Apoſtolorum, anno Incarnationis Dominicæ* MDLXXXVII. *pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri anno* III.

Quo die ejus feſtivitas colenda? * *Obiit tamen Bonaventura Idibus Julii die 15. menſis, ut narravimus Tom. 4. anno 1274. n. 9. 14. & 17.*

Indulgentia in die feſto anniverſario.

2. Timot. 4. 7.

X. Moleſta & importuna nimis controverſia de Conceptione beatæ Virginis Mariæ magna animorum contentione hoc tempore agitabatur inter Prædicatores & Minores, alioſque his adhærentes. Acrius & acerbius vigebat

Ferrariæ acriter diſputatur de Conceptione B. Mariæ.

bat diſſidium in Lombardia, maxime in Civitate Ferrarienſi, ubi cum hoc anno in concionibus quadrageſimalibus quidam docerent beatam Virginem in peccato fuiſſe conceptam, alii ardenter contrarium ſtatuebant, alternisque oppoſitionibus eo turbarum proceſſum eſt, ut Hercules Ferrariæ Princeps decreverit viros quoſque doctos, quibus affluenter urbs illa publica cunctarum artium Academia inſignis abundabat, in palatium ſuum advocare, & palam de hac re, præſente urbis Epiſcopo, diſputantes audire. Præcipuas Prædicatorum partes ſuſtinuit Vincentius Bandellus de Caſtro novo, Terdonenſis diœceſis, qui poſtea ſub annum MDI. electus eſt Romæ Magiſter Generalis, & pro adverſa ſententia potiſſimum decertarunt Baptiſta Ferrarienſis Carmelita, & Bartholomæus Feltrenſis Minorita, quorum ſinguli erant ſacræ Theologiæ Magiſtri. Per horas ſex duravit vehemens certamen, & ſequenti Vincentius in publico gymnaſio quæ non potuit commode in palatio, protulit in ſuæ opinionis commendationem.

Præcipui diſputatores.

XI. Hæc ipſe refert in epiſtola diſputationis nuncupatoria ad Herculem prædictum, cui præmiſit tractatum alterum anno MCCCCLXXV. dedicatum Comiti Petro de Gambara civi Brixienſi. Tertium quoque de hac materia librum, quem ego hucuſque non vidi, ſcripſiſſe referunt Chronica compendioſa Ordinis Prædicatorum, quæ ad finem conſtitutionum ejuſdem Inſtituti communiter circumferuntur. Equidem in duobus prioribus opuſculis ardenter nimis & liberius quam par erat, invectus eſt in eam ſententiam, quæ negat Virginem peccatum originale contraxiſſe; temerariam, ſcandaloſam, erroneam, impiam, hæreticam paſſim appellat, & ad ſingulas paginas tot afficit cenſuris, ut ſi has exſcribas, parum operis ſuperſit. Exſcriptis dumtaxat verbis aculeatis & injurioſis integer de his oblatus eſt Paulo V. tractatus, quem videre licet in noſtra de hac controverſia hiſtoria. Extravagantes item litteras Sixti Pontificis: *Cum præexcelſa*, circa feſtum Conceptionis, & approbationem officii Leonardi Veronenſis, quæ habentur in corpore juris, contortis gloſulis explicat de Conceptione ſpirituali, ſeu ſanctificatione Virginis: ſed & officium de ſanctificatione a ſuis Conſodalibus recitandum compoſuiſſe, Chronica referunt prædicta. His commotus Sixtus Pontifex, præmiſſa in Urbe ſolemni diſputatione, in qua egregie ſe geſſit Franciſcus Miniſter Generalis Ordinis Minorum, & Samſonis cognomen adeptus eſt, aliam edidit extravagantem, in eaque cenſuras & violentam illam feſti explicationem condemnat, ipſoſque libros rigoroſe præſcribit. Ecce exemplar.

Sixtus graves diſcordias compeſcit.

Ad perpetuam rei memoriam.

XII. G*Rave nimis gerimus & moleſtum, cum ſiniſtra nobis de quibuſvis Eccleſiaſticis perſonis referuntur, ſeu in eorum, qui ad prædicandum Verbum Dei ſunt deputati, exceſſibus prædicando commiſſis eo gravius provocamur, quo illi perículoſius remanent incorrecti, cum facile deleri nequeant, qui multorum cordibus, ſi publice prædicando diffuſius & damnabilius imprimantur, errores. Sane, ſicut accepimus, nonnulli diverſorum Ordinum profeſſores, ad prædicandum verbum Dei in diverſis Civitatibus & locis partium Lombardiæ deputati, non ignari, quod ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis glorioſæ Conceptione feſtum celebrat, & ſpeciale ac proprium officium ordinavit, in eorum prædicationibus ad populum publice affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant aſtante populi multitudine, omnes illos qui tenent & affirmant eam-*

eamdem glorioſam & immaculatam Dei Genitricem Virginem Mariam abſque peccati originalis macula fuiſſe conceptam, Hæreticos eſſe, & ipſam Romanam Eccleſiam ſolam ſpiritualem Conceptionem ſeu ſanctificationem ejuſdem Virginis Mariæ celebrare; ac hujuſmodi eorum prædicationibus non contenti, confectos ſuper his ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum prædicationibus & aſſertionibus hujuſmodi non levia ſcandala in partibus illis in mentibus Chriſtifidelium ſunt exorta, & majora exoriri formidantur in dies. Nos igitur hujuſmodi temerariis auſibus, & perverſis, ac a veritate penitus alienis aſſertionibus, & ſcandalis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſent, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatam petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, hujuſmodi aſſertiones Prædicatorum eorumdem & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eamdem ſanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali dumtaxat Conceptione & ſanctificatione ejuſdem Virginis glorioſæ feſtum celebrare, & eos, qui crederent eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, utpote falſas & erroneas ac a veritate alienas, editoſque deſuper libros id continentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium reprobamus & damnamus: ac motu & auctoritate prædictis ſtatuimus & ordinamus, quod Prædicatores Verbi Dei & quicumque alii, cujuſcumque gradus, ordinis & conditionis fuerint, qui de cetero auſu temerario præſumpſerint in eorum prædicationibus ad populum, ſeu alias quomodolibet affirmare, hujuſmodi per nos ſic reprobatas & damnatas aſſertiones & opiniones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam & æternæ maledictionis pœnam eo ipſo incurrant, a qua ab alio, quam a Rom. Pontifice, & illius proprio ore expreſſa cauſa hujuſmodi propter quam cenſuras prædictas incurrerint, niſi in mortis articulo conſtituti, nequeant abſolutionis beneficium obtinere: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Pari damnationi & cenſuræ ſubjicientes illos, qui prædicare, docere aut alias verbo vel ſcripto affirmare præſumerent, hæreticum fore, credere eamdem Virginem glorioſam a peccati originalis macula præſervatam non fuiſſe: & ne de præmiſſis aliqui valeant ignorantiam allegare, volumus, quod locorum Ordinarii præſentes litteras in Eccleſiis conſiſtentibus in eorum Civitatibus, & ſuarum diœceſum locis inſignibus, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, ac ſermonibus ad populum mandent & faciant publicari. Præterea, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus expediens foret, deferre, etiam volumus & dicta auctoritate decernimus, quod earumdem tranſumpto, manu publici notarii confecto & authenticato, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici ſigillo munito, ubique ſtetur, prout ſtaretur eiſdem originalibus litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reprobationis, damnationis, ſtatuti, ordinationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXII. Pontificatus noſtri anno XI.

XIII. Pro-

Dubitatur circa veritatem hujus Bullæ. Sed immerito.

XIII. Probe novi piæ ſententiæ adverſarios Bullam hanc tenaciter negare quoad ea, quæ præſcribit circa ſenſum celebrandæ feſtivitatis Conceptionis, ſolamque eam admittunt, quæ habetur inter extravagantes communes, quæ omnibus in univerſum prohibet alterutram ſententiam cenſuris afficere. Ego vero iſtam hoc anno editam puto propter tumultus illos Lombardiæ, in qua circa hæc Prædicatores exceſſiſſe ipſe Pontifex enarrat, & anno ſequenti univerſalem illam, quæ habetur in jure canonico, emiſſam propter cenſuras, in aliis etiam partibus communiter prolatas in piam ſententiam. Et quidem particularis iſta, Prædicatorum Lombardiæ increpatoria habetur in vetuſto libro *Monumenta Ordinis Minorum* nuncupato; in collectione Bullarum ab Emanuele Rodriguez facta, & a Prædicatorii Ordinis Profeſſoribus Valliſoleti, juſſu Regii Senatus Hiſpaniarum cum autographis collata & approbata; in bullario Joannis Baptiſtæ Confectii, ab Offredo Offredii Nuncio Apoſtolico in Etruria, ſimili præmiſſo examine comprobata. Bullam originalem, non vitiatam, non cancellatam, ſuſpicione omnis falſitatis & corruptionis carentem, ſe vidiſſe teſtatur Antonius de Monte electus Civitatis Caſtelli, Curiæ & Cameræ Apoſtolicæ cauſarum Auditor Generalis anno MDIV. Indictione VII. die Sabathi XIV. Decembris, Pontificatus Julii II. anno II. Eam citant ex bulla authentica Alphonſus a Caſa Rubios, & Hieronymus Sorbo in compend. privil. Ordinum Mendicantium, & alii.

XIV. Etſi vero Bulla illa nullatenus emanaſſet, ſufficientiſſime probatur intentum ex illa conſtitutione univerſali: *Grave nimis*, quæ habetur in

De reliq. & vener. Sanct. cap. 2.

corpore juris, huic peculiari propter Lombardicos tumultus emiſſæ, per omnia ſimili, exceptis illis pauculis verbis, de condemnata illa violenta explicatione celebritatis Conceptionis Virgineæ. Atqui ex hac ipſa Bulla plene conficitur, non alio ſenſu, quam præſervationis ab originali feſtum hoc fuiſſe inſtitutum. Et quidem Bullam hanc *in favorem opinionis de præſervatione a macula originali* emanaſſe fatetur Cajetanus; non enim aliunde Pontifex ſevere increpat eos, qui audebant dicere, eos qui aſſerebant glorioſam & immaculatam Dei Genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos ejuſdem Conceptionis Officium celebrantes, audienteſque ſermonem illorum, qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare graviter; neque ex alio capite hujuſmodi aſſertiones decrevit eſſe *falſas & erroneas*, quam ex eo, quod pro fundamento totius judicii conſtituit, ſcilicet: *Cum ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publice feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinaverit*, in quo per totum nihil aliud inculcatur, niſi præſervatio Virginis a peccato. In hoc itaque ſenſu feſtum celebratur, atque ita per omnes Eccleſias intelligitur, & in publicis illius diei concionibus explicatur.

Cajet. in opuſc. de Conc. cap. 3.

XV. Litteras has, reſuſcitatis aliquando turbis, confirmavit Alexander VI. in Bulla: *Illius, qui ſe*: Concilium Tridentinum in decreto de peccato originali: Pius V. in conſtitutione: *Super ſpeculam*. Paulus V. in ſpeciali de hac re decreto, adjiciens inſuper propter tollenda ſcandala, ne deinceps quiſquam *auderet in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali*; & demum Gregorius XV. qui poſtquam approbaverat & confirmaverat ea, quæ ſui prædeceſſores de hac re ſtatuerant, propter eamdem cauſam *evitandi ſcandala, diſſenſiones atque diſcordias in populo Chriſtiano, Pauli decretum extendit & ampliavit etiam ad* pri-

Vide legatio. de Concept. ſeſſ. 2. orat. 7. §. 4.

privata colloquia & ſcripta, præcepitque omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſecularibus, quam Regularibus, ut in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac Divino officio celebrandis tam publice, quam privatim non alio, quam Conceptionis nomine uterentur. Poſt hæc tamen in litteris incipientibus: *Eximii atque ſingulares fructus, indulſit Ordinis Prædicatorum Fratribus, ut in quibuſcumque privatis eorum colloquiis ſeu conferentiis inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis de materia Conceptionis differere & tractare, abſque ullo pœnarum in dictis decretis contentarum incurſu libere & licite poſſint & valeant*. In hoc ſtatu conſtituta controverſia, neſcio unde proveniant quotidie tot lites & quærelæ, quæ utrinque excitantur, niſi ex imprudenti & inobedienti quorumdam ſpiritu, qui ſtatutos a ſummis Pontificibus fines tranſilire non verentur, & animoſe nimis invicem ſe impetunt, indiſcreto zelo, tenacique partium ſtudio, cæca libidine vincendi, modo huic, modo illi ſententiæ minus modeſte, & aliquando inepte ſatis detrahentes. Expectent pacato & tranquillo animo ultimum Eccleſiæ judicium, quod ſe aliquando laturam diſertis verbis ſpopondit, dicens: *donec articulus hujuſmodi a ſancta Sede Apoſtolica fuerit definitus*. *Vide bullam Regis pacifici & decretum Pauli V.*

XVI. Amadeus Luſitanus, poſtquam aliquandiu in Urbe hæſit, Sixti Pontificis deſtinatus obſequio, in Montis Aurei Cœnobio, ſolo pane & aqua ſemel in die contentus, nudis pedibus, pannoſa veſte incedens, horas duas ad ſe accedentibus diſtribuens, reliquas orationi & contemplationi modo in Eccleſia, ubi locus his verbis marmori inciſis. *Hic orabat beatus Amadeus*, deſignatur, modo in caverua ſeu Montis antro, ubi revelationes Divinas excepit, de quibus inferius meum promam judicium, tamdem hoc anno impetravit a Pontifice facultatem proficiſcendi in Galliam Ciſalpinam, ut ſuæ Congregationis Cœnobia viſitaret. Ubi Placentiam pervenit, accepit a quodam fratre Jacobo Tertii Ordinis Eccleſiam, ſub ſancti Bernardini invocatione ab eodem conſtructam, cui Fratrum addidit domicilium, ibique ut civium ſatisfaceret deſiderio, per aliquot menſes commoratus eſt. Quid autem de Conventu hoc actum ſit, ignoro; etenim inter ædes Religionis recenſeri non conſpicio. Hinc Mediolanum profectus, dum inde poſtea recedere Laudam verſus, Romam reverſurus intentat, dolore iliaco corripitur, qui ulterius procedentem magis divexans fecit redire. In domo ſanctæ Mariæ Pacis decumbenti ſupervenit febris acuta continua, & vehemens paſſio pleuritidis. His oppreſſus malis ſe moriturum cognovit. Sed ubi intempeſtive Guardianus Anſelmus a Majano ſacrum oleum afferret, dixit ſupereſſe adhuc aliquale vitæ tempus, & Guardianum ſe prius moriturum. Ita evenit; obiit enim poſt paucos dies ſummo mane in feſto ſancti Laurentii, & ſub Veſperas Amadeus virtutibus & ſanctitate illuſtris. Ejus mortem ita refert Donatus Boſſius civis Mediolanenſis, illius temporis ſcriptor, & qui Chronica, quæ vocant *Boſtiana*, anno MCCCCXCII. abſolvit: *Duodecimo*, inquit, *Auguſti beatus frater Amadeus, Ordinis ſancti Franciſci Mediolani moritur, multiſque miraculis & vivens & poſt mortem claret*.

Legenda MSS. Cimarol. 4. par. lib. 3. c. 23. Marian. lib. 5. c. 40. Marc. lib. 6. c. 30.

B. Amadeus recedit ab Urbe. Placentiæ Cœnobium adipiſcitur.

Ægrotat Mediolani.

Moritur miraculis illuſtris.

Chron. Boſſiana ad hunc annum

XVII. Dum ægrotaret, paulo ante mortem Prando Mappellus Mediolanenſis ſervo Dei ſatis familiaris, tredecim menſium febre gravatus, viribus deſtitutus, noctes atque dies ducens inſomnes, venit in cubiculum ejus benedictionem & ſuffragium petiturus. Accepta benedictione, domum regreſſus perfecte convaluit. Poſt mortem delato corpore in Sacriſtiam, adfuit quidam Guillelmus Eremita deputatus Cuſtodiæ Eccleſiæ ſancti Petri in Sala extra portam Vercellinam, & ad feretrum rogavit a tumefacti genu dolore liberari, ſtatimque liberatus eſt.

Aliqua ejus poſt mortem miracula.

XVIII. Poſtridie in Eccleſiam ducto funere, tanta repente irruit populi multitudo, ut per triduum corpus jacuerit inſepultum. Interim omnes ora manuſque contrectare, habitumque chordamque in reliquias diſcerpere, *Sanctum* acclamare, miracula quæ patrabat, admirari. Celebratis ſolemniter exequiis per clericos, variorum Ordinum Religioſos, Fratres Conventuales Cœnobii ſancti Franciſci ad portam Vercellinam, & domeſticos ſanctæ Mariæ Pacis, tamdem ſepultus eſt in capſula lignea coram Altari ſacelli majoris, ubi honorifice requieſcit, multæque appenduntur ad ejus ſepulcrum votivæ tabellæ, & lampades accenduntur. Ejus imago & nomen in magna ſunt veneratione: mantellus, aliæque ejus exuviæ ad infirmos non ſine occultæ virtutis fructu deferuntur. Mirum quod ſcribit Bzovius, & ſanctitati ac venerationi Amadei objicit, ſcilicet Minoritas Obſervantes, qui Romæ ad ſancti Petri Montorii ædes inhabitant, apud ſuam Eccleſiam ſepulcrum Amadei oſtendere, ubi neque ulla miracula, neque aliqua invocatio, neque tanta ſanctitatis, quanta Vaſconcellius, qui ſcilicet de eo ſcripſerat, memorat indicia. Neſcio qua fide quove ſundamento hæc aſſeri poſſunt: ego per annos ſex eo in Cœnobio commoratus, nullo unquam tempore hoc a quopiam ſomniari percepi, neque probabile aut credibile videtur, dum apud omnes in comperto & manifeſtum eſt, eum jacere in prædicto Templo Pacis Mediolani. Sed plura hujuſmodi Bzovii contra doctrinam etiam Amadei aſſerta inferius examinabimus.

Ubi ſepultus.

Bzov. an. 1471. n. 30.

Bzovius corrigitur.

XIX. Porro ad ſanctitatis indicia, aliqua libet hic referre miracula, quæ propter ejus merita Deus operari dignatus eſt. Magdalena Franciſci Tribuni Armamentarii conjux, quæ per annos ferme quinque incurabili laboraverat cancro, tacto Amadei corpore, dum jaceret in feretro, emiſſoque oblationis voto, ſanata eſt. Stephanus e Baſilica Petri Mediolanenſis civis, ab intenſo capitis dolore & nervorum luxatione; Vincentius Paſtegallus pictor ab hernia; Antonii Vincemala filius ab unius oculi cæcitate; Antonii Barenæ filia utroque orbata lumine, poſita ſuper oculos manu Amadei, liberati ſunt. Catarinæ Navi filius annorum viginti, ea laborabat inſania, ut matrem obvioſque percuteret, ubique turbas excitaret. Ductus ad Eccleſiam prædictam, dum ad feretrum propter populi preſſuram pervenire non poſſet, genitrix pileum, quem inſanus geſtabat, tradidit cuidam Minoritæ, ut corpus contingeret. Poſt contactum dum illa filio imponit, mentis compos penitus reſipiſcit.

Miracula quæ operatus eſt antequam ſepeliretur.

XX. Hæc operatus miracula, antequam ſepeliretur, poſtea patravit ſequentia. Frater Auguſtinus Ordinis Humiliatorum, inflammatis faucibus, inflatoque gutture ad mortem tendebat, nullumque ſperans humanum remedium, vovit ſe Amadei veneraturum ſepulcrum, & continuo ſe ſenſit liberatum. Catarina uxor Joannis Hungari Medici Mediolanenſis, graviſſimis doloribus colicis quatriduo afflicta, non manducavit neque bibit, neque potuit quieſcere. Cum nulla videretur vitæ ſpes ſupereſſe, recordata ſe domi habere partem cinguli, quo Amadeus erat in ſecreto præcinctus, juſſit afferri, eaque devote contacta, confeſtim dolor abſceſſit.

Et quæ poſtea patravit.

XXI. Catarina Longona Mediolanenſis cum eſſet gravida, magniſque æſtuaret febribus, Medici judicarunt ſolo abortu ab imminente vitæ periculo poſſe liberari. Illa remedium abhorrens, Amadeum, emiſſo voto, rogavit, ut compateretur. Paulo poſt reliquit eam febris, & uterum geſtavit uſque ad tempus opportunum, quo fœtum edidit incolumem. Franciſca Mediolanenſis neptem juvenculam uno latere claudicantem ad ſepulcrum duxit, oravit, ſacrum audivit, demum votum emiſit, & puellam ſanam redu-

Digitized by Google

xit. Inſuper meritis ſanctiſſimi Viri Margarita e Cruce a vehementi dolore ſtomachi, qui nihil retinebat, frater Bernardus Cremonenſis Minorita ab hernia, M. Palamides a Carpano, Amadeo familiaris, de quo alias locuti ſumus, a ruptura ex nimia agitatione equi contracta, liberantur. *Tom. 13. anno 1464. n. 41.*

XXII. Eliſabetha de Caimis hoc ipſo anno, ſub menſem Decembris, ignita ovi cruſtula, e camino in oculum ejaculata, graviſſime dolebat, lumenque illud perditum iri timebat. Alligavit particulam habitus Amadei, & die ſequenti, ſoluta faſciola, probavit nihil mali ſupereſſe. Antonius Bergomas Textor Mediolanen. filiam in extremis ex febri hectica, extinctis eodem malo aliis tribus filiabus, laborantem, ſimili remedio appoſitis Viri ſancti Reliquiis, eodem menſe curavit. Jacopinus de Curtis, filius Martini Cittadini, tenebatur in carcere Caſtri Portæzobiæ anno MCCCCLXXXIII. ſub diem ſextum Auguſti propter varia ſcelera, ex Ducis Mediolanenſis ſententia ſuſpendendus. Nocte præcedente diem ſupplicii, ſe totum pietati & meritis multorum Sanctorum, præſertim Amadei, ex corde commendavit. Hoc omnium poſtremo invocato eique voto emiſſo, ingens lumen refulſit in habitaculo, & a Ludovico Gubernatore die ſequenti liberatus eſt.

XXIII. Lucia e vico Pandini, filia Joannis de Curtis, & uxor Bertolini Picenini, armigeri Ducis Mediolanenſis, uteri dolore & ſanguinis profluvio per annos tres valde divexata, poſtquam Marito beatus Amadeus apparuit, & ille promiſit imaginem ceream duaſque faces ad ſepulcrum ejus appendere, cœpit melius habere, & poſt menſem unum perfecte convaluit.

XXIV. Anno MCCCCLXXXVI. Jacobus Pelliciarius ex Caſtro Leonis, filiolum biennem Joannem Franciſcum paralyticum Amadeo commendavit, & ad ejus ſepulcrum profectus, pro ejus ſalute impenſius oravit. Domum regreſſus, ab omni malo liberatum invenit.

XXV. Hæc ſunt, quæ de Amadei vita & miraculis ex fidis oculatiſque teſtibus, vitæ conſciis & totius peregrinationis ſociis dicenda habui. Doctrinæ diſcutiendæ difficilius onus incumbit. Circumfertur ejus nomine mediocre volumen revelationum, quas eum habuiſſe in ſpelunca quadam collis Janiculi, ſeu Montis aurei (corrupte Montorii) communiter fertur, & paſſim in ipſo codice indicatur. Hujus libri multa ſunt exemplaria, quæ avide perquiruntur, nimia curioſitate leguntur, & magno novarum occultarumque rerum pruritu in dies multiplicantur. Conſtat Raptibus octo, atque in his potiſſima noſtræ fidei myſteria diffuſe narrantur, & ultra quam rei Majeſtas ferat, minutim expenduntur. Ab Archangelo Gabriele prodit fuiſſe revelata, tacenda tamen & occultanda uſque ad præfinitum tempus & adventum Angelici Paſtoris, qui paſſim ibidem inculcatur venturus, multam in rebus Eccleſiaſticis reformationem introducturus. Multa quidem leviuſcula ſunt & revelatione indigna, quæ plane convincunt vel Amadei opus, vel ab Archangelo datum non eſſe, vel multis additamentis confarcinatum, & ab impoſtoribus fœde corruptum. Ita multi conſpirant auctores, quorum teſtimonia inferius adducemus. Attamen Abrahamus Bzovius, ex codicum collatione ab aliis, inquit, facta, eorumque ſimilitudine magis propendit, ut credat Amadeum auctorem fuiſſe. Sive tamen ille fuerit, ſive quis librum temeraverit, vehementer in eum invehitur, dicitque inſignem fuiſſe hæreticum, Pſeudo-prophetam & Impoſtorem; librum vero digniſſimum, qui flammis cremetur publico judicio, in quo videlicet omnia, quæ habentur, falſa, apocrypha atque ridicula, multa hæretica atque er-

Examinatur Liber Revelationū qui Amadeo tribuitur.

Bzov. an. 1471. n. 39.

Bzovii de illo aſperum judiciū.

erronea, incerta atque ex proprio cerebro deprompta, aſpere proclamat; atque ut ita eſſe perſuadeat, ingentem cumulum propoſitionum exſcribit, & in tres claſſes diſtinguit, prima hæreticas, ſecunda erroneas, falſas, obſoletas, tertia cantica, pſalmos, Apoſtolorum ſermones, eorumque in virginem Mariam elogia diſtribuit, mirabileſque cenſuras affigit.

Exceſſiſſe oſtenditur.

XXVI. Quidquid ſit de libri auctore, de quo inferius meum feram judicium; opus ipſum non adeo execrandum, abominandum, fanaticum & hæreticum eſſe, quantum Bzovius contendit, ut lectori manifeſte demonſtrem, non aliam adhibeo diligentiam, quam ut ex ſingulis claſſibus Bzovianis præcipua & graviora, quæ contra Amadeum profert, ex ipſo libro producam, & quam aliena ſunt ab iis, quæ Bzovius impingit, quamque longe recedant ab horrendis, quas affigit cenſuris, lectori judicanda committam. Prima itaque hæreſis, quod ſacrum titulum *Apocalypſis* ex libro canonico ſuffuratus ſit, & librum falſa & hæretica continentem, a futuro Pontifice Angelico, quem ſomniat, canonizandum eſſe aſſeveret. Ego aliquot vidi hujus libri exemplaria, nullo appoſito titulo, ab ipſis revelationum verbis ita auſpicantia: *Ego Amadeus fui raptus ex ſpelunca mea, ubi orabam &c.* Unum habeo multis capitulis & titulorum diviſionibus, ac ſubdiviſionibus, ad ſingulas materias appoſitis, diſtinctum, in cujus præliminari pagina hæc verba habentur: *Jeſus Mariæ Filius, Salvator hominum. Apocalypſis nova, ſenſum habens apertum, & ea, quæ in antiqua Apocalypſi erant intus, hic ponuntur foris, hoc eſt, quæ erant abſcondita, ſunt hic aperta & manifeſta.* Tres ſunt ſub eodem titulo in Bibliotheca Vaticana codices ſub numeris. 3825. 4671. 5680. & nihil harum habent partitionum, neque plures titulos quam opto Raptuum, abſque ſubjectarum rerum expreſſione. Totum opus, uti dixi, raptibus octo comprehenditur. Tot habet Titulorum diviſiones. *Raptus primus. Raptus ſecundus.* Deinde aliquos ſermones Joannis Baptiſtæ, & Domini Salvatoris adnectit. Quod ſi vero ipſe Amadeus illum *Apocalypſis* titulum præfixerit, id fecit Græce, quod alii Latine: non enim aliud ſonat *Apocalypſis*, quam *revelatio*. Quot vero fuerunt Viri ſancti, & fœminæ, præter illos qui referuntur in Concilio Romano ſub Gelaſio Papa, & habentur *diſt. 15. c. ſancta Romana*, qui integros libros ſacrorum Arcanorum ſub *Revelationum* titulo ediderunt? Alii inſuper ſub hoc ipſo nomine *Apocalypſis* libros ediderunt. Circumfertur *Apocalypſis Joannis Apoſtoli*, alia ab illa, quæ in ſacris Bibliis habetur. *Apocalypſis Petri* meminerunt Euſeb. l. 3. hiſt. c. 25. & l. 6. c. 14. Sozomen. l. 7. c. 19. *Apocalypſis Pauli*, Nicephorus Homologatus in Caoon. Sozom. citatus. Euſeb. l. 3. c. 3. *Apocalypſis Adami*, Epiphanius contra Gnoſticos. *Apocalypſis Moyſis*, Cedrenus & alii. Mutuare titulum libri Canonici non id vitium, ſed ſub Canonico titulo, vitia, hæreſes, errores occultare. Nullum in univerſa ſacra Scriptura ſanctius aut nobilius nomen libris præfigitur, quam *Evangelii*: atqui varia inſcribuntur Evangelia, Hebræorum, Nazaræorum, Ægyptiorum, Hebionitarum, Encratitarum, Jacobi, & aliorum, qui referuntur citato in Concilio Romano, in quibus non titulus, ſed quæ ſub titulo male congeruntur, recte condemnantur. Nazaræorum porro a noſtro in pleriſque diſcrepans, paſſim ab Origene, Hieronymo, Beda aliiſque commendatur, ex quo plures ſententias & verba depromunt. Sub titulis *Geneſeos*, *Proverbiorum*, & *Actuum*, alii etiam libri in prædicto Concilio relati prodierunt: itaque ſi ſub hac inſcriptione *Apocalypſis*, non eæ, quas conglomerat Bzovius, hæreſes neque errores contineantur, quod modo aggredior oſtendere, non inde hæreticus dicendus Amadeus, quod ille titulum Apocalypſis ſuo fortaſſis libro appoſuerit.

De titulo Libri.

Vide Sixt. Senen. l. 2. ſub lit. H.

XXVII. Se-

In princip. Raptus primi. De integritate & puritate fidei.

XXVII. Secunda, inquit, hæreſis eſt, quod revelata ſibi ea omnia (ſcilicet, quæ antea dixit falſa & hæretica) a Deo affirmet vel potius blaſphemet, adjuncta illa cauſali; *quia voluntas Dei eſt, ut multa vana & ſuperflua de fide ſua reſecentur*. Etſi apud indoctos & male affectos hæc verba peſſime ſonent, tamen apud viros doctos & pios alium obtinebunt ſenſum, quam Bzovius intendat. Non enim id voluit, ut in fide Divina & myſteriis a Deo revelatis vana ſint & ſuperflua, quæ reſecentur; neque hæreticorum quiſquam aut inſanus eo pervenit dementiæ, ut velit aſſerere, Deum cogitaſſe de purganda fide ſua, hoc eſt, a ſe revelata doctrina, quaſi vana & ſuperflua ipſe tradiderit. Sed ita intelligenda ſunt, ut Deus fidem Chriſtianam, puram velit & immaculatam, atque ablegari quæcumque minus neceſſaria, apocrypha, non adeo certa, qunrumdam inſcitia aut negligentia vel aliorum dolis erant advecta. Verba ejus ſunt: *Voluntas Dei eſt, ut multa vana & ſuperflua de fide ſua reſecentur, & ea quæ ſunt credenda, pure & ſimpliciter credantur*. Non ita hoc in Eccleſia novum, ut propterea Amadeus hæreticus & blaſphemus proclamandus ſit, quod a fidelium credulitate quædam hujuſmodi dixerit reſecanda. Ab exordio naſcentis Eccleſiæ quot fidelibus credenda obtrudebant, vel ſimplices viri, vel ſubdoli hæretici, ex confictis Evangeliis aliiſque libris, quos canonicns dicebant, deprompta? Quot hujuſmodi codices reprobarunt? Quot & quales hujuſmodi doctrinas vanas & ſuperfluas rejecerunt ſancti Patres, Hiernnymus præſertim & Auguſtinus? Quot Apocryphos libros Gelaſius Pontifex declaravit? Nonne & Martyrum acta ipſe teſtatur, *Secundum antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta Romana Eccleſia propterea non legi, quia, & eorum qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, ab infidelibus aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur*? Atque in hoc quidem ſenſu locutum auctorem iſtum manifeſte liquet ex iis, quæ habet raptu tertio, ubi ait, per Angelicum Paſtorem multa in fide manifeſtanda, quæ adhuc non ſunt manifeſta, & ſubjungit: *Canones & antiquas conſuetudines Patrum obſervabit, omnes pravas leges & conſuetudines extirpabit, bonas inſeret & plantabit*.

Cap. ſancta Romana d. 15.

De anima Chriſti.

XXVIII. Tertia hæreſis, quod raptu ſecundo cum Apollinari hereſiarcha animam Chriſti Deitatem fuiſſe ſubdubitet, & futuro Paſtori decidendum relinquat: cum tamen iſtud commentum jam multis ſeculis fuerit exploſum. Hoc vero inſigne Bznvii commentum eſt: etenim illo loco raptus ſecundi, nihil Angelus determinavit circa Chriſti animam, neque circa eam, uti ait Bzovius, ſubdubitavit, ſed in alium locum decidendum remittit. Decidit porro, & docte, ac Chriſtiane explanavit, quæ in hac re poterant deſiderari. Primo illo loco, a Bzovio citato, ita habet: *De anima Chriſti nihil dicimus hic: quia an habuerit animam ſicut habent ceteri homines, quæ fuerit alius ſpiritus a Deitate diſtinctus, videbitur loco ſuo contra multos errantes, ut Paſtor declarabit*. Illo autem loco, raptu ſcilicet quinto, in quo de Dominicæ Incarnationis agit myſterio, iterato & tertio Apollinaris rejicit hæreſim, ſanamque tradit doctrinam. Cum enim Archangelum ita interrogaſſet: *Quid opus fuit anima illi homini, qui erat Deus? nonne ſufficiebat Deitas ad viviſicandum?* tale accepit reſponſum: *Verum hominem opus eſt veram carnem humanam habere, & veram animam; ſi ergo animam Chriſtus non habuiſſet, quomodo verus homo fuiſſet? facilius eſſet facere hominem cum anima ſine carne, quam ut ſit homo habens carnem abſque anima; potior enim pars hominis eſt anima*. Secundo procul infra: *Chriſtus non fuiſſet homo verus ſine anima; homo enim non requirit ad*

ſuum

Digitized by Google

ſuum eſſe corpus & Deitatem, ſed corpus & animam. Tertio paulo infra, poſtquam docuit quod Chriſtus pro nobis omnibus meruit, ſubjunxit: *Ex hoc videri poteſt, quam ſtulte illi loquebantur, qui animam in Chriſto negabant, nam corpus ſolum mereri non poteſt, Deus ſolus nullo pacto mereri poteſt, quia militum eſt mereri; regis vero concedere pro meritis præmium*. Hoccine quæſo eſt ſubdubitare animam Chriſti fuiſſe Divinitatem? Immerito certe in his ſicut & in reliquis traducitur Amadeus.

De annis ab orbe condito.

XXIX. Quarta hæreſis eſt, quod multo plura annorum millia, quam ſacræ Geneſis ſcriptor ab orbe condito ad diluvium uſque & deinceps enumeret; fingens Geneſis ſcriptorem hominum generationes enumerantem, frequentius ab atavis in pronepotes tranſiliiſſe, adeoque multas annorum centurias prætermiſiſſe, citatque raptum tertium & quintum, ſed in quinto neque verbum quidem de hac re protulit Amadeus. In tertio vero ait, quod ſicut Matthæus in generatione Chriſti plures Reges omiſit, ita & Moyſes in generationum ſerie aliquos prætermiſit. Et quidem compertum eſt Matthæum tres reges præteriiſſe, Ochoziam, Joram, & Amaſiam; licet enim dicat *Joram genuit Oziam*, intelligendum eſt non genuiſſe immediate Oziam, ſed per alios interjectos, ſeu genuiſſe non tamquam filium, ſed tamquam abnepotem. Ozias namque non erat filius Joram, ſed filius Amaſiæ, & Jorami abnepos. Similiter in recenſu generationum apud Moyſen Gen. 11. conſtat evidenter deeſſe Cainanum Arphaxadi filium, & Sale genitorem, quippe quem loco & ſerie inter Arphaxad & Salem Lucas c. 3. & ſeptuaginta Interpretes reponunt. Audi vero de his diſſerentem Barradium: *Præterita eſt* (inquit) *a Moyſe hæc generatio, quem in modum Matthæus aliquas generationes præteriit, a* LXX. *vero Interpretibus & a Luca Divino ſpiritu, qui falli nulla ratione poteſt, addita*. Quod vero ei objicitur multo plura ſtatuiſſe annorum millia ab orbe condito, quam Moyſes enumeravit uſque ad diluvium & deinceps, omnino falſum eſt; neque enim de diluvio verbum habet, neque pluralitatem annorum cum Moſaicis, ſed cum iis, quos Hebræi & Chriſtiani recenſent, comparat maniſeſte. Cum enim Amadeus Angelum ita interrogaſſet: *Quot ſunt ergo millia annorum a creatione ſolis uſque ad Chriſtum? Hebræi enim minus temporis tranſiiſſe ponunt, quam Chriſtiani, & tu videris longe plus temporis ponere quam Chriſtiani*. Reſpondit Angelus: *Imo multo plus annorum præteriit quam vos dicitis. Quot autem millia ſunt, ego ſcio! ſed Dominus non vult ea palam facere ante adventum illius Paſtoris. Sicut enim de die illo noviſſimo nemo novit, ita & de prima die Mundi nemo ſcit. Nam dies ſeculi quis dinumeravit?* Quid hic erroris aut hæreſis poſſit redargui ego prorſus neſcio. Dionyſius Petavius, qui de ratione & calculis temporum duo ingentia ſcripſit volumina, dum pelagus difficultatum, quæ in ſupputatione annorum ab orbe condito paſſim occurrunt, ingreditur, ſtatuit in principio hoc ſundamentum, verbis Amadejanis valde conſorme: *Sed hæc primum diſceptationis ſumma ſit. Annorum ab orbe condito ad hæc tempora numerum, neque certa ratione compertum eſſe, neque citra Divinam ſignificationem poſſe comperiri. Errare proinde, qui id non modo certo definire audent, ſed qui alios inſuper, quod ad ſummam ſuam aliquid adjecerint, aut detraxerint, proterve atque arroganter inſectantur*. Ita porro incertus eſt hic annorum computus, ut Sixtus Senenſis prope triginta ſuppuiationes annorum ab ortu mundi ad Domini noſtri adventum collegerit, omnes inter ſe diſcrepantes, a bonis tamen auctoribus aſſignatas. Et vero ſi univerſas voluiſſet perſequi, ad quinquaginta recenſere potuiſſet. Qualis & quanta illa varietas & diſcrepantia chronologiæ ab initio Mundi, ab ortu Abra-

Barrad. tom. 1. concord. Evang. lib. 5. c. 29.

Eccli. 1. 2.

Petav. de doctrina tempor. lib. 9. c. 6.

Sixt. Senen. lib. 5. Bibliot.

Abrahæ, quam reperimus in libris Hebræis, noſtriſque Latinis, atque in Græcis codicibus LXX. Interpretum? Nam cum in illis tempus illud nonniſi mille nongentos & quadraginta octo annos contineat, in his habentur ter mille trecenti & quatuordecim. Deinde quis certo judicare auſit, utrum Abraham natus ſit ſeptuageſimo anno Tharæ, quæ ferme omnium eſt opinio, & quod ipſe Moyſes c. 11. Geneſ. indicare videtur, an vero natus ſit centeſimo & trigeſimo anno Tharæ, quod ex aliis Scripturæ locis quidam non ignobiles auctores ſatis probabiliter argumentantur. Ratio etiam temporum a Moyſe ad Davidem perplexa eſt & obſcura. Septuaginta item anni captivitatis Babylonicæ unde initium, & ubi finem habuerint, valde controverſum eſt. Poſtremo, tempora, quæ a liberatione captivitatis Babylonicæ ad Domini noſtri adventum tranſacta ſunt, in ſacris litteris non traduntur, ſed ea ex profanis Ethnicorum hiſtoriis petenda ſunt, quæ tamen inter ſe diſcrepant, nec æqualis ſunt fidei atque auctoritatis. Unde probe Nicolaus Lyranus in ſupradictum locum Eccleſiaſtici ait: annos mundi haberi cognitos ratione quadam probabili, non tamen certitudine infallibili. Claudo diſcurſum hunc verbis Petavii: *Temporum intervalla, quæ ab orbis initio ad Chriſti Natalem intercedunt, varie chronologi atque hiſtorici digeſſerunt, ſic ut neminem unum reperias, qui cum altero omni ex parte conſentiat. Facit obſcuritas rei, & argumentorum ad veri inveſtigationem inopia, ut impune cuivis, quod libitum erit, opinari liceat. Neque id vero magnopere reprehendendum, dum ea moderatione agatur: primum, ut ne certam illam & indubitatam quamcumque tibi præſcripſeris, temporis rationem eſſe velis. Tum, ut aliter ſentire, minime nefas arbitrare, ceterorumve ratiocinia temere condemnes.* Videat ergo lector, quam juſte condemnetur Amadeus.

Lyran. in cap. 1. Eccli.

Petav. citatus.

XXX. Quinta hæreſis eſt, quod affirmet raptu quinto, per peccatum Adæ nullum malum filiis illatum eſſe, ſed repoſitos dumtaxat in terminis naturalibus. Nihil horum habet in raptu quinto. Sed in tertio, ubi diffuſe de peccato & juſtitia originali reciprocat ſermonem, atque meo judicio Chriſtiane & Theologice de his ratiocinatur, aſſerit hominem ex conditione ſuæ naturæ non fuiſſe immortalem, neque illi debitam fuiſſe juſtitiam originalem: quam in duas qualitates diſtinguit, unam in anima inhærentem, qua homo gratus Deo reddebatur; alteram in corpore, quæ motus omnes inordinatos cohibebat, & a nocivis omnibus protegebat. Utraque vero qualitate per peccatum Adami ipſum & poſteros privatos fuiſſe affirmat, atque inde ſecutas inimicitiam Dei, mortem, rebellionem potentiarum: *quia*, inquit, *ablata illa qualitate, Deus reliquerat vires inferiores & ſuperiores in ſuis conditionibus naturalibus*; & addit: *Quando ergo Adam comedit cibum prohibitum, amiſit illam qualitatem pro ſe & omnibus filiis ſuis, ſicut & pro omnibus eam acceperat.* Et raptu quarto ait, poſteros Adæ incurriſſe propter ejus peccatum *privationem beatitudinis, immortalitatis, impaſſibilitatis, tranquillitatis, ſubjectionis potentiarum, errores & pænas alias.* An hæc cenſenda hæreſis Amadejana, an potius doctrina Chriſtiana?

De peccato Adami.

XXXI. Sexta hæreſis: *ibidem prædeſtinationem ex meritis prævisis ſub conditione & contingentia docet, ita ut ſolum præſcientiam reſpectu ſalvandorum, imo ne hanc quidem omnino agnoſcit, cum non abſolute prædeſtinari homines, contra Apoſtoli ſententiam affirmat.* Ita Bzovius, ſed aliter Amadeus, ex cujus raptu tertio (non quinto, ubi nihil de hac re habet) hæc verba exſcribo: *Primo Deus omnes ad vitam ordinavit, ſed cum conditione & clau-*

De prædeſtinatione.

Vide Vazq. 1 p. diſp. 89. cap. 2. & ſeqq.
Turrian. opuſc. de electio.
Catharin. opuſc. de prædeſt. & alios in 1. par. D. Thom. q. 23. art. 3.

& clauſula, ſi ita vixerint, & dies ſuos in bono compleverint. Secundo illos omnino acceptat, quos jam vidit conditiones & pacta ſua, ſaltem in ultimo hiatu ſervaturos. Do tibi ſimilitudinem: primum hominem Deus creavit ea intentione, ut numquam moreretur, neque dolorem ſentiret, non ſimpliciter, ac ſi omnino id vellet, ſed cum pacto, ſi mandatum non præteriret. An non multi Theologi impune hanc tradunt doctrinam? ut quid & cum illis ſentire non liceat Amadeo?

An peccatum originale in omnes tranſfuſum.

XXXII. Septima hæreſis raptu quarto: *Alios præter Chriſtum & Virginem Matrem a peccato originali præſervatos, imo ante Conceptionem ſanctificatos, idque ex meritis parentum, & aliorum juſtorum lacrymis conſtituit.* Verum eſt, ſubobſcure hic loqui Amadeum de Joanne Baptiſta. Ita aliqui codices & unus meus, trium, quos habeo vetuſtiſſimus. Poſtquam dixit, quod omnes poſteros Adami poſt ejus lapſum, ut inimicos Deus reſpexit, Genitricem autem ſuam numquam torvo vultu aſpexit, ſubjunxit: *Ab æterno denique Joannem Baptiſtam pro tempore, quo patri ſuo incenſum in templo offerenti, ego apparui & dixi: naſcetur tibi filius, privilegia ſpeciali Deus noluit ſubjici peccato originali, quia omnes, quando Adam peccavit, fuerunt condemnati, gratia privati, pro inimicis habiti, & maledictioni ſubjecti, præter Dominam & Reginam noſtram.* In multis codicibus corruptus eſt hic locus, variaſque habet lectiones. Intelligendum porro eſſe de ſanctificatione Joannis in utero, non de præſervatione a peccato originali, verba allata demonſtrant, & alia, quæ in principio diſcurſus de Conceptione Virginis Mariæ præpoſuit: *Nullus*, inquit, *eſt ex filiis Adæ, cui aliquando non fuerit iratus Deus, nullus eſt, quem pro aliquo tempore in ſua æternitate Deus non habuerit pro exule, & pro inimico præter hanc, de qua loquimur, omnium noſtrum Domina.*

De coarctatione Divinæ potentiæ.

XXXIII. Octava hæreſis eſt, quod raptu quinto cum injuria & coarctatione Divinæ omnipotentiæ aſſerat ad perfectionem univerſi pertinere, ut omnis poſſibilis conjugatio producta in eo reperiatur: Vere ego percipere non poſſum, quæ hinc injuria aut coarctatio Divinæ inſeratur potentiæ. Ecce Amadei vel Angeli diſcurſum: *Nonne ad perfectionem univerſi pertinet, ut omnis combinatio poſſibilis in eo reperiatur? Sunt autem tria, Deus, ſubſtantia, & accidens. Subſtantia vero una incorporea & ſpiritualis pura, ut Angeli, alia corporea pura, ut lapides & ligna. Et quia poterat eſſe ſubſtantia partim corporea, partim incorporea, ſi hanc ſubſtantiam Deus non produxiſſet, nonne perfectio magna Mundo defuiſſet?*

An Chriſtus corporaliter ante paſſionem in cœlum aſcenderit?

XXXIV. Nona hæreſis eodem raptu quinto, quod fingat *Chriſtum duodennem ad cœlos aſcendiſſe, & ibi pro diſcipulis cœleſtes manſiones ædificaſſe. Poſtmodum anno* XV. *Tiberii Cæſaris in terras deſcendiſſe, de quo licet conſtituat Angelos opinatores, & poſtea revocet in problema opinabile, tamen aſſerit & prophetat iſtud decidendam a futuro Pontifice.* Deus bone, quot hic falſæ contra innocentem accuſationes! Nihil hic de Tyberii anno XV. nihil de Angelis opinatoribus, nihil de problematica aut dubia doctrina a futuro decidenda Pontifice. Docte & ſane contrariam, & Catholicam ſententiam diffuſo proſequitur ſermone, quem etſi longiorem, quam velim lectori exhibere, cogor vel invitus exſcribere. Ita Amadeus: *Angele Dei, dicito mihi an Chriſtus ante paſſionem ſuam unquam in cœlum aſcendit ad Patrem?* Reſpondit Angelus: *Aliqui opinati ſunt Chriſtum Dominum ſtatim facta diſputatione in templo, a ſua matre licentia reverenter habita, ipſaque in templo Domini dimiſſa, in cœlum aſcendiſſe, ibique uſque ad tempus Baptiſmi Joannis manſiſſe, inducuntque ipſum Dominum de ſe loquen-*

quentem : Nemo aſcendit in cœlum , niſi qui deſcendit de cœlo : Et alibi ſcribitur : qui de terra eſt , de terra loquitur , qui autem de cœlo venit , ſuper omnes eſt . Sed iſti non intellexerunt myſterium redemptionis humanæ . Filius enim Dei factus eſt homo , poſtquam homo peccaverat , ut pœnis & miſeriis hominum ſubjectus abſque peccato , hominem a pœnis & miſeriis eriperet , & potiſſimum a pœna peccati . Unde in paupertate venit , non in divitiis , & ſervire ac miniſtrare , & non miniſtrari aut ſerviri . Non venit ut laute , glorioſe & ſplendide viveret , & divitiis cœleſtibus abundaret : ſed tum dives & divitiis affluens eſſet , propter vos egenus & inops factus eſt . Si autem in cœlo tamdiu manſiſſet , & in Paradiſi deliciis decem & ſeptem annis vixiſſet , videretur veniſſe pro quadam ſui majeſtate , & pro glorificando abſque ſudoribus illo homine aſſumpto . Et interpoſitis quibuſdam de anima & merito Chriſti , quæ ſupra partim exſcripſimus , ſubjungit : *ſemper ergo uſque ad mortem , & poſt reſurrectionem uſque ad aſcenſionem ſub cœli limitibus , & corpulentia manſit , & tunc primum aſcendit . Erat tamen in cœlo Empyreo intus , quia illud videbat in Divina eſſentia , ac ſi in illo eſſet .* Deinde diffuſius ſuper iſta diſcurrens , explicat ſupradicta loca Scripturæ , dicens , *quod nemo ſua virtute jugiter aſcendit in cœlum , niſi qui deſcendit , ut homo fieret . Qui ergo de cœlo venit , ſuper omnes eſt , quia ille qui carnem humanam aſſumpſit , eſt Dominus univerſorum .*

XXXV. Profecto piget pudetque in his immorari ; placuit tamen ex rebus adeo manifeſtis lectoris judicium circa reliqua , quæ ſubjungit Bzovius , provocare . Et quidem nihilo certiora ſunt illa , quæ ſub ſecunda claſſe coacervat . Valde in eum invehitur , quod ſeptem ſupremos Angelos ejuſdem ſpeciei ſuis nominibus expreſſos aſſignet , *quos* , inquit , *ex Cabaliſtarum inſomniis , vel ex proprio cerebro mentitur* . Et tamen hos ipſos Angelos , atque hæc eadem nomina habent boni auctores , Salmeron to.3.c.3. Laurent. Maſſellius l.3. de Beata Virgine c.5. Cornelius a Lapide in c.1. Apocal. & alii . Atque his ſeptem Angelis non ſolum Neapoli , Venetiis , Panormi , erecta ſunt templa , verum & Romæ , Thermæ Diocletianæ in magnificum , & ad miraculum ampliſſimum templum converſæ , eiſdem ſunt dedicatæ . De his large & plene agit citatus Cornelius , qui & in ſententiæ ſuæ patrocinium Amadei teſtimonium adſciſcit . Quod objicit de creatis Angelis per multa ſecula intelligibilia ante omnem diem illorum ſex dierum a Moyſe præſcriptorum in mundi creatione , docent etiam Origenes , Baſyl. Nazian. Ambroſ. Hieronymus , Hilarius , & alii , qui mitem adhibent expoſitionem verbis Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. in contrarium paſſim adductis . Quod habet de materia prima rudi & informi , ante primum ſex dierum producta , ſcripſit etiam Auguſtinus l.1. de Gen. contra Manichæos c. 7. & lib.11. de Civit. c. 9. & Gregorius Nyſſenus in c.1. Geneſeos. Expoſitionem illorum verborum præliminarium Geneſis *In principio* , id eſt ante omnem diem , habent etiam Baſilius & Beda , ſolem primo die , ſed informem & imperfectum creatum fuiſſe. Comprobant D. Thomas , Catarinus , Pererius , & alii : Atque hujus generis ſunt potiſſima quæque a Bzovio congeſta .

De nominibus ſeptem ſupremorum Angelorum.

An creati ſint Angeli ante mũdi conſtitutionẽ?

An ſit producta materia rudis ante primos ſex dies.

XXXVI. In tertia claſſe multa alias dicta repetit , & totum ferme librum in compendium ea phraſi & arte redigit , ut interjectis paſſim pungentibus & aculeatis verbis , univerſum opus reddat odioſiſſimum . Pſalmos & cantica propter varia collata generi humano beneficia , & patrata Divina myſteria , vel ab Angelis vel ab hominibus decantata ſubſannat ; ſermones ab Apoſtolis vel ſanctis hominibus habitos cachinnat , irridet , aliaque addit

irriſorie, & demum ita concludit: *Hæc pſeudo-videns*. Omitto alias nugas, fabulas, figmenta, deliria, blaſphemias, hæreſes, errores, hominis maleferiati ſomnia & impoſturas, non ſolum ridendas verum etiam execrandas, quas ſi Amadeus finxit & ſcripſit, judicium ſit penes omnes, an Sixtus IV. tali impoſtore, falſario, hæretico, pſeudo-propheta uſus fuerit ad ſacras confeſſiones, & ad munera hierarchiæ Eccleſiaſticæ, præſertim vero ad res fidei definiendas, ut aliqui volunt.

De libro Amadei judicium.

XXXVII. Mitius & clementius in his agendum erat, neque adeo exacerbandi manes hominis alias commendatiſſimi, & a probatis ſcriptoribus dignis elogiis condecorati. Sed is eſt Bzovii in rebus fidei zelus, ut tota hac acrimonia librum tot errorum ſeminarium putaverit eliminandum. Zelum laudo, & fervorem rectæ fidei retinendæ commendo: ſed vel fidem ejus in his, quæ retulit exquiro: vel majorem diligentiam in examinandis, quæ accepit, expoſtulem. Ait in principio hujus invectivæ hæc ab aliis excepta; & ego ea cuperem a Bzovio diligentius expenſa. Non id mihi ſtudium aut deſiderium librum defendendi, vel aliis obtrudendi, quem in ipſo ſuo ortu vel abortu cuperem ſuppreſſum, ſed famæ & virtuti Amadei, indigne traducti, vellem conſultum. Non hoc certe illius opus, neque probi aut docti viri partus; ſed chymerici & maleferiati cujuſdam Scotiſtæ commentum, qui putidis his revelationibus præcipuis ſuæ Scholæ opinationibus majorem voluit conciliare auctoritatem. Unde non immerito vir quidam gravis apud prædictum Cornelium dixit: *Angelus beati Amadei fuit Scotiſta*. Ita enim præcipua myſteria fidei percurrit, ut in ſingulorum explicatione ſemper Scoti præferat ſententias, & ad leviuſculas Theologiæ, imo & Philoſophiæ & Logicæ concertationes deſcendat, ac diſtinctionem formalem Scotiſtarum diſtinctioni rationis ratiocinatæ a D.Thoma traditæ præponat. Notionum in perſonis & ſignorum in Deo nullus eſt apud eum finis; paradoxa quædam, falſa multa, minus probabilia habet plurima, quæ tamen tamquam oracula ab Angelo accepta confingit. Paſtorem ſuum Angelicum cum tædio & nauſea legentium paſſim inculcat; jam tunc natum a ſe viſum pronunciat; cito in Sede Petri poſt tertium vel quartum a Sixto, qui tunc regebat, Pontificem conſeſſurum, multos fidei articulos traditurum, Divinis litteris ſacriſque Evangeliis plurima additurum, falſo prophetizat.

XXXVIII. Non hæc quidem Amadei, viri plane ſancti commenta ſunt, neque ab Angelo revelata. Ad pauca, quæ de futuro Eccleſiæ ſtatu, morum reformatione, regnorum mutatione illi prædixit Angelus, & hic ſcribi juſſit per Franciſcum Blondum, ad hæc a Domino præparatum (erat enim, uti ipſe in libro fatetur, Amadeus vir ſimplex & illiteratus) alii farraginem exoticarum adjunxerunt opinionum, eoque compinxerunt ordine, ut quid temeratorum, quid ſit Amadei, haud facile diſcernas. Hoc porro judicium eſt multorum; Marci Ulyſſiponenſis: *Librum hunc*, inquit, *multi ſuis imaginationibus & phantaſiis ita quidam auxerunt, ut jam non ſit Amadei, ſed eorum qui hæc coacervarunt*. Petrus Rodulphus: *Liber hic fictis imaginibus & commentis fuit a nonnullis corruptus, ut jam Amadei non ſit*. Antonius Vaſconcellius: *Is liber impiorum hominum artificio adulteratus, primam illam auctoritatem amiſit*. Cornelius a Lapide: *Chronica Ordinis ſancti Franciſci monent revelationes Amadei non extare puras, ſed iis varia a variis eſſe addita. Ego eas Romæ diligenter quæſivi, inveni, perlegi, itaque eſſe comperi*.

Marc. 3.p. lib.6. c.10.

Rodul. fol. 257.

Vaſconc. in deſcript. Regni Luſitan. pag. 526.

Cornel. l.1. Apocal.

XXXIX. Ferunt, Amadeum librum clauſum, ſigilliſque ſignatum Conſodalium commendaſſe cuſtodiæ. Et quidem Marianus narrat, a Dominico Gri-

Marian. lib. 5. c.40.

Grimano, tituli ſancti Marci, Ordinis Protectore, & Bernardino Carvajalio, tituli ſanctæ Crucis Cardinalibus, poſt plures annos primo apertum, lectum, & exſcriptum, & Bernardinum ſibi ipſi nimis complacentem ac blandientem, facile ex quibuſdam in libro contentis credidiſſe, ſe proximum fore Pontificem, ac propterea temere atque inſipienter conciliabulum Piſanum, inſanientium audacia celeberrimum, contra Julium II. coacervaſſe; ſed a Julio e gradu dejectum, omnium riſui & contemptui expoſitum, deriſorie ab omnibus Papam Andream vocitatum, etſi poſtea a Leone X. fuerit priſtino honori reſtitutus. Jam tunc cœpit publicari, & inſanis additamentis fœdari liber; quare multa ſub nomine Amadei in populum diſperſa, ejus fidem & virtutem vacillare fecerunt. Unde Cajetanus, illius ferme temporis ſcriptor, ex aliorum relatione librum hunc repellit. Ad illa enim verba ſancti Thomæ: *Singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiæ ſpiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, ſed ad humanorum actuum directionem*; hunc adjicit commentarium: *Nota bene contra novos Prophetas, & ſpecialiter quemdam Amadeum, qui, ut ajunt, librum edidit, novam doctrinam eorum, quæ ad fidei Chriſtianæ myſteria ſpectant, introducere conantem, & ſuos ſequaces ac ſimiles.* Novis deinde incrementis auctus hic codex, ſe ipſo major, ſed fide imbecillior evaſit; & proinde apud cordatos & doctos viros auctoritatis parum, ſed apud imperitos & prurientes auribus plurimum obtinuit. Frater Franciſcus a Montepolitiano, vir alias doctus, habitu & victu auſterus, egreſſus ex Eremitorio Montis Gargani, multa per Tuſciam ex hoc libro temere prædixit, quæ Vicarius Archiepiſcopi Florentini ea in urbe retractare coegit. Adeo ſe deluſum dolens, paucis poſt palinodiam diebus e vita deceſſit. Similia etiam ex eodem fonte vaticinatus frater Bonaventura Sublacenſis, Romæ in arce ſancti Angeli recluſus interiit. Alii inſuper ex eodem libro multa ſibi ſomniarunt. Mirum quod in vita ejus, a ſociis conſcripta, nulla hujus libri mentio habeatur. Thom. 2. 2. q. 174. ar. 6. ad 3.

XL. Hæc prolixius, quam ſoleam, de Amadei doctrina duxi explicanda, ne propter ſpurium fœtum & apocryphum opus vir vere bonus gravem pateretur nominis jacturam. Quid etiam ipſe de libro ſenſerim adjeci, ne quis mihi putaret placuiſſe, quem prorſus judico ſupprimendum: non quod eos contineat errores & hæreſes, quas Bzovius ab aliis acceptas exſcripſit, ſed quod non expediat, peregrinas quaſdam opiniones, nutantia dogmata, falſa vaticinia, prurienti imperitorum curioſitati committere, & quorumdam de re Eccleſiaſtica non adeo pie ſentientium judicio ſubjicere. Porro Amadeus habuit multos ſuæ vitæ ſectatores, & ſanctitatis æmulatores, præſertim Georgium de Valle Camonica, Ægidium de Monteſerrato, Joannem Alemannum, & Bonaventuram Cremonenſem: quibus maxime in regimine novellæ Congregationis ſuccedentibus, mirum in modum dilatari cœpit, ita ut in unica tantum Provincia viginti octo obtinuerit Conventus. Subtracto patrocinio ſui inceptoris vel fundatoris Amadei, propitiari voluit Sixtus Pontifex hoc anno, commiſſa aliis per litteras Apoſtolicas ſodalitii tutela, & confirmatis omnibus eo uſque conceſſis privilegiis.

Dilectis filiis Præpoſito Præpoſituræ de Vicoboldono, Mediolanen. diœceſis, & Primicerio Mediolanen. ac Romano de Barni Lauden. Eccleſiarum.

XLI. *Hodie dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, de Societate quondam Amadei de Hiſpania nuncupatorum,* Ex originali.

Confirmat Sixtus privilegia Amadeitarum, præſcribitque Conſervatores.

rum, quod prætextu quarumvis litterarum noſtrarum ad obedientiam & domos Vicariorum & Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, a quibus receſſiſſent, redeant, aut aliqua alia contra tenorem privilegiorum dicto Amadeo, & eis dudum per nos conceſſorum, quo approbavimus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decrevimus, faciant inviti, compelli non poſſent, conceſſimus, ac Vicariis & Fratribus prædictis, de Obſervantia nuncupatis, & quibuſvis aliis, ne eos, quominus vitam ducere poſſint, prout hactenus ſoliti fuerant, impedire ſeu perturbare præſumerent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda inhibuimus, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aat unus veſtrum, ſi & poſtquam dictæ litteræ vobis præſentatæ fuerint, per vos vel alium ſeu alios præmiſſa, ubi, quando & quoties expedire cognoveritis, fueritiſque deſuper pro parte Vicarii & Fratrum Societatis prædictorum legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, ac eiſdem in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eos per quoſcumque contra illorum tenorem indebite moleſtari, & illos, quos contrafaciendo inhibitioni prædictæ, dictam excommunicationis ſententiam incurriſſe conſtiterit, excommunicatos publice nuntietis, & faciatis ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arctius evitari, donec inhibitioni prædictæ parendo meruerint a dicta excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium obtinere. Non obſtantibus, quæ in dictis litteris voluimus non obſtare: ſeu ſi Vicario & Fratribus de Obſervantia præfatis vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum Romæ apud S. Petrum, anno MCCCCLXXXII. *x. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno* XII.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, Societatis quondam fratris Amadei de Hiſpania nuncupatorum.

Ex originali.

XLII. *DEvotionis augmentum vobis provenire confidimus, ſi ſuper his, quæ pie cupitis, nos benignos & favorabiles habeatis. Veſtris igitur devotis ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula privilegia, gratias, conceſſiones & indulta, quondam Amadeo de Hiſpania & ſociis ejus Ordinis Fratrum Minorum, de Societate ejuſdem fratris Amadei nuncupatorum profeſſoribus, tam ſuper domorum ſeu locorum ad inhabitandum de novo receptione, quam alias quomodolibet in genere vel in ſpecie per nos conceſſa, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis haberi volumus, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus, ſupplemuſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: ac vobis, quod prætextu quarumvis litterarum, quæ a Nobis emanaſſent vel in poſterum emanarent, etiam motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ad aliqua contra privilegiorum hujuſmodi tenorem, & præſertim ad redeundum ad domos Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, ſeu in eiſdem domibus commorandum, a quibus jam receſſiſtis, ſeu aliqui veſtrum receſſerunt, inviti compelli non poſſitis, eadem auctoritate concedimus: ac dilectis filiis Vicariis eorumdem Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, ac quibuſvis aliis, ne vos*

vos quominus ſub obedientia Generalis Miniſtri dicti Ordinis vitam ducere poſſitis, prout hactenus ſoliti fuiſtis, impedire ſeu perturbare directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, publice vel occulte præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, præfata auctoritate inhibemus: & quod per quaſcumque litteras & conceſſiones, quæ a nobis & a Sede Apoſtolica in poſterum emanabunt, litteris & in eis contentis, approbationi, conceſſioni & inhibitioni prædictis derogatum non cenſeatur, niſi in eis de præſentibus litteris & in eis contentis, confirmatione, conceſſione & inhibitione noſtris prædictis de verbo ad verbum mentio fieret, non autem per clauſulas generales, quæ hujuſmodi mentionem importare viderentur, eadem auctoritate decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento &c. roboratis ſtatutis &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, conceſſionis, inhibitionis & decreti infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCLXXXII. X. *Kalendas Octobris, anno* XII.

Moritur Ludovicus de Varca. *Monum. MSS. Prov. Polon.*

XLIII. Ex humanis abiit hoc anno Ludovicus de Varca Polonus in urbe Varſaviæ, inſignis Prædicator, ad quem audiendum tanta conveniebat multitudo, ut in plateis & foris frequenter oportuerit concionari. Corporis animique puritate, humilitate, patientia, & caritate ſuis Conſodalibus prælucebat; ſi aliquod in familiari colloquio excidebat verbum inconditum aut incaute prolatum, diſceſſurus veniam poſtulabat. Humiliter de ſe ſuſpicatus, multoties comedebat in terra, dum reliqui menſæ aſſiderent. Injurias abſque ulla animi commotione hilari vultu perſerebat. Obiit non ſine ſanctitatis opinione, quam Deus uno aut altero comprobavit miraculo. Quidam Pellifex Varſavienſis, deſperatione actus, collum veru transfixit; ſed ad cor reverſus, facti pœnitens, voto emiſſo de viſitando Ludovici ſepulcro, rogavit ut ab imminenti mortis liberaret periculo: ſtatim ſanatus veru cereum, donarium, tabellamque votivam ad ſui liberatoris tumulum ſuſpendit. Mulieri cuidam per decennium claudæ & graviſſima infirmitate oppreſſæ apparuit, dixitque ut ad ſuum portari curaret ſepulcrum, ubi reſtituta protinus ſalute, domum læta regreſſa eſt.

Et alii pii Poloni.

XLIV. Sæviente peſte in eodem regno Poloniæ, objerunt multi Viri pietate & virtute commendabiles, præſertim Laurentius & Leonardus, quorum cognomina nos latent. Ille, vir venerabilis, ſimplex & rectus, timens Deum, in oratione aſſiduus, peſte occubuit; hic ad Capitulum Generale anno præcedenti Provinciæ Diſcretus deſtinatus, vir admirandæ ſanctimoniæ, in ſenectute bona deceſſit ſub veſperam, ſeu in ipſa nocte præcedente feſtum ſancti Michaelis Archangeli, poſt perpeſſos multa patientia intenſiſſimos totius corporis dolores. Stanislaus de Pecina Guardianus Bidgoſtienſis vidit ei præparatum ſpecioſum palatium, præcedente Angelorum melodia. Guardianum egit Cracoviæ & Leopoli, curamque egit Novitiorum. Ea fuit modeſtia, externa membrorum compoſitione, & morum gravitate, ut eum junioribus Magiſtri, & ſuperioribus tamquam exemplar proponerent imitandum.

Item Joſephus Eugubinus. *Cod. MSS. Prov. S. Franc. Tom.* 13. *anno* 1461. *n.* 31.

XLV. Obiit etiam hoc anno die V. Octobris Spoleti in Umbria vir vere bonus, & omni præditus virtute, Joſephus Eugubinus, de quo alias locuti ſumus, per quem Obſervantum Inſtitutum magnum accepit incerementum; ſepultus eſt in Conventu ſancti Pauli extra Urbem, quem omnium primus gubernavit.

Atque Antonius Bonfadinus.

XLVI. Cotiniolæ in Romanula deceſſit hoc anno beatus Antonius Bonfa-

Digitized by Google

Marian. cit. c. 47. Rodul. fol. 75. *Gonz. in Provin. Bonon. Conv. 22.*

ſadinus Ferrarienſis, Theologus & concionator inſignis, dum poſt peregrinationes multas e Hieroſolymis regreſſus illic cum fructu prædicaret. Sanctitatis fama celebrem ſepelierunt in Eccleſia collegiata ſacerdotes ſeculares. Miraculis in vita & poſt mortem floruiſſe ſcribit Gonzaga. Vivens facto ſigno Crucis, fractum cujuſdam pueruli brachium conſolidavit; mortuus innumeros homines a variis infirmitatibus liberavit. Quidam ex illis ſacerdotibus ſecularibus alium ſacerdotem amicum, eodem, quo jacebat Antonius ſepulcro volens humare, corpus iſtud indecenter juſſit exhumari, ſed adeo immobiliter terræ adhæſit, ut nullo modo illinc poſſet dimoveri. Extructo demum Cotiniolæ Obſervantum Conventu, illuc etſi invitis Clericis ſecularibus, poſt longam contentionem translatum eſt corpus ejus, & adhuc conſervatur integrum, licet per menſes duodeviginti humido & aquoſo jacuerit loco. Sepulcro illius marmoreo ſequens inciſum eſt epitaphium.

D.O.M. AC DIVO ANTONIO FERRARIENSI.

Hoc Bonſadini ſaxo pia buſta teguntur
Antonii: hic viſit ſancta ſepulcra Dei.
Confeſſorque fuit Domini, verbumque Tonantis
Edocuit populos, Chriſticolaſque fidem.
Pro meritis heu quanta facit miracula divi
Franciſci miles, venit in aſtra poli.

Et Pacificus Novarien. *Marc. 3. p. lib. 6. c. 40.* *Marian. citat. Ann. 1481. n. 7.* *Hiſtor. Novar. lib. 1.*

XLVII. Obiit hoc anno in Sardinia, non in Corſica uti habet Marcus, neque ibi ſcripſit Summam Pacificam, ubi per unum tantum annum vixit, Pacificus Novarienſis, ſive potius Ceredanenſis, quem anno præterito diximus illuc deſtinatum Commiſſarium. Hoc anno deceſſiſſe, mihi conſtat ex regiſtro veteri Obſervantum, in quo notatum, Vicarium Generalem, Florentiæ die XIV. Junii hoc ipſo anno inſtituiſſe Commiſſarium Sardiniæ Michaelem Aquenſem, celeberrimum Prædicatorem, *propter obitum*, inquit, *Pacifici a Novaria*. Ita porro de eo habet Carolus a Baſilica Petri Epiſcopus Novarienſis: *Ceredani Vicus uti Ticino proximior, ita amœnitate aliis præſtare videtur: præſtat vero magis beato viro Pacifico, quem protulit, & cujus corpus tenet. Natus dicitur ex familia hujus vici Ramota, Ordinis fuit Franciſcani, doctrina ſanctitateque inſigni. Librum compoſuit anno* MCCCCLXXIII. *Sixti IV. Pontificatus anno 11. de caſibus quos conſcientiæ dicunt, qui ab ejus nomine* Summa Pacifica *dicta eſt, nuncque impreſſus lectitatur. Ejus uti prædicatoris verbi Dei & Commiſſarii Apoſtolici in Pontificia indictione, quæ* Cruciata *dicebatur, promulgata contra Turcas, qui nonnullas Italiæ oras occupaverant, legimus litteras quaſdam Ceredanenſibus conceſſas anno Domini* MCCCCLXXXI. IX. *Septembris die. Corpus ejus artubus adhuc compactum palpatur, veſtitum* Ordinis *indumento: & antiqua conſuetudine ob famam ſanctitatis ſervatur in Altari ædiculæ, quæ majori Eccleſiæ adjuncta eſt ad meridiem; ubi precibus, votis, oblationibuſque fidelium colitur ut Beatus, præſertim poſtridie* Nonas *Junii, quo die magna Ceredanum convenit multitudo, venerandi viſendique corporis gratia. Deeſt caput tamen, quod in Eccleſiæ majoris Altari aſſervatur, & digitus dextræ manus, qui Mortarii dicitur haberi, brachium quoque ſiniſtrum, quod in Sardinia ſervari fertur, ubi diem ſuum vir beatus obiit, & unde corpus olim transferri curarunt Ceredanenſes, uti patrium ſolatium præſidiumque; quo loco mox etiam hoſpitium ejus* Ordinis *fundavere.* „ Jam nunc & Ceredanenſes & alii

„ & alii populi, quos ſibi beneficiis devixit, & in dies devincit, Canoni- „ zationem ejus urgent & petunt a ſancta Sede, quam de Viro ſane opti- „ me merito decernendam ſperant. *ADDITIO ALIORUM.*

XLVIII. Florentiæ in Conventu ſancti Salvatoris obdormivit in Domino plenus dierum & bonorum operum, Benedictus Florentinus, ea in urbe natus, diſcipulus & ſocius beati Thomæ de Scarlino, ſui conterranei, de quo jam fuſius locuti ſumus. Dum adhuc faſciis involutus jaceret in cunis, pauperi ad oſtium mendicanti, dum nullus adeſſet, qui panem porrigeret, dixit ut ad oppoſitam arcam pergeret, & inde panem aſportaret. Fuit vir ſimplex ac timens Deum, ſine fuco, ſine dolo, ſemper hilaris, omnibus gratus. Quadraginta annis Societatis Cippi apud Florentinos celeberrimæ & frequentiſſimæ fuit corrector. Ambire Religionis ſuæ officia numquam voluit, neque admiſit niſi coactus. In perpetua mortificatione ſui corporis, in arcta paupertate, in ardenti caritate, & omnium chariſmatum gratia dies ſuos feliciter tranſegit, & tamdem ſanctiſſime conſummavit.

Benedictus Florentinus. Marian. cit. Gonz. in Provin. Tuſcia Conv. 9. Tom. 11. an. 1447 n. 20. & ſeqq.

XLIX. Piſis in Conventu ſanctæ Crucis hoc etiam anno deceſſit, dum in Eccleſia Cathedrali conciones haberet Quadrageſimales, Antonius e Caſtro ſancti Joannis in Valle Arnenſi, vir vere ſanctus, omni virtutum genere a Deo inſignitus, in lingua Latina & Theologia myſtica ſupra coetaneos eruditus. In ſumma paupertate delicias omnes reponens, memoria pro libris utebatur, conciones & quæ ex variis codicibus colligebat, in litterarum fragmentis adnotabat. In oratione & vigiliis aſſiduus, ſuper utriuſque hominis puritate vigilabat attente, in converſatione mitis & placidus, populo multum amabilis, clero ſuper omnes gratiſſimus. Ingenio erat acutiſſimo, & memoria admirabili, ex roſtris dicebat eloquenter & efficaciter, numquam ſine fructu; ita ut vere illi dictum putes: *Ego elegi vos ut eatis, & fructum afferatis*, tales enim tamque uberes produxit fructus, ut mirum ſit unum pauperculum & deſpectum hominem tot potuiſſe res inſignes operari. Adoleſcentes multos & puellas nobiles a ſeculi turbis ad Religionis quietem perduxit. E multis locis Judæos expulit, in aliis eorum uſuras repreſſit, inſtitutis pro pauperum commoditate Montibus Pietatis, quorum primum in ſua patria ſeu Caſtro ſancti Joannis erexit. Scholas puerorum & Societates diſciplinatorum efformavit, ſuos Conſodales ad meliora quæque chariſmata excitavit, & declinantes a Regulæ Obſervantia ad ſemitam revocavit, multoſque ad loca deſerta & paupercula ab eo conductos narravimus ſuperius: ſancto tamdem ſine quieſcens, diu jacuit inſepultus, accedente univerſo populo, apud quem *Viri ſancti* nomen obtinuit, ut corpus contingeret, aut quidquam e veſtibus aut capillis decerperet. Forte accidit ut inter alios cæcus accederet, qui oſculata manu, lumen recepit.

Antonius a Caſtro S. Joannis. Marian. cit. Marc. cit. c. 47. Gonz. citat. Conv. 13. & 15.

Joann. 15. 16.

Ann. 1475. n. 17.

L. Floruerunt hoc tempore in Inſula Corſicæ Viri ſanctitate conſpicui. Petrus de Brieta, per omnem vitam ad ultimam uſque ſenectutem auſteræ vir pœnitentiæ, promptæ obedientiæ, rigidæ paupertatis, orationis & contemplationis aſſiduæ. Magnas & multas, quas recipiebat conſolationes, & Divinas viſiones diligenter occultabat, nec aliquando induci potuit ut revelaret, niſi ſevere præcipiente Guillelmo Sproncata Provinciæ Vicario. Viconſtrictus obedientiæ dixit, ſe in Cœnobio Aligani in Eccleſia orantem ſæpe a dæmonibus fuiſſe multis terriculamentis perturbatum, & feraliter percuſſum, & beatam Virginem vibices ex flagellatione inflictos ſanaſſe, traditoque in ulnas infantulo Jeſu ineffabili lætitia recreaſſe. Senio confecto, & extrema infirmitate laboranti aſtitiſſe beatam Virginem Mariam, choro circumdatam Angelorum & Virginum, eique cibos miniſtraſſe vidit Mar-

Florent Viri pii in Corſica. Marian. l. 5. c. 43. Marc. lib. 6. c. 36. Petrus de Brieta. Bzov. ann. 1480. n. 47.

Marcus de Traoncha infirmarius, tantæ virtutis vir, ut & ipſe frequenter eamdem Deiparam videre & alloqui mereretur. Obiit Petrus ſanctiſſime in Conventu Bevalliæ; perperam alii aſſignant Cœnobium Aligani.

Leo de Petra Buni.

LI. Eodem loco jacet Leo de Petra Buni laicus, per beatum Thomam Florentinum Scarlini initiatus. Rigoroſo jejunio, aſſiduiſque vigiliis vehementi contracto capitis dolore, medicorum & ſuperiorum præcepto poſt matutinum ibat cubitum; antea enim noctes omnes ducebat inſomnes in Eccleſia, vel genuflexus muro innixus, ſomnum potius libabat quam ducebat. Ab aurora ad prandium ſacerdotibus ſacrificantibus inſerviebat, & ſacrarii mundabat utenſilia. Triginta annis aſſuetus vitæ activæ & orationi vocali, eam gratiam conſecutus eſt contemplationis, ut per ſeptem integras horas abſque ulla mentis diſtractione meditaretur attente cœleſtia. Interrogatus a fratre Luca de Aligano, quomodo adeo firmiter contemplandis hærebat cœleſtibus? *Hæc*, inquit, *te docere non poſſum: ſolus qui intus regit ſpiritus, & qui potentias dirigit, poteſt propalare magiſter.* Prophetiæ & conſilii donis illuſtratus, ſi quæ ab eo quærebantur reſponſa, in ſequentem producebat diem, illaque nocte Deum conſulebat; mox abſolute, clare, & abſque ambagibus mira ſimplicitate vel oracula promebat, vel ſalutaria dabat conſilia. Nihil prædixiſſe viſus eſt, quod non eo, quo dicebat modo ſequeretur.

LII. Anno præterito, quo Ferdinandus Neapolitanorum Rex & Alphonſus filius Calabriæ Dux, copiis adjuti Pontificiis, Hydrunto expulerunt Turcas, die x. Septembris ipſo illo tempore, quo in Chriſtianorum poteſtatem Civitas redacta eſt, ſub horam tertiam ex Eccleſia, ubi orabat, ignita facie proſiliens clamabat in clauſtro: *Bona nova, bona nuntia Fratres; nunc Turcæ Hydrunto expulſi ſunt, numquam illuc reverſuri.* Signata die & hora, compertum fuit veriſſima dixiſſe. Quibuſdam mercatoribus de ſua nave, quam ſubmerſam vel captam timebant, ſollicitis dixit, bono eſſent animo, ſalvam eſſe citoque appulſuram. Eo ipſo die ad portum applicuit. Fratrem Aloyſium conſodalem, ex nimia pœnitentia, magniſque vigiliis in amentiam actum, fuga in campeſtria elapſum, neque ullibi comparentem, prædixit inveniendum, & mentis compotem religioſe deinceps victurum. Poſt dies a fuga decem in ſpelunca ſemianimem paſtor reperit, cibo refecit, domum reduxit, atque ille in ſe reverſus, reliquam duxit vitam religioſiſſime. In prædicto Bevalliæ Cœnobio prædixit infra annos tres totidem ſenes deceſſuros. Infra eumdem terminum primus obiit frater Jacobus vir optimus, ſecundus ſupradictus Petrus Brietanus, poſtremus ipſe Leo, omneſque eodem conditi ſunt ſepulcro.

Legenda MSS. Bernardinus Feltrenſis prædicat Ferrariæ.

LIII. Bernardinus Feltrenſis juſſus hoc anno prædicare per Quadrageſimam ad Aram-cœli in Urbe, dum per Ferrariam illuc proficiſceretur, ea in Civitate aliquos habuit ſermones. Sed dum in uno in ſcandaloſos peccatores vehementer inveheretur, vocemque urgeret, ramicem incurrit,

Et Romæ.

quo laborantem malo, ſocius validus & lacertoſus Antonius a Ripario, in itinere plurimo levavit labore, per rivos & loca nivibus obſita humeris portando, & neceſſaria quæque male habenti procurando. A Dominica ſeptuageſimæ concionari incœpit, creſcente ſemper auditorio. Nullus ſine Cardinalibus dies, nullus ſine multorum Prælatorum interventu. Perpetuum habuit auditorem & beneficum amicum Joannem Franciſcum Pavinum, nobilem Juriſconſultum, cujus inſignis eſt ille tractatus contra Hebræos Tridentinos, beati pueruli Simonis, de quo ſupra dictum eſt, occi-

Anno 1475. n. 26.

ſores, & opuſculum de virtutibus & canonizatione ſancti Bonaventuræ a no-

nobis ſupra commendatum. Cardinalis Agrienſis, qui primo aſpectu contemptibilem ob humilem ſtaturam reputavit, poſtquam ſemel dicentem audivit, deinceps adſuit quotidie, & in ſummo habuit honore. Abſolutis concionibus, veneratus Pontificem Sixtum, ad quem ſingularis doctrinæ fama præceſſit, juſſus eſt quidquam petere, ſed ille gratias agens, dixit ſe nihil egere. Oblata ei poteſtate ad abſolvendum a quibuſcumque caſibus, etiam per Epiſcopos reſervatis, humiliter reſpondit, ſe nolle Epiſcoporum æmulari aut uſurpare poteſtatem; peccantium magis intereſſe, paucioribus tantam conferri facultatem; ſic enim magis peccare cavebunt, quæ difficilius abſolutionis beneficium conſequentur. Dum adhuc urgeret Pontifex, ut aliquid vellet: *Rogo*, inquit, *beate Pater*, *ut pro te orantibus mihi & ſociis indulgentiam largiaris peccatorum*, *& lucrum ſacrum ſtationum Urbis ubique peregrinantibus liceat acquirere*. Libenti animo Pontifex utrumque conceſſit.

Anno 1482. n. 7.

LIV. Roma in patriam regreſſurus, in oppido Campaniani aliquot habuit conciones. Sed, cum in die feſto in campo, quo prædicabat, duæ ſponſæ novellæ cum aliis tripudiarent impudice, nec ad ſermonem vocantibus vellent accedere, brevi ſupplicium ſenſuras prædixit, pauloque poſt illæ e vita diſceſſerunt. Poſtquam ad Montem Acutum in Etruria honorifice habito licuit exuvias ſui Præceptoris conſpicere, habitum ſcilicet, ſub quo quinas Chriſti ſuſcepit cicatrices, Florentiæ aliquoties e ſuggeſto dixit ad populum. Cum per Ferrarienſem agrum tranſiret, objectum eſt Venetos, quorum ſubditus erat, ad ſuas paludes cogendos, & pauperes fore piſcatores: *At*, inquit ille, *hoc pro certo habete*, *hos veſtros Regulos Ferrarienſem & confœderatos*, *qui in Rempublicam Venetam conſpiraverunt*, *præcipuas alarum pennas amiſſuros*, *nec adeo in excelſum volaturos*. Vere dixiſſe, poſtea compertum eſt, redactis in Venetorum poteſtatem aliquot arcibus inimicorum. Bononiæ ad ſanctum Petronium, Regii in publico foro, & Novellaræ, demum Mantuæ multos habuit ſermones. Hic tandem ſubſtitit, donec anno ſubſequenti, jubente Sixto Pontifice, per Franciſcum Gonzagam Cardinalem Legatum a latere, miſſus eſt Ferrariam conciones habiturus quadrageſimales.

In oppido Campaniani.

Ad Montem Acutum Florentiæ.

Per agrum Ferrarien.

Bononiæ, Regii, aliiſque in locis.

LV. Alterius Minoritæ etſi ſanctitate, non tamen prædicationis gloria inferioris, ante unum vel alterum annum ad Epiſcopatum Aquinatem aſſumpti, Roberti ſcilicet Licienſis, de quo ſæpius dictum eſt, frequens incidit mentio iſto anno in Diariis Volaterrani. Huc collectim transfero, quæ ſparſim ille notavit: *Dominica*, inquit, *quarta Quadrageſimæ*, *die* XVII. *Martii*, *poſt veſperas Robertus Licienſis ex Ordine Minorum*, *Aquinas Antiſtes*, *Divini verbi toto orbe celeberrimus concionator*, *prædicavit in Baſylica ſanctæ Mariæ Majoris*. *Sermoni interfuerunt Cardinales ſeptem*, *Catarina Galeatii Ducis Mediolanenſis filia*, *uxor Hieronymi Riarii*, *Pontificii Adminiſtri & nepotis*, *populus vero tam frequens utriuſque ſexus & omnis conditionis*, *ut locus tantam multitudinem capere non potuerit*. Infra. *Die Lunæ* XXV. *Martii*, *quo celebratur Annunciatio beatæ Mariæ Virginis*, *tempore pomeridiano in area Minervæ prædicavit Licienſis*. *Auditores fuere innumeri*, *inter hos Cardinales quinque*. Paulo infra. *Mane die Veneris in Paraſceve*, *Robertus*, *Aquinas Præſul*, *in area ſancti Laurentii in Damaſo*, *immenſo prædicavit populo*, *atque inter concionandum extulit ſimulacrum Crucifixi Salvatoris noſtri*. *Lacrymatus eſt ipſe*, *& multis identidem lacrymas excuſſit*.

Robertus Licienſis magno applauſu prædicat Romæ.
Diaria Sixti IV.

LVI. Multas diximus ſupra a Sixto Pontifice gratias & indulgentias con-

Anno 1476. n. 66.

Digitized by Google

Declarantur Indulgentiæ cõceſſæ Clariſſis Fulginatenſibus.

conceſſas fuiſſe Clariſſis Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginatenſis, ad primævum ſub ſancta Clara Inſtituti rigorem tunc redacti. Timentibus autem Sororibus, ne quæ ſuperventuræ erant Moniales, ab his donis judicarentur excluſæ, has litteras miſit, ſignificans ſe tunc præſentibus, & deinceps futuris ea diſtribuiſſe.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginaten. Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia.

Ex originali.

Dilectæ in Chriſto filiæ, ſalutem &c. Deſideratis, ut nuper pro nomine veſtro Nobis fuit expoſitum, quod gratiæ ſpirituales vivæ vocis oraculo vobis per Nos, dum ad veſtrum locum acceſſimus, conceſſæ, ad Moniales, quæ poſtmodum locum ipſum ingreſſæ ſunt & ingredientur in poſterum, extendantur, & quod gratiæ ipſæ quoad vos & illas illibatæ permaneant, Quocirca Nos bujuſmodi deſiderium veſtrum paterna benignitate confovere volentes, præſentium tenore, Apoſtolica auctoritate concedimus indulgemuſque, quod omnes & ſingulæ Moniales, quæ poſt hujuſmodi gratiarum conceſſionem Monaſterium ipſum ingreſſæ ſunt, & temporibus futuris ingredientur, gratiis prædictis perinde frui, potiri & gaudere poſſint, ac ſi in illarum conceſſione præſentes fuiſſent. Volentes ac decernentes, quod gratiæ antedictæ ſub nulla revocatione gratiarum hactenus facta, aut inpoſterum quomodolibet facienda comprehenſæ fuiſſe intelligantur, aut comprehendantur vel cadant, ſed ſemper ſint in priſtino robore & vigore. Pergite igitur alacri animo dilectæ filiæ, & quo magis per hæc ſpiritualia dona vos Deo acceptas eſſe cognoſcitis, eo ferventius obſequiis ipſius inſiſtite, ut tandem a juſto Judice coronam gloriæ accipere mereamini. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die x. *Februarii* MCCCCLXXXII. *Pontificatus noſtri anno* XI.

Capitulum Generale 97. Brixienſe. *Marc. 3. p. l. 6. c. 38. Marian. lib. 5. c. 44. Rodul. fol 244. Hoc anno n. 4. & 5.*

LVII. Franciſcus Samſon Miniſter Generalis convocavit Patres ad Comitia Generalia in urbem Brixienſem, non Romanam, uti perperam habet Marcus; ubi ſub feſtum Pentecoſtes, præ aliis editis conſtitutionibus, decretum eſt, deinceps in Ordine celebrandas eſſe feſtivitates ſacrorum Martyrum, qui Marrochii in Africa in ipſis exorientis Ordinis primordiis paſſi ſunt, & ſancti Bonaventuræ Cardinalis nuper in Sanctorum catalogum redacti, de quo ſupra diximus, Pontificem ad Capitulum ſcripſiſſe.

Fr. Petrus Epiſc. Lavellen. Fr. Angelus Mutilen.

LVIII. Promotus eſt hoc anno ad Epiſcopatum Lavellenſem in Apulia, ſub Archiepiſcopo Baren. per obitum Stephani, frater Petrus Palagatii Decretorum Doctor ac in Artibus & Theologia Magiſter, XI. Kalendas Julii. Ad Mutilenſem, per obitum Leonardi, frater Angelus de Barbianis Regularis Obſervantiæ Profeſſor, de nobili & Baronum genere, ita habet Regeſtum Pontificium, procreatus, XIV. Kalendas Septembris. Hunc Epiſcopatum non invenio in Provinciali Romano, neque in libris Conſiſtorialibus; quid ſi ſcribendum Mutinenſis in Lombardia, vel Mytilenſis Archiepiſcopatus in Lesbii inſula, & mari Ægæo? Ad Cirenen. in partibus infidelium per obitum Henrici, frater Joannes Spenner, in Theologia Baccalaureus formatus, pridie Nonas Novembris. Ad Salonen. in Græcia, ſub Archiep. Athenien. vel Naupacten. per obitum Joannis etiam Minoritæ, ſuffraganei, uti diximus, Epiſcopi Friſingenſis, frater Eraſmus Pechenger in Theologia licentiatus, VIII. Idus Novembris. Fratrem Guillelmum de Sproncata Vicarium Obſervantum Provinciæ Corſicæ, ad Epiſcopatum * Sagonenſem promotum hoc anno fuiſſe, mihi conſtat ex Regeſto Ordinis, in quo

Fr. Joan. Cirenen. Fr. Eraſmus Salonen. *Tom. 13. ann. 1461. n. 18.* Fr. Guillelmus N.

* *Ita debere legi ad ann. 1490. & 1506. monet Annaliſta.*

quo habentur litteræ Petri Neapolitani Vicarii Generalis hoc an. die XXVIII. Martii ſcriptæ ad Commiſſarium Corſicanum, ut alium ſubſtitueret Vicarium Guillelmo, *quem*, inquit, *audio jam conſecratum Epiſcopum*. Qualiter autem Epiſcopatum, quem invitus admiſit, ſponte dimiſerit, ſuo loco referemus. Sub iſtud etiam tempus Robertus Carracciolus Licienſis aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Aquinatenſem, uti paulo antea diximus. Uterque via ſecreta ſuas expedivit litteras, uti ſæpe numero fit ex ſpeciali gratia Pontificis, etenim in Regeſtis Vaticanis aut libris Conſiſtorialibus neutrum invenio. Hoc autem anno Robertum Epiſcopum fuiſſe, conſtat ex iis, quæ paulo antea ex Volaterrani Diariis excripſimus.

An. 1490. n. 4.
An. 1506. Fr. Robertus Aquinas. *Num. 55.*

LIX. Florebat hoc tempore virtute & doctrina frater Franciſcus de Trivultio Mediolanenſis, & hoc ipſo anno ſummo omnium applauſu prædicavit Peruſii, uti in Regeſto Ordinis refertur. Hic nobiliſſima inter Inſubres ortus familia, ante ſeptingentos annos e Burgundia in Italiam tranſlata, Boniſortio patre, & Altobella Sanſeverina matre, ſponſam ſibi parem duxerat, Veronicam de Siccis, quam ipſa nuptiarum nocte etiam induxerat ut ſpretis Mundi carniſque delitiis, vitam amplecteretur religioſam. Hinc illa Clariſſa, ipſe Franciſcanus evaſit; eaque virtute & prudentia vixerunt, ut illa ſui Monaſterii Abbatiſſa, hic ſuæ Provinciæ Madiolanenſis Vicarius, eodem tempore fuerint electi. Sacris litteris eruditus, utriuſque juris peritus, memoria tenaciſſima, corporis robore pollens, per univerſam Italiam indeſeſſe prædicavit. Parcus in cibo, multus in oratione, & ſacrorum Bibliorum ſtudio, in virginitate, quam feliciter ſponſæ perſuaſerat, ſervanda vigilantiſſimus, apud omnes Viri ſanctiſſimi famam conſecutus eſt. Hieroſolymam pietatis cauſa profectus, dum revertitur, in navi morbo decedit.

Floret Fräciſcus a Trivultio. *Marian. cit. c. 42. Marc. citat. l. 6. c. 40. Mon. famil. Trivulc.*

LX. Penetraverant ſub hoc tempus in Indiam & Æthiopiam aliquot Fratres Obſervantes. Auxiliarios hoc anno miſit Petrus Vicarius Generalis Hieronymum Novarienſem, & Simonem Regienſem prædicatores; ſocium adjunxit laicum Bernardinum de Soncino. Præfectum ſtatuit miſſionis Antonium de Modoetia, doctum virum, & facundum concionatorem. Hoc anno XV. Februarii Romam vocati ſunt, ut inde a Pontifice benedicti, ſimul proficiſcerentur.

Obſervantes in Indiam miſſi. *Regeſt. Ord. fol. 86.*

LXI. Circa hunc annum in agro oppidi ſancti Viti in Piceno. VI. M. P. a Mari Adriatico acceperunt Conventuales humile domicilium pro tribus aut quatuor Fratribus, ſub invocatione ſancti Franciſci. Spectat ad Provinciam Marchiæ & Cuſtodiam Anconitanam.

Conv. S. Viti. *Mon. MSS. Prov. March. Convent.*

LXII. Fratribus Obſervantibus domum ædificare conſtituerunt oppidani Vallis Tecci, diœceſis Beneventanæ, prope Oratorium Annunciationis beatæ Mariæ, quod ipſi dudum ædificaverant. Commiſit Pontifex Abbati Monaſterii de Gritta ejuſdem diœceſis & Archipresbytero Beneventano auctoritatem licentiam conferendi, modo judicarent expedire, XVII. Kalendas Aprilis. Non judicaſſe exiſtimo, ſive aliud puto exortum impedimentum: non enim invenio domum hanc inter alias Provinciæ Terræ Laboris, intra quam diœceſis continetur Beneventana.

Conv. Vallis Tecci. *Ex lib. 187. bullar. fol. 82.*

LXIII. Non longe a Vico-Oppidi, ita proprio nomine nuncupati, diœceſis Acheruntinæ, circa hunc annum conſtructus eſt pro eiſdem Obſervantibus Conventus ſanctæ Mariæ de Jeſu. Spectabat prius ad Provinciam ſancti Nicolai, nunc connumeratus eſt Conventibus Baſilicatæ.

Conv. Vico-oppidi. *Gonz. in Prov. Baſilic. Conv. 7.*

LXIV. Incolæ Civitatis & Inſulæ Milevitanæ, non procul a Pachino Siciliæ promontorio diſtantis, nunc ad ſancti Joannis militiam ſpectantis, con-

Conv. Milevitanus. *Lib. 186. bullar. fol. 95.*

conſiderantes, quod propter maris pericula & Maurorum incurſiones, aliaque incommoda, raro illuc transfretabant Religioſi, qui inſulanos verbo & exemplo boni operis inſtruerent, decreverunt ea in urbe Conventum extruere Fratrum Obſervantum. Impetrata hoc anno VII. Idus Novembris facultate, paulo poſt domum ædificarunt ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu.

Conv. Moguerii. *Gonz. in Prov. Bætica Conv. 6.*

LXV. Alphonſus Gaufredus de Tenoiro Hiſpanici Maris Admiratus, & Elvira Alvarez conjuges æque pii ac nobiles ſub annum MCCCL. ædificaverant in ſuo oppido Moguerii, diœceſis Hiſpalenſis, nunc Marchionum Villæ-novæ de Fraxino, domum Franciſcanorum. Hoc tamen anno Petrus Portocarrerius, ejuſque conjux Joanna de Cardenis prædictorum hæredes, domo illa tamquam minus idonea relicta in pauperum & peregrinorum uſus, aliam multo capaciorem & auguſtiorem, ad L. P. a prima, ſub invocatione *beatæ Mariæ de Spe* conſtruxerunt. Inſtruuntur hic juvenes Grammaticæ rudimentis. Dixi alias, Conventum extra oppidum Cervariæ, diœceſis Vicen. in Cathalonia bellorum turbine dejectum, ad ipſum oppidum fuiſſe translatum. Ut ita fieret, Sixtus Pontifex hoc anno pridie Kalendas Octobris facultatem conceſſit.

Tom. 3. an. 1245. n. 34. Conv. Cervariæ. *Lib. 192. bullar. fol. 26.*

Conv. Nanceji. *Lib. 209. bullar. fol. 133. Gonz. in Prov. Franc. Conv. 14.*

LXVI. Renatus Dux Lotharingiæ, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad ſanctum Franciſcum & ſectatores ejuſdem, præſertim de Obſervantia nuncupatos, propter eorumdem vitam exemplarem, & fructus uberes, quos prædicationibus boniſque operibus in dies afferre conſpiciebat, manifeſte gerebat, in ſuo oppido Nanceji, diœceſis Tullen. quemdam locum ſeu Oratorium eis aſſignavit, quod & illi ex licentia Sedis Apoſtolicæ acceperunt. Quia vero propter religioſa Fratrum merita in dies ejuſdem Ducis, atque Jolantæ, nuncupatæ Reginæ Siciliæ, illius genitricis, erga eos creſcebat devotio, ſtatuerunt prædictum Oratorium in commodum ampliumque Cœnobium erigere. Dedit hoc anno III. Nonas Auguſti Sixtus Pontifex facultatem ita faciendi. Brevi tempore completum eſt opus, Eccleſiamque ſub beatæ Mariæ, ſanctorum Nicolai Epiſcopi, & Renati confeſſoris invocatione, conſecravit quidam Tullenſis Epiſcopus, cujus nomen & tempus ignoratur. In ea ſepulturam ſibi elegit prædictus Renatus, Antonius item Lotharingiæ Dux, qui hæreticos Galliæ tribus præliis ſuperavit & fugavit, & Claudia de Valois Caroli Ducis uxor, Henrici II. Regis filia, Nicolaus a Lotharingia Validimontis Comes, ejuſque uxores Margarita Egmondana, & Joanna a Sabaudia, necnon Renata a Borbonio, ejuſque filia duoque filii, ac demum Joannes Cardinalis a Lotharingia.

Conv. Hiberniæ duo. *Lib. 171. fol. 226.*

LXVII. Commiſit hoc anno VII. Idus Maii Pontifex auctoritatem Abbati Monaſterii Cellæ nigræ, Derenſis diœceſis in Hibernia, ut Vicario & Fratribus Obſervantiæ daret licentiam acceptandi duos Conventus in illo regno: etenim, uti ait in ſuo diplomate Pontifex, propter uberes fructus, quos ſua exemplari vita & prædicationibus in populis producebant, devotio fidelium adeo erga illos crevit, ut ſæpenumero novas eis domos offerrent. Similiter ob eamdem rationem, & ad preces Jacobi Epiſcopi Dunbalden. conceſſit Vicario & Fratribus Obſervantiæ in Regno Scotiæ, domos, inquit, quatuor habentibus, ut alias duas vel tres a fidelibus ſibi oblatas vel offerendas acciperent.

Conv. Scotiæ tres. *Lib. 174 fol. 181.*

ADDITIO ALIORUM. *Gonz. in Prov. Tuſciæ Conv. 33.*

„ LXVIII. Hoc anno, ait Gonzaga, conſtructum fuiſſe Cœnobium apud
„ Empolim ſive Emporium Etruriæ oppidum, de quo Annaliſta ad an-
„ num MDX. ſermonem inſtituit, ſaſſus, quod ipſi ſero ejuſdem memoria
„ occurrerit. Non pigeat ergo laudato loco narrationem quærere.

LXIX. Circa ædificationem Monaſterii ſanctæ Claræ oppidi Mortarii,

rii, diœceſis Novarienſis, prout ab illuſtriſs. Gonzaga refertur, dixi alias, difficultates emerſiſſe inſolubiles. Diploma Vaticanum hujus anni nodos ſolvit, & non niſi poſt annum hunc inchoatum manifeſte probat. Etenim hoc ipſo anno VII. Idus Julii ſcriptis litteris ad Præpoſitum Eccleſiæ ſanctæ Teclæ Mediolanenſis, licentiam confert Joanni Aloyſio de Maletis & Luciæ de Belloculis conjugibus Novarienſibus, ut in prædicto oppido de Mortario, ſatis populoſo, Monaſterium Monialium ſub invocatione & Regula ſanctæ Claræ conſtrueretur. Non potuit itaque ſub an. MCCCCXXX. multo minus ſub Clemente VI. fabricari, niſi fortaſſis duo ſint in eodem oppido ſanctæ Claræ Monaſteria, quod puto inveroſimile.

Gonz. in Prov. Med. Mon. 12. To. 10. an. 1450. n. 55.
Mon. Mortarii. *Lib. 170. fol. 258.*

LXX. Cives Pennenſes intra munitiſſimæ ſuæ urbis mœnia inſigne Clariſſarum Monaſterium ſub invocatione ſanctæ Barbaræ, & reformatione beatæ Coletæ, hoc anno conſtruxerunt, munificentia præſertim adjuti viri piiſſimi Philippi a Crepicordio Equitis, Ludovici Regis Gallorum Conſiliarii, in Artheſiæ Comitatu, aliiſque Picardiæ partibus locum tenentis, Regiique exercitus Imperatoris, præhabita facultate Sixti Pontificis, & Regis Ludovici, quorum diplomata in Monaſterii archivo conſervantur.

Mon. Pennenſe. *Gonz. in Prov. Franc. Mon. 13.*

LXXI. Ædificaverat ſanctus Ludovicus Galliarum Rex Beghinis domum Bellovaci, quæ dum ſub Ludovico XI. ad ruinam tenderet, a Senatu Bellovacenſi, obtenta anno MCCCCLXXX. facultate prædicti Regis, hoc tempore reſtituta eſt, & tradita Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, adductis primis Magiſtris Sororibus undecim ex Monaſterio Abbatis-Villæ. Gratiſſimæ fuerunt ſemper populo & loci Epiſcopis, tum propter earum virtutem, tum propter diligentem curam infirmorum. Earum confeſſarios Leo X. anno MDXV. privilegiis donavit. Eccleſiam ſub invocatione ſanctorum Mariæ & Ludovici conſecravit Ludovicus Inſulenſis anno MDXXIX. die VII. Auguſti, & quadraginta dierum indulgentias conceſſit.

Domus ſororum Bellovaci. *Gonz. in Prov. Franc. Pariſien. Mon. 13.*

LXXII. Fratres Provinciæ ſancti Franciſci ægre ferentes diſcurſus nimis liberos & periculoſos Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia ſuæ curæ commiſſarum, ſæpe cogitarunt de remedio adhibendo, multaſque ſtatuerunt regulas, per quas hujuſmodi circuitus tollerentur, & ſexus ſtatuſque honori amplius conſuleretur. Cum vero parum aut nihil apud mulieres libertatis & circuitus avidas proficerent, decreverunt earum curam ablegare, eaſque ſolum gubernare, quibus honeſta clauſura, & vita placebat religioſa. Impetrarunt itaque anno iſto has litteras Pontificias.

Fratres dimittere curam ſororum nolentium vivere ſub clauſura.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Regularis Obſervantiæ Provinciæ ſancti Franciſci.

DIlecti filii, ſalutem &c. Exponi nobis feciſtis, quod vos ſub veſtra cura, & ſecundum morem veſtri Ordinis habetis nonnullas Sorores, de pœnitentia nuncupatas, in diverſis domibus & locis Provinciæ veſtræ ſancti Franciſci in Congregatione viventes, quarum confeſſiones auditis, & quibus Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtratis; & quoniam cognoſcitis, quod ſi dictæ Sorores ſub clauſura viverent, & per aliquas vetulas eis neceſſaria mendicarentur, exinde ſaluti animarum earumdem pariter & honori veſtro conſuleretur: Decreviſtis in ultimo provinciali veſtro capitulo illas tantum ex ſororibus præfatis ſub veſtra cura habere, quæ juxta ordinationem veſtram voluerint clauſæ in earum domibus vivere, & per eas, quas vos earumdem domorum provectioris ætatis ſorores deputaveritis, neceſſaria mendicare; alias vero, quæ ſe ad id arctare nollent, ſub veſtra cura amplius tenere nolle diſpoſui-

Ex autographo.

fuiſtis, ſupplicarique nobis curaſtis, ut huic veſtro decreto & diſpoſitioni annuere velimus. Nos honeſtati & quieti tam veſtræ, quam Religioſarum & Sororum ipſarum libenter intendentes, veſtriſque ſupplicationibus inclinati, vobis concedimus, ut earum tantum Sororum curam habere teneamini, quæ juxta Regularia inſtituta & ordinationes veſtras, ut præfertur, vivere voluerint; ceteras vero ea facere recuſantes, licite deſerere vobis liceat, & earum curam deponere: derogando litteris Apoſtolicis tam in forma brevis, quam alias a nobis, vel a Sede Apoſtolica emanatis aut in poſterum circa curam earumdem Sororum cum quibuſvis clauſulis emanandis; ita ut ad id inviti a quoquam cogi non poſſitis. Præterea, ut ſine cujuſque præjudicio Monaſteria quæcumque Monialibus deſtituta, vobis oblata pro domibus talium Sororum volentium ſub clauſura vivere, uſque ad numerum duorum dumtaxat recipere, & in illa Sorores ipſas introducere libere & licite valeatis, vobis pariter impertimur & facultatem damus: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica vel alias roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIV. *Septembris* MCCCCLXXXII. *Pontificatus noſtri anno* XII.

Jubentur tamen earum curam reaſſumere.

LXXIII. Dolentes vero Sorores ſe vel in domibus recludi, vel a Fratrum regimine excludi, omnem moverunt lapidem, ne quidpiam circa illarum ſtatum innovaretur. Multos advocarunt interceſſores apud Pontificem, obtinueruntque ſequens diploma, circa cujus tamen obſervantiam variæ natæ ſunt controverſiæ, volentibus prudenter Fratribus, vel honeſtati & famæ fragilis ſexus conſulere, vel ſuo nomini & conſcientiæ cavere. Sequenti anno hæc opportunius referemus.

Dilectis filiis Archipresbytero Eccleſiæ & Priori Prioratus ſancti Severi Peruſin. ac Vicario Venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Peruſin. in ſpiritualibus Generali.

Ex lib. 183. fol. 127.

QUanto contentiones, quæ inter religioſas perſonas, & ſcandala, quæ ex eis naſcuntur, cedunt aliis pernicioſius in exemplum, tanto eis conſultius per Sedem Apoſtolicam providetur. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Miniſtrarum & Sororum domorum ſanctæ Agnetis & ſancti Antonii de Padua Peruſin. & aliarum Civitatum, terrarum, & locorum circumſtantium, Tertii Ordinis beati Franciſci, de pœnitentia nuncupati, petitio continebat, quod licet ipſæ in domibus prædictis in communi ſub cura dilectorum filiorum Vicarii & Fratrum Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, juxta ordinationem fel. rec. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri Divinis vacantes beneplacitis, ultra ea, quæ continentur in Regularibus inſtitutis dicti Tertii Ordinis, arctari non debeant; nihilominus dictorum Fratrum Vicarius pro tempore exiſtens, & præfati Fratres ad uberiorem ſalutem animarum earumdem, ut creditur, eas ad multa induxerunt, quæ in Regularibus inſtitutis prædictis minime continentur, conſenſeruntque Sorores prædictæ eorumdem Fratrum perſuaſionibus uſque modo, & ſe ad illa obſervanda obligarunt, non minus ut eis parerent, quam pro uberiori ſalute animarum earumdem. Nuper vero Vicarius & Fratres prædicti eas ad ſervandam perpetuam clauſuram, & ut dumtaxat per aliquas ex eis neceſſaria pro victu earum quærant, inducere conati extiterunt; & cum id eiſdem Sororibus perſuadere nequirent, ſe earum curam hujuſmodi dimiſſuros fore, niſi illæ ad id ſe obligent, primo minati fuerunt,

ac

ac Miniſtrarum & Sororum earumdem confeſſiones audire, eiſque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare denegarunt, ac tamdem curam hujuſmodi gerere ex toto recuſarunt & recuſant. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Regularia inſtituta prædicta eaſdem Miniſtras & Sorores ad hoc non arctent, Ipſæque plane intelligant non poſſe cum animi quiete & ſana conſcientia ſe ad id obligare, nec ſperent, quod ex earum clauſura & continentia perſonarum earumdem intra domos prædictas, provenire poſſit major ſalus animarum earumdem, cum ipſæ ex Eccleſiarum frequentatione, Divinorum in illis intereſſentia, ac audientia prædicationis verbi Dei, quamplurimas ſpirituales conſolationes & refocillationes quotidie conſequantur, & longe majores, quam ſi, clauſuram ſervando, vix unam Miſſam die qualibet audirent, poſſentque commodius in earum neceſſitatibus, cum ex eleemoſynis vivant, ad earum conſanguineos habere recurſum, & neceſſaria quærere ab eis, quam ſi in clauſura forent, & haberent pro ſingulis earum neceſſitatibus illos evocare; pro parte Miniſtrarum & Sororum prædictarum, aſſerentium quod ipſis ſic, ut præmittitur, viventibus auctus eſt numerus earumdem cum odore bonæ famæ, & populi conſolatione; ex commutatione vero prædicta, & earum Confratribus prædictis in hoc diſſenſione & denegatione ſolitæ curæ, in mentibus earum, & aliorum Chriſtifidelium populi Peruſin. & etiam aliarum terrarum circumſtantium ſcandala ſunt exorta & murmurationes, non ſine aliquali nota earumdem; & quod pro volentibus vivere ſub clauſura ſunt certa Monaſteria deputata, quæ ipſæ Miniſtræ & Sorores proprius intraſſent, ſi voluiſſent, & intrare poſſunt, ſi volunt ſub hujuſmodi clauſura vivere; quodque attenta magno earum numero difficulter vivere poſſent ex incerta mendicitate ſub clauſura hujuſmodi, & paucæ in poſterum reperirentur, quæ vellent domos ipſas intrare cum hujuſmodi clauſuræ obligatione, & quamplurimæ ex eis, etiam conſanguineis earum id volentibus, potius redirent ad paternas domos, quam non ſtarent in prædictis ſub clauſura perpetua, vitam ducentes ex incerta mendicitate, ad inſtar Monialium Ordinis ſanctæ Claræ & primariæ inſtitutionis illius; & quod ex hujuſmodi altercatione regularium inſtitutorum dicti Tertii Ordinis quædam quodammodo confuſio oriretur; Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut moderno & pro tempore exiſtenti Vicario & Fratribus prædictis, ut de cetero ab hujuſmodi novitatibus & inductione earum ad hujuſmodi clauſuram prorſus abſtineant, & eas earumque curam more ſolito gerant, & omnia, quæ Fratres prædicti eis miniſtrare ſoliti ſunt, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, mandare, ac eiſdem Miniſtrabus & Sororibus, ut, ſi Vicarius & Fratres prædicti mandato hujuſmodi parere pertinaciter recuſarent, aliquem probum virum, ætate, moribus & fama, ac vitæ ſanctimonia idoneum, ad præmiſſam earum curam gerendam, & Sacramenta prædicta eis miniſtranda aſſumere &c. dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, eaſdem Miniſtras & Sorores a quibuſcumque excommunicationis &c. pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt &c. abſolutas fore cenſentes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi & poſtquam vocatis Vicario & Fratribus prædictis, & aliis qui fuerint evocandi, de præmiſſis vobis legitime conſtiterit, moderno & pro tempore exiſtenti Vicario & Fratribus prædictis, ut ab hujuſmodi novitatibus prorſus abſtineant, & earumdem Sororum curam gerant, ut juxta litteras prædeceſſoris præfati tenentur & hactenus conſueverunt, & ne eas ad clauſuram inducere, & ad ea, quæ in Regularibus inſtitutionibus dicti Ordinis non continentur, ſervanda cogere amplius tentent,

ac

ac eiſdem Miniſtrabus & Sororibus illa omnia, quæ hactenus eiſdem miniſtrare ſoliti ſunt, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, auctoritate noſtra mandetis. Et ſi Vicarius & Fratres prædicti mandato hujuſmodi pertinaciter parere recuſarent, Miniſtrabus & Sororibus præfatis aliquem probum virum, ætate, moribus & fama, ac vitæ ſanctimonia idoneum ad præmiſſa exercenda aſſumendi, & ille ſic aſſumptus ea omnia exercere libere & licite valeat eiſdem Miniſtrabus & Sororibus, licentiam præfata auctoritate concedatis. Contradictores &c. non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictis Vicario & Fratribus a Sede Apoſtolica, quoad non ſuſcipiendas curas hujuſmodi, privilegiis quomodolibet conceſſis, quibus eorum tenores &c. pro expreſſis habentes, quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſſe, illis alias in ſuo robore permanſuris, derogamus, & quæ in poſterum concedi contigerit eiſdem privilegiis, necnon præfati Ordinis Fratrum Minorum, juramento &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, ſeu ſi Vicario & Fratribus prædictis, aut dicto Ordini vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod &c. mentione. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLXXXII. XVII. *Kal. Januarii, anno* XI.

Domus Fratrum Clangucayn Carill. Lib. 187. fol. 41.

LXXIV. Venit hoc anno Romam frater Cornelius Omuilcharyll, Tertii Ordinis profeſſor, & Magiſter domus Clangucayn Carill. Clonferten. diœceſis, quædam negotia prædicti Ordinis proſecuturus, obtinuitque indulgentiam perpetuam decem annorum, & totidem quadragenarum viſitantibus prædictæ domus Eccleſiam in feſtivitatibus ſanctæ Trinitatis, Nativitatis beatæ Virginis Mariæ, ſanctorum Franciſci & Patritii. Hoc, licet exile, notatum volui, ne longo bellorum turbine, dejectoque domicilio, templi & indulgentiarum memoria periret. Occurrit hoc anno memoria domus ſancti Hieronymi in urbe Alexandriæ Statiellorum apud Inſubres ejuſdem Inſtituti, necnon Monaſterii ſanctæ Claræ Drepanenſis, & territorii de Ruculino ad illud ſpectantis.

Domus Alexandriæ. Mon. Drepanen.

Domus Sororum Grimenbergh. Lib. 181. bullar. fol. 111.

LXXV. Sorores incluſæ Tertii Ordinis apud parochialem Eccleſiam ſancti Pauli oppidi in Grimembergh, Maguntinæ diœceſis, de auctoritate Adulphi Arch. Maguntini, & conſenſu Guardiani domus Minorum dicti oppidi earumdem viſitatoris, procurante Henrico Lantgravio Haſſiæ, tranſierunt hoc anno ad Ordinem ſancti Auguſtini, & ſubjectæ ſunt Priori Monaſterii beatæ Mariæ Virginis in Herizenhainen ejuſdem Ordinis ſancti Auguſtini, & prædictæ diœceſis Maguntinæ.

Varia privilegia.

LXXVI. Multa hoc anno Pontifex conceſſit Fratribus & Sororibus privilegia. Supplicante fratre Jacobo de Agello, die XV. Martii indulſit ut ſuſcipientes habitum Minorum, Clariſſarum, ſive Tertii Ordinis, indulgentiam conſequerentur plenariam, & ſimiliter eo die quo decedunt. Declaravit, mulieres ingredientes Monaſteria ſanctæ Claræ, vel ſancti Dominici abſque ſpeciali licentia, non teneri ad curiam venire pro abſolutione a cenſuris, ſed poſſe abſolvi a confeſſariis utriuſque Inſtituti, etſi mala intentione clauſtra ſint ingreſſæ. Defectus in recitando officium Divinum commiſſos conceſſit ſuppleri poſſe recitato in fine horarum uno pſalmo devote.

LXXVII. Die XIII. Novembris, ad preces fratris Andreæ Alemanni in Curia Commiſſarii, indulſit ut quicumque Catholicus Epiſcopus poſſet conferre Ordines Minores & ſacros Fratribus Minoribus in eorumdem Eccleſiis, temporibus a jure ſtatutis. Poſſe a Fratribus benedici omnia ſacra paramenta, & quæcumque habentur in miniſterium Altaris, præter calices & corporalia; ſed & hæc etiam benedicere & conſecrare permiſit Vicario

Cor-

Corſicæ, quando nulli eſſent ea in inſula Epiſcopi. Vetuit quemquam ſepeliri in habitu cujuſcumque ex tribus Ordinibus a ſancto Franciſco inſtitutis, niſi in eorumdem Ordinum Eccleſiis. Conceſſit ut dici poſſet in feſtivitate ſancti Franciſci præfatio propria: *Qui Venerandum confeſſorem*, a beato Joanne Alvernicola compoſita.

LXXVIII. Humiliter petente fratre Alberto de Peruſio, licentiam dedit Fratribus accedendi ad Eccleſias Monialium in diebus ſtationum, & proceſſionum generalium, vel ut Reliquias venerarentur. Rogante denuo ſupradicto Jacobo Agellano, conceſſit Sacerdotibus facultatem celebrandi in tempore neceſſitatis hora una ante auroram, & altera poſt meridiem. Angelus a Clavaſio impetravit, ut veſtimenta ſecularia reſque profanæ poſſent a Fratribus in uſum Eccleſiaſticum converti; ut Fratres de labore manuum ſuarum poſſint dare parentibus & conſanguineis aliiſque pauperibus pretium aliquarum rerum, intuitu pietatis & miſericordiæ, de licentia tamen Superiorum. Ut clerici & laici tangere poſſent calices & corporalia, cum opus foret, & reverenter. Ut Sororibus Clariſſis & Tertii Ordinis in congregatione viventibus liceret tangere & lavare linteamina quæquæ Altaris, exceptis corporalibus. Ut Symbolum Apoſtolorum dicer tur infra Octavam ſancti Franciſci, cujus feſtum ſumma celebritate coli præcepit in Comitiis Generalibus Magiſter Samſon, Ordinis Primicerius.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. ACcitus a Patre Alphonſus, copiis etiam auxiliaribus Romanis „ vallatus, ut Apuliam tenuit, in Hydruntum urbem, quam „ Turcæ occupabant vique premebant, ſolerter caſtra movebat: quod in- „ telligentes inimici, quibus, audita morte ſui Mahometi Imperatoris, vi- „ res defecerant, animo conſternati, ex pacto urbem cepere, atque inde „ ſine hoſtili ſtrepitu, cum ſuis reculis ad propria remearunt. Iis ergo in „ partibus viſa pax eſt, ob quam lætabatur Pontifex: ſed hujuſmodi læ- „ tiam, Venetorum & Herculis Ferrarienſis diſcordia, ipſum Pontificem „ involuens, atram reddebat: ac licet Mahometi ſuperſtites filii duo Baja- „ zetus & Zizimus de Patris Imperii ſucceſſione inter ſe armis contende- „ rent, nihil tamen triſtitiæ remiſſum fuit; etenim cito primus prævaluit, „ & ſecundus aufugit; ſed his miſſis, enarremus noſtra. Tertio Nonas Ja- „ nuarii conſtruendi Monaſterii ſub titulo Conceptionis B. M. V. apud „ Venetos conceſſa facultate: *De Cæleſti Patria &c.* & VII. Idus Februa- „ rii dimiſſo fratre Bernardino de Turpino ad Eccleſiaſticum beneficium: „ *Religionis zelus &c.* Die XXII. Martii hujus anni ab Apoſtolica Sede „ emanavit diploma tenoris, qui ſequitur.

Hydruntum liberatur a dominio Turcarum.

Degl. cit. fol. 164.

Zizimus fugit. *Indic. ex Vatic.*

SIXTUS PAPA IV.

Dilecto filio Vicario Generali omnium Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Ultramontanorum.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ *SUperioribus diebus ad querelam multorum Prælatorum Eccleſiaſticorum nobis factam ſuper quibuſdam exceſſibus aliquorum Fratrum* „ *de Ordinibus Mendicantium, & præſertim Minorum, providere, ac* ſcan-

Ex Speculo tract. 2. fol. 29.

„ *ſcandalis, quæ inde provenire poſſent, occurrere cupientes, quaſdam*
„ *litteras noſtras fecimus, quæ incipiunt:* Ad futuram rei memoriam. Dum
„ contingit interdum ad Romani Pontificis deduci memoriam &c. *Et cum*
„ *in præfatis litteris infraſcripta ponantur verba:* Approbatione Indulgen-
„ tiarum hujuſmodi conceſſarum a prædeceſſoribus noſtris viſitantibus Ec-
„ cleſias dictorum Ordinum, & pia ſuffragia ibidem erogantibus, aut alia pia
„ opera exercentibus memorata, & illarum de novo ac aliarum, quas prædi-
„ ctis Ordinibus, ſeu alicui eorum in ſpecie, & demum reciproce, ut præfer-
„ tur, & illas concernentia facultates & indulta qunmodocumque, auctori-
„ tate Apoſtolica, ad noſtrum, & dictæ Sedis beneplacitum, præſentium te-
„ nore ſuſpendimus. *Dubitatur a pleriſque, ne præfata clauſula, qua*
„ *dicitur, ſcilicet*, facultates & indulta quæcumque, *includat ſuſpenſionem*
„ *omnium privilegiorum & indultorum, a nobis vel prædeceſſoribus noſtris*
„ *dictis Ordinibus Mendicantium conceſſorum, cujuſcumque facultatis, vel*
„ *tenoris exiſtant, humiliter declarari petiſti. Nos igitur paterno affectu*
„ *materiam jurgiorum amputare volentes, tuis ſupplicationibus inclinati,*
„ *auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus & decernimus præ-*
„ *fatam clauſulam ſolum referri debere ad facultates & indulta quæcumque*
„ *indulgentiarum & abſolutionum & remiſſionum peccatorum, perſonas*
„ *quaslibet, quæ non ſunt dictorum Ordinum, ac Monialium vel Sororum*
„ *Tertii Ordinis collegialiter viventium ſub eorum cura, ac ſervientes eiſdem*
„ *continue concernentia, & non ad alias facultates ſeu indulta a nobis vel*
„ *prædeceſſoribus noſtris eiſdem Ordinibus conceſſa: quæ omnia, & etiam*
„ *quoad indulgentias & peccatorum remiſſiones temporales non plenarias in*
„ *ſuo robore permanere volumus & decernimus. Non obſtantibus præfatis lit-*
„ *teris noſtris, ac aliis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret has litte-*
„ *ras ad diverſas Mundi partes mittere, volumus & auctoritate Apoſtolica*
„ *decernimus, quod harum tranſumpto manu publici Notarii ſubſcripto,*
„ *& ſigillo officii tui munito, tamquam præſentibus litteris originalibus fir-*
„ *miter ſtetur, & ea fides adhibeatur, ac ſi eædem originales exhibitæ, vel*
„ *oſtenſæ forent. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcato-*
„ *ris, die* XIX. *Martii* MCCCCLXXXII. *Pontificatus noſtri anno* XI.
„ II. Tertio Kalendas Aprilis Clariſſis *de Drepano*, conceſſo quod
Ex Vatic. „ nonnulla bona locare poſſent: *Ex debito &c.* Indulſit Fratribus ut loca
„ minus commoda deſererent, expedito Brevi, cujus tenorem exhibeo.

SIXTUS PAPA IV.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Ultramontanorum.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex Spec. „ *FEciſti Nobis humiliter ſupplicari, quod pro tua ac Fratrum tuæ curæ*
„ *commiſſorum quiete & conſolatione dignaremur concedere, ut loca,*
„ *quæ Regulari Obſervantiæ minus commoda ſunt, vel inopia incolarum de-*
„ *bite reparari non poſſunt, aut alias dictis Fratribus oneroſa noſcuntur,*
„ *licet ob devotionem populorum, vel Principum contemplationem, cum be-*
„ *neplacito Sedis Apoſtolicæ recepta fuerint, in manibus Ordinariorum loco-*
„ *rum dimittere libere & licite valeres. Nos itaque totis deſideriis Regula-*
„ *ris Obſervantiæ profectum affectantes, devotis hujuſmodi ſupplicationibus*
pa-

„ *paterne in Domino annuentes, devotioni tuæ, præſentium tenore licen-*
„ *tiam & facultatem omnimodam damus, concedimus & impertimur, ea*
„ *loca, quæ Fratribus tuæ curæ commiſſis minus commoda eſſe cognoveris,*
„ *vel alias oneroſa in omnibus Provinciis Vicariatus tui, in manibus Ordi-*
„ *nariorum locorum libere dimittendi, & illa licite deſerendi, prout tibi*
„ *viſum fuerit expedire; ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus. Conſti-*
„ *tutione fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, prohibente*
„ *loca ſemel recepta non deſeri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, dicti*
„ *Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, vel quavis alia fir-* * Epiſtolā quam Pontifex ſcribit ad Capitulum Generale de S. Bonavent. in Sanctorum Catalogo aſcriptoWaddingus refert hoc anno.
„ *mitate roboratis, ceteriſque forte contrariis non obſtantibus quibuſcumque.*
„ *Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XXII. *Mar-*
„ *tii anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXXII. *Pontificatus noſtri an-*
„ *no* XI. *

„ III. Poſt præfata, fratri Franciſco de Conturbia decretum eſt bene-
„ ficium, XV. Kalendas Maii: *Religionis zelus &c.* & X. Kalendas ejuſdem *Indic. ex Vatic.*
„ erectio Monaſterii ſanctæ Claræ de Bethlem in Olandia permiſſa: *Cir-*
„ *cumſpecta &c.* & Margaritæ Duciſſæ Burgundiæ aliud conſtruere pro
„ iiſdem facta licentia: *Inter cetera &c.* VI. Kalendas Maii, fratri Ludo-
„ vico *de Rojo* indultum eſt beneficium Eccleſiaſticum: *Religionis zelus &c.*
„ ſimilemque favorem fecit fratri Ludovico *de Saja* Hiſpalen. *Hodie-*
„ *cum &c.* X. Kalendas Junii; quo pariter die illi placuit Fratres de Ob-
„ ſervantia in Diœceſim Ruthenam introduci: *Humilibus &c.* Erectionem
„ Monaſterii ſanctæ Claræ Pragenſis in Boemia: *Pia Deo &c.* XIII. Kalen-
„ das Julii: conſtructionem Conventus ſanctæ Mariæ de Pietate Cuperſani:
„ *Piis fidelium &c.* IX. Kalendas ejuſdem. Translationem Monaſterii de
„ Camuſa Burgen. *De cœleſti &c.* Kalendis ejuſdem: ædificationem domus
„ Fratrum ſanctæ Mariæ de Colmata: *Sacræ Religionis &c.* XVI. Kalend.
„ Auguſti approbavit: & fratri Antonio de Aſculo conceſſa licentia bene-
„ ficii: *Religionis zelus &c.* III. Nonas Octobris. Pridie Kalendas Decem-
„ bris, fratri Joanni Baptiſtæ de Senis, III. Nonas ejuſdem, fratri Thomæ
„ de Miſſalia, & XIV. Kalendas Januarii fratri Silveſtro de Forolivio bene-
„ ficia contulit, omnibus: *Religionis zelus &c.*

„ IV. Religioſitas B. P. Vincentii Galli, natione Burgundi plurimum B. Vincentius.
„ emicabat, eratque de Obſervantium Familia Minorum optime meritus.
„ Diplomatibus Sixti IV. & poſtea Innocentii VIII. cum eſſet conceſſum
„ ex omnibus Eccleſiis, quas atrox belli furor apud Empolim Etruriæ op-
„ pidum ſolo dejecerat, novum poſſe conſtrui pro Minoritis Cœnobium
„ ſub titulo Aſſumptionis B. V. Mariæ, beatus hic Vir, Empolitanis exi-
„ mio vitæ candore percarus, ſummis diligentia & applauſu, hoc an-
„ no MCCCCLXXXII. id operis præſtitit; etiam ſubinde prope Piſciam ædi-
„ ficationi Conventus ſancti Ludovici Epiſcopi Collis-Vitoli operam dedit:
„ cum Guardianatus munere fungeretur, & fervidiſſimis orationibus Deum
„ coram auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento interpellaret, ſuæ petitionis *Arthur. in ſuo Martyr. Franciſc. ad diem 28. Maii.*
„ cœlitus reſponſum accepit, Angelumque Dei tunc propriis oculis vidit,
„ eoque in loco paulo poſt exceſſit e vita: ejus meminere plures, quos Ar-
„ thurus ad diem XXVIII. Maii in ſuis adnotationibus citat.

„ V. Hoc anno quædam honeſta ac devotiſſima fœmina, nomine Mar- Margarita vid.
„ garita *Golſchimidin* vidua, valde exemplaris vitæ, in urbe Moraviæ
„ Bruna, pœnitentialis vitæ inflammata deſiderio, Congregationi Soro-
„ rum Tertii Ordinis S.P. Franciſci, ſumpto pœnitentiali habitu a P.Paulo
„ de Moravia, Eparchiæ, Boemiæ Vicario Fratrum de Obſervantia initium

,, dedit: etenim cum boni exempli ea vis ſit, ac energia, ut bonorum in
,, melius vitam promoveat, improborum vero a vitiis deterreat, hinc fa-
,, ctum eſt, ut Margaritæ exemplo ſenſim plures & devotæ fœminæ, viduæ
,, & virgines ejuſdem Civitatis allectæ, ejus viam tenere peroptantes,
,, Tertii Ordinis habitum induerint, obſtupeſcentibus iis, quibus ſegnior
,, erat cura ſalutis æternæ. Inter primas, quas dirigendas habuit Margarita,
,, vitæ ſanctimonia, ac tempore cunctas præceſſit virgo, Cordula nomine,
,, cognomine vero *Kniclandin*: quæ ſeculi vanitates morumque improbi-
,, tates exhorrens, pluſquam viriliter ſprevit. Hæc ad habitum Religionis
,, admiſſa, cum aliis Consororibus perpetui cœlibatus profeſſione emiſſa,
,, ſub Margarita ac Fratrum directione, in via virtutum cum Sociabus plu-
,, rimum proficiebat; illius piiſſimæ religioſitatis initia regularibus parieti-
,, bus circumſepta non erant, cum unaquæque Sororum Monaſterii loco
,, propriam domum incoleret, ſicque inter ſuos & domeſticos perfectionis
,, viam ſolertiſſime tenerent, ut iis egregio prælucerent exemplo. Verum-
,, tamen recolentes, a periculis remotiora pariter etiam tutiora eſſe, ſi-
,, mul deliberavere vitam communem, iiſdem communibus parietibus con-
,, cluſam atque munitam. Non pridem admodum a Joanne de Capiſtrano
,, religioſiſſimo Viro, & celeberrimi nominis, in ſuburbio Brunenſi ante
Mon. MSS. Provinc. Boemiæ. ,, portam, vulgo Judaicam, Cœnobium pro ſuis de Obſervantia Fratribus
,, conſtructum fuerat: igitur prope illud, ne a ſuis directoribus longe abeſ-
,, ſent, primo ære proprio in communi collato domum emerunt, quam
,, deinde ad Regularem formam redactam religioſiſſime incolebant; in ea
,, labores communes, vigiliæ, corporis macerationes, jejunia & cetera
,, quæque pœnalia vitæ, certatim exequebantur: in ea Divinas laudes ſta-
,, tutis horis perſolvebant, ac ex ea Civibus virtutum exemplo prælu-
,, cebant.

,, VI. At hæc inter apud Guingampenſes in Armorica Illuſtriſſimus
Monum. MSS. Provin. Turonenſ. ,, Dux *de Roſſet*, Marchio *du Bois de la Roche*, vir piiſſimus, & Fratrum
,, noſtrorum amantiſſimus, virtute non minus, quam divitiis florens, ſub
,, habitu Minoritico deceſſit hoc anno, & ibidem apud Fratres noſtros
,, Guingampenſes tumulatus eſt.

ARGUMENTUM.

Sixtus Pontifex pacem reddit Italiæ. Ex humanis abeunt multi viri pii. Florent plerique viri docti, inter quos Bernardinus Feltrenſis egregie reſplendet. Helias ex Vicecomitibus de Bourdeille aſſumitur ad Cardinalatum. Temperamentum adhibetur in controverſia circa clauſuram Sororum Tertii Inſtituti. Multiplicantur Cœnobia.

I. Sixtus Pontifex ægre ferens, Venetos occupatas urbes ditionis Eccleſiaſticæ Ravennam, Cerviam, aliaque Flaminiæ loca reſtituere noluiſſe, Italiæque turbas motis in Herculem Ateſtinum armis auxiſſe, ab eorum ſocietate receſſit, & cum Ferdinando Rege Neapolitanorum & Ludovico Sfortia Duce Mediolanenſi fœdus pepigit, ut quam non poterat precibus, armis pacem daret Italiæ. In magnis poſtea anguſtiis conſtitutus, dum ea quæ pacis ſunt, ante imaginem beatæ Virginis recentibus miraculis coruſcantem, cogitaret, vovit, ſi Deus per interceſſionem ſuæ genitricis Italiæ pacem largiretur, ſe templum ſub titulo *ſanctæ Mariæ Pacis* ere-

Bulla Sixti. Pennot. hiſt. Tripar. lib. 5. c. 33. Italiæ pacem dat Sixtus & Pacis Templum ædificat.

erectorum. Paulo poſt Urbe, qua cingebatur, obſidione liberata, & pace Italiæ reddita, in ſolo veteris Eccleſiæ ſancti Andreæ de Aquarenariis, magnificum templum non modicis ſumptibus conſtruxit, & miraculoſam beatæ Mariæ Virginis imaginem ex pariete præſciſſam, ad novam Eccleſiam tranſtulit, loco decentiſſimo ſuper aram maximam collocavit, templumque *Pacis* nuncupatum, Canonicis Regularibus, Laterano pulſis, hoc ipſo anno donavit. Templum Pacis

II. Memorabilis eſt Minoritis hic annus multorum virorum illuſtrium interitu. Die x. Februarii feria ſecunda deceſſit in devoto Cœnobiolo Capriolæ prope Senas Paulus Theutonicus nobili ortus proſapia, in Aula Cæſarea vir primarius. Senas miſſus ſtudiorum gratia, audivit non ſemel concionantem ſanctum Bernardinum, cujus doctrina aliorumque ejuſdem Inſtituti virorum religioſo exemplo excitatus, illis voluit adſcribi. Brevi eam aſſecutus eſt vitæ perfectionem, ut juvenibus præfectus ſit erudiendis. Quadraginta annis officium hoc exercuit ſummo omnium applauſu, miro juvevenum profectu. Pietate, prudentia, & manſuetudine inſignis, aſpectu erat venerabilis, ſtatura procerus, pulcher facie, æqua membrorum proportione ad menſuram compoſitus. In caritate fervidus, in obedientia promptus, in humilitate firmiter radicatus; in paupertate rigidus, in patientia immobilis, in Divino officio & cultu devotus, in oratione ſedulus, in meditatione exardeſcens.

Moritur Paulus Theutonicus. *Marian. lib. 5. c. 46. Marc. lib. 6. c. 29. Gonz. in Provin. Tuſc. Conv. 4.*

Ejus vita & virtutes.

III. In vigilia Aſſumptionis, objectis ab humani generis hoſte, illi perpetuo adverſante, quibuſdam defectibus, Deique indignationem indicante, timere cœpit & triſtari; ſed apparente beatiſſima Virgine, cui erat addictiſſimus, & filiolum in amicitiæ ſignum tradente, internam reſumpſit lætitiam. Fallis his ſuggeſtionibus praviſque cogitationibus, quas frequenter immittebat, haud contentus Satan, etiam flagella & verbera frequenter infligebat. In Eccleſia Cetonii nocte quadam devote orantem, graviter percuſſum per totum Templum protraxit; alias & ſub mortem deſperationem ingeſſit, dicens omnia ejus opera irrita eſſe, conatuſque inanes, quia præſciti. Hæc timenti apparuerunt beata Virgo, ſanctus Gregorius Papa, quem a pueritia patronum ſuſcepit, ſuæ Religionis heroes Franciſcus inſtitutor, Antonius Patavinus, Bernardinus Senenſis, & triſtes hos abegerunt cogitatus.

IV. In timore & tremore multo ſuam operatus ſalutem, mortem ſemper præ oculis habebat, docebatque alios meditationem mortis per hebdomadæ dies diſpertiri. *Die Lunæ*, ajebat, *debet Religioſus cogitare ſe ægrotare; Martis, ſe habere febris ſymptomata; Mercurii, diligenter & exacte peccata confiteri; Jovis, ſacram Communionem cum Apoſtolis de manu Domini recipere; Veneris, inungi in plagis & ſanguine Chriſti Redemptoris; Sabbato, cum ipſo mori & ſepeliri; Dominica cum eodem reſurgere in novitatem vitæ, & fervent deſiderium patriæ cœleſtis.* Adoleſcentulos diſcipulos docebat in promptu & præ oculis habere omnes virtutes & peccata, eaque per articulos digitorum ita diſtribuere. Per articulos & ſummitatem pollicis diſponebat virtutes ſeptem, tres Theologales & quatuor Cardinales; per Indicis ſeptem dona Spiritus ſancti; per Medii ſeptem peccata mortalia; per Annularis ſeptem virtutes præcipuas; per Auricularis ſeptem Beatitudines. Mox ita omnes has inter ſe colligebat, ut facile videri poſſit, *Suaviſſimum eſſe complexum virtutum, eaſque ita inter ſe connexas concatenataſque eſſe, ut qui unam habet, plures habere videatur.*

Mortis meditatio per dies hebdomadæ diſpertienda.

Mira connexio virtutum. *Bernard. 1. de Conſider. cap. 6. Amb. lib. 5. in Lucam.*

V. Incipiens itaque ab infimo articulo pollicis in palmæ radice, illinc di-

diſcurrebat per inferiores etiam articulos reliquorum digitorum tamquam per primas cellulas, & ex his aſcendebat ad alios uſque ad ſummitatem: Illinc deſcendebat in dorſo manus per reliquos articulos, donec curſum ſeu gyrum abſolvebat ſeptenarium. In hunc porro modum omnes connectebat, & quaſi annulis ſeptem contexebat: *Qui habet fidem, timorem Domini acquirit; qui timorem Domini poſſidet, ſuperbiæ reſiſtit; qui reſiſtit ſuperbiæ, humilitatem acquirit; qui humilitatem aſſecutus eſt, ad primam pervenit beatitudinem, ſpiritus paupertatem, cui promiſſum eſt in præſenti regnum cœlorum.* Rediens deinde ad ſecundum articulum pollicis, dicebat: *Qui habet ſpem, ſpiritum acquirit intellectus, per quem avaritiæ reſiſtit; qui avaritiæ reſiſtit, liberalitatem acquirit; qui liberalis eſt, miſericors efficitur, & ſecundam aſſequitur beatitudinem.* A tertio articulo incipiens, ajebat: *Qui caritatem habet, ſpiritum pietatis acquirit; qui pietate flagrat, iræ reſiſtit, quia adverſario compatitur; qui iræ reſiſtit, manſuetudinem acquirit; qui manſuetus eſt, tertiam a Chriſto deſignatam conſequitur beatitudinem.* A ſummitate pollicis exorſus, aſſerebat: *Qui juſtitiam* (Cardinalium virtutum primam) *aſſecutus eſt, ſapientiæ ſpiritum acquirit; qui ſapiens eſt, accidiæ reſiſtit; qui accidiæ reſiſtit, fraternam dilectionem facilius acquirit; qui fraternam dilectionem aſſecutus eſt, eſurit & ſitit juſtitiam, & in cœlo juxta Chriſti promiſſum ſaturabitur.* Ad primum e dorſo manus articulum deſcendens, dicebat: *Qui habet fortitudinem, acquirit ſpiritum conſilii; qui illud poſſidet, luxuriæ reſiſtit; qui luxuriæ reſiſtit, acquirit caſtitatem; qui caſtitate fulget, beatitudinem habet illorum, qui cordis habent munditiam.* Ad ſecundum articulum amplius deſcendens, dicebat: *Qui habet prudentiam, acquirit ſcientiam; qui ſcientificus eſt, invidiæ reſiſtit; qui reſiſtit invidiæ, acquirit patientiam; qui patiens eſt, beatitudinem conſequitur illorum qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quorum eſt regnum cœlorum.* In tertio & ultimo articulo ita complebat ſermonem: *Qui temperantiam habet, acquirit fortitudinem; qui fortis eſt, reſiſtit gulæ; qui gulæ reſiſtit, acquirit ſobrietatem; qui ſobrius eſt, mitis efficitur & pacificus, unde poſſidebit terram, & filius Dei vocabitur.* Ingenioſa certe & utilis hæc articularis virtutum connexio, qua facile quiſquis Chriſtianæ perfectionis ſummam in manu geſtare, & *digitis*, juxta Sapientis conſilium, *poſſit alligare*, ut deinde queat *ſcribere illam in tabulis cordis ſui*. Ut facilius eam omnes percipere poſſint, & in praxim reducere, operæ pretium duxi diſtributionis ſchemata iſthic apponere.

Prov. 7. 3.

VI. Hæc manualis diſtributio fundamentum erat ſuarum meditationum; hinc materiam deſumebat ſpiritualis exercitii per omnes hebdomadæ dies diſpertiendi. Die Dominico, fidem, timorem Domini & humilitatem proponebat ſibi meditanda, vitium oppoſitum execrabatur, & ad beatitudinem illam primam pertingere ſummo conatu laborabat. Feria ſecunda, tres ſubſequentes virtutes meditabatur, & ſic per reliquos hebdomadæ dies ſpirituale & ſalutare hoc meditationis exercitium dividebat. His aliiſque meditationibus adeo erat aſſuefactus, ut converſatio ejus perpetuo eſſet in cœlis; & ab humanis abſtractus, ſola curaret Divina, terrena veluti faſtidiens, oculis ſemper in cœlum erectis, ad manſiones anhelabat cœleſtes. Quidquid videbat, quidquid occurrebat, materiam ſuppeditabat meditandi. In triclinio Guardianum Fratribus præſidentem contemplabatur Jeſum Chriſtum in mœſtiſſima illa cœna Apoſtolis aſſidentem: & ſæpiſſime his immerſum cogitationibus oportebat excitare, ut manducaret. Si pedes hoſpitibus vel conſodalibus ipſe vel diſcipuli lavabant, ſtatim conſiderabat Chri-

Vir ſpiritualis in omnibus rebus materiam reperit meditandi.

Chriſtum Dominum ad diſcipulorum pedes proſtratum. Si ad latrinas ibat, fœtorem conſiderabat defunctorum, & in tartaris ſepultorum. Semel eo in loco a ſuo confeſſario inventus eſt genibus flexis inſtantiſſime orans, & interrogatus, quid immundis ſedibus oraret? Reſpondit ſe illo excitatum fœtore, ut graveolentem conſideraret leproſum ante Chriſti pedes provolutum & mundatum; atque exinde rogaſſe, ut ſe graviori peccatorum lepra reſperſum dignaretur emundare. Stabulum quandoque ingreſſus, Jeſum infantulum in præſepe reclinatum intuebatur, & juxta jumenta genuflexus, puerulum devotis ſalutabat formulis orationum. Divinum ubi perſolvebat officium, aut Miſſæ offerebat ſacrificium, in miras magnaſque ferebatur contemplationes.

VII Plenus dierum & virtutum in ultima decumbens infirmitate, ſocii ſui Jacobi multa ſenectute excæcati, & inopinato caſu interempti, animam vidit inter Angelos in cœlum efferri. Petrum de Senis de alio caſu filii infantuli conſolatus eſt, juſſitque domum reverti & uxori dicere, ut preſſis mammis, lacte faciem lividam & contuſam infantuli inſpergeret, & in memoriam devote revocaret beatiſſimam Dei Genitricem, puerulum Jeſum ſuo ubere lactantem. Fecit, & ſanatus eſt puer ex illa hora. Lectulum circumdantibus Fratribus & ſecularibus, multaque mira expectantibus dixit, abirent, nec quidquam magnum ab ipſo patrandum penſitarent. Paulo ante mortem rogavit Fratres, ut corpus cito traderent ſepulturæ: *ne*, inquit, *accedens devotus populus, qui nimia & cæca erga me fertur opinione, vos abſque cauſa conturbet*. Non prius expiravit, quam univerſa turmatim accurrerit Civitas, & turba circumvicina ruſticorum; Templum, clauſtrum, area tantam multitudinem capere non poterant, tantamque preſſuram moleſtam ducentes Fratres, ex omnium conſpectu corpus eductum clauſerunt in ſacrario. Sed populo interpellante, acceſſit Vicarius Epiſcopi Senenſis, precibuſque & minis compellavit, ut corpus in Eccleſia reponeretur, alias ſe, dejectis portis ſacrarii, educturum. Toto illo die venerationi patuit, ſciſſoque in particulas habitu, alium oportuit abduci. Erant tunc Senis viri quatuor nobiles Theutonici, qui in Urbem legatione pro Imperatore Friderico functuri properabant, magnoſque appoſuerunt cereos, & feretro longo tempore adſtiterunt, præcaventes, ne aliqua corpori inferretur injuria. Sanatus eſt a moleſta & diuturna podagra Carolus Ser Petri civis Senenſis ex ſolo corporis contactu, aliique gratias aliquot acceperunt ſanitatum. Sub noctem ſepultus eſt in ſacello ſancti Antonii inter corpora beatorum Vincentii & Ludovici Senenſium; cum paulo antea Ludovicus deceſſerit, vir, etſi profeſſione laicus, virtute tamen inſignis, olim Vicarius provinciæ Etruriæ, quem diximus Cœnobium Sartiani a Conventualibus ad Obſervantes translatum admiſiſſe,

Honores defuncto exhibiti.

Ludovicus Senenſis. Gonz. in Provin. Tuſciæ Conv. 29. Tom 7. an. 1445. n. 29. & Tom. 13. an. 1463. n. 130.

VIII. Hoc anno ex humanis abiit beatus Simon Lipnicus, ita ab oppido natalitio cognominatus, honeſtis parentibus natus, & in Cracovienſi Academia Artium liberalium Baccalaureatus inſignia conſecutus. Studiis ab ineunte ætate totus addictus, pietatem conjunxit, coluitque frequenter Dei Genitricem. Otium exoſus, fœdaſque carnis illecebras, orationis pœnitentiæque præſidiis Virginei candoris florem integerrimum conſervavit. Timens ne periculoſis mundi aut carnis caperetur blandimentis, tempeſtive ad Religionis tutiorem confugit ſtationem, præceptiſque Joannis Capiſtrani imbutus, optimam vivendi normam ſibi præſcripſit, & brevi ad excelſum perfectionis culmen pervenit. Mira in eo vitæ aſperitas, ingenſque caſtitatis colendæ deſiderium. Nullum unquam ſtudium nullamque operam præ-

Decedit beatus Simon a Lipnica. Legendæ MSS. Proceſſus Rotalis.

Caſtitatis vigilantiſſimus cuſtos.

Otium procul faciebat.

prætermiſit, quin totum in reprimendo laſcivientis carnis furore collocaret. Nullum unquam vel minimum temporis ſpatium tranſegit, in quo vel orationi, meditationi, lectioni, vel humilitatis exercitiis, aut caritatis operibus non vacaret. Suadentibus, ut laſſo corpuſculo paululum concederet quietis, reſpondebat: *In ſepulcro requiem dabo diuturnam, nunc vero vel minimum temporis momentum Dei famulum ſine fructu tranſire, nefas eſt.* Ne in Regulam ſui Inſtituti peccaret, a ſe ſcriptam ſemper geſtabat, iturusque Hieroſolymam, memoriæ commendavit, ne capto fortaſſis a Sarracenis ſcripta tolleretur, offenderetque ex oblivione præſcriptæ formulæ in quidquam eorum, quæ ſacroſancte Deo vovit obſervare.

Ejus humilitas. IX. Humilitatis perquam ſtudioſus, magis ſubeſſe cupiebat, quam præeſſe: ſi quando vero ad aliqua capienda cogebatur officia, manſuete & humiliter peragebat, bonis placidus, malis ſeverus. Suæ provinciæ delectus Commiſſarius, prudentiſſime ſubditos regebat, nec ullam boni ſuperioris partem prætermiſit. Tentatis & afflictis tenere compatiebatur; tirones & juvenes verbis piis, ſuadelis, probiſque exemplis ad virtutem excitabat. Cracoviæ multis annis concionatus, Divina eloquia non minus ornate, quam in ſpiritus virtute proferebat; ita ut nemo ad ejus conciones acceſſerit, qui non doctior meliorque redierit. Singulis diebus feſtivis bis in die prædicabat, in quadrageſima cunctis diebus Dei verbum annunciabat. Solebat poſtquam ex peregrinatione Hieroſolymitana redierat, ſanctiſſimum nomen Jeſu ter clara devotaque voce, reſumente populo, perſonare: quod dum ægre ferrent Canonici Cracovienſes, & ab hac conſuetudine deſiſtere juberent, talibus extulit encomiis ſanctiſſimum nomen, relatis ob hoc ipſum ſancto Bernardino illatis moleſtiis, ut veniam petierint, & ritum hunc inchoandi ſermonis proſequi rogarint.

Concionandi ſtudium.

Fœminas vitabat. X. Mulierum colloquia tamquam ſerpentum ſibilos fugiebat. Magnificam Dominam ad portam cum eo loqui volentem, per craticulam diccntem excepit, nec ſe conſpiciendum illi permiſit, quod ubi illa ægre ferret, dixit, ad colloquium minime opus eſſe conſpectu, & oculis captos recte confabulari. Occaſiones omnes etiam minimas peccati ſedulo devitabat, ſecuriorem reputans fugam, quam pugnam. In tribulationibus & infirmitatibus rara erat patientia; & dum poſtremum ægrotaret moleſta epidemia, nullum edidit impatientiæ ſignum: id ſolum dolebat, ſe Conſodalibus fuiſſe moleſtum. Paulo ante mortem rogavit ſocium, ut in terra nudum, inſtar ſancti Franciſci, deponeret, & vita functum ad Templi limen præ foribus ſepeliret. Etſi vero id Frater promiſerit, oblitus eſt ſponſionis, nec quidquam dixit Superiori. Ex ulcere itaque peſtilenti, ſuper ſcapulum manus ſiniſtræ vehementer torquente, & corpus igne depaſcente, poſt ſextum ab infectione diem, xv. Kalend. Auguſti ante horam decimam migravit ad Dominum, ſepultuſque eſt in Eccleſia ſancti Bernardini Cracovienſis ante Altare majus, inter duos pios viros fratrem Timotheum, Artium Magiſtrum, virtutibus & ſcientia illuſtrem, & Bernardinum de Parnovia, a pietate commendatiſſimum.

In tribulationibus patientiſſimus.

Quo die deceſſit & anno.

XI. Non omnino concordant ſcriptores & monumenta MSS. circa diem & annum, quo deceſſit. Legenda MSS. quam habeo, ſtatuit annum antecedentem, MCCCCLXXXII. ſcilicet, & concordat inſcriptio iſta ſepulturæ, ſed diſcordat in die, dum aſſignat xv. Kal. Julii; atqui ex iis, quæ addit de procraſtino ſancti Alexii videtur error manifeſtus.

Ad Opt. & Max. Dei laudem & gloriam Mauſolæum iſtud dedicatum eſt B. Simoni de Lipnica, viro utique ante omnia in Ordine Minorum religioſiſſimo ſanctiſſimoque. Deinde vero auguſtiſſimi nominis Jeſu prædicatori ferventiſſimo, tum vita ac præcipue virginali caſtimonia integerrimo: Denique innumerabilium pene prodigiorum ſingulari prærogativa longe lateque clariſſimo. Migravit e vita anno Domini 1482. *die* 15. *Kal. Julii, quæ fuit feria quinta in craſtino S. Alexii hora quaſi decima vel citra. Atque eodem die in Eccleſia S. Bernardini in Conventu Minoritica Obſervantum in Stradomia penes Cracoviam corpus præfati viri Dei religioſe conditum eſt.*

XII. Hunc ipſum annum MCCCCLXXXIII. ſignare videntur ſcriptores graves Poloni, Martinus Cromerus, & Matthias Miechovius, quorum verba in tanti viri commendationem ſubjicio. Cromerus poſtquam anno MCCCCLXXXII. & ſequenti atrocem peſtem, utramque Poloniam, Mazoviam, Pruſſiam & Boemiam invaſiſſe affirmat, & plurimos mortales abſumpſiſſe, ſubjungit: *Inter quos inſignis fuit Simon Lipnicienſis, Eccleſiaſtes diſertus, Bernardiniani Sodalitii ad meridianam portam Cracoviæ degentis, homo plebejus quidem, & obſcuro loco natus, ſed probitate & ſanctimonia vitæ clarus, ita ut ægroti complures ad ſepulcrum ejus priſtinæ ſanitati reſtituti eſſe memorentur.* Cromer. lib. 29. Miechovius poſtquam dixit anno MCCCCLXXXIII. peſtem invaluiſſe in majori Polonia & Mazovia, addit: *Eodem anno Pater Simon ex oppido Lipnieza natus, Frater Minor, prædicator glorioſus & fervidus, peſte* XV. *Kal. Auguſti, die Jovis* XVIII. *Julii, quæ fuit dies ſancti Arnolphi mortuus eſt, in choro Eccleſiæ ſancti Bernardini in Stradomya per Fratres tumulatus. Sed cum miraculis coruſcaret, a Fratribus honorifice in corpus Eccleſiæ ad ſiniſtram partem translatus & conditus eſt. Cujus Epitaphium unum eſt hoc.* Miechov. lib. 4. c. 71.

Lipnicius jacet hic Franciſci ex Ordine Simon,
Divino Frater fervidus eloquio;
Cujus perpetua fruitur jam ſpiritus aura,
Quod probus hic ſancte vixerit atque pius:
Quod decorare Dei ſtuduit genitricis honorem,
Doctrinam factis atque probare bonis.
Nunc miranda, vides, teſtantur ſigna Beatum,
Qui miſeris meruit ferre ſalutis opem.
Hunc igitur ſtudeas tibi conciliare patronum,
Ut voti compos efficiare tui.

XIII. Translatio hæc, quam indicat Miechovius, facta eſt ſub Innocentio VIII. in Comitiis Provincialibus Fratrum, cujus etiam aſſenſu putant aliqui cœpiſſe in honorem ſervi Dei ſequentem Antiphonam decantari: ſed ego puto recentiorem.

O nova lux Poloniæ, clarum ſydus Cracoviæ
Fervens verna tu Mariæ, ſummæ Matris Clementiæ,
Florens roſa munditiæ, felix proles Simon pie
Franciſci Obſervantiæ.

Per Beate præſidium,
Tamdem cæli nobilium
Fac conſortes nos civium.

℣. *Precare Deum Beate Simon.*
℟. *Ne devincat nos callidus dæmon.*

ORATIO.

D*A quæſumus, Omnipotens Deus, ut Beati Simonis Confeſſoris tui præclara nobis merita proficiant, & tua gratia, quam precamur, nos dignos efficiant, in qua firmati, tuæ gloriæ ſimus annumerati. Per Dominum &c.*

Ejus ſepulcrum. XIV. Sepulcrum conſpicitur a latere ſiniſtro templi, pulchrum quidem & honorificum, affabre ex lapide ſecto conſtructum, in medio habens Servi Dei imaginem ingenioſe excavatam, in ſuperiori parte hanc inſcriptionem aureis litteris exaratam. *Reddit auditum ſurdis, & mutis loquelam.* A latere. *Anno Domini* MDCVI. *Obſeſſam mulierem a multis dæmoniis curat.* Inferius. *Mortuos quoſdam aquis ſuffocatos, quoſdam variis caſibus e vivis ſublatos ſuſcitat. Cœcis quamplurimis tam præſentibus, quam abſentibus optatiſſimum viſum mirabiliter reſtituit.* Scripſerunt ejus vitam Patres Poloni, ſive potius collegerunt, quæ patrabat miracula, & libello manuſcripto Cracoviæ aſſervato comprehenderunt; ſed exacte & ſtudioſe vitam totam deſcripſit, & quæ ſcire potuit, celebriora conſcripſit miracula, frater Ludovicus Strobtoviczius ex Canonico Vislicienſi, & cantore Tornavienſi Minorita. Teſtimonio Nicolai Epiſcopi Warmienſis digne commendata prodiit Bransbergæ anno MDCXXXVI. typis Gaſparis Weingartneri. Omnibus diffuſius & exactius acta ejus collegit frater Hieronymus Kakoroskii Provinciæ Ruſſiæ, vir doctus,& ſedulus indagator monumentorum ſuæ Religionis & nationis, cujus curæ & labori fateor me plurimum debere in iis, quæ ad ſodalitium noſtrum in illa ſpectant regione. Ex eo potiſſima decerpſi, ex quo etiam præcipua miracula ad compendium reducam.

Quinam ejus vitam ſcripſerunt?

Ejus miracula. XV. Tertia a beati Viri hebdomada venerunt ad ejus ſepulcrum gratias acturi tres adoleſcentes, a peſte illius interceſſione & meritis liberati, pro quibus oravit & vovit præfecta Xenodochii, in quo jacebant, Tertii Ordinis ſancti Franciſci. Leonardus de Sandecia tunc Cracovienſis Guardianus, advocatis teſtibus, rem diligenter examinavit, comperitque vere miraculoſe meritis beati Simonis peſtem depulſam.

XVI. Piſtoriſſa Habona, Cracovienſis fœmina, lethaliter ægrotans & pene exanimis, in viſu conſpexit beatum Simonem ad ſe venientem, & caput manu tangentem, ſtatimque in ſe reverſa, pulſo morbo, ſenſit ſe perfecte ſanatam.

XVII. Artifex quidam Cracoviæ in Stradomia, ira commotus volebat uxorem percutere, ſed caſu amphoram filiæ juvenculæ capiti inflixit, & occidit; facti pœnitens, una cum uxore ad ſepulcrum beati Simonis confeſtim perrexit, dolorem expreſſit, remedium expetiit. Parentum precibus & Simonis meritis rivixit defuncta, omnium, qui exanimem conſpexerant, admiratione.

XVIII. Puella biennis cujuſdam Nicolai Textoris de Ternovia, more puerili in platea ludens, ſerpebat, pertranſienſque velociter currus trium equorum tria habens dolia cerviſiæ, rota cervicem infantis contudit. Animulam

mulam agentem accepit pater, luctuque repleta domo, duo acceſſerunt Minoritæ, quorum unus Benedictus re & nomine, rogavit ut infortunium ferret patienter, atque omnes quotquot aderant, ad remedium conſugerent Divinum, ſimul orantes Deum, ut per merita ſervi ſui Simonis animam reſtitueret. Præivit precibus & voto de offerenda ad ſepulcrum puella, nec diu diſtulit Dominus miſericordiam ſuam; cœpit ex tempore infantula oſcitari, plorare, & bene habere.

XIX. Gregorii Seri ſabri Stradomienſis filiolus Matthæus, ab ipſo vitæ exordio per utrumque ocellum copioſe ſanguinem emittebat, viſumque eſt pupillam unam amiſiſſe, ſed & brevi animam amiſſurum. Parentes mœſti ad ſepulcrum Simonis profecti, filiolum illac offerendum promittunt, ſi ſanguinis ceſſat profluvium. Illico viſum inſantulus recepit, reſtincto ſanguine, gratique parentes cum cereo in templo præſentarunt.

XX. Chriſtophorus trimulus, nobilis viri Joannis Moeniski hæredis de Lipini, vel Lazinii filiolus, anno MCCCCLXXXV. in ſontem decidens ſubmerſus eſt, & poſt aliquot horas mortuus extractus, voto parentum pro eo viſitandi ſepulcrum Simonis ſacto, revixit.

XXI. Mulier quædam ſuburbii Cracovienſis, Zuierzynici nuncupati, gravi ægritudine languentem puerum habebat, per integrum annum doloribus cruciatum, cibos quoſque horrentem: variis fruſtra adhibitis medelis, nullumque videns levamen, crudele & inhumanum excogitavit remedium, puerum ſcilicet clam occidere, ut ſic una hora filii cruciatibus ſuiſque doloribus finem imponeret. Fluctuabunda inter anguſtias, Dei inſtinctu abiit ad Præmonſtratenſes, & Priori miſerias ſuas, facinuſque animo conceptum exponit. Ille ad hæc expaveſcens, ſalubrius indidit conſilium, ad Eccleſiam Minorum proficiſcendi, ibique procurandi, ut in Altare prope ſepulcrum Simonis ſanctæ Miſſæ ſacrificium offerretur. Ita fecit, plures Miſſas legi curavit, ipſa cum orantibus ſerventer deprecata; domum rediens, puerum ſanum & incolumem invenit.

XXII. Anno MCCCCLXXXV. die XII. Julii Jacobus puer bimulus, filius Petri Hortulani de ſuburbio Cracovienſi, in fluvium Rudava prolapſus, atque impetu fluminis actus, poſt ſex horas mortuus lividuſque extractus eſt. Simili voto viſitandi ſepulcrum per parentes facto, miro Dei beneficio ad vitam revocatur. Idipſum accidit Valentino puero trium annorum, Gregorii Clepardienſis filio, anno MCCCCLXXXIX. die XV. Septembris, & meritis beati Simonis ad vitam revocatus eſt.

XXIII. Joannes adoleſcens XV. annorum, filius Benedicti de Stradomia Sartoris, gravi infirmitate deſunctus, anno MCCCLXXXVI. die VII. Februarii, a patre, ſi vitæ reſtitueretur, ad ſepulcrum beati Simonis promiſſus & devotus, magno parentum ſolatio revixit.

XXIV. Florianus infans trium hebdomadarum, filius Stanislai Carpentarii de Stradomia, caſu improviſo parentum, noctu in lecto oppreſſus ac mortuus repertus, die X. Novembris anno MCCCCXC. voto ad beatum Simonem a mœſtis parentibus facto, vitam recepit. Joannes puer trium annorum, filius Martini Petuzic de Robyce, e ſuprema domus parte delapſus, & ex caſu mortuus die VI. Maii anno MCCCCXCIII. Nicolaus puerulus filius honeſtæ viduæ Margaritæ de Cracovia die XIV. Auguſti anno MCCCCXCVI. ſimiliter ex caſu occiſus, & a mane uſque ad veſperam exanimis, vitæ reſtitun ſunt. Sed & idem puerulus Nicolaus poſt duas hebdomadas a recepto beneficio, in piſcinam propinquam provolutus & ſuffocatus die II. Septembris, ſecundo revixit.

XXV. Joannes Lacki, ex oppido Voſſicæ, morbo peſtifero vexatus in inguine, per quemdam cognatum ſuum beato Simoni devotus eſt. A dolore ſublevatus, votum ſolvere recuſabat, donec integre convaleſceret. Sine mora duo peſſima apoſtemata ſub aſcellis exorta gravius affligunt. Dæmonum etiam terriculamentis agitatus, extra ſe factus, vidit beatam Virginem ſuadentem, ut beatorum virorum Joannis Cantii & Simonis Lipnicii ſepulcra Cracoviæ inviſeret. Deinde cœpit melius habere, & ſeptem milliarium emenſo itinere, ſepulcra veneratus, domum ſanus redivit.

XXVI. Stanislaus de Polomice longo tempore caſtra ſecutus, multa patravit crimina, propter quæ a Deo manifeſte caſtigatus & elinguis factus, a Joanne de Caſtro presbytero ad ſepulcrum Viri Dei perductus, ibique in terra in modum crucis provolutus, & in lacrymas reſolutus, tamdem priſtinæ loquelæ beneficium recepit, promiſitque omnibus diebus vitæ ſuæ in anniverſario diei beati Simonis in pane & aqua jejunare.

XXVII. Catarina de Stradomia, filia civis Czayca, ſeptem diebus graviter decumbens, & morti proxima, Generoſa Barbara Botarzinska maximis ægra doloribus, partu edito exanimi & abortivo, feliciter convaluerunt, beati Simonis invocato nomine, & fœtus animatus baptiſmi gratiam recepit. Barbara Hinozina, civis Poſnanienſis a vehementi cordis dolore, Catarina Baranonska a vinculo linguæ, Joannes de ſuburbio Cracovienſi, & Joannes alter de Proſſovice Sacerdos, a cæcitate utriuſque oculi; Laurentius Pilihovius, & Thomas de Choroloaka a mortis periculo liberati, pro receptis beneficiis ad Viri Dei ſepulcrum gratias reddiderunt, tabellas, & donaria ſuſpenderunt.

XXVIII. Poſteriori etiam ſeculo & poſtremis his temporibus conſimilia beneficia non ceſſavit Deus largiri hujus piiſſimi Viri interceſſione, quæ conſulto, ne tædium pariam, omitto. In antiquo codice Cracovienſi recenſentur novem mortui ad vitam revocati; agonizantes & in diſcrimine mortis conſtituti, præſertim fœminæ circa partum, e faucibus mortis eruti, viginti octo; a peſte curati ſeptuaginta novem; hydropiſi laborantes viginti quatuor, febricitantes viginti ſex; in maxima tribulatione & periculis poſiti octo; a dolore capitis, a vertigine liberati, & ad uſum rationis reſtituti, viginti quinque: tribus mutis loquela reſtituta eſt. Variis denique infirmitatibus, languoribus, morbo caduco, oculorum dolore, calculo, ulceribus, & id genus aliis malis correpti, ad interceſſionem ejuſdem ſancti Viri ſanati ſunt. His indicandis beneficis, aliiſque in libro non deſcriptis, plurima inſignia in tabulis aureis, argenteis, æreis, cereis imaginibus, aliiſque donariis expreſſa ad ſepulcrum fuerunt appenſa. Ejus vitæ & miraculorum ſeries ſub ſchemate cum iconibus exaratis prodiit anno MDCVII. dedicata Matthiæ Pſtroconio Epiſcopo Præmiſſienſi, Regni Poloniæ ſupremo Conſiliario.

Agitur de ejus Canonizatione.

XXIX. De referendo hoc piiſſimo viro in catalogo Sanctorum nunc agitur inſtanter in Urbe, actaque examinantur a Romanæ Rotæ Auditoribus. Scripſerat de hac re ad Paulum V. Sigiſmundus Rex Poloniæ, & Jacobus Epiſcopus Cracovienſis examinari juſſit acta pii viri in Curiam tranſmittenda, cujus rei accelerationem & diligentiam placuit Wladislao Regi ſuis litteris urgere. Omnium hic litteras exhibeo.

San-

Sanctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto Patri Domino Domino Clementiſſimo
PAULO PAPÆ QUINTO.

Epiſtola Sigiſmundi Regis Poloniæ. Ex proceſſu.

POſt oſcula pedum beatorum Sanctitatis Veſtræ, mei, Regnorum ac Dominiorum meorum humillima commendatione præmiſſa. Simonem de Lipnica Ordinis Divi Franciſci Minorum de Obſervantia, generis Polonici, virum mira ſanctimonia, & inſignibus divinarum virtutum exemplis, Chriſtifidelium animos ad veram pietatem informando, eoſdemque ab interitu ſempiterno ad viam veritatis reducendo, ita in terris jamdudum verſatum accepimus, ut in carne cœleſtem vitam egerit, & beatorum mentium æternam felicitatem ſit imitatus. Cujus viri, mirabilis Dominus in ſanctis ſuis gloriam per ditiones noſtras longe lateque illuſtrat, & populus univerſus opem ejus implorando, præſentem ſibi ſentiens, præcipua religione divinam virum affixis etiam ad monumentum tabulis, accepti beneficii teſtibus colit. Humillime itaque Sanctitati Veſtræ ſupplico, ut in ejus omnem vitam, & ea quæ poſt diſceſſum, ut credo, in cœlum conſecuta ſunt, auctoritate Apoſtolica inquiſitionem inſtituat, ac ſi ejuſmodi erunt, quæ non aliqua humana, ſed ſuperna plane & ſpirituali vi geſta judicentur, eidem hunc honorem, qui in Beatorum numerum relatis a ſummis Pontificibus tribui ſolet, decernat: Et quo majori Chriſtifideles mentis affectu Beatum venerentur, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium in honorem illius peragendi, ejuſque anniverſarium diem officio proprio ad normam precum Breviarii Romani, vel ſaltem ab hoc Ordine, celebrandi impertiri dignetur facultatem. Accedet is Sanctitati Veſtræ, regnis dominiiſque meis non vulgaris apud Deum patronus, qui omnium noſtrum actiones, & ſempiternam ſalutem aſſiduis precibus commendabit, eritque id illuſtre ac perpetuum Sanctitatis Veſtræ paternæ erga me voluntatis & gentem Polonam, Ordinemque Divi Franciſci argumentum. De cetero me ipſum, Regna, ditiones meas gratiæ & Clementiæ Sanctitatis Veſtræ quam diligentiſſime defero atque trado. Vilnæ die v. Julii MDCIX.

Sanctitatis Veſtræ filius Sigiſmundus Rex.

JACOBUS ZADZIK, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ, admodum Reverendis Laurentio Starcſeuskii Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Cracovienſis Cantori Canonico Plocen. Bartholomæo Januſzondu Eccleſiæ Collegiatæ ad ſanctam Annam Præpoſito, Jacobo Gorski, Cuſtodi omnium Sanctorum, Stanislao Pudlorosky ad ſanctum Nicolaum Præpoſito J. U. DD. & Profeſſoribus, fratribus Clariſſimis, ſalutem in Domino.

Epiſtola Epiſcopi Cracovien. Ibidem.

XXX. *DEus noſter, Deus ſalvos faciendi, Rex virtutum, ad cujus ſpeciei domus commendationem pertinet dividere ſpolia, atramque Eccleſiam inſtar caſtrorum aciei bene ordinatæ, ita voluit eſſe diſpoſitam, ut aſcendat ſemper in circuitu ipſius Electorum de millibus numerus, coronis vel de virginitate candidis, vel de paſſione purpureis conſpicuus. Non ideo ſolum, ut ſponſa ſua circumdata tali varietate, gloriam omnem colligat ab intus, ſed in nos quoque gratiarum cœleſtium, cum utilitate proventum largius diffundat. Trahit ad ſe provenientis inde felicitatis fructum noſter Septemtrio Divorum ſuorum Tutelarium, & ſplendoribus varie illuſtratus, & munimine adverſus formidandos inimicorum Crucis Chriſti impetus, ha-*

ctenus

Elenus tutus. Quos inter eminet glorioſus ſervus Dei, Simon Lipnicius Ordinis Minorum de Obſervantia. Hunc vitæ morumque innocentia, & inviolatæ confeſſionis candida virginitas, tam Hiſtoriographorum noſtrorum conſtantibus teſtimoniis, quam per continuatam uno & altero ſeculo populorum devotionem ſatis celebrata: Denique miracula ad ejus tumulum nova novis quotidie ſuccedentia, palam faciunt beatum. Titulum hunc cum ipſe mereatur, uſurpare tamen omnibus promiſcue, quia nefas, abſque ſupremæ Sedis magnifico deſuper elogio, ad eamdem ſanctam Sedem expetitæ tantopere ab univerſo regno & a majoribus dudum deſtinatæ Beatificationis ipſias præconium referre in animum induximus. Quod ut quam feliciſſime cedat, ſicut votis omnibus unice expetimus, ita ante omnia FF. VV. de quarum pietate & prudentia plenam in Domino gerimus fiduciam, committendum eſſe duximus, prout per præſentes committimus, ut quam primum commode poterint, ad Eccleſiam ſancti Bernardini in Stradom, ubi glorioſus ſervus Dei Simon Lipnicius reſurrectionem expectat, deſcendant, vocatiſque officioſe univerſis, & juxta Juris præſcriptum & ordinem examinatis diligenter, quicumque in ejuſmodi cauſa & negotio, ad effectum Beatificationis ſeu Canonizationis prædicti ſervi Dei, informare quocumque modo poſſint & valeant; de vita, ſanctitate, morte & miraculis ejuſdem accurate inquirant, & cognoſcant ſimiliter de loco ſepulturæ, devotione concurrentis ibidem Populi, & aliis circa hujuſmodi actus, de jure & conſuetudine obſervari ſolitis, unius & alterius abſentia non obſtante. Porro omnia & ſingula fideli ſcripto comprehenſa & authentice conſignata, ad nos poſtea FF. VV. deferent, facturi rem cum ſua pietate dignam, tum univerſæ Hierarchiæ Eccleſiaſticæ decori uſuique futuram. In cujus rei fidem præſentes manu propria ſubſcripſimus, ac ſigillo noſtro communiri juſſimus. Datum Cracoviæ in Curia noſtra Epiſcopali, die VIII. *menſis Novembris, anno Domini* MDCXXXVI.

Jacobus Zadzik Epiſcopus Cracovienſis.

ULADISLAUS IV. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſcen. Severienſis, Czermiekovien. necnon Svecorum, Gothorum, Vandalorumque hæreditarius Rex.

Epiſtola Uladiſlai Regis Poloniæ.

XXXI. *Venerabiles, devoti, & fideliter nobis dilecti. Accepimus commiſſum eſſe FF. VV. a Reverendo Epiſcopo Cracovien. negotium indagandi de vita, innocentia & ſanctiſſimis moribus Religioſi Patris Simonis de Lipnica, quem quidem nos ipſi, & dum inter mortales viveret, Angelicam vitam egiſſe, & depoſita mortalitate, hominum genus variis beneficiis, Divina poteſtate cooperante, cumulare non ignoravimus. Perinde quoque tam honoris celſæ illius virtuti exhibendi nos cura tetigit, quam cupiditas obtinendi per eum peculiaris alicujus beneficii inceſſit: Et licet non dubitemus Dev. VV. pro uſitata ſua diligentia, fide & pietate, accurate & exacte ſcrutinium, quod gravitate & præſtantia facile omnia alia ſuperat, præacturas; non alienum tamen a noſtro in hunc virum cultu, per duas fere ætates conſtanti hominum opinione celebratiſſimum, putavimus noſtrum etiam apud Dev. VV. interponere ſtudium; quo nimirum nihil inexcuſſum, nihil inexploratum relinquant, ut viri innocentiſſimi nomen a reliquorum conſortio ſegregetur, & exemplar illius virtutis ad imitandum orbi Chriſtiano, & fideli populo ſublimius collocetur. Atque ſi ita ſupremæ in terris,*

ſecun-

ſecundum Divina, poteſtati placuit, Divorum numera inſeratur. Quod Dev. VV. ſedulo acturas confidimus, quarum orationibus atque adeo Beati hujus ſuffragio nos diligenter cupimus eſſe commendatos. Grodnæ die XI. *Decembris, anno Domini* MDCXXXVI.

„ XXXII. His aliiſque precibus tamdem Pontifices Romani permoti, „ hujus Servi Dei Officium per totum Poloniæ Regnum primo Alexan- „ der VIII. anno MDCLXXXIX. recitari permiſit; deinde ſub die IX. „ Decembris anni MDCCXXX. ad preces P. F. Joſephi Mariæ Eborenſis, „ qui tunc res Ordinis Procuratoris Generalis munere miniſtrabat, Cle- „ mens XII. idipſum per univerſum Seraphicum Ordinem fieri poſſe in- „ dulſit. Suis reſpective annis in horum Annalium continuatione de „ hujuſmodi Sedis Apoſtolicæ Indultis ſermo redibit, & Decretorum da- „ bimus exemplaria.

ADDITIO ALIORUM. *Ex Decr. SS. Rit. Congreg. dat. 9. Decemb. 1730.*

XXXIII. Circa hunc annum obiit in eadem urbe Cracoviæ frater Juſtinus Guardianus Cœnobii ſancti Bernardini, cui morienti Chriſtus apparuit, & veniam denunciavit omnium peccatorum. In hunc etiam annum mortem beati Joannis Slonkæ, viri optimi, omni virtutum genere illuſtris, rejicit Chriſtophorus Warſevicius in ſuo cathalogo Sanctorum Poloniæ. In codice MSS. Conventus ſanctæ Mariæ Angelorum prope Aſſiſium, in quo recenſentur viri ſanctitate præclari, qui in Provincia ſancti Franciſci deceſſerunt, hæc adnotata reperio: *Beatus Pater Bartholomæus de Apone Comitatus Peruſii, magnus Prædicator, ſignis & miraculis ornavit conciones ſuas, moritur anno* MCCCCLXXXIII. De eo porro ſcribunt Marianus & Marcus Ulyſſiponenſis ea quæ nos alias adnotavimus. Deceſſit plenus dierum in ſenectute bona ferme decrepitus. Illum de Yano cognominat Marianus.

Moritur frater Juſtinus Polonus. *Chron. MSS. Polon.*
Item Joannes Slonka.
Et Bartholom. de Apone.
Tomo 10 anno 1426. n. 11.

XXXIV. Deceſſit etiam hoc anno Zanettus Utinenſis, olim ex Ordinis Miniſtro Generali ad Pontificias infulas aſſumptus. Tarviſii ad aræ majuris lævam ejus tumulus inſignis conſpicitur, & iſtud legitur Epitaphium.

Necnon Zanettus Miniſter Generalis. *Rodul. fol. 191.*

Deo Optimo Maximo: B. Virginis Conceptioni dicatum Sacellum hoc, quod rimaris lector, vetuſto funditus everſo erectum ſcias pii ære Joannis Archiepiſcopi Thebanenſis, Pont. Tarviſini, qui triennio needum peracto D. Franciſci Religioni fato accitus, brevi ad ſummam doctrinarum provectus, gravis Maroniſta unicum religionis decus evaſit. Theologiæ inſignibus XXVII. *anno, acri Patavii certamine uno Patrum conſenſu reportatis, ad Urbem procurator, inde Divi Antonii Provinciæ Magiſter; poſt Vicarius univerſus a Summo Pontifice Paulo tum Venetiis cunctis Patrum ſuffragiis Generalis creatus, ſex annos integre ſic præfuit, & Sixto Chriſti Vicario ſacri Coll·gii ad Ferdinandum Regem orator compos ad vota regreſſus, Spalatenſiſque Archiepiſcopus deſignatus, ac bina ad Senatum Venetum Legatione probe acta, Tarviſii Præſul, Archiepiſcopus Thebanenſis pronunciatus, Tarviſii reſidens palatium, & hoc quod aſpicis, templum, grandi pecunia inſtauravit. Epiſcopatus bona redemit, ſicque tanta munificentia Reipublicæ ac populo gratus, pie extollitur, Anno* MCCCCLXXXIII.

XXXV. Floruerunt hoc tempore viri docti in cœtu Obſervantum: Pelbartus de Themeſvar Hungarus, per univerſam Germaniam doctrina & concionibus illuſtris, cujus opera dabimus in recenſu ſcriptorum Minoritarum. Antonius de Balocho Vercelleuſis, vir probus & pius, fructuoſus val- de

Florent viri docti. *Marian. lib. 5. c. 43.* *Marc. par. 3. l. 6. c. 40.*
Pelbart. de Temeſvar.
Anton. de Balocho.

Google

de prædicator, ad lucrum animarum, non ad ſui laudem dirigens conciones. Urbevetanos implacabili odio ſe invicem trucidantes, ad pacem mirabiliter reduxit. Ibidem poſt pacificatos cives cum diebus pluribus prædicaſſet, pie deceſſit. Volentibus ſociis corpus in Provinciam Mediolanenſem, quam olim rexerat, referre, non eſt permiſſum a civibus, qui in Conventu ſancti Franciſci honorifice ſepelierunt. Multa patravit miracula, quibus teſtificandis appenſæ ſunt tabellæ, & lampades accenſæ ad ejus ſepulcrum. Bernardinus de Caymo Mediolanenſis, vir inſignis, celebris prædicator, qui Montis Varalli Cœnobium, & inter pulcherrima per collem ſparſa oratoria, paſſionis Chriſti myſteria, ſacroſque ritus repræſentantia, aliquot delineavit & inchoavit, de quo plura ſuo loco referemus. A Sixto Pontifice miſſus eſt Nuncius ad Ferdinandum Hiſpaniæ Regem pro arduis quibuſdam negotiis, quæ feliciter abſolvit.

Bernardinus a Caymo.

An. 1495.

Raphael de Griffis de Variſio.

Vide Tom. 11. an. 1469. n. 18.

XXXVI. Raphael de Variſio ex Medicinæ Doctore, factus Minorita, & inſignis Eccleſiaſtes, multam meſſem in horrea Domini congregavit. Omnibus egregii Concionatoris partibus abunde ornato ſola defuit voluntas prædicandi; invitus enim ad hoc munus trahebatur, etſi omnes vehementer cuperent audire ornatiſſime dicentem. Numquam viſus eſt ridere aut lætari, cauſamque interrogatus dixit, tanto ſe præoccupatum timore & tremore perdendæ nobiliſſimæ ſibi concreditæ animæ, ut nullus ei ſupereſſe poſſit locus lætitiæ. Obiit Mediolani, dum Guardianum ageret Conventus ſancti Angeli. Jacobus Grumelus Brixienſis, magnus Theologus, & publicus profeſſor, prædicator gratiſſimus & devotus, ad Sanctorum feſtivitates celebrandas, & virtutes commendandas ſingulari donatus talento. Florentiæ audacter & aperte egit contra Hieronymum Savanarolam, cui ſæpe in faciem reſtitit. Deſtinatus viſitator Provinciæ ſancti Antonii, obiit in Conventu Feltrenſi. Michael de Peruſio a Sixto Pontifice ſæpe ad varios Principes deſtinatus, & ab eodem per hoc Breve juſſus hoc anno prædicare Florentiæ quadrageſima ſequenti.

Jacobus Grumelus.

Michael Peruſinus.

Dilecto filio fratri Michaeli de Peruſio Ordinis Minorum de Obſervantia.

Jubetur Florentinis prædicare. Ex originali.

XXXVII. D*Ilecte fili, ſalutem &c. Mandavimus alias tibi ut Florentiæ prædicare deberes, quandoquidem Communitas illa magnam in tua exemplari vita & doctrina devotionem habet, & te in prædicationibus plurimum audire cupit; & cum nuper Florentini ipſi per Oratorem ſuum nobis de hoc fecerint iterum ſupplicari; Nos eorum pio deſiderio in hoc annuentes, volumus, & tuæ devotioni mandamus, quatenus quocumque alio mandato tibi in contrarium facto non obſtante, proxima futura quadrageſima ad Civitatem ipſam Florentinam prædicatum accedas, ibique juxta tibi traditam a Domino facultatem, doctrinam Evangelicam annuntiando, fructum animarum facere ſtudeas. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die* XXI. *Octobris* MCCCCLXXXIII. *Pontificatus noſtri anno* XIII.

Legenda MSS. Bernardin. Feltren. prædicat Ferrarienſibus.

XXXVIII. Bernardinus Feltrenſis hoc anno a Franciſco Gonzaga Cardinale Mantuano Legato Apoſtolico, Pontificii & confœderatorum exercituum contra Venetos directore, Ferrariam tunc ab hoſtibus obſeſſam, vocatus ut prædicaret, timere cœpit, ſuamque incuſare ſortem, quod ſi proficiſci nollet, Legati & Ferrarienſium indignationem incurreret; ſi vellet, apud Venetos ſuos Dominos in ſuſpicionem vocaretur. Vicit tamen obſequendi ſtudium, & Sixti Mediolanenſis viri ſanctiſſimi, ſui olim Præ-

ce-

ceptoris conſilium. Magno vitæ diſcrimine in urbem introductus, quotidianas habebat conciones in templo Cathedrali, civium peccandi licentiam, militum rapinas, tribunorum infidam æris diſpenſationem, palam & vehementer objurgans. Multorum hæc conciliarunt invidiam & iram, parumque abſuit, quin male haberet, inſignique afficeretur injuria. Ducis uxor Virum ſanctum digne venerata, prohibuit, animumque addidit, ut verbum Domini libere intonaret. Cum orationis ſervore urbis vitia, & superventura mala vehementer exaggeraret, univerſus populus magnis clamoribus & lacrymis Dei miſericordiam imploravit. Tunc ille collacrymans: *O Ferraria, quia te peccaſſe pœnitet, Deo placuit tui miſereri. Obſidione hac liberaberis, & in priſtinam felicitatem redibis, ſed cito ad vomitum regreſſa, cave ne tarditatem ſupplicii Deus gravitate compenſet.*

Fit Vicarius Provinciæ S. Antonii.

XXXIX. Abſens electus in Vicarium ſuæ Provinciæ, ad comitia profectus rogavit abſolvi. Id negantibus Patribus, accinxit ſe virtute ad tollendos quoſdam abuſus, qui in Sodalitium irrepſerant, & Venetias profectus, eas ſtatuit in Cœnobio *Vinearum* leges, quas erroribus eliminandis, & virtutibus inſerendis judicaverat opportunas. Majores reſtaurandæ diſciplinæ progreſſus impedivit acerbus morbus, qui fere mortem advexit. Paululum recuperata ſalute, e finibus Venetis Apoſtolico ſubjectis interdicto recedere oportuit, indeque vocare Conſodales, quos per vicinas Provincias placide diſtribuit, collatis pluribus in cœnobiis Mantuano & Tridentino. Iterum acuta febre, & fluxu hepatico correptus, Commiſſarium inſtituit Provinciæ Bartholomæum Loredanum, virum doctum, & regimini apprime idoneum, cujus auxilio univerſos Fratres in tanta rerum commotione conſolatus, Provinciam rexit ſanctiſſime, etſi Princeps Senatuſque Venetus in eum vehementer commotus, propter obſervatum interdictum, evocatoſque Conſodales, nihil non intulerit moleſtiæ.

Finibus exulat Venetis.

Fit Cardinalis Elias de Bourdeille. Tomo 11. anno 1437. n. 35.

XL. Hoc anno VII. Kal. Januarii Sixtus Pontifex quinque creavit Cardinales, atque inter hos fratrem Eliam ex Vicecomitibus de Bourdeille, olim, uti diximus, Epiſcopum Petragoricenſem, mox Archiepiſcopum Turonenſem, Theologum inſignem, vitæ ſanctitate præclarum. Cum ſanctæ Luciæ in ſilice titulum, & galerum acciperet Cardinalitium, nullum lætitiæ ſignum exhibuit, nec quidem latum unguem a ſuo ſtatu, vel propoſito pietatis curſu, ob tantum collatum honorem deflexit. Obiit miraculis clarus anno ſequenti die V. Julii, ſepultuſque eſt in ſua Cathedrali Turonenſi. Anno MDXXVI. auctoritate Joannis de Planis Petragoricenſis Epiſcopi, de ejus vita & miraculis inquiſitio facta eſt, ut ſanctorum numero adſcriberetur. Quædam edidit opuſcula alias a nobis referenda. Vitam ejus ſcripſit Petrus Boiſmorinus, quam non licuit videre.

Floret Antonius Picenus.

XLI. Frater Antonius de Marchia, artis Poeticæ peritiſſimus, hoc tempore Dantis Aligerii, clariſſimi Poetæ Etruſci opera Latino explicuit carmine. Opus hoc elegantiſſimum, ab eruditis viris ſumme concupitum, e cœnobio Minorum Fanenſi abſtulit Magiſter Laurentius Aſtemius e Macerata Montis Feltrii, vir doctiſſimus, & magno in pretio penes ſe retinuit. Poſt ejus mortem opus deperiit. Atqui ipſius Dantis oſſa hoc ipſo anno voluit honorare Bernardus Bembus, Prætor urbis Ravennatis, qui ſepulcrum ejus honorifice reſtituit prope oſtium præcipuum templi Ravennatis Patrum Conventualium. Sepulcrum loculumque marmoreum, in quatuor angulis circumdant & ornant variæ marmoreæ immagines, inter quas in loculi medio & ipſius Poetæ affabre inſculpta conſpicitur, ſubjectis his carminibus.

Ubi ſepultus Dantes.

VIRTUTI ET HONORI S. V. F.

Jura Monarchiæ, Superos, Phlegetonta, laeuſque
Luſtrando cecini, voluerunt fata quouſque.
Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris,
Actoremque ſuum petiit fœlicior Aſtris,
Hic claudor Dantes patriis extorris ab oris,
Quem genuit parvi Florentia Mater amoris.
Exigua tumuli Dantes hic ſorte jacebat,
Squalenti nulli cognito pene ſitu.
At nunc marmoreo ſubnixas conderis arcu,
Omnibus, & cultu ſplendidiore nites.
Nimirum Bembus Muſis incenſus Ethruſcis,
Hoc tibi, quem in primis hæ coluere, dedit.

Anno Sal. M. CCCC. LXXXIII. Kalendis Junii,
Bernardus Bembus Prætor ære ſuo poſuit.

Opus Petri Lombardi.

An. 1482. n. 72. Fratres perſiſtunt in procuranda clauſura Sororũ Tertii Ordinis.

XLII. Eouſque crevit diſcrimen inter Fratres Provinciæ ſancti Franciſci, & Sorores Tertii Ordinis, quod ſupra narravimus, ut hoc anno Julianus Cardinalis Protector, & Gabriel Cardinalis Agrienſis Minorita Pontificem rogarint, ſua vellet auctoritate controverſiam componere, diſſidentes compeſcere, ne graviores turbas excitarent. Fulginei, Peruſii, Narniæ, & multis in locis prædictæ Provinciæ domus habebant copioſas Sorores, bene audiebant in populo, potenteſque habebant fautores, amicos & conſanguineos. Hi modis omnibus rogabant, hortabantur, compellebant Fratres ut rejectum gubernium reſumerent, & illi conſtanter recuſabant, nec ſpes erat ulla illos flectendi. Peruſinæ nolentes uti miniſterio ſacerdotum ſecularium, ſe ſubdiderunt Fratribus Amadeitis, hoc anno in iſtud fortaſſis miniſterium in urbem admiſſis, uti nunc dicemus; ſed reliquæ perſtiterunt in conſervanda libertate egrediendi, & procurando regimine Obſervantum. Hoc itaque temperamentum excogitavit Pontifex, per quod utrique parti putabat ſatisfactum: ſed quoquo modo exeuntium curam ſuſcipere dum Fratres detrectant, & ad ipſum Pontificem & præfatos Cardinales recurrunt, res in alterum annum differtur, donec Sorores clauſuram quibuſdam conditionibus admiſerunt.

Dilecto filio fratri Petro de Neapoli Vicario Generali Fratrum Minorum de Obſervantia Ciſmontano.

Ex regeſto Ordinis.

XLIII. I*Ntelleximus quod longo jam tempore dilectæ in Chriſto filiæ Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci in congregatione viventes in pluribus Civitatibus & terris Provinciæ dicti Sancti, ſub cura fuerint & regimine dilectorum filiorum Vicarii & Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum prælibatæ Provinciæ, & quod nuper dilectus filius frater Baptiſta de Monte Falcone ejuſdem Provinciæ tunc Vicarius, de conſenſu & voluntate provincialis capituli, pro zelo majoris honeſtatis & perfectionis voluit, quod dictæ Sorores, quæ extra Monaſteria earum egredi ſolebant, clauſuram ſervarent. Cujus ordinationi quia prælibatæ Sorores aſſenſum præſtare noluerunt, ipſe Vicarius ſecundum voluntatem Fratrum*

præ-

prædictorum eas a cura & regimine ſui & præfatorum Fratrum penitus abdicavit. Super quo multæ nobis hinc inde ſunt allatæ querelæ, & rationes adductæ, nec tamen hactenus voluerunt ad concordiam revocari. Nos igitur attendentes, quod Obſervantia clauſuræ, licet majoris ſit honeſtatis, quia tamen pertinet ad ſtatum ſupererogationis, & aſperioris Obſervantiæ, & ad eam nulla debet cogi invita; & conſiderantes nihilominus quod nimia multarum evagatio eſſet valde periculoſa, & ſtatui Religionis non multum convenit; volentes, prout decet, hujuſmodi querelæ finem ponere, & utrique parti debite providere, te, de cujus prudentia & religionis zelo non parum confidimus, hortamur in Domino, ac in virtute Obedientiæ ſanctæ, proprio motu, non ad alicujus oblatæ petitionis inſtantiam, præcipiendo tibi mandamus, quatenus ad dictam Provinciam perſonaliter accedens, prædictas differentias intelligas, & præter articulum clauſuræ, quam Sororibus invitis nolumus te poſſe injungere, eas tamen a ſuperfluo diſcurſu aliqualiter coerceas, ut non paſſim & ſine neceſſaria aut legitima cauſa diſcurrant, ſeu earum egreſſus cum aliquali moderamine, prout honeſtati convenit & Religioni, refrænentur, prout tibi videbitur, cujus conſcientiæ inhæremus: præcipientes ipſis Sororibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, omni appellatione & reclamatione remotis, quod cum moderaminibus hujuſmodi a te circa earum egreſſum diſponendis, ſe regimini & curæ ſubjiciant dictorum Vicarii & Fratrum præfatæ Provinciæ; Fratribus & ipſis ſub pœna eadem mandantes, quod omni appellatione poſtpoſita, ſi illæ ſe ſubjicere voluerint, earum curam cum moderaminibus ſupradictis ſuſcipiant, & eis omnia Sacramenta miniſtrent, ſicut ante præfatam controverſiam miniſtrabant. Non obſtante quacumque appellatione ſeu reclamatione facta vel fienda, ac litteris per Nos & Sedem Apoſtolicam cuivis ipſorum Ordinum univerſaliter vel particulariter, ne præfatæ Sorores ad moderatum earum egreſſum compelli, vel ne Fratres ſupradicti earum curam recipere per quemvis inferiorem cogi poſſint inviti, ſub quacumque verborum forma conceſſis vel in poſterum concedendis, etſi foret hujuſmodi de verbo ad verbum earum expreſſa mentio facienda, necnon omnibus & ſingulis privilegiis contrariis, & conſtitutionibus Apoſtolicis vel Ordinum prædictorum, & aliis in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XV. *Septembris* MCCCCLXXXIII. *Pontificatus noſtri anno* XIII.

Conv. Narnien.

XLIV. Extra urbem Narnienſem devota quædam imago Virginis Mariæ multis cœpit clarere miraculis; quare Magiſtratus & cives decreverunt ibi Cœnobium erigere Fratrum Congregationis Clarenorum, ſub Obedientia Miniſtri Generalis degentium. Id factum vel inchoatum hoc anno, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Plano, Sixto Pontifice annuente: *Supplicari nobis*. die XXV. Aprilis. Gonzaga ædificatum ait ab Angelo de Ceſis, cive Narnienſi, pro Fratribus Obſervantibus, & temporis ſucceſſu in Clarenorum poteſtatem deveniſſe. At ſecus factum conſtabit ex Sixti litteris in Regeſto. Angelus fortaſſis fuit ex præcipuis conditoribus vel auxiliatoribus fabricandi ædificii, & anno MDLXVIII. non reſtitutus, ſed conceſſus eſt Obſervantibus.

Gonz. in Provin. S. Franc. Conv. 19.

Conv. Peruſinus S. Hieronymi.

XLV. Dixi paulo antea, hoc anno introductos in urbem Peruſinam Fratres Congregationis beati Amadei, procurantibus, ut reor, tot Sororibus Tertii Ordinis, quas per varias domos ejuſdem urbis annis ſuperioribus diximus diſperſas. Conceſſit Pontifex Communitati & Prioribus Artium Peruſinis facultatem concedendi eis domum ſanctæ Mariæ de Colmani extra & prope portam ſancti Andreæ, olim per alios Religioſos habitatam, vel al-

alteram ſancti Nicolai intra & juxta muros portæ ſancti Petri, in qua duo Eremitæ vivebant, vel alibi eis Cœnobium ædificandi, & tradendi Roberto Guardiano Conventus ſancti Petri de Monte Aureo in Urbe, Congregationis Amadeorum anteſignano: *Sacræ Religionis*. XVI. Kalend. Auguſti; ubi tamen, ſeu in qua urbis parte pedem fixerint, invenire non potui, niſi fortaſſis eis tunc conſtructa fuerit domus ſancti Hieronymi extra & prope portam ſancti Petri, quod probabile reputo, licet eam anno MDII. ædificatam, & Clarenis traditam aſſerat Gonzaga, & Obſervantibus reſtitutam anno MDLXVIII. ſub Aloyſio Puteo Miniſtro Generali.

Gonz. ibid. Conven. 5.

Conv. Cotiniolæ.

XLVI. Cotiniolæ oppidum, in Æmilia exiguum, ſed pernobile, ad dextram Senii amnis, ex quo multi homines illuſtres prodierunt, præſertim auctor gentis inclytæ Sfortiarum, hoc tempore domum inchoavit Obſervantibus communi ſumptu & fidelium ſubſidiis. Eccleſiam vero ſuis expenſis conſtruxit Joannes Roccius Notarius. Licentiam dediſſe hoc anno die IV. Octobris Sixtum Pontificem, dum Angelus a Clavaſio Vicarium ageret Generalem Ciſmontanum, aſſerit Gonzaga: ſed vel hoc anno non dedit Sixtus facultatem, vel errat Gonzaga circa Vicarium; hoc enim anno regebat Petrus Neapolitanus, & ſequenti Angelus tertium electus eſt Vicarius. Templum conſecravit die XIV. Aprilis anno MCCCCXCV. Petrus Epiſcopus Interamnenſis, ſub titulo ſancti Franciſci, retento etiam priori nomine beatæ Mariæ de Angelis. Edidit hic locus Venerabilem Patrem Albertum Marcheſium a Cotiniola virum doctiſſimum, & in ſacra Scriptura verſatiſſimum, cujus extant monumenta, ibidem anno MDXXXI. ſepultum; & Bonaventuram Brachium a Cotiniola, doctum Eccleſiaſtem.

Gonz. in Provin. Bonon. Conv. 22.

Conv. Montis Savini. *Lib. 200. bullar. fol. 106.*

XLVII. Incolæ Caſtri Montis Savini, diœceſis Aretinæ, ſtatuerunt ædificare Obſervantibus domum in poſſeſſione quadam, dicta *il poggio di Lorenzino*, in territorio dicti Caſtri ſita, quam Chriſtophorus Franciſci de Placentia in hunc finem Fratribus donavit, vel alio loco opportuniori. Facultatem ita faciendi conceſſit Pontifex hoc anno Nonis Decembris; ſed an ita factum, non comperio, neque veſtigium hujus ſtructuræ inter monumenta illius Provinciæ.

Conv. Rutiliani.

XLVIII. Patribus Conventualibus provinciæ ſancti Nicolai, eorumque Miniſtro Lucæ Caraccioli de Licio, dedit hoc anno Sixtus Pontifex facultatem admittendi Oratorium, ſub invocatione beatæ Mariæ de Pietate, & hoſpitale propinquum, quæ Peregrinus Archipresbyter loci Rutiliani, diœceſis Cuperſanæ ædificaverat, deditque dictis Fratribus dum viveret cum quibuſdam bonis immobilibus, ut ibidem domum regularem ædificarent: *Piis fidelium*. IX. Kalendas Julii. Illi porro locum ædificaverunt, ſpectatque ad prædictam Provinciam, & Cuſtodiam Barolitanam. Lucas ille Miniſter frater erat Germanus Roberti Epiſcopi Aquinatis, de quo ſæpe locuti ſumus, & agit in ſuo Licio ſacro Julius Cæſar Infantinus.

Infantin. pag. 50.

Conv. Ruthenen. reformatur. *Lib. 187. fol. 161.*

XLIX. Acceptis querelis Bertrandi Epiſcopi Ruthenenſis contra Patres Conventuales domus ſancti Franciſci ejuſdem urbis, qui his expulſis introduxit Fratres Obſervantes, cauſam commiſit Pontifex cognoſcendam hoc anno X. Kalend. Junii Epiſcopis Conſeranenſi, & Convenarum, ac Officiali Toloſano, qui tamdem ſtatuerunt introductos Obſervantes in ea domo conſervandos.

Conv. Fevolhedoſi. *Lib. 191. fol. 110.*

L. Guillelmus de Campo Rotundo ex Obſervantum cœtu obtinuit hoc anno XVI. Kalendas Maii litteras ad Epiſcopum Electenſem, ut ei concederet pro conſtruendo Conventu ſui Ordinis Eremitorium, ſub vocabulo ſancti Antonii de Galamus, ſitum inter rupes montium in loco ſolitario in-

fra

fra limites parochiæ ſancti Petri loci de ſancto Paulo Fevolhedoſti, diœceſis Electenſis, ſpectans ad menſam Capitularem Eccleſiæ collegiatæ dicti loci, in quo pauculæ perſonæ regulares vel Eremicolæ, ex conſenſu Capituli dictæ Eccleſiæ Collegiatæ, habitare conſueverunt. Conceſſionem hanc confirmavit Innocentius ſucceſſor ann. MCCCCLXXXV. ſed poſt biennium ſe oppoſuerunt Decanus & Capitulum prædicti, commiſitque Innocentius cauſam judicandam quibuſdam Judicibus. Conjicio irritum evaſiſſe Guillelmi ſtudium; non enim inter reliquos Conventus provinciæ ſancti Ludovici, ſeu tractus Narbonenſis, in quo iſte continetur, invenio iſtum recenſitum. Quid autem poſtea egerit, non invenio.

Ex lib. 43. Regiſt. Innocen. fol. 155.

LI. In provincia Aquitaniæ antiquioris Conventum Montis Regalis conſtruxit Jacobus Duceiemoſiæ, quem poſtea reparavit ſeu reædificavit Epiſcopus Albienſis Ludovicus ab Amboiſia Cardinalis, nepos alterius Ludovici de Amboiſia, cognomento *Boni*, ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitis. Anno MDLXVI. Hugonoti, Fratribus pulſis, verberatis, in carcerem conjectis, domum expilarunt, immiſſoque igne in ſavillas redegerunt, & fratrem Franciſcum Lardegarium Sacerdotem plumbeis glandibus trajecerunt, ac Jacobum Laggerium Laicum ſeu converſum ſimili mortis genere & gladio occiderunt.

Conv. Montis Regalis. *Gonz. in Provin. Aquit. antiquior. Conv. 29.*

LII. Apud oppidum Malliacenſe, Ambianenſis diœceſis, Joannes Baro Malleaceus hoc anno Cœnobium ſanctæ Mariæ de Pietate ædificavit. Anno MDLIV. incurſu Militum Hiſpanorum, & MDLXII. rabie hæreticorum Hugoniſtarum deſtructum, dicti fundatoris poſteri reſtaurarunt. Ad annum MCCCCXCIX. iterum de hoc Conventu ſermo redibit.

Conv. Malliacen. *Idem in Provinc. Franc. Conv. 39.*

LIII. Dixi alias conceſſam a Nicolao V. facultatem Fratribus, qui in Tabernæ Inſula Britanniæ Armoricæ ſatis miſere & incommode habitabant, alio ſe ſuaque transferendi. Id in hoc uſque tempus facere non potuerunt. Nova itaque Sixti obtenta facultate, tranſvectis ceteris Cœnobii materia & ſuppellectile, juxta Civitatem Trecorienſem, ſancti Ivonis corpore celebrem, favente & ſumptus miniſtrante Franciſco Britanniæ Duce, commodam domum conſtruxerunt.

Conv. Trecorien. *Idem in Provinc. Britan. Conv. 5.*

LIV. Magdalenæ Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Claræ Nolani hoc anno XII. Kalend. Julii data eſt etiam facultas extruendi Monaſterium ejuſdem Ordinis in loco nuncupato *alli Mirri* Terræ Gragnani, Litteren. diœceſis, ſub invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, & regimine Epiſcopi.

Monaſt. Gragnani. *Lib. 195. fol. 13.*

LV. Julius Cæſar de Varano, urbis Camerinenſis ejuſque Comitatus & diſtrictus, pro Eccleſia Romana Gubernator, Civeſque Camerinenſes hoc anno, VI. Kalendas Septembris rogarunt Pontificem, ut ſuppreſſo Ordine ſancti Benedicti in vetuſto & pene diruto Monaſterio ſanctæ Conſtantiæ, in quo tantum una Monialis decrepita permanſerat, liceret ex pretio, & ruderibus ejuſdem aliud Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ juxta primæva Inſtituta ejuſdem Ordinis, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Novæ, & regimine Fratrum Minorum de Obſervantia, alio commodiori & honeſtiori loco conſtruere. Annuit Pontifex ea lege ne Eccleſia ſanctæ Conſtantiæ profanaretur, ſed in ea quandoque Miſſæ celebrarentur, & decrepitæ Moniali de opportuna ſuſtentatione provideretur. De aliis duobus Monaſteriis Camerinenſibus alias egimus, uno Clariſſarum & altero Sororum Tertii Ordinis Pœnitentium.

Monaſt. Camerinen. *Lib. 199. fol. 292.*

Tom. 10. anno 1426. n. 23. & Tom. 13. anno 1459. n. 63.

LVI. Andreas Dermeck miles Meten. & Perretta ejus uxor, hoc tempore erexerant Monaſterium ſanctæ Claræ infra limites parochialis Eccleſiæ ſancti Hilarii loci de Grantmeze, diœceſis Metenſis, & pro ampliandis ſtru-

Monaſt. Grantmetzen. *Lib. 207. fol. 215.*

ctu-

Digitized by Google

cturis dicti Monaſterii donaverunt quaſdam domos in ea parochia conſiſtentes; quarum demolitionem cum ſibi valde præjudicare contenderet Petrus Clerici Rector prædictæ Eccleſiæ, Andreas prætenſum damnum compenſavit pecunia numerata, ut emerentur bona immobilia, ex quibus annui reditus pro Eccleſiæ Rectore in perpetuum perciperentur. Conventionem inter partes initam, hoc anno pridie Kalendas Januarii, Pontifex confirmavit.

Monaſt. Rothomagen. Gonz. in Provin. Franciæ Mon. 10.

LVII. In Civitate Rothomagenſi Normanniæ primaria, Joannes de Stovanilla, miles Regii Ordinis, Dominus de Torciaco, & Blamvilla, ac Franciſca de Rupefoucandi conſors, Domina Montis Daſoni & ſanctæ Mauræ hoc anno Monaſterium Clariſſarum, ſub invocatione beatæ Mariæ, ac ſancti Joannis Baptiſtæ, & reformatione B. Coletæ, juxta fores Hilarianos, & intra fines Eccleſiæ parochialis beati Viviani conſtruxerunt. In medio Templi fundatoris conſpicitur ſepulcrum.

Monaſt. Briellen. Lib. 194 fol. 136.

LVIII. Margarita Duciſſa relicta quondam Caroli Ducis Burgundiæ, hoc anno VI. Kalend. Maii facultatem impetravit a Sixto ædificandi in ſuo oppido de Briellis, Trajecten. diœceſis Monaſterium Clariſſarum, juxta primævam inſtitutionem ejuſdem Ordinis in Monaſterio ſancti Damiani prope Aſſiſium, & Abbatiſſam ac primas diſciplinæ Magiſtras illuc transferendi ex Monaſterio beatæ Mariæ de Nazarelli, oppidi de Delfi ejuſdem diœceſis, quatuor Fratres ex Ordine Minorum Obſervantum illarum miniſterio deputandi, idoneum ſcilicet confeſſarium, clericum unum, & duos laicos, qui in domo propinqua commorari deberent, & Monaſterium ipſum ſubjiciendi Vicario Obſervantum. Ex litteris Pontificiis hujus conceſſionis conſtat, quod præter domum Sororum Tertii Ordinis in Delfi, de qua alias diximus, erat altera Clariſſarum; ſed ſacra hæc omnia Virginum reclusoria, rabido hæreticorum furore penitus deſtructa ſunt. Eidem Duciſſæ paucos poſt menſes, videlicet IV. Nonas Octobris alio diplomate conceſſa eſt licentia conſtruendi duo vel tria Monaſteria Clariſſarum intra, vel extra Civitates aut villas ſue ditionis, juxtra tamen Regulam ab Innocentio IV. præſcriptam, & ſub obedientia Vicariorum Obſervantiæ.

Tom. 13. anno 1461. n. 40. Lib. 199. fol. 136.

** al. Sicca. Monaſt. Corduben. ſanctæ Eliſabethæ de Angelis.*

LIX. Marina de Villa Sera * relicta quondam Garſiæ de Monte Majori, civis Corduben. ſuſcepta ſtatim a viri obitu, veſte & Inſtituto Tertii Ordinis de Pœnitentia, hoc anno ſignificavit Sixto Pontifici ſe velle domum infra limites parochiæ ſancti Petri Cordubenſis relinquere in ſuo teſtamento inhabitandam a novem Sororibus ejuſdem Inſtituti, quibus decrevit congruam ſuſtentationem, & peculiares quaſdam regulas præſcribere. Horum confirmationem Sixtus conceſſit, ſcriptis VII. Idus Auguſti litteris ad Priorem Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Hyppoliti Cordubenſis. Ita autem feciſſe Marinam & Monaſterium ædificaſſe ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ de Angelis anno MCCCCLXXXIX. ſcribit Gonzaga, & introductas Virgines ad perfectiorem vitam anhelantes, primam Regulam S. Claræ anno MCCCCXCI. ex conceſſione Innocentii VIII. ſuſcepiſſe. Egregia hic virtute floruerunt Sorores Maria a Jeſu, cujus corpus habetur in veneratione; Franciſca de Hervas, quæ anno MDLX. Ludovica de Pareja, quæ anno MDLXXXVI. Marina de Chriſto, quæ MDXCVIII. pie & magna ſanctimoniæ opinione ex hac vita deceſſerunt. Sepe hoc anno incidit mentio domorum ſanctæ Agathæ in Delfi, & ſanctæ Urſulæ in Schedam, Tertii Ordinis Sororum, diœceſis Trajectenſis, quibus variæ conceduntur Indulgentiæ & privilegia.

Gonz. in Provin. Granat. Mon. 8.

Vide Innocentii diploma in regeſto ad ann. 1491. Domus Delfi, & Schedam Sororū Tertii Ordinis.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. EPiſcopus Saonenſis in Liguria quædam cum Civibus concordata
„ pro Gubernio Montis Pietatis conſtabilire deſiderabat, at pro
„ firmitate perenni ſupremam auctoritatem Eccleſiæ expectabat; itaque
„ ſummus Pontifex ultimo Februarii die, proprio motu ad fratrem Ange-
„ lum a Clavaſio, virum optimæ famæ & prudentiæ, & pro Cruciata Sedis
„ Apoſtolicæ Commiſſarium ſpeciale Breve direxit, quo illi committebat
„ ut viſis matureque conſideratis iis, quæ pro erigendo Monte Pietatis, *Infra ad annum 1490. de hoc eod. Monte.*
„ ſancteque regendo proponebantur, approbaret, auctoritateque Apoſtoli-
„ ca confirmata, obſervari faceret: quæ omnia egregie executus eſt hoc eo-
„ dem anno die v. Maii. Vigente inter Mendicantes, & Clerum in Ger-
„ mania quadam gravi altercatione, facile degeneratura in ſcandaloſa diſ-
„ ſidia, eam componere Sixtus ac determinare, expedito Brevi, quod
„ mox exhibemus, ſategit.

SIXTUS PAPA IV.

Dilecto filio Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ *QUia cum inter dilectos filios Clerum nationis Germaniæ, & Reli-* *Specul. Minor. tract. 2. fol. 37.*
„ *gioſos Ordinum Mendicantium controverſia vigeat, & quibus de*
„ *cauſis orta ſit, ex Oratoribus ab ipſo Clero ad nos nuperrime miſſis*
„ *intelleximus; & potiſſime iſtæ eſſe dicuntur, de ſolutione videlicet deci-*
„ *marum, a qua Mendicantes ipſi ſe penitus volunt eſſe immunes: de Corpo-*
„ *ribus defunctorum ad Parochiales Eccleſias pro ultimo vale, ut proverbium*
„ *eſt, deferendo, priuſquam in Eccleſiis ipſorum Religioſorum humentur: &*
„ *poſtremo de ſacramentis Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis miniſtrandis,*
„ *ſuper quo Mendicantibus ipſis, in caſu, in quo Presbyteri Parochiales Sa-*
„ *cramenta ipſa iis, qui Mendicantibus confitebantur, negarent, ab Apo-*
„ *ſtolica Sede eſt attributa facultas.*
„ *Conſideravimus omnia diligenter, Oratoreſque ipſos, Ordinumque ipſo-*
„ *rum Procuratores a nonnullis venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E.*
„ *Cardinalibus audiri ſæpe fecimus, & audivimus Nos ipſi: & quoniam*
„ *talia pro utraque parte adducta in memoriam fuerunt, ut probabilibus*
„ *cauſis inniti viderentur, Nos quamdam mediam viam ſecuti, modum in-*
„ *venimus, auctore Domino, qui convenientiſſimus eſt ad hujuſmodi contro-*
„ *verſias tollendas, & ad nutriendum inter Clerum & Religioſos prædictos,*
„ *juxta Evangelicam doctrinam, debitam caritatem, ipſis etiam dictorum*
„ *Ordinum Procuratoribus, qui hujuſmodi negotium proſequebantur, præ-*
„ *ſentibus & intelligentibus.*
„ *Modus autem a nobis excogitatus talis eſt; videlicet, quoad decimas,*
„ *Mendicantes ipſi remaneant in ipſo ſtatu, in quo tempore Prædeceſſorum*
„ *noſtrorum Romanorum Pontificum erant, & quod contenti eſſe debeant eo*
„ *jure, quo hujuſmodi decimas habuerint. In ſepulturis vero, & vale ulti-*
„ *mo, conſuetudo ubi viget, ſtet, ſervarique inviolabiliter debeat, ideſt,*
„ *quod corpora ad Parochiales Eccleſias deferantur, & alia conſueta ſerven-*
„ *tur: ita tamen, quod expoliatio corporum, extorſiones & pacta illicita,*
„ *a jure reprobata, ob quæ ſuper hac re diſcordia orta dicitur, quæ etiam*
ſub

ſub excommunicationis latæ ſententiæ pæna, deinceps fieri prohibemus, penitus ceſſent. In adminiſtratione autem Sacramentorum prædictorum, conſiderantes Nos, quod in eventu negationis præmiſſæ, ſuper illorum adminiſtratione Mendicantibus fuit conceſſa facultas, peropportunum & neceſſarium ad omnem diſcordiæ fomitem amputandum, duximus, quod Preſbyteri Parochiales Sacramenta hujuſmodi his, qui Mendicantibus fuerint confeſſi, abſque legitimis cauſis, illis videlicet, quæ in jure ſunt, denegantes, eamdem excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrant, quam Mendicantes, Chriſti Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrando incurrerent, juxta conſtitutionem fel. record. Clementis Papæ V. noſtri prædeceſſoris, quæ incipit: Religioſi &c. *in titulo de Privilegiis.*

Hæc eſt noſtra in præmiſſis voluntas, & mandamus, abſque dictorum Ordinum in reliquis præjudicio, quam etiam nonnullis venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis dictæ Nationis Germaniæ, in quorum Provinciis dictæ controverſiæ vigent, per noſtras litteras intimavimus, ut & ipſi omnia obſervent, & in diœceſibus ac Provinciis ſuis obſervari faciant: commendamus etiam ipſis Mendicantes prædictos, hortantes, ut eos benignitate paterna proſequi velint: Teque hortamur dilecte fili, & monemus attentius, ut eiſdem Archiepiſcopis & aliis Prælatis debitam reverentiam debitumque obſequium a tuis omnibus facias exhiberi: Paſtores enim ſunt animarum, & in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, ſanctorum ſucceſſores Apoſtolorum. Sic enim fiet, ut mutuæ caritatis & reverentiæ ſtudio, pax inter eos vigeat & concordia, omni diſcordiæ fomite amputato.

Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam ſub quibuſcumque cenſuris editis, quibus pro præmiſſarum obſervatione, derogamus expreſſe, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. *Aprilis* MCCCCLXXXIII. *Pontificatus noſtri anno* XII.

II. Cœnobium Cadanenſe per id temporis, quod ad Sanctos quatuordecim Auxiliatorum apud Boemos extructum diximus an. MCCCCLXXIII. anguſtius, quam deceret, inventum, experireturque incommodum nimis habitatoribus, Illuſtriſſimus Heros Joannes Baro *de Lobkouvitz*, & Dominus *Haſſembein*, anno MCCCCLXXXI. obtenta facultate a Ladislao Rege ædes eas ampliandi, a Magiſtratu Cadanenſe, adhærentem Sacello Sanctorum præfatorum quatuordecim agrum & vineam, necnon totum terræ ſpatium uſque ad fluvium Egram, in eum finem, VI. Kalendas Maii hujus anni obtinuit; ut tenoris ſubſequentis inſtrumentum oſtendit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Feliciter. Amen.

NOs, Magiſter Civium, Conſules & Jurati, totaque Communitas Civitatis Cadanenſis, univerſis & ſingulis præſentium notitiam habituris, ſalutem, & omnium bonorum augmentum.

Cum labilis ſit humana conditio, ut ergo ea, quæ fiunt in tempore, non ſimul evaneſcant in tempore, ſignanter illa, quæ ſpectant pro feliciori incremento famulatus Dei, expedit & neceſſarium arbitramur, ut æternitatis litterarum munimine ſolide firmentur. Nos itaque volentes Divinæ Majeſtatis ejuſque inæſtimabilis clementiæ magnificentiam, de talentis nobis a Deo conceſſis ampliare, ſani corporibus, animis deliberati, tum conſenſu Seniorum noſtrorum, totiuſque Communitatis aſſenſu, ad ſucceſſorum noſtrorum ſalutem, in remedium animarum anteceſſorum noſtrorum, & ſi-

Digitized by Google

,, *& ſignanter ex affectu, quem ad Ordinem Seraphici P. S. Franciſci, &*
,, *ad Fratres de Obſervantia ejuſdem Ordinis gerimus, ad honorem ſanctiſſi-*
,, *mæ Trinitatis, glorioſiſſimæque Dei Genitricis Mariæ, necnon Sanctorum*
,, *quatuordecim Auxiliatorum, Capellam foris ſuburbio noſtræ Cadanenſis*
,, *Civitatis, juxta Montem* Lignig, *in agro olim Nicolai* Finik, *penes ſtra-*
,, *tam a ſiniſtris verſus Clauſtrellum eundo, ſitam & locatam, in hono-*
,, *remque Sanctorum quatuordecim Auxiliatorum conſecratam, cum parva*
,, *vinea in propinquo ejuſdem Capellæ ordinariæ ſita, pariterque cum præ-*
,, *fato toto agro in omnibus limitibus, & metis circumferentialiter a ſtrata*
,, *publica, & foſſa ab exteris facta uſque ad decurſum fluvii, dicti* Egra, *at-*
,, *tingentibus, quem quidem agrum nos pro erigendo & fundando Monaſte-*
,, *rio eiſdem Fratribus de Obſervantia, eidem Nicolao* Finik, *pacta cum pe-*
,, *cunia plenarie oxolvimus: quam Capellam ulterius præfatis Fratribus,*
,, *cum toto fundo agri & vineæ, & cum omnibus eorum attinentiis, conceſ-*
,, *ſimus & donavimus, concedimus & legitime damus in perpetuum libere*
,, *reſignantes, quantum eis neceſſe fuerit pro Eccleſia, Cæmeterio, ambitu,*
,, *officinis & hortalitiis, totoque & integro Monaſterio conſtruendo juxta*
,, *conſuetudinem Ordinis, ad inhabitandum perpetuis inantea temporibus,*
,, *per præfatos Fratres ſancti Franciſci de Obſervantia, ſub gratiis & privi-*
,, *legiis a Sede Apoſtolica prædicto Ordini largitis & conceſſis.*
,, *Hortamur igitur & requirimus præſentes & futuros Incolas prædi-*
,, *ctæ Civitatis noſtræ Cadanenſis, ceteroſque ſubditos noſtros, ut iiſdem*
,, *Fratribus præſentibus & futuris, pro quietiori famulatu Dei, præſidio*
,, *benigno adſint & favore, cum & ipſi Fratres teneantur & debeant in-*
,, *comparabiliter in ſpiritualibus bonis eis refundere, & ſarcinas peccatorum*
,, *ſuorum tam in vita, quam in morte devote deferre.*
,, *Ut igitur omnia præmiſſa perpetuæ firmitatis obtineant robur,*
,, *præſentem paginam ſigillo noſtræ Civitatis majori duximus communiri.*
,, *Actum ſub anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXXIII. VI. *Kalendas*
,, *Maii.* *L. S. P.*
,, His præhabitis, hoc eodem anno præfatus Dominus Joannes *de Lo-*
,, *bkouvitz* Ordini Seraphico addictiſſimus, non pridem ex devota pere-
,, grinatione Hieroſolymitana redux, fundamenta pro ampliori Monaſte-
,, rio jecit, & annis ſequentibus ſuis expenſis perfecit.
,, III. Quinto Kalendas Maii pro Amadeiſtis apud Fulgineum poſſe
,, Cœnobium fundari facultas emanavit: *Sacræ Religionis &c.* Et pridie
,, Idus Maii ad beneficia Eccleſiaſtica frater Joannes *Roly* habilitatus fuit:
,, *Religionis zelus &c.* Pridie Nonas Septembris litteræ emanarunt pro
,, fratre Franciſco *de Filocaſtro*, vel *Philocaſtro*, & Provinciali Capitulo
,, Calabriæ directæ: *Relatum nobis &c.* Hic Franciſcus *a Filocaſtro* an-
,, no MCCCCLXVIII. in Romaniam Commiſſarius miſſus fuerat. Vicario
,, Generali Ultramontano gratias & facultates Fratribus ſibi ſubditis con-
,, ceſſas ſuſpendere poſſe indulſit, ut expediti copia Brevis ſubſequens
,, oſtendit.

SIXTUS PAPA IV.

Dilecto filio Vicario Generali Ultramontano.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

,, N*Uper nobis humiliter ſupplicari feciſti, quod, cum plerique Fratres* Ex Specul. fol. 35.
,, *tuæ curæ ſubjecti gratiis & facultatibus per nos eis conceſſis abuti,*

„ *aut in ſcandalum Ordinis uti ſoleant, dignaremur paterna providentia*
„ *huic rei occurrere.*
„ *Nos igitur, qui in effectum boni operis gratias & indulta concedere*
„ *ſolemus, quippe pacem & tranquillitatem in dicto Ordine nutrire inten-*
„ *dimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, harum ſerie tibi concedimus*
„ *facultatem, ut quandocumque proſpexeris Fratres tuæ curæ ſubjectos, vel*
„ *ipſorum aliquem hujuſmodi gratiis vel facultatibus abuti, ſuper quo tuam*
„ *conſcientiam oneramus, gratias & facultates ipſas ſuſpendere poſſis & ſu-*
„ *ſpenſas tenere, donec quamprimum Nos certiores reddideris, & a nobis*
„ *reſponſum habueris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Pi-*
„ *ſcatoris, die ultima Novembris anno* MCCCCLXXXIII. *Pontificatus noſtri*
„ *anno* XIII.

Ex Vatic.

Monaſterium Tertii Ordinis Monachii reformatur.

„ IV. Paulo vero poſt, ideſt Nonis Decembris, conſtruendi Cœnobii
„ Montis S. Severini licentiam dedit: *Piis fidelium &c.* Ridleriana Domus
„ Sororum Tertii Ordinis S.P.Franciſci Monachii inBavaria,opera Fr.Joan-
„ nis *Altphart* Vicarii Provincialis in ſuperiori Germania & Viſitatoris pri-
„ mam reformationem accepit. Venerabilis P.Fr.Bartholomæus *ab Appona*
„ ProvinciæS.P.Franciſci alumnus,Magiſter in S.Theologia,cum e Conven-
„ tualibus ad Patres de Obſervantia tranſiiſſet, D. Bernardini Senenſis
„ Socius extitit; totamque Italiam ſubinde cum ſuis concionibus, magno
„ cum fructu animarum illuſtraret, in Orientem etiam transjecit, omnem-
„ que fere Græciam, maxime vero Conſtantinopolim per duodecim annos
„ continuos ſua mirabili eruditione ac ſacris concionibus replevit decora-
„ vitque non ſine ingenti populorum acclamatione, ac etiam Imperatoris
„ Joannis Paleologi, & Joſephi Patriarchæ, qui ejus opera & ſuaſionibus
„ moti, Concilio Florentino una cum doctiſſimis Viris Græcis, anno Chriſti
„ MCCCCXXXVIII. ſub Eugenio IV. interfuerunt. Tamdem poſt multos pro
„ Chriſto, & Eccleſia exantlatos labores, bonorum operum fructu cumu-
„ latus, ferme decrepitus, anno MCCCCLXXXIII. pridie Idus Auguſti, in
„ Conventu S. P. Franciſci de Monte juxta Peruſium, miraculis ante & poſt
„ obitum illuſtris migravit ad Dominum. Hujus meminit Marcus Ulyſſi-
„ ponenſis, ac etiam Arthurus. Ceterum Bartholomæum ab Appona ſum-
„ mam caſuum conſcientiæ edidiſſe, teſtatur Bibliotheca Virorum illu-
„ ſtrium Ordinis Minorum; cui ſummæ adjungendum venit interrogato-
„ rium, in gratiam Confeſſariorum editum.

ARGUMENTUM.

Moritur Papa Sixtus, cujus vita & geſta potiora referuntur. Succedit Innocentius VIII. Ex humanis abeunt Elias de Bourdeille Cardinalis, Cherubinus Spoletanus, Joannes de Dukla Polonus, Jacobus Cortonenſis, Ægidius Florentinus, Euphroſina Biturgienſis, & Franciſca Meſſanenſis, virtute & pietate illuſtres. Obſervantes utriuſque familiæ ſua celebrant Comitia. Bernardinus Feltrenſis mirabili fructu per multas prædicat Civitates. Lis circa clauſuram Tertii Ordinis etiam hoc anno perſeverat. Creantur Epiſcopi, conſtruuntur Cœnobia.

I. Memorabilis valde eſt hic annus Minoritis, tot tantorumque virorum, dignitate & ſanctitate illuſtrium, ingenti jactura. Pontificem Maximum, ſui Ordinis columen & ornamentum, Cardinalem ſanguine, nobili Archiepiſcopatu & vitæ ſanctimonia inſignem, viros & fœminas ſanctitate illuſtres, uno hoc anno perdiderunt. Nos omnium, qua licuerit brevitate, vitam & geſta narrabimus; atqui a Sixto Pontifice decet auſpicari.

II. A fortunatiſſimi viri ſtirpis origine, & vitæ primordiis alias exorſi, per varios annos potiora quæque illius facta vel integre narravimus, vel alibi legenda indicavimus. Pleraque, quæ in Pontificatu geſſit, ſuis locis diſpertientes, quæ certis temporum terminis præſcribi tuto non poterant, ſub compendium referenda in hunc locum duximus ſervanda. Hominis acre ingenium, vel ampliandæ poteſtatis cupido, aut rei Eccleſiaſticæ tuendæ zelus, ſive recuperandæ deſiderium, inquietum bellicoſumque reddidit Pontificatum. Poſt primum bellum, quod in Turcas, Legato & Duce Oliverio Caraffa Cardinale Neapolitano, & ſecundum, Laurentio Patriarcha Antiocheno, fratris filio, claſſis Præfecto, ſociis Ferdinando Siculo Rege & Venetis glorioſe ſuſceperat, Volaterranos in Etruria a Florentinis deficientes, ne pax Italiæ hac occaſione turbaretur, miſſa copiarum parte, perdomuit. Deinde imperii diuturnitate auctis viribus, Pontificiam dignitatem ampliare, & imperium armis proferre cupiens, aliquot Umbriæ tyrannos tumultuantes, & adverſus Eccleſiam, magis quam beneficiarios deceret, contumaces tollere conſtituit. Tudertinos primum, deinde Spoletinos compeſcuit, & in Eccleſiæ fide continuit. Nicolaum Vitellium Tifernatem Regulum, ferocis ingenii hominem, ſemel atque iterum devicit. Laurentium Medicæum, qui tum in Republica Florentina principem locum obtinebat, ſibi ſemper adverſantem, & dilatandi imperii conatus diſſipantem, multis modis compreſſit, & propter fœde interfectum Archiepiſcopum Piſanum, captumque Raphaelem Riarium Cardinalem, Laurentio & Florentinis, ſacris omnibus interdictis, bellum intulit graviſſimum; eoque redegit, ut veniam pacemque rogarint, iiſque mulctæ nomine quindecim triremes ad bellum Turcicum imperarit. Miſſis copiis & claſſe Ferdinandum Neapolitanum Regem juvit, ut Hydrunte in Salentinis Turcas Italiæ exitium minitantes profligaret. Venetis, Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci fulto præſidiis Ferdinandi Aragonii, Ludovici Sfortiæ, & Florentinorum, atrox inſerentibus bellum, favere cœpit. Alphonſum Ferdinandi Regis filium Eſtenſi auxiliantem ad Campum mortuum in agro Veliterno, Duce Roberto Malateſta, ſuperavit. Columnenſes Romanos Principes Regis fautores, graviter bello proſecutus eſt, eorumque oppida in ſuam poteſtatem re-

Sixtus bellicoſi animi vir.

redegit. Fœderatorum Principum, qui Ferrarienſi favebant, precibus a Venetorum ſocietate avulſus, fœdus cum ceteris Italiæ Principibus contra Venetos percuſſit, eoſque monuit, ut a Ferrarienſi agro penitus abſtinerent, minimeque obtemperantes, ſed fortius bellum inſtaurantes, ſacris interdixit, armiſque ſuis & ſociorum pene contrivit. Sed Ludovicus Sfortia a fœdere diſcedens, vocatiſque confœderatis ad Balneolum agri Brixienſis oppidum, pacis fœdera, invito, ſaltem inſcio Sixto, ſtabilivit, quod ille tulit ægerrime, conceptuſque inde dolor mortem acceleravit.

Multis modis pecuniam collegit.

III. Tot itaque præliorum bellorumque ſumptibus exhauſtus, cum magna indigeret pecunia, nova excogitavit officiorum collegia, quæ venirent, vectigalia nova adinvenit, vetera perauxit. Plures a ſacris hominibus decimas exegit, alioſque colligendæ pecuniæ modos excogitavit, qui gloriam obſcurarunt. Sed vel temporum calamitatibus, rerum gerendarum neceſſitati, aut proximorum ſive miniſtrorum inſatiabili cupiditati hæc tribuenda videntur, cum nullus fuerit Pontificum ad eam diem animo ad munificentiam liberalitatemque propenſior, neque in dando hilarior, nec in promerendis hominibus promptior. Exules, atque a Turcis, vel ob alias cauſas, avitis ſedibus & imperiis ejectos, Andream Paleologum Peloponeſi, & Leonardum Toccum Epyri Deſpotas, Sophiam Thomæ Paleologi filiam, Ruthenorum Principis conjugem, Carolettam Cypri, & Catarinam Boſnæ Reginas, fortunis omnibus ſpoliatos, & ad ſe ſupplices confugientes benigne ſuſcepit, ſuaque munificentia ſublevavit. Chriſtiernum Daniæ, Svetiæ Regem, Erneſtum Saxoniæ Ducem, Eberhardum Principem Wirtembergenſem, uti ſuperius dixi, Alphonſum Calabriæ Principem Ferdinandi Regis filium, voti cauſa ad limina Apoſtolorum, & ad ſe ſalutandum mira devotione venientes, magnificentiſſimis ſumptibus excepit. Ferdinando Aragonio, Neapolitanorum Regi, ad Jubilæum magno comitatu venienti, Regio apparatu officia omnia præſtitit, & annuum cenſum, quem Eccleſiæ Romanæ debitum pendebat, equo tantum falerato, tributi nomine retento, eidem remiſit.

Erga exules Principes munificus.

Nobiles hoſpites digno excipiebat apparatu. An. 1484. n. 1.

Multum advexit Urbi ſplendoris.

IV. In operibus publicis conſtruendis vel reparandis æque maximum ſe oſtendit. Urbem ante omnia a ſitu & cœno vindicavit, viis Urbis primum munitis, & lateribus ſtratis, porticibus & mœnianis disjectis, quæ vias deformes, inconcinnas & obſcuras reddebant, &, qui hæc ex officio curarent, Vicorum Magiſtros a ſe inſtitutos præfecit, Muros Urbis multis locis temporum injuria collapſos inſtauravit. Utilitati Urbanæ conſulens, ductus aquæ *Virginis* pene confractos, elimatos, perpetuo fornice a Monte Pincio ad Trivii fontem cum aqua perduxit. Cloacas Urbis, qua ſordes in Tiberim vehuntur, repurgatas firmavit. M. Aurelii ſtatuam æneam equeſtrem, humili & ſordido loco jacentem, in area Lateranenſi auguſtiore loco expoſuit. Ædes Pontificias in Vaticano, ampliſſimis porticibus deductis, renovavit. Prætorianis excubitoribus, qui Pontificis corporis & Palatii cuſtodiæ ab eo primum lecti ſunt, Magiſtratibus inſuper & munera obeuntibus, loca quibus commode habitarent, condidit, qui antea præter dignitatem in cellis pene penuariis, ſitu ſqualentibus agitarent. Bibliothecam Palatinam in Vaticano, toto terrarum orbe celebrem, Platina præfecto, advectiſque ex omni Europa libris, conſtruxit, certoſque proventus, unde cuſtodes, & librarii Græci, Latini, & Hebraici menſtrua ſalaria, quibus ali poſſent, haberent, librique emerentur, aſſignavit; opus omnium præclariſſimum, & Pontifice Maximo digniſſimum. Merito itaque hi verſus ejus imagini eadem in Bibliotheca adſcripti ſunt.

Tem-

Templa, Domum expoſitis, vicos, fora, mœnia, pontes,
Virgineam Trivii quod repararis aquam.
Priſca licet nautis ſtatuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere Xyſte jugum,
Plus tamen Urbs debet, nam quæ ſqualore latebat,
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

V. Quum vero annus Jubilæi inſtaret anno MCCCCLXXV. celebrandus, animum ad religioſa loca, & peregrinæ multitudini ad Urbem venturæ oportuna inſtauranda adjiciens, in primis pontem veterem Janiculenſem jam diu ante disjectum, quem ruptum merito cives appellabant, publicæ commoditati & decori a fundamentis magna cura & impenſa ex Tiburtino lapide reſtituit, ſuoque de nomine Sixtum vocari juſſit, veterum Romanorum mirandis ſtructuris haud inferius. Ex utroque latere hæ leguntur inſcriptiones in tabulis marmoreis. *Pontem veterem disjectum reficit.*

SIXTUS IV. PONT. MAX.

Ad utilitatem P. Rom. peregrinæque multitudinis ad Jubileum venturæ, pontem hunc, quem merito ruptum *vocabant, a fundamentis magna cura & impenſa reſtituit,* Sixtumque *ſuo de nomine appellari fecit.*

M. CCCC. LXXV.

Qui tranſis Sixti IV. beneficio, Deum roga ut Pontificem Opt. Max. diu nobis ſalvet, ac ſoſpitet. Bene vale, quiſquis es, ubi hæc precatus fueris.

VI. Sacra & religioſa ædificia, ſingulari inflammatus pietate, non minori curavit ſtudio, neque paucioribus expenſis conſtruxit. Xenodochium ſancti Spiritus in Saxia, obſoletum & ſordidum, vetuſtate pene collapſum, totum uſque ad ſolum disjecit, & pulcherrimis ædificiis in meliorem ſplendidioremque formam ampliavit. Cumque puellos expoſitos, & puellas ad pedes ſuos cum nutricibus proſtratos vidiſſet, locum habitandi illis aſſignavit, mandavitque puellas nubiles maritis cum honeſta dote locari, nonnullas vero religioſiores infirmorum ſervitio perpetuo dicavit. Nobilium quoque calamitate & ægritudine motus, ſeorſum a promiſcua plebe loca idonea decenterque ornata illis attribuit. Beatam ſemper Virginem religioſiſſimo proſecutus affectu, nobilem ædem cum ampliſſimo Cœnobio ſanctæ Mariæ de Populo Ordinis Auguſtinianorum a fundamentis erexit. Templum ſanctæ Mariæ de Pace, adjecta parte Monaſterii, quod poſt ejus mortem Oliverius Cardinalis Caraffa abſolvit, Canonicis Regularibus ex Congregatione Frigdionaria Ordinis S. Auguſtini, Laterano pulſis, media Urbe, uti diximus, ædificavit. Divi Petri in Vaticano Baſilicam ante repurgatam, marmoreis & vitreis feneſtris templo accommodatis, dilucidiorem reddidit, & ruinam ſiniſtro latere minantem, additis lateritiis repagulis confirmavit. Baſilicæ quoque Conſtantinianæ repurgatæ, & in auguſtiorem formam redactæ latera ſtravit. Palatium vetus Lateranenſe ruinoſum reſarcivit. Multas per Urbem ſacras ædes vetuſtate labefactas, in his ſanctorum Apoſtolorum Abſidam, ſancti Petri ad Vincula, ſanctæ Suſannæ, ſancti Vitalis, ſanctorum Nerei & Achillei, ſanctæ Balbinæ, ſanctorum Quirici & Julittæ, ſancti Viti in Macello, ſancti Salvatoris trans-Tyberim, & alias

Ædificia ſacra partim fecit, partim refecit.

An. 1471. n. 4.

& alias multas ſua impenſa, ut ex ejus inſignibus & elogiis liquet, refecit. In Urbe gentili Savonenſi, templum primarium a Genuenſibus dirutum, ut arcem conderent, extruxit, ſed abſolvit Julius II. ejus nepos, in eoque ſacellum a ſuo nomine nuncupatum, in quo magnificum ſuorum parentum ſepulcrum erexit. Ita teſtantur hæc inciſa carmina.

Saonæ templum cathedrale conſtruxit.

Juncta Leonardo conjux Luchina quieſcit,
Filius hæc Sixtus Papa ſepulchra dedit.

Montem Pietatis erexit.

VII. In eadem urbe ad tollendas fraudes & uſuras Judaicas, Montem inſtituit Pietatis, multiſque firmavit privilegiis. In aula Conſiliari hi verſus iſtud commemorant beneficium.

Impia quam coluit proles Judaica Sedem,
Hanc juſſit Sixtus Papa ſubeſſe piam.
Fœnus in hac dudum cives ſorbebat egenos,
Quos pietatis opus nunc juvat ære pio.
Octuaginta ſimul centum quater adjice mille
Annos, quo Pietas tempore ſtructa fuit.

VIII. Neque tota hac ſua induſtria in patria magnificanda, Urbeque ornanda contentus, Cardinales ſæpe hortatus eſt, ut exemplo ſuo aliquid urbium ornamentis adjicerent. Savonæ multa præſtitit Julianus Rovereus nepos, quæ in Pontificatu ſub nomine Julii II. plenius abſolvit. Romæ multa ab aliis vel nova extructa ſunt monumenta, vel vetera reſtituta: Guillelmus Eſtoutevilla Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & S. R. E. Camerarius nobiliſſimum templum cum Monaſterio ſancti Auguſtini, cujus Ordinis erat protector, & propinquum juxta ſanctum Apollinarem, palatium extruxit. Baſilicam vero ſanctæ Mariæ Majoris in Exquiliis, ductis læva ſiniſtraque fornicibus, item oſtia cum arce reſtituit. Gabriel Cardinalis Agrienſis Eccleſiam ſanctorum Sergii & Bacchi, cui præerat, ruinæ proximam refecit. Raphael Riarius luculentiſſimas apud ſanctum Laurentium in Damaſo ædes tum inchoavit; ab aliis vero complura & egregia palatia fabricata, ita ut vere Urbem *ex Lutea Lateritiam* ſe reliquiſſe, dicere jure poſſet, quemadmodum Auguſtum olim dixiſſe accepimus, ſe *ex Lateritia marmoream:* Illud quoque non negligendum quod mercatum, qui antea ſub Capitolio fieri conſueverat, auctore Cardinale Rothomagenſe Camerario, in Circo Agonali IV. Non. Septembris, die Mercurii anno MCCCCLXXVII. tum primum fieri ſtatuerit. Nihil enim unquam, quod publico Urbis decori & commoditati eſſe cenſeret, quin perficeret, prætermiſit. Rem Romanam, Sediſque Apoſtolicæ dignitatem ita intrepide & egregie tuebatur, ut non facile eſſet cuiquam, quamvis maximo Principi aliquid moleſtiæ impune inferre.

Sacros ritus adauxit.

IX. Atque ut a profanis ad ſacra tranſeam. Ultra ſancti Bonaventuræ canonizationem, aliaque a nobis ſupra relata, multas veteribus ſolemnitates adjunxit, ut Conceptionis, & Oblationis Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, ſanctorum Annæ, Joſephi, & Franciſci, quas in Eccleſia celebrari juſſit. Feſto omnium Sanctorum octavas addidit. Natalitia quatuor Eccleſiæ Doctorum voluit feſtive coli, ſed morte præventus bullam qua hoc præcipere cogitabat, non publicavit. Privilegia a Pontificibus, qui ante eum fuerunt, jure quatuor Mendicantium Ordinibus conceſſa, quieti Eccleſiæ,& communi ſaluti conſulens, ampliſſimis diplomatibus confirmavit & auxit. Pro quibus rebus quantopere dilectus ſit, facile quis poſſit ſuſpicari.

Digitized by Google

Hiſpanis Regibus *Catholici* nomen attribuit.

X. Ferdinando & Iſabellæ Hiſpaniæ Regibus propter expugnatos Mauros Granatenſes, expulſos Judæos, introductum ſanctæ Inquiſitionis officium, ſub quo Hiſpania non patitur illos fluctus & turbines, quibus multæ Provinciæ magna & miſerrima fidei & ſortunarum naufragia pertulerunt, *Catholicorum* nomen, ad indicandam fidei puritatem & zelum attribuit. Verum & hoc *Catholici* nomen ante multas annorum centurias Hiſpanis Regibus ab aliis Pontificibus lego conceſſum. Gregorius III. anno DCCXL. ita vocavit Alphonſum I. Ita ab aliis Romanis Pontificibus audiverunt multi Reges Hiſpaniarum, quare non tam noviter conceſſum, quam antiquum reſtitutum nomen, reputat Baronius non a Sixto IV. ut communiter ſcribunt, auctore, ſed Julio II. ejus nepote. Ego a primo datum, ab iſto confirmatum conjicio. Porro Baronii verba de iſta re ſubjicio: *Quod vero ſpectat ad nobilem, inſignem & egregium gloriæ titulum, ut dici voluerit Rex Alphonſus cognomento* Catholicus, *ſic accipe. Quia a Reccaredo Catholico Rege ducebat originem, ejus quoque gloriæ æmulus, quam ille ſibi juſte peperit ex propagata Catholica fide in Gothos gentiles ſuos; ob quam cauſam in Epiſcoporum Concilio Rex* Catholicus *eſt acclamatus: iſte ſicut regni, ita & tituli voluit eſſe ſucceſſor, atque dici cognomento* Catholicus. *Quod intermiſſum a ſucceſſoribus, Ferdinandus Aragonius Hiſpaniæ Rex cum ex omnibus titulis, Regumque coronis, nil glorioſius fulgere ſciret, quam ex illibata cuſtodita religione comparatum* Catholicum *cognomentum, enixis precibus a Julio ejus nominis ſecundo Romano Pontifice impetravit, ut ejuſmodi titulus hæreditarius eſſet omniam Regum Hiſpaniarum, quod Dei benignitate etiam cum augmento dominii feliciter in poſteris perſeverat.*

Quando hoc nomine cœperunt audire Reges Hiſpani.

Baron. an. 738.

Variæ calamitates ſub Sixto.

XI. Pontificatus autem Sixti fuit aliquot publicis calamitatibus inſignis. In his maximæ & frequentes tempeſtates, ſulgura, terræmotus, Solis Lunæque defectus; bis Tyberis alveum egreſſus, Urbem totam inundavit; bella per totam Italiam exarſere; cometes pluries viſæ; magna in Urbe annonæ & perpetua penuria; inteſtinæ in tota ditione Eccleſiaſtica, & præſertim Tuderti, Gabriele Catalano Guelphæ factionis Principe in Urbe interfecto, item inter Urſinos & Columnenſes diſcordiæ & cædes. Nihil tamen invictum animum adeo conſternavit, quam iniquæ illæ conditiones pacis, quam ſupra diximus a confœderatis cum Venetis, ipſo inſcio, ſtabilitam, quam cum per Legatos fœderis die ſancti Laurentii poſt veſperas percepiſſet, ingemiſcens, totoque turbatus animo dixit: *Bellum hactenus geſſimus periculoſum & diſpendioſum, ut Italiæ pacem, Romanæ Sedi ſecuritatem, & fœderis ſociis gloriam pararemus. Et cum jam hoſtes contuſi, præliiſque omnino fracti eſſent, poſtremamque inferre cladem in noſtra eſſet poteſtate, eas nobis conditiones pacis adfertis, quæ victos magis deceant, quam victores. Pridem multo æquiores & ampliores obtulerunt Veneti Legato noſtro Ceſenæ agenti, veſtris Principibus utiles & honorificas. Omnia ex dignitate Sedis Apoſtolicæ fiebant. Oppida & arces utrinque capta, noſtræ committebantur fidei. Obſides viri Primarii nobilitatis Venetæ tradebantur, noſtrum expectaturi judicium. De Peninſula Ferrarienſi, quam modo repetunt, nihil tunc actum. Nunc inverſa ſunt omnia: conſtante reram noſtrarum fortuna, vos inconſtanter egiſtis, magna noſtri nominis jactura. Ignominioſam hanc pacem, confuſione plenam, plus mali, quam boni parituram, nullo modo poſſumus neque volumus probare.*

Valde conturbatur iniquis conditionibus pacis a confœderatis, ipſo inſcio, peractæ.

Et moritur.

XII. Dimiſſis Legatis, ex animi commotione commotis humoribus & manibus, quæ vitta ex collo, chyragra gravatæ pendebant, dolor invaluit,

to-

Digitized by Google

totoque cœpit corpore languere. Conſcenſo lecto, tota illa nocte aucto languore & dolore, adhibitiſque fruſtra malorum lenimentis, poſt biduum, die Jovis, in quem incidit feſtum ſanctæ Claræ, inter quartam & quintam noctis horam, placide, ſumma quiete, abſque dolorum torturis, aut inquietis motibus curſum hujus vitæ conſummavit, ætatis anno ſeptuageſimo, die vigeſimo ſecundo, Pontificatus anno tertiodecimo, die quarto, commendantibus ejus animam Deo Beatæque Virgini Palatinis, multiſque Religioſis, cum ante quatriduum ſacram communionem recepiſſet ex manibus Epiſcopi Cervienſis, & paululum ante obitum integris & vegetis ſenſibus eamdem reſumpſiſſet. Ad Veſperam diei ſequentis cadaver Pontificiis indumentis, ſubducta veſte Franciſcana, quam ille toto Pontificatus tempore, uti etiam Alexander V. ſub Pontificia gerebat, ornatum, in templum Vaticanum deportatum eſt, & depoſitum in ſacello a ſe condito: cui paulo poſt Julianus Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, fratris filius, nobiliſſimum ex ære præparavit monumentum, inter cetera Urbis monumenta in primis conſpicuum, quod inde in odæum Canonicorum, atque hinc in ſacellum ſanctiſſimi Sacramenti translatum eſt. Primo exequiarum die Sacris operatus eſt Rodericus Borgia Epiſcopus Portuenſis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius, Orationem habuit Ambroſius Coranus, Prior Generalis Eremitarum ſancti Auguſtini; die nono Oliverius Caraffa Epiſcopus Sabinenſis; peroravit Guillelmus Ferrerius, unus ex Judicibus Rotæ Palatinæ. Appoſitum, ſeu æreo tumulo inciſum hoc Epitaphium.

Toto Pontificatu habitum geſtat Franciſcanū.

Ejus Epitaphium.

Sixto IV. Pontifici Maximo, ex Ordine Minorum, doctrina & animi magnitudine, omnis memoriæ Principi. Turcis Italia ſummotis, auctoritate Sedis aucta, Urbe inſtaurata, Templis, Ponte, Foro, Viis, Bibliotheca in Vaticano publicata; Jubilæo celebrato, Liguria ſervitute liberata, eum modice ac plano ſolo condi ſe mandaviſſet, Julianus Cardinalis Patruo bene merenti, majore pietate, quam impenſa, faciendum curavit.

Obiit Idibus ſextilis hora ab occaſu V. Anno Chriſti M. CD. LXXXIV. Vixit annos LXX. Dies XXII. Horas XII.

Signa, quibus utebatur ſubjicio.





XIII. Por-

Varie deſcribitur.

Folieta in Ligurum elogiis.

XIII. Porro Sixtum varii ſcriptores varie deſcripſerunt, unuſquiſque pro ſuo affectu vel livore. Qui beneficum probarunt, ſummis laudibus extulerunt; qui vel ſcelerum habuerunt ultorem, vel ſuæ cupiditatis repulſas paſſi ſunt, indignis reſperſerunt contumeliis. Ligures conterraneum ſummopere commendant. Florentini, præſertim Joannes Michael Brutus, tamquam ſuæ gentis hoſtem multis afficiunt convitiis. Reliqui hiſtorici a virtute, a litteris, a manſuetudine, liberalitate, grato animo, a zelo fidei propagandæ, tuendæque dignitatis Eccleſiaſticæ laudant abunde. Theodorus Gaza Theſſalonicenſis, vir doctiſſimus, libros Ariſtotelis de Animalibus, a ſe Latinitati donatos, ei dedicavit, & in Epiſtola nuncupatoria multis encomiis ejus doctrinam extollit. Ubertus Folieta eum diffuſo elogio cohoneſtat. Fulgoſius non inepte eum Nicolao V. etiam Liguri, ſtudet comparare. Papirius Maſſonius præaltum ingenium a natura accepiſſe, graviſſimarum artium capax, eumque magnitudine animi maximis Europæ Regibus non imparem fuiſſe affirmat.

Subſtituitur Sixto Innocentius VIII.

XIV. Vacante autem per Sixti obitum Sede Romana diebus ſexdecim, omnium Patrum ſuffragiis, præſertim Juliani Roverei Epiſcopi Oſtienſis, & Roderici Borgiæ Epiſcopi Portuenſis Vicecancellarii, qui rem ſummo conatu promoverunt, delectus eſt Pontifex Joannes Baptiſta Cibo Genuenſis, a Sixto IV. per varios gradus ad Cardinalatum promotus. Electus IV. Kal. Septembris hora XIV. ob Innocentii IV. Genuenſis memoriam, Innocentii VIII. nomen aſſumpſit, coronatuſque eſt pridie Idus Septembris in Baſilica Vaticana, per manus Franciſci Piccolominei Diaconi Cardinalis ſancti Euſtachii, S. R. E. Archidiaconi.

Moritur Fr. Elias Cardinalis.
An. 1483. *n.* 40.

Et B. Cherubinus Spoletanus.
Marian. lib. 5. *c.* 48.
Marc. 3. *p. l.* 7. *c.* 1.

Ejus ortus & virtutis primordia.

XV. Hoc etiam anno deceſſit die V. Julii, uti diximus, frater Elias ex Vicecomitibus de Bourdeille Cardinalis, Archiepiſcopus Turonenſis, virtutibus & miraculis illuſtris. Hunc ſecutus eſt pridie Nonas Auguſti beatus Cherubinus Spoletanus, ita cognominatus, non quod Spoleti natus ſit, ſed quod inde traxerit originem. In inſula Euboea, ſeu Nigripontis, Spoletanis genitus parentibus, in ipſa pueritia magnum ſpecimen dedit egregiæ indolis & acerrimi ingenii. Humanioribus probe inſtructum, Philoſophicis & Theologicis diſciplinis imbuendum excepit quidam Minorita, Sacræ Theologiæ Magiſter, & ab anno ætatis duodecimo uſque ad decimum ſextum diligenter inſtruxit. In Italiam miſſus, Spoletum abiit conſanguineos agniturus. Illic pauliſper moratus, ſeculo valedixit, Minorum Obſervantum amplexus Inſtitutum. Regularibus & Scolaſticis probe imbutus diſciplinis, juri canonico operam navavit, eaque effloruit ſcientiarum venuſtate, ut nihil ad docti viri, & perfecti Oratoris menſuram deeſſe videretur.

In concione ſioſculos adhibet Oratorios.

Repræhenſus dimittit.

An. 1472. *n.* 33. *& ſeqq.*

Juſſus e ſuggeſto dicere, & palam concionari, Oratorio ſtylo, & phalerato ſermone auram potius popularem, quam fructum animarum viſus eſt affectaſſe. Hinc plurimum cœpit diſplicere Conſodalibus, & tamquam æs ſonans aut cymbalum tinniens reputari, donec ſibi forte reverenter occurrentem beatus Joannes Bonviſius Lucenſis, de quo ſuperius actum eſt, his verbis excepit: *Tu ne ille garrulus & curioſus prædicator, qui poſt Philoſophos & Poetas inaniter incedis? vade, vade in pace, neque enim ego te videre potero, donec audiero, te prædicare ſimpliciter & pure verbum Dei, ad utilitatem animarum & peccatorum converſionem, non vero ad inanem gloriolam, & nominis tui famam acquirendam*. Hæc verba ita Adoleſcentem terruerunt, & corde pupugerunt, ut protinus omni curioſitate & vanitate depoſita, redactis in compendium ſancti Bernardini ſermonibus, candido ſcriptis eloquio, per univerſam Italiam in ſpi-

ſpiritus virtute, magnoque animarum lucro cœperit prædicare.

Prædicat profi- cue. XVI. Itaque potenti virtute indutus ex alto, ea prædicavit efficacia, ut multi ſeculo relicto, ad Religiones confugerint; Virgines deſpecto connubio clauſtra petierint, conjugati honeſtius vixerint, proſtitutæ mulieres Lupanaria reliquerint, uſurarii ab illicito fœnore ceſſarint, fures ablata reddiderint, artifices fidelius ſuas artes exercuerint, & merces vendiderint. Ubicumque prædicabat, ceſſabant omnes ab opere, officinas & apothecas claudebant, ſummoque mane procedebant in templum, forum ſive campum, ubi erat concionaturus, ut loca præoccuparent. In hoc Apoſtolico exercitio ad ultimam uſque ſenectutem indeſeſſe laboravit, ſingulis ferme diebus, ſive in Civitatibus hærens, ſive in itinere pertranſiens, ſalutarem hunc animæ cibum eſurientibus populis adminiſtrans. Et aſſidue. Paulo ante mortem per integrum annum commoratus in Cœnobio Montis Peruſii, attenuatis viribus, attractiſque pedibus, equo ferebatur ad Eccleſiam Cathedralem, in qua ſingulis diebus feſtivis ſermonem habuit ad populum. Etſi vero totum vitæ tempus in hac arte conſumpſerit, numquam aut raro prædicabat, niſi longo præmiſſo ſtudio ea prævideret, quæ erat dicturus. Interrogatus a Joanne Baptiſta Sabello Cardinale, Peruſii & Umbriæ Legato, ut quid tantopere ſtuderet, tot annis a juventute in hoc genere dicendi exercitatus? reſpondit: *Etſi, Domine, longo & quotidiano concionandi uſu in promptu habeam, quæ proferam, attamen non auſim prædicare, abſque ſeptem ſaltem horarum ſtudio, tum propter Sacræ Scripturæ, quam explicaturus ſum, reverentiam & profundam meditationem; tum ut mihi ipſi prius quam aliis, contemplando & orando poſſim prædicare.* Mirum proinde non eſt, quod verbum adeo examinatum, probatum ſeptuplum, in corde Prædicatoris prius diſſeminatum, in aliis tam abundanter fructificarit.

Variis miraculis ſuum ſermonem confirmat. XVII. Inde etiam fructus incrementum, quod Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, illuxerint coruſcationes virtutis Divinæ in homine, ſalutis proximorum avidiſſimo. Aliqua referre libet, quæ vivens patravit. In Etruria ad Burgum ſancti Sepulcri poſt concionem, pauperi contractum habenti brachium, & roganti ut miſereretur, manum læſæ obduxit parti, ſtatimque curavit. Ibidem cuidam Dominæ Bartholomeæ per annos multos infœcundæ, roganti ut pro ea deprecaretur, prædixit celerem conceptum & partum felicem: atqui illa ſub novem menſes ſpecioſum edidit infantem. Florentiæ exceptus hoſpitio in domo Doctoris Antonii de Malagonellis, Petrum ejus filium quinquennem prædixit fore Minoritam, & concionatorem inſignem. Ubi ad legitimam pervenit ætatem, hoc ſubiit Inſtitutum, aſſumpto propter Vatis reverentiam Cherubini nomine, multoſque ſua prædicatione ad viam ſalutis reduxit. In eadem urbe rogatus a nobili viro Hieronymo de Oricelariis & Franciſca conjuge, ut eis prolem a Domino impetraret, dixit ſe Bononia de hac re ſcripturum. Ubi illac pervenit, litteris intimavit filiam infra anni circulum naſcituram, & Magdalenam vocandam. Verum dixiſſe, eventus probavit.

XVIII. Ipſo hoc anno, quo deceſſit, Bononia, poſtquam Parmæ ſermones abſolvit quadrageſimales, miſſus ut Florentiæ prædicaret, cum ad Florentiolæ oppidum perveniſſet, adeo obſcuratus eſt aer, condenſatæ nubes, & turbata elementa, ut omnes ſuaderent, illic remaneret. Noluit acquieſcere, dicens proficiſci oportere, ut opportuno tempore Florentiam appelleret, Deumque nubibus imperaturum ne imbres emitterent. Peracta re ſacra, precibuſque effuſis, nubilum omne diffugit, & ubique ſerenum apparuit, omnibus, qui aderant, ad repentinam aeris mutationem ob-

obſtupeſcentibus, ejuſque virtuti tribuentibus. Ibidem miſſa ſibi donaria altilium, optimique panis & vini, remiſit per latorem, rogans, ut ad vicum Pentolinæ ferret, eique inferret domui, præ cujus foribus linteamen ſeu mantile decideret. Obſecutus ſervus, orto venti turbine excuti vidit linteum, pulſatoque oſtio, reperit miſeram egenamque mulierem, quæ paulo antea pepererat, nec habebat quod manducaret. Divulgata Viri ſancti prædictione & caritate, abunde viri pii egeſtati mulieris ſuccurrerunt.

Vide ſimile quid in vita Bernardini Feltrenſis anno 1493.

XIX. Converſatione hilaris, ſpiritu devotus, verba faceta & jucunda ad ſpiritualem intelligentiam & profectum circumſtantium dextere & mira facilitate reducebat. Profundiſſimam humilitatem cum inſigni doctrina, ſingulari & rara conjunctione copulavit, ita ut ei Cherubini nomen conveniret. Caritate erga proximos totus incenſus, nihil omittebat per quod illis poſſet proficere. Erga ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ineffabili flagrabat ardore & reverentia. Rem ſacram ſingulis diebus devote peragebat, deinde quot poterat ſacerdotibus celebrantibus inſerviebat; ubi vero id non licebat, quot legebantur, Miſſas audiebat, illis ſcilicet diebus, quibus non prædicabat. In ſingulis ferme ſermonibus auditores ad reverentiam ſanctiſſimi excitabat Sacramenti. Pixides ubique haberi argenteas, tabernacula, quibus reponendum erat, deaurata, & tres ſaltem lampades per omnes, in quibus prædicabat, Eccleſias appendi, efficaciſſime hortabatur. Societates diſciplinatorum inſtituit, ut cum Venerabile Sacramentum ad infirmos deferretur, incenſis luminaribus, obductiſque religioſis veſtibus prairent; utque univerſus populus illud reverenter aſſociaret, conſuetudinem induxit pulſu campanæ ſignum præmittendi. Illum etiam multis in locis uſum invexit, prima quaque Dominica cujuslibet menſis Miſſam de hoc auguſtiſſimo Sacramento ſolemniter celebrandi, & ſupplicationes in circuitu templi ducendi, qui mos pleriſque in Urbibus & Caſtris inolevit; nihilque aliquando prætermiſit, per quod ſanctiſſimi myſterii cultus poſſet augeri. Hinc merito pingitur manu ferens vivificum Calicem, Hoſtiamque ſacroſanctam.

Singulares ejus dotes.

Pia ejus inſtituta.

XX. In oratione aſſiduus, multas a Deo accepit conſolationes cœleſteſque viſiones. Familiariter ei apparebat ſanctus Hieronymus, cui erat addictiſſimus; eique ita locutum Cherubinum, ſicut ſolet amicus loqui ad amicum, teſtatus eſt in publica concione beatus Bernardinus Feltrenſis. Illis quindecim diebus, quibus ultimo ægrotavit, octies eum vidit, dixitque ſanctum Doctorem ei revelaſſe, ab exordio Regularis Obſervantiæ, quadraginta quatuor millia Minoritas in cœlos evolaſſe. Interfuit Comitiis Generalibus in Monte Alvernæ, quod infra dicemus, hoc anno celebratis, ubi electus eſt in Definitorem. Inde a Vicario Generali Angelo Clavaſio Florentiam miſſus, ut ad quorumdam nobilium votum in aliquot ſolemnitatibus prædicaret, dum regrederetur, a primoribus Civitatis, magnaque multitudine populari per aliquot milliaria conductus eſt. Aretio obviam proceſſerunt multi, & tamquam Angelum Dei exceperunt, & vel invitum apud ſe per aliquot dies ſemper prædicantem retinuerunt. Caſtilionem profectus, feriis tertia, quarta, & quinta conciones habuit, ipſoque die Jovis Cortonium abiit, ubi diebus veneris, ſabbati, & Dominicæ prædicavit. Sub Dominicæ Veſperam viſum venerunt præcipui Cives, verbiſque & & preſſura, pia calliditate circumvenientes, tempus & modum præbuerunt Franciſco Pappalardo cordulam ſeu cingulum incidendi. Re cognita, adeo mente turbatus eſt, ut ante auroram, nemine ſalutato, diſceſſerit. Ipſa eadem

Multas habet viſiones.

Propinquæ mortis monetur.

dem nocte, dum ad ſepulcrum beatæ Margaritæ Cortonenſis oraret, apparuit ei beatus Hieronymus, monuitque mortis propinquæ, nec amplius de concionibus eſſe cogitandum.

XXI. Peruſium profectus, rogatuſque a Civibus ut prædicaret, reſpondit, Cortonii ſe finem impoſuiſſe concionibus, nec licere amplius ſermocinari. Hinc progreſſus Aſſiſium, ſui Inſtitutoris ſepulcrum veneratus, deſcendit ad Cœnobium Portiunculæ, ubi cum celeberrimum magnæ Indulgentiæ feſtum immineret, commendavit ei Superior illius diei ſermonem. At ille humiliter ſe excuſavit, dicens; non licere ſibi amplius concionari, mortemque præ foribus inſtantem hoc ſibi alias gratiſſimum obſequium impedituram. Paulo poſt morbo correptus, devotiſſime ſe præparavit ad tranſitum; cumque ſacrum afferretur Viaticum, e lecto, ut potuit, proſiliens, in terra genuflexus, ex manibus Vicarii Generalis, cui totius vitæ reatus antea erat confeſſus, reverenter excepit: *Videre erat*, inquit auctor legendæ, *alterum Hieronymum, ſtatura procerum, macilentum, laboribus confectum, ſola cute & oſſibus hærentem, pectus graviter tundentem, lacrymarum imbres emittentem*. Ab eodem etiam Vicario Generali ſacramentaliter inunctus, circumſtantes Fratres ad Regulæ obſervantiam adhortatus, dixit ſe ante plures annos a Deo impetraſſe, ut in illo loco ſancto beatæ Mariæ Angelorum moreretur, de quo beneficio immenſas ei gratias referebat.

Adveniente pio excipit apparatu.

XXII. Completis itaque omnibus Eccleſiaſticis cæremoniis, adſtantibus Fratribus, & Vicario Generali Deo animam commendante, placide obdormivit in Domino feria quarta, die quarto Augusti, viſaque eſt anima ejus in cœlum aſcendere aſſociata ſancto Michaele Archangelo, ſancto Hieronymo, multiſque Angelorum agminibus. Obvia proceſſerunt ſexaginta ſex millia animarum, ejus prædicationibus in viam ſalutis reducta, uti beatus Bernardinus Feltrenſis Florentiæ prædicavit, cuidam piæ & devotæ perſonæ fuiſſe revelatum; eamdemque viſionem confirmaſſe alium, qui vidit quaſi radios ſolares deſcendiſſe ſuper domum beatæ Mariæ Angelorum, & per eos, animabus præfatis refertos, Cherubinum ad cœlos tranſiiſſe. Eadem hora beata Euphroſina, de qua mox dicemus, orans in Burgo ſancti ſepulcri, extra ſe per quatuor horas rapta, dixit fratri Ludovico de Burgo, ſuo Confeſſario, & domus Tertii Inſtituti Miniſtræ, ſe vidiſſe Chriſtum Dominum, Virginem Genitricem, ſanctos Franciſcum & Hieronymum, Cherubinum ad ſuperna ducentes. Die ſequenti, celebratis per Vicarium Generalem exequiis, traditus eſt ſepulturæ, eodem ipſo in loco, quo ſuperius diximus ſepultum fuiſſe Joannem Bonviſium Lucenſem: *In ſepulcro*, inquit legenda, *medio inter alia duo ſepulcra coram capella ſancti Franciſci*. Hic quidem utrumque corpus diſtinctis loculis nuperrime inventa fuiſſe narravimus. Neſcio unde motus ſit Gonzaga, ut dixerit ad Cœnobium ſancti Pauli fuiſſe ſepultum.

Multis ſtipata ejus anima fertur cœlum.

Ubi ſepultus.

Anno 1472. nu. 58. ibidem. Gonz. in Provin. ſancti Franciſci Conv. 6.

Corpus cupiunt habere Peruſini.

XXIII. Ubi vero audierunt Peruſini eum ad mortem languiſſe, miſerunt urbis Cancellarium multo milite ſtipatum, ut ægrotum omnino Peruſium ſive lectica, vehiculo, aut ſede, vel ſella tranſveheret, aut defunctum feretro transferret; ſuæ enim urbis & Conventus ſancti Franciſci in Monte incolam cauſabantur. Itaque jam ſepultum, e tumulo extrahere conanti, Fratres viriliter reſtiterunt, cenſuraſque in defunctorum violentos effoſſores ſtatutas objecerunt. Reverſo vacuo Cancellario, perſtiterunt nihilominus Peruſini in ſuo conatu, egeruntque de obtinenda facultate ab Innocentio VIII. cui Aſſiſiates etiam expoſuerunt jus ſuum, ut corpus retinerent. Durante hac lite inter utramque Civitatem, aliunde grave ortum eſt bel-

bellum; & licet Aſſiſiates decreverint ad ſanctum Damianum peculiare conſtruere ſacellum beato Cherubino, illucque corpus transferre, uti ex ſequentibus Juliani Ruverei Cardinalis Protectoris litteris apparet, nihil demum effectum, perſeveravitque corpus eodem loco, uſque ad nuperam a nobis narratam inventionem.

JULIANUS miſeratione Divina Epiſcopus Oſtienſis. Dilectis in Chriſto omnibus & ſingulis hominibus & incolis Civitatis Aſſiſinatis, ſalutem in Domino.

Ex originali. Datur facultas transferendi corpus ad Templum S. Damiani.

XXIV. *EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod vos ex magno devotionis fervore, quem ad Eccleſiam domus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſancti Damiani extra, & prope muros Aſſiſinatenſes geritis, corpus fratris Cherubini de Spoleto, dum viveret, ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſi, quod in Eccleſia domus dicti Ordinis ſanctæ Mariæ de Angelis nuncupatæ etiam extra muros Aſſiſinates, ſepultum exiſtit, exhumari, & ad dictam Eccleſiam ſancti Damiani transferri facere deſideratis. Quare ſupplicari feciſtis humiliter nobis, ſuper his per Sedem Apoſtolicam miſericorditer provideri. Nos igitur auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato, ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, ut corpus prædictum omnibus ceſſantibus ſuperſtitionibus, & abſque præjudicio Eccleſiæ in qua ſepultum eſt, de dictarum domorum ſuperiorum licentia exhumari, & ad dictam Eccleſiam ſancti Damiani transferri facere poſſitis & valeatis, vobis tenore præſentium licentiam impertimur, & liberam concedimus facultatem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ, Nonis Decembris, Pontificatus Domini Innocentii Papæ VIII. anno* II. MCCCCLXXXV.

Miracula poſt mortem.

XXV. Publicato per Italiam pii Viri obitu, multis in locis ejus exequias celebrarunt, ſparſaque ſanctitatis opinione, plurimi dona, cereas imagines, & votivas tabellas ad ejus ſepulcrum miſerunt, quorum memoria attenuata tot tantiſque donariis, quæ beatæ Virginis imagini offeruntur, penitus exolevit. Cum Ducem Urbinatem Valentinus Borgia e ſuo expuliſſet dominio, Auditorem cepit, tetroque carcere vinculis conſtrinxit. Ille, nulla vitæ ſpe relicta, ad beati Cherubini preces confugit, qui eum mirabiliter, inſciis cuſtodibus, e vinculis eripuit. Ad ſatisfaciendum prægrandi Florentinorum erga eum devotioni, Angelus Vicarius Generalis eis detulit habitum, quem ſub mortem gerebat, pepigitque, ut in Cœnobio Obſervantum ſancti Salvatoris conſervaretur. Laurentius Medices Leonis X. genitor, qui probe virum cognoverat, gravi decumbens infirmitate, vovit, ſi per ejns interceſſionem a malo liberaretur, ſe imaginem ſuam argenteam, ad ejus ſepulcrum appendendam miſſurum. Brevi convaluit, votum adimplevit. Multa ſcripſit Cherubinus, quæ ſuo loco referemus.

Moritur B. Joannes de Dukla. *Marc. 3. p. l. 8. c.* *Chron. MSS. Polon.* *Proceſſ. Rota Romana.* Ejus Sanctitatis primordia.

XXVI. Hoc item anno interiit beatus Joannes de oppido Dukla in regno Poloniæ circa fines Hungariæ, honeſtis parentibus ortus. Adoleſcens Regulam ſancti Franciſci apud Patres Conventuales profeſſus, in ea obſervanda ſtudioſe laboravit, ob ſingularem humilitatem omnibus gratiſſimus. Creſcens ætate, crevit & bonis moribus, quos optimæ converſationis exemplo ubique amplius commendabat. Ad Religionis munia perquam idoneus, in diverſis Conventibus inſtitutus eſt Guardianus, & Cuſtodiæ Leo-

Leopolienſis Præfectus. A B. Joanne Capiſtrano, in Poloniam per Regem Caſimirum, uti diximus, vocato, ad Obſervantum familiam receptus, magnum ſui apud Patres Conventuales, etſi Miniſtri licentiam obtinuerit, reliquit deſiderium. Sub hoc Inſtituto omni virtutum genere amplius florere cœpit, orationi & meditationi jugiter inſiſtere, ultra ſtatutas in choro horas ſæpius in oratione pernoctare, uberrim flere, reatus multa pœnitentia compenſare. Beatiſſimæ Virgini, quoad vixit, addictiſſimus, ejus horas per diem iterum iterumque recitabat, nullum erga Conſodales aut proximos prætermittens caritatis officium. Regularium votorum & inſtitutionum obſervantiſſimus, humilia libenter exercebat officia. Quoties in capitulis ex more Regulam audiebat recitari, abunde flere ſolebat, propter neglectas aliquas obſervantias Regulares.

Fratres ſui ſtatus pœnitentes confirmat.

XXVII. In Conventu Poſnaniæ audiens Fratrem quemdam prius in ſeculo Eremitam, ſuæ profeſſionis pœnitentem & dicentem: *Satius & ſecurius mihi foret vitam proſequi eremiticam, quam tot me hujus vitæ periculis committere*; cumque his verbis alter Conſodalis adhæſiſſet, utrumque ita benigne Joannes affatus eſt: *Ego gratias immenſas ago Deo, qui me indignum huic ſacræ implantavit Religioni: ſi enim in hoc ſtatu aliquoties in lapides offenſionis impingo, quantis me putatis in ſeculo, ubi tot ſunt occaſiones peccandi, malis involvendum?* His auditis, vacillantes ſuam depoſuerunt opinionem, & gaudenter in Religione perſtiterunt. Communis pacis & fraternæ unionis cultor & protector dicebatur, dedignatus ſibi invicem obloquentes audire, quoſdam dure increpans, alios dulci alloquio ad pacem inducens. Vere pauper & ſimplex, ac timens Deum, ſolo Regulæ libello ditiſſimus, cujus lectione in tantum oblectabatur, ut diebus ferme ſingulis eam vel per ſe legerit, vel per alium, amiſſo viſu, legi popoſcerit.

Pacis amator.

Regulæ obſervator.

XXVIII. Ad tot tantaque gratiarum chariſmata, alias nobiliſſimas virtutes, caſtitatem, obedientiam, manſuetudinem & pietatem adjunxit. Culpam ſuam juxta Religionis conſuetudinem, puriſſime junctis manibus dicebat, & ſtrictiſſime ſilentium ſervabat. Nihil illo tolerantius in laboribus, in vigiliis, in diſciplinis; nihil continentius in victu fuit & veſtitu. Prædicationis officium non minus devote, quam efficaciter ad profectum peregit animarum, maxime in Ruthenis Schiſmaticis & Armenis confutandis, atque ad unionem reducendis. Et licet a Domino percuſſus eſſet cæcitate, aliiſque graviſſimis infirmitatibus, uti alter Job aut Tobias probatus, perfectuſque inventus, tamen a ſermonibus habendis, & confeſſionibus excipiendis nuſquam deſtitit; & in ſalute hominum procuranda ita ſe habuit, ut admirandæ patientiæ, caritatis fervidæ, ſanctitatis eximiæ vivum exemplar haberetur. Plenus dierum & bonorum operum, ſeptuagenarius, viribus corporis deſtitutus, Sacramentis procuratus, recitatis Pſalmis Pœnitentialibus, in manibus Fratrum in circuitu pſallentium, ſpiritum feliciter cœlo reddidit in die ſancti Michaelis Archangeli, ſepultus Leopoli in Templo ſancti Andreæ ſuorum Conſodalium.

Salutis animarũ perquam avidus.

Multa patrat miracula poſt mortem.

XXIX. Servi ſui ſanctitatem Dominus ſtatim poſt obitum multis declaravit miraculis, quæ authentice examinata, & in proceſſum compacta, teſtimonio Conſulum Leopolienſium comprobata, in Urbem tranſmiſſa ſunt. Sexdecim mortuos reſuſcitaſſe, & ſeptuaginta quatuor a variis infirmitatibus curaſſe, acta perhibent diligenter exſcripta; habenturque in Fratrum archivo variæ virorum nobilium ac Principum litteræ atteſtantes ſe Divina recipiſſe beneficia Joannis interceſſione. Ad ſepulcrum appenſæ ſunt ul-

ultra pleraſque alias tabellas, argenteæ ſeptuaginta octo, & una de auro ſolido, adjectis earum inſcriptionibus. Multa ad ejus ſepulturam leguntur epitaphia pro temporum & ſucceſſuum varietate. Ego duo dumtaxat exſcribam, unum carmine, aliud ſoluta oratione exaratum.

PRIMUM.

Ejus Epitaphium.

Hic jacet Joannes Fratrum non pauca Minorum
Gloria, Leopolis fama, decuſque Duklæ.
Hic humilis, pauper, caſtus, patienſque laborum,
Invictam merito ſumpſit amore crucem.
Qua pia Franciſci veſtigia rite ſequutus,
Ante ſacros Chriſti creditur ipſe pedes.
Quem cum Matre rogat Ruſſiæ interceſſor, ut ipſa
Tuta ſit, & ſummo ſemper amica Deo.

SECUNDUM.

Anno Domini 1484. feria 3. in feſto S. Michaelis Archangeli beatus Joannes de Dukla feliciter migravit ad Chriſtum, cujus ſacrum corpus tumulatum hic jacuit in terra annis 37. hebdomadis tribus, diebus tribus. Tandem juxta tenorem Bullæ ſum. Pont. Innocentii VIII. præſente R. P. Joanne de Komerouvo Miniſtro 2. hujus Provinciæ levatæ ſunt ejus ſacræ reliquiæ, aqua vinoque lotæ, & honorifice hic ſunt reconditæ anno Domini 1521. feria tertia poſt feſtum undecim millium Virginum, ad laudem Omnipotentis Dei, qui in Sanctis ſuis declaratur.

XXX. Pro hujus optimi viri canonizatione non ſemel ſupplicarunt Rex & Proceres Poloniæ, ſed & adhuc continuo inſtant. Sigiſmundus Rex primo ad Paulum V. deinde ad Urbanum VIII. litteras dedit deprecatorias, quibus etiam ſuas addidit Conſtantia Regina, necnon Joannes Andreas Pronicky Archiepiſcopus Leopolien. Decanus, totumque Capitulum ejuſdem Metropolitanæ, Stanislaus Imperator exercitus, Joannes Palatinus Terrarum Ruſſiæ, Conventus ſeu Comitia Palatinatus Belzen. Jacobus Regni Polonici Inciſor, & Capitaneus Craſnoſtavienſis, alii viri Principes, quarum apud me habentur exemplaria, earum quas ad Coſmum Cardinalem de Torres Regni Poloniæ Protectorem, ut hoc negotium urgeret, tranſmiſerunt. Regis & Reginæ epiſtolas, & Pontificis Urbani exhibeo reſponſa.

Inſtant Reges Poloniæ pro ejus canonizatione.

AD PAULUM V.

Litteræ Regis Sigiſmundi.

XXXI. *Sanctiſſime ac beatiſſime Pater. Poſt oſcula pedum beatorum. Anni ſunt centum & triginta, ex quo Joannes de Dukla Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, e vivis exceſſit: conſtans & perpetua fama eſt, eum, dum viveret, ea & ſanctitatis & integritatis apud omnes opinione fuiſſe, ut cuncti pietatem ejus mirarentur, doctrinam admirantes factis conformem ſuſpicerent. Floruit is paulo infra illud tempus, quo D. Bernardinus Senenſis Franciſcanam familiam priſtinæ integritati reſtituit, & inſtituti ſui ſemina in has quoque Septentrionales regiones feliciter intulit. Ex hoc palmite ſurculus iſte in eam excrevit magnitudinem, ut non modo vivus,* ve-

verum & vita functus ingentibus clareat miraculis, de quibus Sanctitas Veſtra ab aliis intelliget. Ego plurimum gratulor temporibus meis, quod me rerum potiente, ejuſmodi ſanctiſſimorum Virorum geſta, oblivionis tenebris involuta, in lucem prodeant, ac recentia qaodammodo Sanctorum patrocinia regnis meis undique Barbarorum vicinitate circumſeptis parari videantur. Peto ergo a Sanctitate Veſtra, favere velit orienti famæ hujus ſancti Viri, explorataque eorum, quæ de illo non dubia relatione ad Sanctitatem Veſtram deferuntur certitudine, eorum numero illum adſcribat, quos Chriſtiana pietas inter beatorum cœtum relatos, publico & ſolemni ritu veneratur. Plurimum Sanctitas Veſtra ea re animos ſubditorum noſtrorum ad pietatis ſtudium incendet, præſertim vero Civitatem Leopolienſem nobilem Ruſſiæ Metropolim, fidei Catholicæ obſervantiſſimam, Sedi Apoſtolicæ addictum, quæ hunc virum Joannem de Duckla, quem vivum olim ſuſpexit, tamdem cum Chriſto regnantem tacita adhuc veneratione honorat, magno beneficio afficiet; univerſaſque illas regiones ſchiſmate Græco infectas, novo quaſi illuſtratas lumine, ad priſcæ Obſervantiæ ſtudium excitabit. Dat. Varſaviæ an. MDCXVIII.

Sanctitatis Veſtræ filius Sigiſmundus Rex.

AD URBANUM VIII.

Ejuſdem. XXXII. *SAnctiſſime ac beatiſſime Pater. Poſt oſcula pedum beatorum. Undique licet barbaris nationibus ditiones meæ objectæ ſint, ita ut quotidiana fere cum iis certamina ſubire cogar, illud tamen præcipue ſolatur, animumque meum erigit, quod non deſint Tutelares Regni Patroni, qui peculiarem quamdam mei meorumque curam gerunt, ac ſuis precibus & meritis Barbarorum conatus reprimant. Inter quos cum religioſi viri Ordinis Minorum de Obſervantia Joannis de Dukla inſignis vitæ ſanctimonia, multis ipſo vivente argumentis comprobata, & poſt mortem plurimis ab annis, illuſtribus confirmata miraculis floreat, libenter illius cauſam & honorem, quem merito in terris expectat, promovendum nunc apud Sanctitatem Veſtram duxi. Quare diligenter a Sanctitate Veſtra peto, ut hunc Regni mei Patronum, cujus ego nomen & memoriam una cum ſubditis debita veneratione proſequor, in album Beatorum inſcribat, meque tali beneficio afficiat, quod & ad augendum propagandumque cultum Divinum in partibus Ruſſiæ, ubi magnus Schiſmaticorum numerus plurimum valebit, & gentem Polonam non mediocriter conſolabitur. Fecerit Sanctitas Veſtra rem mihi valde gratam, & ſuæ erga ſubditos meos paternæ propenſioni convenientem, qui cum eodem ipſo interceſſore pro Sanctitatis Veſtræ diuturna valetudine, feliciſſimaque Eccleſiæ gubernatione, Patrem cœleſtem precari non deſinent. Interim me Sanctitatis Veſtræ gratiæ etiam atque etiam commendo, & illius ſanctiſſimam benedictionem expoſco. Datum Varſaviæ,* XV. *menſis Februarii anno Domini* MDCXXV.

Sanctitatis Veſtræ filius Sigiſmundus Rex.

Conſtantiæ Reginæ litteræ. XXXIII. *SAnctiſſime ac beatiſſime Pater. Clara & inſignis in vivis adhuc inter homines eluxit in Deum pietas, & integritas vitæ enituit, religioſi viri Joannis de Dukla Ordinis Minorum de Obſervantia, quem præclaris iiſque majoribus in dies Deus illuſtrat miraculis, ut certo credi poſſit, ipſum e vita egreſſum in cælum profectum, atque in conſeſſu & concilio cœleſtium collocatum. Cum autem ſciam æternum Patrem Sanctorum ſuo-*

ſuorum honore delectari, plurimum quoque cupio, & a Sanctitate Veſtra ſummis precibus efflagito, ut hunc Virum ſanctum, qui tamquam Sol & Luna in partibus Ruſſiæ effulget, in numerum Beatorum referat, ac piorum hominum mentes gratia ſua paterna recreare dignetur. Magno a Sanctitate Veſtra beneficio me affectam eo nomine ſentiam, plurimique hominum Viri hujus virtutis & pietatis inſignia debita veneratione proſequentes, pro Sanctitatis Veſtræ bona valetudine, & felici ac diuturno Eccleſiæ regimine vota ad Deum ipſo mediatore concipient. Interim ego me Sanctitatis Veſtræ paterno amori & gratiæ, atque Apoſtolicæ benedictioni commendo. Datum Varſaviæ, die XV. Februarii, anno Domini MDCXXV.

Sanctitatis Veſtræ filia devota Conſtantia Regina.

URBANUS PAPA VIII.

XXXIV. CAriſſimo in Chriſto filio noſtro Sigiſmundo, Poloniæ & Svetiæ Regi illuſtri. Saginata venenis inferni monſtra, hæreſem in Chriſtianis Provinciis ſeminantia, nihil tam feliciter poteſt debellare, quam ſanctimonia. Etenim cum illa non raro pugnat orbis terrarum adverſus inſenſatos, & armamentaria Regni cœleſtis, piis Sanctorum precibus pateſiunt. Quare non mirum eſt, ſi gladio ancipiti peccatores exterret, & Diabolos profligat. Nunc autem non immerito Ruſſia ſibi ſperat ſalutarem fore publico Principum ac populorum plauſu cultam ſanctitatem viri religioſi Joannis de Dukla. Cum enim pie arbitretur eum ſuffragante pietate, adeptum eſſe Principatus ſempiternos, plus ille arma lucis diſtringens juvare e cœlo poteſt in ſchiſmatica hæreſi illic expurganda regios conatus, quam omnes ex avitis ſedibus exciti Septentrionis exercitus. Proinde nos libentiſſime audivimus eas preces, quibus tam inſigni Religioſo cœleſtes in Catholica Eccleſia triumphos Regalis pietas poſtulat. At enim non præterit Majeſtatem tuam, quibus momentis tam grave negotium pendi debeat. Rationem tamen habentes commendationis tuæ, juſſimus ejus res geſtas rite cognoſci. Porro autem orabimus Deum, qui Sanctorum principatum tenet, ut in tanta deliberatione id Pontificiæ ſollicitudini conſilium ſuggerat, quod afferre poſſit Eccleſiæ gloriam, Regni iſtius ſalutem, & gaudium Majeſtati tuæ, cui Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, die VI. Decembris MDCXXV. Pontificatus III. Urbani Papæ VIII. ad Regem reſponſio.

AD LITTERAS REGINÆ.

XXXV. CAriſſima in Chriſto filia noſtra, ſalutem. Nulla certiore ratione & ſalutem Poloniæ, & Regiæ domui felicitatem quærere poteſt Majeſtas tua, quam eorum cultu, quos ſanctimonia creditur inſerviſſe conciliis Beatorum, in celeſti regno triumphantium; hi enim judicant nationes, & dominantur populis, nec minus eorum patrocinio, quam exercituum robore cuſtodiuntur imperia. Quare non leve beneficium debet aula iſta & regnum piis illis precibus, quibus Majeſtas tua ſolemnes Beatitudinis titulos ab auctoritate Apoſtolica petit Religioſo viro Joanni Duklæ, cui dicuntur Chriſtianæ virtutes Provinciarum famulatum & regnantium obſequia iſtic paraſſe. Nos autem tam piæ Reginæ gratificari cupientes, mandavimus ea diligenter examinari, quæ in tam gravibus declarationibus Eccleſiaſtica auctoritas de more requirit. Jam vero accuratiſſimis orationibus adivimus thro- Ejuſdem ad Reginam.

thronum Divinitatis, ut id aliquando in cæleſti hoc negotio decernere poſſimus, quod regnis iſtis ſalutare, & gratum ſit Majeſtati tuæ, cui Apoſtolicam benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, die VI. *Decembris. Anno Domini* MDCXXVI. *Pontificatus noſtri anno* III.

ADDITIO ALIORUM.

„ XXXVI. Verumtamen ad has aliaſque ſibi poſtmodum factas preces „ Apoſtolica Sedes excita, hujus Servi Dei Miſſam & Officium ſub ritu du- „ plici per totum Seraphicum Ordinem, necnon pro univerſo Clero Civi- „ tatis Leopolien. poſſe recitari die XIX. Julii benigne indulſit, ut ex de- „ creto ſacrorum Rituum Congregationis ſub die IX. Maii MDCCXXXIII. „ ſuo tempore in horum Annalium continuatione referendo, pro comperto „ habemus.

Pie obit Jacobus Cortonenſis. *Marian. cit. c. 47. Gonz. in Provin. Tuſcia Conv. 2.*

XXXVII. Cortonæ in Etruria hoc anno deceſſit Jacobus Cortonenſis, Evangelicæ paupertatis inſignis ſectator, in oratione aſſiduus, converſatione affabilis, in prædicatione ferventiſſimus, vitiorum reprehenſor; vir vere bonus & amicus Dei. Dum ſemel prædicaret in feſto beatæ Margaritæ ſuæ conterraneæ, & tumultuantes juvenes reprehenderet, unus reliquis petulantior in eum malum medicum projecit, cui ille propter contemptum verbi Divini miniſtrum, & ſcandalum in Eccleſia coram tanta auditorum multitudine, cito miſere periturum prædixit. Ita evenit; nam infra octo dies dum quidam inimici telum effugere, & ictum declinare vellet, poſt tergum prætereuntis adoleſcentis ſe inclinavit, telumque juvenem occupavit & interfecit, quod omnium judicio Divinæ vindictæ, a Jacobo prædictæ attributum eſt. Seggiano populo triginta annorum tribulationes prædixit: quas annis totidem perpeſſus eſt. In ſenectute bona deceſſit ad Cœnobium S. Margaritæ ſepultus. Habitus ejus ad infirmos delatus, multis præſtat beneficia ſanitatum. Poſteriorem hunc quidam faciunt anno milleſimo quingenteſimo, ſed vere hoc anno deceſſit.

Necnon Ægidius Florentinus. *Marian. cit. Gonz. citat. Conv. 16. & 27.*

XXXVIII. Diem etiam clauſit extremum hoc anno in Conventu ſancti Salvatoris Florentiæ, Ægidius ab eadem urbe cognominatus, laicus provectæ ætatis, & vitæ perfectæ. A Religionis ingreſſu valde profecit in omni genere virtutum, paupertate præſertim, auſteritate vitæ, oratione & contemplatione. Semel ſuam ſecutus ſententiam, & Superioris præferens præcepto, in Cœnobio ſancti Chriſtophori apud Caſtilionem Aretinum juſſus a Hieronymo Peruſino Guardiano, ut provigilio ſancti Franciſci ſimul cum Leonardo Gheſo Pratenſi Clerico, vias horti & ſemitas ſilvæ verrerent & mundarent propter venturos ad ſolemnitatem, renuit ille obſequi, aſſerens ſatius eſſe, & ſancto Franciſco gratius, ut tempus illud in viis purgandis terendum, orationi tribuerent, & corda, non terram mundarent. Temporum intervallo ter juſſus obedire, renuit: ſed ecce dum poſt matutinum Ægidius in inferiori parte Eccleſiæ orationi vacaret, Satan viſibili forma apparens, per humeros apprehenſum, in altum elevavit. Clamantem & auxilium invocantem, per tibias fortiter tenuit frater Matthæus a ſancto Joanne ſenex, & in Dei obſequio ferventiſſimus. Utrumque ſubridens dæmon facile in altiora contraxit, inde præcipitaturus. Guardianus, qui in choro orabat, videns Fratrum anguſtias, arrepto aſperſorio, in altum aquam luſtralem inſperſit, præcepitque iniquo raptori, ut ſuos ſibi ſubditos reſtitueret. At ille rabide dimittens, in terram colliſit, ex quo caſu, cordiſque pavitantis tremore in valetudinario per dies aliquot jacuerunt. Ægidius deinceps ad nutum Superioris obedire paratus, ſanctiſſime vixit, cuncta dilectionis & caritatis erga ſuos Fratres munera exercens. Ubicumque habitabat, populo erat gratiſſimus, maxime Montis-Politiani, qui locum ei con-

Obedientia ſpretæ Divina vindicta.

Conv. Montis-Politiani.

conceſſit, ut Cœnobium conſtrueret, ubi Oratorium erat beatæ Mariæ Virginis, ejus effigie miraculis celeberrima commendatiſſimum. Cum illic per annos multos Conventui extruendo intendiſſet, obiit tamdem in loco ſupradicto, concinente magna Angelorum multitudine. Ejus animam recta in cœlos aſcendentem vidit Dom. Ceccha de Cecchis, amita Laurentii Puccii Florentini, Cardinalis tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum.

XXXIX. Ex monumentis MSS. provinciæ ſancti Franciſci habeo, hoc ipſo anno die xv. Septembris feliciter obiiſſe beatam Euphroſinam, quibuſdam Amphroſinam, aliis Euphraſiam, de qua paulo antea egimus, in vita beati Cherubini Spoletani. Hæc Biturgiæ (vulgo Burgum ſancti Sepulcri) nata, virum accepit ſeveræ & aſperæ naturæ, apud quem male habebat. A vinculo intolerabilis mariti per illius mortem ſoluta, non alteri, quam Chriſto voluit deſponſari. Monaſterium itaque ſanctæ Catarinæ Tertii Ordinis ingreſſa, virtutibus cœpit efflorere, profunda præſertim humilitate, ſe prorſus indignam reputans, quæ inter Chriſti ancillas, puras immaculataſque Virgines, e ſeculo prodiens corrupta verſaretur. Humilibus itaque Monaſterii obſequiis intenta, omnibus cara, omnibus amabilis cœpit Deo & hominibus placere. Hinc diffuſa undique piiſſimæ Sororis fama, hinc miræ & ineffabiles a Deo immiſſæ conſolationes, & intermixta Divina colloquia.

Moritur beata Euphroſina. Marian. c. 41. Marc. l. 8. c. 3. Hoc an. n. 32.

Fit Monialis Tertii Ordinis.

XL. In principio erat tamquam lucerna ſub modio abſcondita, ſed gratiis cœleſtibus mirabiliter relucentem, poſuit Deus ſuper candelabrum, ut omnibus, quæ in conſortio erant, amplius præluceret. Poſtquam infirmæ cuidam Sorori caritatis exhibuit miniſteria, in chorum ad pſallendum Completorium perrexit, ubi extra ſe rapta, Divina dulcedine perfuſa, viſa eſt Paradiſi gaudiis intereſſe. In ſe & ad infirmam reverſa, ejuſque obſequiis addicta, vidit in ſe irruere dæmones duos, qui in altum elevantes & ſæve verberantes, in terram collidebant. Ad illius infirmæque clamores accurrentes aliæ Sorores, certamen conſpexerunt iniquum duorum malignorum ſpirituum, contra debilem fragilemque fœmellam. Improperantes itaque imparem pugnam, & vituperoſum congreſſum, orationibus & luſtrali aqua profligarunt, manente Euphroſina ex certamine intrepida & glorioſa, tamquam quæ victoriam fuerit conſequuta.

Ejus cum dæmonibus certamen.

XLI. Extra ſe frequenter rapta, arcana percipiebat cœleſtia: & ne deceptionem fraudemque pateretur, a viris doctis & piis curabat examinari, quas excipiebat revelationes. Auguſtino Medico ex Caſtillione Aretino primæ conjugis obitum prædixit, deinde poſt aliquot a tranſitu dies revelavit ad cœlos tranſiiſſe. Acceperat a beato Cherubino Spoletano, cujus animam viderat in paradiſi gloriam perduci, & ab aliis hujus Inſtituti viris, beatum Hieronymum ſpeciali amore hoc proſequi Inſtitutum, cauſamque ſciſcitata a ſancto Doctore ſibi apparente, iſtam accepit; quod Fratres Minores plus aliis Chriſti paupertatem & vitam imitentur, & Chriſti incunabula, aliaque Paleſtinæ loca, quæ Dominus ſua nativitate, converſatione & morte ſacravit, atque ipſe tot annis perluſtravit, & in ultima ſenectute habitavit, illi religioſe cuſtodiant, & debite venerentur: & licet Regulam a ſe præſcriptam non obſervent, ejus tamen doctrinæ erant ſummopere addicti: Hanc itaque ſodalitatem ſibi a Deo commendatam, ſe ſimul cum ſancto Franciſco diligenter protegere, & tenerrime diligere. Tandem pie hæc fœmina anno iſto in prædicto deceſſit Monaſterio, antequam a Tertio Inſtituto, ad ſanctæ Claræ tranſiret.

S. Hieronymus propitiatur Ordini Minorum.

XLII. Sub hunc etiam annum deceſſit Franciſca Meſſanenſis, Beatæ Eu-

Anno 1431. Obit Franciſca Meſſanenſis. *Legen. MSS. B. Euſtochii. Marc. lib. 7. c. 8. Rodul. fol. 139.*

Euſtochii, de qua infra dicemus, ſoror germana, cujus ſuaſu mundum reliquit; & quæ habebat jocalia mundumque muliebrem, in ſtructuram Monaſterii, ab Euſtochio inchoati convertit. Hinc perſecutiones, moleſtias, imo & verbera a fratribus perpeſſa, velut altera Agnes Aſſiſias ſanctæ Claræ Sororis veſtigia conſtanter ſectata, minas quaſque & incommoda contemnens, uſque ad mortem ſub Sororis diſciplina permanſit, attracta etiam ad ſocietatem nobili Virgine conſobrina. Securius victura ſtatum delegit laicalem, nec iis, quæ choro inſerviunt, voluit adſcribi; dicens, eo altius & ſecurius poſſe quemque aſcendere, quo humilius vivit & amplius deſcendit. Humilibus intenta miniſteriis, ut vilior haberetur, quaſdam ſimulabat amentias, iis præſertim temporibus, quibus de præficiendis Monaſterio rectricibus agebatur, ne forte in mentem cuique veniret eam ad hoc munus aſſumere. Pauperrime ſemper vixit; numquam novis veſtibus, ſed exoletis, & aliarum abjectis exuviis utebatur. Craſſum lacerumque capiti velum obducebat; non ſubtile & molliuſculum ſtrophiolum, ſed rudem vilemque mappam naribus emungendis adhibebat. Cubabat in tabulis, & rigido hyberno tempore ſervili ac viliſſimo ſtramine corpuſculum fovebat. Cellam, cubiculum, oratorium proprium non admiſit; ſtans ſemper manducabat, ne tantillum ſedens ſibi daret refrigerii.

Ejus humilitas.

Paupertas & aſperitas.

XLIII. Virtutibus ornata, & morbis, quos patienter ferebat, probata, poſtquam omnia caritatis exhibuit officia epidemia laborantibus, ultima laborans infirmitate, Euſtochium ſororem rogavit, ne morienti aſſiſteret, ſed in ſeceſſu oraret, ut ipſa feliciter curſum abſolveret; timebat enim, ne tenero erga ſororem affectu ſe rapi vel avelli contingeret ab iis meditandis, quæ tranſituræ ex hoc mundo erant neceſſaria. Proximo autem poſt ſanctæ Eliſabethæ diem oranti Euſtochio anima placide e corporis ergaſtulo ſoluta, Angelorum choris ſtipata, in cœlum recta conſcendens apparuit. Eo ipſo die apparuit ſuper Monaſterium, & ſequenti ſuper tumulum ſtella ſplendidiſſima, ſicut ipſa ſub mortem Sororibus prædixit, ſe ſub ſtellæ ſpecie poſt obitum, ita Deo permittente, conſpiciendam. Alias Euſtochio videndam ſe præbuit magno ſplendore fulgentem, ingenteſque gratias egit, quod ejus inſtructione primum, deinde meritis & precibus tot beneficia a Deo ſit conſecuta. Hoc ipſo anno deceſſiſſe, cum Rodulpho quidam affirmant, alii ſubdubitant.

Stellæ ſpecie abit in cœlum.

Capitulum Ciſmontanum Obſervantum XVI. Alvernæ. *Marian. c. 42. Marc. lib. 6. c. 41.* Angelus a Clavaſio fit tertio Vicarius Generalis.

XLIV. Hoc anno IV. Junii celebratum fuit in Monte Alvernæ Capitulum Generale Fratrum Obſervantum familiæ Ciſmontanæ, in quo ſubſtitutus eſt fratri Petro Neapolitano Angelus a Clavaſio, jam tertium ad hoc munus aſſumptus. Hæc exoſus officia, impetraverat a Sixto Pontifice privilegium, ne poſſet a Conſodalibus cogi ad ſuſcipienda. Renuentem iſtud admittere, partim piis precibus, partim clamoroſis vocibus compulerunt Fratres ut electioni conſentiret. Præ reliquis eum commoverunt Cherubinus Spoletanus, & Antonius Montis Falcenſis, viri venerandi, pii & docti, qui reſiſtentem redarguerunt, hortantes, caveret ne Spiritui ſancto contradiceret. Ingenti concurſu confluit illuc multitudo Florentinorum, & vicinorum oppidorum, abundeque Fratribus miniſtrarunt cuncta neceſſaria. Decretum erat in Comitiis Ferrarienſibus, ut omnia Generalia Comitia in hoc Monte haberentur. Sed hoc anno probaverunt, difficulter id fieri poſſe propter diſtantiam Urbium & Oppidorum, innumeraſque ſarcinas in Montis cacumina efferendas. Statuerunt itaque Patres, ut Capitulum proxime habendum celebraretur Aſſiſii ad ſanctæ Mariæ Angelorum.

Officiales in Capitulo electi.

XLV. Commiſſarius in Curia Romana inſtitutus eſt Joannes de Sigeſtro,

ſtro, qui paulo ante miſſus Corſicam Commiſſarii Viſitatoris functurus officio, ſe in Vicarium Provincialem procuravit aſſumi. Plurimi tamen nihil tale ſuſpicati, dolenteſque hominem artificioſe officium ambiviſſe, miſerunt ad Comitia, qui inſtanter agerent, ut a novo Vicario electio pro irrita haberetur. Hinc, ut tumultus ſedarentur, Commiſſionem Curiæ Angelus attribuit. Manifeſtæ ambitionis non immerito in regiſtro Ordinis taxatur Sigeſtrus, quod ſe Corſicanum Vicarium creari curarit, neque intemperanter acquiſitum voluerit dimittere, niſi potiori accepta dignitate. Guardianus Montis Sion confirmatus eſt frater Paulus de Canneto; Vicarius Candiæ inſtitutus eſt Anicetus de Brixia; Commiſſarius Sardiniæ Gaſpar Cremonenſis; Commiſſarius Dalmatiæ Albertus de Portu Morio; Calabriæ Bernardinus de Caymis Vicarius Provinciæ Mediolanenſis, ut tamdem componeret tædioſiſſimas lites, & ſcandaloſas diſſenſiones, quas una Franciſci de Philocaſtro Vicarii Provinciæ Calabriæ excitaverat ambitio. Fretus potentia Principis Biſiniani, reſtitit per ſeſquiannum Vicario Generali, Juliano Cardinali Protectori, & Gabrieli Cardinali Agrienſi, ſaniora quæque ſuadentibus, Fratreſque in duas partes diſtraxit. Conſilium ejus tamdem diſſiparunt hic Commiſſarius de Caymis, & Vicarius Generalis, parteſque ſedarunt, commiſſa prius per Pontificem cauſa diſcutienda Cardinalibus Juliano prædicto, Sabello, & Columnenſi.

Joann. Sigeſtrus ambitionis inſimulatur.

Vicarius Candiæ Anicetus. Commiſſarius Sardin. Gaſpar. Dalmatiæ Albertus. Calabriæ Bernardinus.

XLVI. Circa ſuffragia ferenda decretum eſt in hoc Capitulo, ferenda eſſe ſecrete, & examinanda occulto ſcrutinio per Compromiſſarios; & Vicarios electos in Capitulis Provincialibus habendos eſſe pro Commiſſariis Provinciarum, donec confirmationem acciperent a Vicario Generali. In caſu vero, quo electus eſſet abſens, aut Electores non concordarent, Provinciæ regimen maneret penes Definitores. In Baſylicata apud Lucanos diximus ſuperius paucas extitiſſe Obſervantum domos, & propterea Commiſſario, non Vicario fuiſſe ſubjectas. Intentarunt tamen pauculi illi Fratres Vicarium habere, quod cum Petrus Neapolitanus Vicarius Generalis alias negaret, impetrarunt hoc anno diploma Pontificium ut ſibi Vicarium conſtituerent. Ægerrime hoc tulerunt Patres Capitulares, ſtatueruntque ut Pontificem melius inſtructum rogaret Vicarius Generalis, diploma revocaret, & pauculæ illæ domus dividerentur, pars una Provinciæ Terræ-laboris, ac pars altera Provinciæ Apuliæ aggregaretur. Attamen Franciſcus Gonzaga hoc ipſo anno ab Angelo Vicario, miſſis quibuſdam Patribus Bononienſibus, inſtitutam hanc Provinciam affirmat. Et quidem anno ſequenti die III. Januarii, uti habetur in regeſto Ordinis, miſſus eſt Commiſſarius frater Paulus a Turrano, oppido Brutiorum, ut ſtatum illorum Conventuum examinaret, & in Provinciam erigeret; declaravit enim Pontifex voluntatem ſuam Vicario, velle ſcilicet, ut breve Apoſtolicum erectionis Provinciæ ſubſiſteret.

Decreta Capituli.

An. 1472. n. 9.

Erectio Provinciæ Baſylicatæ.

Gonz. in exordio Prov. Baſylicatæ.

XLVII. Raguſæis vero, qui ſe a Dalmatis, uti diximus, ſeparaverunt, datus eſt in hoc Capitulo Vicarius ad modum reliquarum Provinciarum, qui cum ſuo Diſcreto accedere poſſit ad Capitulum Generale: licere tamen ſi aliquando ſedatis altercationibus, placeret ex conſenſu dominii Veneti Dalmatinis conjungi. Pro his peragendis & celebrato Capitulo deſignatus eſt Commiſſarius Albertus de Portu Morio, ſed paulo poſt defuncto ſubſtitutus eſt Gaſpar Longinus. Oblatum apud Chium, Ægæi maris inſulam, Cœnobium admiſerunt Patres, & miſſo, qui regeret, Dominico de Ponzolo, domum aggregaverunt Provinciæ Januenſi, propter dominium & frequens Januenſium in urbe Chienſi commercium, multaſque ibidem degentes

An. 1474. n. 8. & An. 1475. n. 14. Et Provinciæ Raguſii.

Conv. Chii.

Officium S. Bernardini a Ludovico Vincentino compoſitum.

tes hujus gentis familias. Juſſum inſuper, ut lectiones officii ſancti Bernardini, per Ludovicum Vincentinum olim Vicarium Generalem compoſitæ, legerentur in ejus feſto & per octavam.

Capitulum Ultramontan. Obſervantum XVI. Vicarius Generalis Joannes Croyn. Exord. a Provinciæ Angliæ.

XLVIII. Patres Ultramontani ſua etiam hoc anno in feſto Pentecoſtes celebrarunt Comitia in Conventu Brugenſi Provinciæ Franciæ, & Joanni Philippi Vicario ſubſtituerunt Joannem Croyn, alias hoc munere perſunctum. Præter multa, quæ circa officium Divinum, aliaſque res decernenda judicarunt, admiſerunt petitionem Patrum Anglorum, qui ſe familiæ Obſervantum incorporari cupiebant, decreveruntque ut per Commiſſarium Vicarii Generalis regerentur, donec duo vel tria Cœnobia pacifice in illo Regno poſſiderent. Deceſſiſſe hoc triennio poſt ultimum Capitulum Generale octingentos & plures Fratres, refertur in actis Capituli, atque inter hos in Conventu Dixmudenſi Zegerium Duſclare, olim Vicarium Generalem, & Provinciæ Franciæ ſecundo Vicarium, necnon Joannem de Renin ſacræ Theologiæ Doctorem, qui valde promovit reformationem Conventus Namurcenſis. Hoc ipſo anno Conceptionis Provinciam,& Carthaginenſem Cuſtodiam erectas fuiſſe ſcribit Gonzaga ex quibuſdam litteris Sixti IV. in Cartophylacio Murciano aſſervatis. Sed hoc tempore priorem erectionem Provinciæ, ſeu Vicariatus Sanctoyani, non vero ſub titulo Conceptionis, ſuperius productis litteris Sixtinis demonſtravi, & ipſe Gonzaga in exordio Provinciæ Conceptionis affirmat. De inſtitutione Cuſtodiæ Carthaginenſis nihil occurrit in regeſtis Ordinis, neque in monumentis Vaticanis. Erectos etiam in hoc Capitulo Conventus Britanniæ Armoricæ in Provinciam, prorioque Vicario fuiſſe ſubjectos, idem ſcribit Gonzaga. Sed licet Acta illius Capituli nihil prorſus de hac re meminerunt, vere ita factum comprobavit diploma Innocentii ad finem anni ſequentis conceſſum, quod in regeſto ſub eodem anno conſpicere licebit. Varias horum Conventuum mutationes nos ſparſim pro temporum ratione, per annos præcedentes diſtribuimus.

An hoc anno erecta Provincia Conceptionis? Gonz. in princip. Prov. Carthagin. An. 1477. n. 21.

Erectio Provinciæ Britanniæ. Gonz. in princ. Prov. Britanniæ. Legenda MSS. Cimarel. lib. 6. c. 13.

Bernardinus Feltren. concionatus egregie in Comitiis Generalibus.

XLIX. Comitiis Ciſmontanis ad Montem Alvernæ celebratis interfuit Bernardinus Feltrenſis, primamque habuit concionem pro Cherubino Spoletano, qui ut dicentem audiret, ſolemniſſimæ diei Pentecoſtes ſermonem ſibi commendatum, in Bernardinum transferri curavit; tamquam ſi præſago ſpiritu vellet cito ex hoc mundo diſceſſurus (obiit enim, uti diximus, hoc anno) locum ſuum & famam illi renunciare. Neque ille quidem Cherubini opinionem feſellit; adeo enim docte & pie de Spiritu ſancto diſſeruit, ut cunctis ſingularem admirantibus doctrinam, plerique ſanctitatem venerati, e ſuggeſto deſcendentis veſtem reverenter attigerint, alii ſignatis veſtigiis, humum, quam calcaverat, venerabunde ſint oſculati. Sequenti die genuflexus coram Angelo Vicario Generali, multis precibus & lacrymis rogavit a Vicariatu ſuæ Provinciæ abſolvi, indicto præſertim propter cauſas ſupra relatas a terris Venetorum exilio. Acquieſcere noluit Vicarius Generalis, ſed juſſit ut Mantuam rediret, inde recturus Provinciam ſibi commiſſam, Cœnobia dominii Veneti per litteras, reliqua per præſentiam.

Non permittitur præfecturam deponere. An. 1483. n. 39.

An hoc anno Inſtitutus Prædicator Apoſtolicus?

L. Tunc factum Prædicatorem Apoſtolicum aliqui ſcribunt, ſed ex regeſto Ordinis manifeſte habetur hoc ei conceſſum privilegium anno MCCCCLXXXI. die XIX. Julii. Et quidem in eo regeſto diverſi continentur gradus Apoſtolicorum Prædicatorum, ſignatis diebus, quibus a Vicariis Generalibus, juxta facultatem Apoſtolicam eiſdem conceſſam, creabantur. Etenim ſecundum uniuſcujuſque talentum, merita & qualitatem conferebantur plura vel pauciora privilegia, majores vel minores facultates. Atqui

qui his terminis hæc in regeſto explicantur: *Frater N. accepit a N. Vicario Generali litteras Apoſtolicas cum gratiis communibus*, ſeu *ſecundum Ordinis inſtituta*, vel *in forma majori*, vel *habuit Apoſtolicam ſupremam*. De noſtro autem Bernardino ita habetur: *Frater Bernardinus de Feltro habuit a fratre Petro de Neapoli Apoſtolicam in forma majori die* XIX. *Julii anno* MCCCCLXXXI.

Mantuæ magno hominũ applauſu prædicat.

LI. Mantuam reverſus Bernardinus, tanta virtute, tantoque animarum profectu ſingulis ferme diebus concionatus eſt, ut omnes admiratione repleverit, & non ſolum Mantuani, verum etiam omnes, qui in circuitu decem aut duodecim milliarium habitabant, diebus ſaltem feſtivis accurrerint. Marchio ipſe Fridericus libenter hominem audiebat, donec in ſe dicta cogitavit, quæ in die Palmarum Bernardinus protulit, dum Principum culpas acriter reprehendit. Quod ſcilicet juribus pro arbitrio utantur, abutantur; quod aures pupillis & viduis, viſcera miſericordiæ pauperibus occludant; quod militum rapinas, Eccleſiaſticum jus violatum nihili pendant; quod manifeſtas Judæorum uſuras, per quas Chriſtianorum facultates exhauriuntur, palam permittant; quod de his, aliiſque hujus generis moniti, rogati, reprehenſi non reſipiſcant; neque quidquam cogitent de reſtitutione bonorum, quæ illorum culpa, conniventia, aut malo regimine deperduntur, atque a juſtis poſſeſſoribus auſeruntur. Demum, ut amplius commoveret ad correctionem, majoremque incuteret terrorem, juxta conſilium Evangelicum excuſſo in auditorium calepodiorum pulvere, tamquam iratus & indignatus, nulla prorſus impertita benedictione, e ſuggeſto deſcendit.

Acriter reprehendit Principum culpas.

Matth. 10. 14.

Inde minus gratus Marchioni Mantuano.

LII. Ardenti audentique eloquio auditores varie affecti; plebs lætari, primores iraſci, Princeps excandeſcere, & demum coacto Miniſtrorum cœtu, concionatorem advocare. Trepidare Fratres, mœrere populum, timere Bernardini periculo, cum ille non timeret ſuo. Imperterritus enim in Principis ſe dedit conſpectum, iratumque ac toto ſrementem corpore, iis vicit rationibus, quas non potuit reſellere. Licere, inquit, pro veritatis Evangelicæ libertate etiam Principes ſui officii monere, in errore perſiſtentes arguere, peccantes increpare; ſe tamen nullum ex nomine compellaſſe, communia dixiſſe, pro veritate declamaſſe; nunc autem inſuper illum rogare, quod ſi cujuſpiam horum ſe reum apprehendat, ſibi dictum putet, & malis remedium adhibeat, pauperumque & miſerorum querimoniis excipiendis ſe faciliorem exhibeat. Cum ille ſe nihil horum conſcium dixiſſet, neque aliquando miſeris aditum negaſſe: *At tui negant*, inquit Bernardinus, *neque permittunt, ut ad te ingrediantur cauſæ viduarum, neque afflictiones pupillorum, neque pauperum oppreſſiones. Hi, qui te circumdant, inter ſe conſpirantes, te ſecreto vallant obſidione, ne quod ipſi mala faciunt, tu poſſis punire. Hæc eſt Principum infelicitas, ut miſerorum querimonias ultimi audiant, aſſentationes primi, veritatem numquam**. *Hæc amor in te meus coram tuis Conſultoribus ſecreto dicit in cubiculo, quæ palam in ſuggeſtu non eſt auſus; generalia dixi non ad te magis quam ad tuos; ſed Principibus quotidianis ſuorum aſſentationibus ut plurimum aſſuefactis, gravia omnia, quæ non applaudunt, apparent.* Conturbatis, qui aderant Miniſtris, Benedicto præſertim Maſtino, viro primario, qui ſe Bernardini verbis impeti videbant, Princeps altercationi finem poſuit, dicens, concionatorem ſuo ſunctum officio, ſeque vehementer cupere, ut ſuas quiſque partes expleret; porrectaque manu, reconciliationis ſigno, Bernardino dixit, ne quidquam eum a veritate docenda retraheret. Demum ille diſceſſurus

Quem tamen prudenter ſibi reconciliat.

* *nota*.

Digitized by Google

ſurus ſubjunxit : *Scio, illuſtriſſime Princeps, tempus adſuturum, quo hæc mea verba tuæ memoriæ recurrent, diceſque gemebundus :* O *Bernardine, hæc mihi abs te dicta*. Neque oraculum hoc temere prolatum fuiſſe, paulo poſt apparuit ; dum enim anno ſequenti Fridericus moritur, & regiminis negligenter adminiſtrati graviter dolet : *Heu*, inquit, *mi frater Bernardine, quam vere abſque aſſentatione mihi iſta dixiſti!*

Fame pereuntibus ſuccurrit.

LIII. Bononia Mirandulam profecturus, puerum macilentum luridumque conſpexit, herbas ſilveſtres præ fame manducantem, panemque porrexit, quem ſocius in ſportula ferebat. Cum vero ille præ debilitate dentibus conterere non poſſet, & diceret a ſeptem menſibus ſe panem non manducaſſe, atque in proxima caſula patrem matremque præ inedia jacere moribundos ; ingemiſcens Bernardinus ad tot mala, quæ belli Veneti & Ferrarienſis furor invexerat, ad morientes profectus, omnem, quem itineri ſocius præparaverat cibum porrexit, volens potius totum iter jejunus conficere, quam miſere pereuntibus prætermiſſis, ſibi panem reſervare. Ceterum paulo poſt icto, uti dixi, pacis fœdere, Robertum Severinum, Veneti exercitus Imperatorem, adiit rogaturus pro Fratribus, quos dixi ab illo ſtatu propter Pontificium interdictum evocaſſe : *ſi*, inquit, *ulla hic culpa, mea eſt : illi ſuis locis reſtituantur, ego pro omnibus exilii pœnam ſuſtinebo*. Ille porro Venetias regreſſus, Senatus decreto obtinuit, ut omnes, uno excepto Bernardino, ad ſuas ſedes redirent. Ita nempe diſponente Divina providentia, ut liberius reliquas Italiæ regiones peragrando, vitia profligaret.

An.1483. n.39.

LIV. Etenim Mantuam adveniente Angelo Vicario Generali, a Vicariatu, quem exercere non poterat, & alias deponere tentavit, impetravit abſolvi, ſtatimque ſe aliis gentibus erudiendis accinxit. Mantuanis vero gratias redditurus cumulatiſſimi beneficii tot Fratribus præſtiti, quot per ſævientis belli annos multos apud ſe aluerunt, videnſque exhauſtas Chriſtianorum facultates per intolerabiles Hebræorum uſuras, ſtatuit nimiam hanc fœnerandi facilitatem adimere, plebiſque miſeriam nova mutuandi ratione ſublevare. Itaque in maximo urbis foro cum doctiſſime de Montium Pietatis erectione, honeſtate, utilitate, ordine, Judæorum ad ſe omnia rapientium iniquitate, diſſeruiſſet, modumque comparandæ pecuniæ ex libera multorum, vel ad tempus mutua collatione oſtendiſſet, Principis Miniſtrorumque auctoritate breviſſime rem totam abſolvit. Nec obſtare potuit, quin ſtatim magna collecta pecunia Mons erigeretur, multorum adverſantium conatus, ex eo ſcilicet cœtu, quos ſuperius diximus hujuſmodi Montium erectionem tamquam uſurariam voce & ſcriptis condemnaſſe.

Suadet erigi Montes Pietatis.

An.1474. n.12.

Jubentur Fratres Provinciæ ſancti Franciſci curam Monaſterii Fulginatis ſuſcipere.
Num.43.

LV. Duravit etiam hoc anno Fratrum Provinciæ ſancti Franciſci renitentia circa ſuſcipiendam curam Sororum Tertii Ordinis, quæ clauſuram reſpuebant : & licet Pontifex ea, quæ diximus anno præterito adhibuerit moderamina circa illarum egreſſus, ut facilius ad Fratrum regimen admitterentur ; nihilominus hoc anno ſtatuerunt in Capitulo Provinciali in decreto a ſe alias facto perſiſtere. Admiratus Pontifex, motuſque precibus Sigiſmundi ſui ſecretarii Fulginatis, præcepit ſtrictiſſime, ut ſaltem Monaſterii ſanctæ Annæ ejuſdem urbis curam ſuſciperent. Do litteras Pontificias.

Dile-

Dilectis filiis Vicario Generali, & aliis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia in Provincia ſancti Franciſci, in Capitulo congregatis.

Dilecti filii, ſalutem &c. Sæpe ad noſtrum auditum deductum eſt, quod dilecti filii Fratres Minores de Obſervantia Provinciæ ſancti Franciſci, Sorores Tertii Ordinis ejuſdem Provinciæ in Congregatione viventes, quarum curam a longis temporibus habuerunt, quia clauſuram, quam eis zelo honeſtioris vitæ imponere volebant, acceptare noluerunt, taliter a ſua regimine abdicarunt, ut etiam eas ſimpliciter, ſicut alias ſeculares, in confeſſione, ſine alia cura audire recuſaverint, cum eſſent quoque in arcta infirmitate conſtitutæ, quod impium eſſe videtur, cum confeſſio ſit neceſſaria porta ſalutis, & nulli, quamvis ſceleſtiſſimo deneganda. Qua ex re tibi Vicario Generali noſtris injunximus litteris, quod utriuſque partis intellectis differentiis, præter articulum clauſuræ, ipſarum Sororum egreſſus, prout tibi congruum videretur, aliquibus moderaminibus reformares, ne paſſim & ubique diſcurrerent, & ſi prædictæ Sorores humiliter, quod decerneres acceptarent, earum curam vos prælibati Fratres ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ſuſciperetis. Verum quia, ut accepimus, dilectæ in Chriſto filiæ Sorores ſanctæ Annæ Monaſterii Fulginatis ſponte ſe obtulerunt, convenientibus moderaminibus circa egreſſum a te Generali Vicario juxta noſtrum mandatum diſponendis, ſubjici velle, nec tamen per aliquot etiam menſes ſub Fratrum cura ſuſceptæ ſunt; quinimo de tui conſenſu Fratres præfatæ Provinciæ ad venerabilem fratrem noſtrum Julianum Epiſcopum Oſtienſem, Cardinalem ſancti Petri ad Vincula, noſtrum ſecundum carnem Nepotem, dicti Ordinis Protectorem nuntios deſtinaſtis, dicentes quod non teneamini ſub quibuſvis moderaminibus earum curam recipere, vel quod libertati futuri eorum Capituli recipiendi ipſarum regimen, vel non ſuſcipiendi libera concedatur facultas, ſicut per determinationes Capituli ſunt rejectæ, quod non ſine gravi admiratione accepimus, quaſi noſtra juſſa & commiſſiones ex deciſione Capituli Fratrum debeant dependere. Nos igitur, cui omnium cura Chriſtifidelium Divinitus eſt commiſſa, attendentes, quod piè inclinari debemus ad ea potiſſimum, quæ animarum ſalutem concernunt, & ad tollendas omnes difficultates, quæ adduci poſſent, attendentesque quod etſi Religioſis mulieribus clauſura ſatis videatur honeſtius convenire, nolumus tamen eas invitas, ſi non teneantur ad eam ex ſua Regula, compelli: Volumus etiam & decernimus, quod in præfato Monaſterio Fulginii, & in aliis, quæ noviter vos Fratres abdicaſtis a vobis, Sorores a quadraginta ætatis ſuæ annis ſupra, de licentia ſuæ Miniſtræ, pro neceſſitatibus Monaſterii & Sororum egredi, vel foras mitti libere poſſint, & ſi ſufficere nequeunt, aliquæ honeſtiores de conſilio Vicarii Provinciæ, ſi præſens fuerit, vel confeſſoris illarum cum Miniſtra & quatuor ex ſenioribus diſcretis Sororibus, ſecundum earum conſcientias, quas oneramus, ad prædicta agenda ſuperaddantur; aliæ autem Sorores infra præfatam ætatem exire non debeant, niſi in caſibus infraſcriptis: videlicet, ſi Sorores, quæ, ut diximus, egredi poterunt, morerentur, ſeu infirmitate aliave juſta cauſa impedirentur, tunc aliæ Sorores pro numero ſufficienti cum ſupradicto conſilio ſubrogentur, donec infirmæ vel aliter impeditæ egredi poterunt: etiam ſi contingat aliquem conſanguineum ſeu affinem utriuſque ſexus uſque ad tertium gradum incluſive mori, aut graviter infirmari, ſive in graviſſima tribulatione eſſe, poſſit illa, cui attinet, bene ſociata cum aliqua ex antiquis Sororibus ſecundum Miniſtræ judicium ſuos viſitare, ita quod non liceat

Ex originali.

liceat ibidem pernoctare. Si vero ipſarum aliqua, infirmitate exigente, neceſſe habeat ad balnea accedere, vel aerem mutare, ſecundum medicorum conſilium, poſſit etiam per Miniſtram cum idonea ſocietate foras mitti. Et quia omnes fideles ex præcepto Eccleſiæ miſſas audire tenentur, liceat eis omnibus ad miſſas audiendas accedere; ſed eundo & redeando nullatenus ad alia loca divertant. Concedimus etiam quod quando prædicator idoneus fuerit in Civitate, poſſint aliquando, ſecundum judicium Confeſſoris cum Miniſtra ad ſermones audiendos exire, non aliunde declinare. Verum, quia poſſent multa occurrere, quæ non facile prævidentur, ſi quando evenerit caſus aliquis, non communiter aſſuetus, vel inopinatus, pro quo ſecundum Confeſſoris, Miniſtræ, & quatuor Diſcretarum judicium videatur neceſſarium, quod aliqua egrediatur, vel ſcandaloſum ſi non exierit, concedimus, quod de prædictorum conſilio exire ſit licitum. Si quid autem ſuperaddendum videretur, tibi Vicario Generali plenam committimus facultatem. Nolumus tamen ad ſupradicta obſervanda Sorores ipſas tamquam ex voto, vel ſub vinculo alicujus peccati eſſe aliqualiter obligatas, cum iſta noſtra determinatio ſit quidam modus vivendi potius, quam aliqua obligatio Regularis. Mandantes vobis omnibus & ſingulis Fratribus dictæ Provinciæ præſentibus & futuris ſub pœna excommunicationis & privationis actuum legitimorum ipſo facto, quatenus, ſi prædictæ Sorores cum moderaminibus ſupradictis voluerint ſe veſtro ſubdere regimini, debeatis earum curam, omni appellatione, reclamatione, vel veſtri Capituli determinatione factis vel fiendis remotis, recipere & regere, ut alias fuit conſuetum, deputantes more veſtro idoneum Confeſſorem, qui eis ut prius, futuris temporibus Sacramenta miniſtret, nec eas de cetero relinquere valeatis, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Hortamur autem vos ut ipſas ea caritate atque ſollicitudine regatis, ac ſi ex præteritis cauſis nulla unquam interveniſſet diſſenſio. Non obſtantibus litteris Apoſtolicis ſub quavis forma verborum alicui dictorum Ordinum generaliter vel particulariter conceſſis, vel in poſterum concedendis, etiamſi tales forent, quod eſſet de eis de verbo ad verbum expreſſa mentio facienda, quarum tenorem volumus hic haberi pro ſufficienter expreſſo, necnon gratiis, privilegiis, vel Apoſtolicis ſeu dictorum Ordinum inſtitutis, ac aliis in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. *Aprilis* MCCCCLXXXIV. *Pontificatus noſtri anno* XIII.

Sigiſmundus.

Fr. Simon. Epiſc. Montiſmarani.
* al. de Damicis.
Fr. Anton. Marſicanus.
An. 1474. n. 14.
Fr. Joannes Clochoren.

LVI. Sixtus IV. creavit Epiſcopum Montiſmarani in regno Neapolitano & Provincia Terræ Laboris, ſub Archiep. Beneventano, fratrem Simonem de * Daviticis, per obitum Auguſtini, III. Idus Februarii. Marſicanum ſeu Aprutinum, in eodem Regno & Provincia Aprutina, Pontifici Romano immediate ſubjectum, Antonium de Medicis, de quo ſupra locuti ſumus, ſacræ Theologiæ Magiſtrum, per obitum Nicolai, IV. Idus Julii. Clochoren. in Hibernia, ſub Archiep. Armachano, Joannem Edmundi Curſi ſacræ Theologiæ profeſſorem, nobili genere ex utroque parente procreatum, per obitum Nelani, XVIII. Kalendas Julii; ſed dum Sixtus, antequam litteræ conficerentur Apoſtolicæ, deceſſerit, Innocentius ſucceſſor ratam habens proviſionem, ſuas litteras conceſſit pridie Idus Septembris. Inter Nelanum vero & Edmundum proviſus eſt Rogerius, qui antequam poſſeſſionem aut litteras acciperet, obiit in Curia. Porro Innocentius aſſumpſit ad Terralben. in Sardinia, ſub Archiep. Arborenſi Joannem Orient, per obitum Joannis, X. Kalendas Octobris. Ad Leghlinen. in Hibernia & Pro-

Fr. Joannes Terralben.

Provincia Lageniæ, ſub Archiep. Dublinenſi Calcerandum * de Andrea, ſacræ Theologiæ profeſſorem, per obitum Joannis, XVII. Kalendas Novembris. Ad Cephaludenſem in Sicilia, ſub Archiep. Meſſanen. per obitum Joannis, VI. Kalendas Decembris, Franciſcum Vitalem de Noya Apulum, quem licet acta Conſiſtorialia dicant Archidiaconum fuiſſe Eccleſiæ Syracuſanæ, idque fateatur Rochus Pyrrus in ſua de Cephaludenſi Eccleſia notitia, tamen Ordinis Minorum fuiſſe affirmat, & celeberrimum Theologiæ Artiumque Doctorem Pariſienſem in Scoti doctrina, cujus libros doctiſſimis ornaviſſe dicit poſtillis, eximium Regis Ferdinandi Catholici Magiſtrum & a ſecretis. Hæc non mihi adeo certa ſunt, quam ante aſſumptionem ad Epiſcopatum Archidiaconum fuiſſe Syracuſanum, quod Cœnobitæ præſertim Minoritæ videtur adverſari. Verum eſt frequens uſuque receptum ſub illud tempus fuiſſe, Regulares ſive ob præclara merita, ſive ob interceſſionem Principum, quibus erant vel ſanguine conjuncti, vel obſequio cari, ad beneficia Eccleſiaſtica, Abbatias aliaſque dignitates diſpenſare, de quo paſſim occurrunt in regeſtis Pontificiis monumenta. Aliquot indicavi Patribus Conventualibus conceſſa, aliaque innumera ſuperſunt. Catalogus valde diminutus Eccleſiæ Licien. ad me miſſus, refert hoc anno ad eamdem aſſumptum fratrem Franciſcum Apulum Regularis Obſervantiæ eadem urbe natum, ſed morte præventum, poſſeſſionem non fuiſſe adeptum.

Fr. Calceran. Leghlinen.
* al. Calerandum.
Fr. Franciſcus Cephaluden.
Fr. Franciſcus Licien.

LVII. Qui favebant Sororibus Tertii Ordinis Fulginatenſibus Monaſterii ſanctæ Annæ, quarum curam Fratres Obſervantes Provinciæ S. Franciſci rejecerunt, exemplum ſecuti Peruſinorum, petierunt a Pontifice ut apud locum *ſancti Joannis Contratæ* puellarum Annunciatæ, vulgo *delle Sacre* nuncupatum, intra Civitatem vel extra eamdem, ad ſancti Feliciani *de Mormonzone*, vel alio quovis loco decenti liceret Fratribus congregationis Amadei de Hiſpania domum ædificare. Ita enim illi judicabant Obſervantes, ut Amadeitis aditum præcluderent, priorem curam reſumpturos, vel ſi nollent, hac ratione ſubſtitutis Amadeitis, volebant Sororum ſpiritualibus neceſſitatibus providere. Annuit Sixtus Pontifex hoc anno V. Kalendas Maii, ſcriptis litteris ad Abbatem Monaſterii beatæ Mariæ in Campis, & Nicolaum Petri Canonicum Fulginatenſem. Etſi vero in his Sigiſmundus Fulginas, Pontifici a ſecretis ſummo ſtudio laboraverit, ut Sororibus regendis Amadeitæ admitterentur, nihil tamen tunc profecit, pleriſque civibus obſiſtentibus, ne manifeſta Obſervantum jactura Amadeitæ ſupperadderentur.

Conv. Peruſinus.
Lib. 205. bullar. fol. 113.

LVIII. In Caſtro Plebis Siochi (vulgo Plebis Sacci) a quo Siochus amnis in Marchia Tarviſina deſcendit, duo fratres germani, diviſis inter ſe bonis hæreditariis, circa ſuperſtitem imaginem beatæ Mariæ Virginis acriter contendebant, armiſque controverſiam dirimere cogitabant. Sed voce lactentis infantuli, qui nedum uno expleto anno, a genitricis uberibus pendebat, mirabiliter admoniti, eam eſſe Dei Genitricis mentem, a neutro velle ſuam poſſideri effigiem, ſed in Ædicula prope oppidum reponi, depoſitis armis, cum maxima veneratione illuc pertulerunt. Ubi vero ſtatim cœpit imago miraculis clareſcere, a populo frequentari, & donariis cumulari, prædicti fratres & conſanguinei, annuente Innocentio Pontifice, hoc anno Fratribus Regularis Obſervantiæ commodum illic poſuerunt Cœnobium, ſub ſanctæ Mariæ de Gratiis invocatione.

Conv. Plebis Siochi.
Gonz. in Prov. S. Anton. Con. 18.

LIX. Sixtus Pontifex hoc anno die VII. Septembris, annuit ut Paulus Fregoſius Cardinalis, Archiepiſcopus & Dux Genuenſis traderet fratri Ar-

Conv. Moneliæ.

changelo Juſtiniano Clavarenſi Guardiano, Thaddæi a Clavaro Vicarii Provinciæ Genuenſis Commiſſario, Conventum in oppido Moneliæ, olim a Divo Georgio, nunc a ſancto Franciſco nuncupatum.

Ex Reg. Innoc. lib. 14. fol. 220.

LX. Idem concesserat facultatem nobili mulieri Vanellæ Principi Biſiniani, & Duci Civitatis ſancti Marci, ut ubicumque placeret, domum Fratribus Obſervantibus intra ſuum dominium conſtrueret, regendam tamen a fratre Paulo de ſancto Carolo ſuo Confeſſario, qui quos vellet Fratres, illic commoraturos advocaret, & abeuntibus his alios ſua poteſtate ſubſtitueret, remanente ſemper domo ſub immediata Miniſtri Generalis juriſdictione. Decedente vero Sixto, antequam litteræ conficerentur, conceſſionem approbavit Innocentius hoc anno pridie Idus Septembris. Attamen cum Fratres intelligerent hæc omnia ex confeſſarii ſuggeſtione & ambitione proceſſiſſe, egerunt cum Epiſcopo Caſſanenſi, ad quem Innocentius ſuas litteras direxit, ne quidpiam in hac re fieri permitteret.

Conv. Petraliæ. *Rodul. fol. 281. & 282.* Conv. Partanæ.

LXI. Duo aſſerit Petrus Rodulphus Cœnobia Patribus Conventualibus conceſſa in Provincia Siciliæ; unum Petraliæ inferioris ab oppidanorum Univerſitate conſtructum; alterum Partanæ ſub invocatione beatæ Mariæ a Catena, in ſitu amœno & pulcherrimo. Primum ſpectat ad cuſtodiam Agrigentinam, ſecundum ad Drepanenſem.

Fr. Alphonſus de Zamorra.

LXII. Alphonſus de Zamorra ſacræ Theologiæ profeſſor, olim Nuncius Apoſtolicus, & pro converſione infidelium deſtinatus ad inſulas Canarias, etiam auctoritatem accepit aggregandi domibus Canarienſibus Fratres & Conventus, quos judicabat huic miſſioni opportunos, aliaſque accepit a Sede Apoſtolica facultates, quibus inſigniter effulſit in Hiſpania. Hic licentiam conceſſit fratri Joanni Gotinez, ut Conventum ſanctæ Crucis inter oppidum Hordunia & Motiæ, Calaguritanæ diœceſis, ex bonis ſibi, dum in ſeculo eſſet, collatis, & piis aliorum eleemoſynis conſtrueret, ſub obedientia tamen ipſius Alphonſi, & Prælatorum inſularum Canarienſium. Per aliquot annos cum ſociis illic commoratus Joannes, obtinuit a prædicto Alphonſo, ut ſibi ſociiſque liceret vivere ſub obedientia Miniſtri Generalis, ejuſque cura & viſitatione, ſub Obſervantiæ tamen Regularis Inſtituto. Confirmationem omnium accepit hoc anno a Sixto Pontifice: *Ex injuncto nobis deſuper*. IX. Kalendas Julii, & ab Innocentio VIII. anno ſequenti, qui Sixti litteras ſuis inſeruit. Neſcio an hæc illa domus ſancti Juliani Piedrolæ, quam Gonzaga ait, Dominos oppidi ſanctæ Crucis de Campeſo ad editi cujuſdam Montis radices conſtruxiſſe, & propter bella inter Caſtellæ & Navarræ Reges exorta, derelictam, anno MCCCCLXXXII. a Lopetio de Rojas, ſanctæ Crucis oppidi Domino rogante, fuiſſe Fratribus Conventualibus Provinciæ Aragoniæ hoc anno conceſſam, & anno ſequenti ab Innocentio confirmatam. Multa in utraque narratione concordant, reliqua fortaſſis ex errore aut referentium varietate diſcordant.

Conv. Hordu-niæ.

Conv. Piedrolæ. *Gonz. in Prov. Cantab. Conv. 91.*

Conv. Cheriacenſ. *Foder. & Picquet. in Prov. S. Bonav. & Cuſtod. Dolæ. Gonz. in ead. Prov. Conv. 17.*

LXIII. Jacobus a Novavilla, qui ſub Carolo Burgundiæ Duce militaverat, & ſuo Principe cæſo, a Gallis captus, voverat deinceps ſe Deo militaturum, ſi priſtinæ reſtitueretur libertati, voti compos ſub annum MCCCCLXXVII. obtinuit a Carolo de Novocaſtro & Margarita Vienenſi conjugibus locum quemdam ſolitarium prope Cheriacum, diœceſis Biſuntinæ, ubi prope limpidum fontem ad proceræ arboris truncum affixæ erant imagines beatæ Virginis & ſancti Antonii Patavini. Illic ædificatum a ſe ſacellum vocavit beatæ Mariæ Fontis ſancti Antonii, humilemque adjunxit caſellam, ubi per aliquot annos piiſſime ſub habitu Tertii Ordinis ex manu Joannis Frouli Guardiani Cheriacenſis ſuſcepto, converſatus eſt.

Hoc

Digitized by Google

Hoc autem anno, conſentientibus ſupradictis conjugibus, & Archiepiſcopo Biſuntino, egit cum Jacobo Monallio, Vicario Provinciæ Burgundiæ, & Michaele Odonis, Guardiano Cheriaci Regularis Obſervantiæ, ut Eremum hanc admitterent, ſuoque adjungerent Cœnobio. Ita factum, confecto tranſactionis inſtrumento anno ſequenti Kalendis Maii, obtentiſque Innocentii Pontificis litteris anno MCCCCLXXXVI. pactionis confirmatoriis. Sic itaque humilis illa Eremus evaſit in Monaſteriolum, verno tempore amœniſſimum, ubi ante cellam hoſpitum, etiam nunc viſitur ſub arboris trunco ille fons, qui cœnobiolo dedit initium.

LXIV. Sub hujus anni finem Joannes Rohanenſium & Leonenſium Vicecomes, in urbe Landernii Britanniæ Armoricæ, & parochia ſancti Thomæ Cantuarienſis, in ipſo maris littore, Obſervantibus conſtruxit Eccleſiam. Conſecravit ſub titulo ſancti Franciſci anno MCCCCXC. Dominica quarta Quadrageſimæ Alarius Epiſcopus Cornubenſium.

Conv. Landernii. Gonz. in Prov. Britan. Conv. 8.

LXV. Vicario Generali Obſervantum Ultramontanæ familiæ, & Vicario Provinciæ ſancti Bonaventuræ conceſſit hoc anno Idibus Novembris Innocentius Pontifex facultatem admittendi Cœnobium, quod eis conſtruere ſtatuerunt Eliſabetha de Turre, Domicella loci de Turre, & filius ejus Joannes de Lobecto, Dominus Baroniæ, & caſtri de Aurea Valle, Bituricenſis diœceſis, intra fines ejuſdem Baroniæ. An tamdem conſtruxerint, mihi incompertum.

Lib. 19. fol. 93.

LXVI. Intra muros oppidi ſancti Angeli in Vado diœceſis tunc nullius, hoc anno decem honeſtæ matronæ Monaſterium erexerunt Clariſſarum, ſub titulo ſancti Bernardini, Innocentio Pontifice annuente. Opus promovit, & Religioſas omni proſecutus eſt favore Eliſabetha Gonzaga Urbini Duciſſa, curavitque ut Fratres Obſervantes earum regimen admitterent.

Mon. S. Angeli in Vado. Gonz. in Prov. Marc. Mon. 15.

LXVII. Hoc anno nobiles Virgines Leonora & Eliſabetha Manrique, Domicellæ Cordubenſis diœceſis, Alphonſi a Sotomajori Comitis oppidi Belalcazaris filiæ, ut intra vel prope oppidum prædictum liceret Monaſterium ſanctæ Claræ ſibi ſuiſque ſequacibus conſtruere, regendum tamen a Vicario Provinciæ de Sanctoyo, & Guardiano Conventus de Columna prope dictum oppidum, paulo antea, ut diximus, erecti, facultatem ab Innocentio Papa impetrarunt: *Inter cetera Divinæ.* VI. Nonas Octobris. Inchoato jam opere, cum poſt biennium magis arrideret ſitus & domus Conventus prædicti de Columna Minorum Obſervantum, cum illis pepigerunt, ut loca & ſedes mutarent, prout ſupra inſinuavimus. Aſſenſit Innocentius Pontifex, univitque novo Monaſterio a Sororibus poſſidendo præſtimonium, quod in Eccleſia parochiali beatæ Mariæ de Garuz, diœceſis Toletanæ, poſſidebat Fridericus de Stunica clericus diœceſis Palentinæ, & ſponte reſignabat in prædicti Monaſterii beneficium. Omnia hæc conſtabunt ex diffuſa bulla Pontificia exhibenda ſub annum MCCCCLXXXVI. in regeſto hujus voluminis. Indulſit etiam Innocentius eodem anno Tereſiæ Enriquez Comitiſſæ de Belalcazar, Joanni de Sotomajori Domino loci de Alconchel, & Friderico de Stunica tutori adoleſcentuli Alphonſi de Sotomajori, fratris Joannis de la Puebla Minoritæ, de quo ſupra diximus, Nepotis, & Comitis de Belalcazar, ut debita incerta, quæ vel ipſi contraxerant, vel a Nobilibus viris ſuis progenitoribus vel prædeceſſoribus, qui in diplomate recenſentur, ad ipſos cum hæreditate deſcenderant, fabricæ illius Monaſterii poſſent applicare.

Mon. Belalcazaris. An. 1474. n. 28. Ibidem. An. 1480. n. 1. & ſeqq.

LXVIII. Tamdem ſub annum MCCCCXC. die XXI. menſis Martii ſedes commutarunt Fratres & Sorores, tranſlato etiam titulo Sanctorum Marty-

Gonz. in Prov. Angelor. Mon. 1.

ty-

tyrum Berardi & Sociorum, ſub quo primum Fratrum templum ædificatum eſt, ad novam Eccleſiam priori indita invocatione ſanctæ Claræ de Columna. Ex religioſiſſimo Monaſterio Clariſſarum de Calabazanos ejuſdem tunc provinciæ Sanctoyanæ, vocatæ ſunt primæ vitæ regularis inſtitutrices, quæ præter duas ſupradictas germanas Sorores, etiam Catarinam & Ludovicam Manrique conſanguineas, tanta imbuerunt pietate & virtute, ut & illæ reliquas adventantes religioſiſſime inſtruxerint, & perpetuo ad alias deſcenderit conſtans Obſervantia Regularis. Profecto Monaſterium hoc cum quovis alio Sororum virtute, nobilitate & morum gravitate, jure optimo de primatu poterit contendere. Plurimis domum affecit muneribus & favoribus Regina Eliſabetha, nuncupata *Catholica*. In templo hujus Monaſterii ſepulti ſunt illuſtribus Mauſoleis D.Guttierrez a Sotomajori Comes Belalcazaris, qui prope Cazarabonelam ſtrenue dimicans contra Mauros Granatenſes, ſagitta transfixus eſt, & D. Alphonſus a Sotomajori ejuſdem etiam oppidi Comes. Hinc miſſa eſt anno MDCXX. religioſiſſima & pia ſoror Maria a Trinitate ad inſulas Philippinas illic edoctura S.Claræ Inſtitutum.

LXIX. Expoſuit hoc anno Franciſcus Marton Laicus Terræ, nunc Urbis, Murciæ, diœceſis Carthaginen. Tereſiam viduam, olim Guillelmi Roqueline conjugem, in ſuo teſtamento ſtatuiſſe, ut ex bonis ſuis ædificaretur in domo ſua prædicta Terræ Murcianæ hoſpitale ſub invocatione ſanctæ Birgittæ, in quo pauperes hoſpitio reciperentur; deſueviſſe autem bonam conſuetudinem hoſpitalitatis, domumque & bona diſſipata, niſi remedium adhiberetur, penitus interitura. Rogavit itaque, ut daretur Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, quæ domum repararent, & bona recuperarent, Deo pie inſervientes. Annuit primo poſtulatis Sixtus, deinde Innocentius, qui litteras, quas non potuit prædeceſſor morte præventus, conceſſit: *Rationi congruit*. pridie Idus Septembris. Introductæ quidem Sorores, ibique per annos multos vixerunt, donec ſub annum MDLXVI. ad Monaſterium aliud ejuſdem Inſtituti, ſanctæ Veronicæ nuncupatum, amplum & religioſum translatæ ſunt.

Mon. Murciæ S. Veronicæ.

Gonz. in Provin. Carthag. Mon. 16.

LXX. Ante annos quadraginta Catarina de Salerno, relicta quondam Guillelmi de Capua, ſub obitum teſtamento legavit Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci domum in qua habitabat, Regii in Calabria, & pro earum ſuſtentatione vineas & alia bona immobilia & mobilia adjecit, ea adjecta conditione, ut infra quinquennium ab ejus morte executores teſtamenti impetrarent a Sede Apoſtolica hujus rei confirmationem, alias ad quædam loca pia hæc bona devolverentur. Neglexerunt id facere executores; quare timentes Sorores ne aliquod præjudicium omiſſa hæc conditio teſtamenti ſibi pareret, etſi per multos annos pacifice in prædicta domo habitarint, & bona poſſederint, rogarunt Sixtum Pontificem ut rata & firma vellet univerſa: quod ille hoc anno Kalend. Julii, conceſſit.

Mon. Regii. *Lib.1.Reg.Innoc. fol. 54.*

LXXI. Ad ſancti Trudonis oppidum, diœceſis Leodienſis, Brabantiæ affine, Sorores Tertii Ordinis domum Vallis ſancti Hieronymi, alias Obden. Steynart, patrocinante quondam Huberto de Roclingen. Rectore parochialis Eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis dicti oppidi, approbante bonæ memoriæ Joanne Epiſcopo Leodienſi, & confirmante Ludovico ejus ſucceſſore, obtinuerunt, multiſque annis pacifice inhabitarunt. Circa modum vivendi ſub regimine Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini domus ſanctæ Luciæ extra muros dicti oppidi, multas obtinuerant ab Innocentio Pontifice ſibi leges confirmari, quas in diffuſo diplomate licebit intueri: *In Suprema Apoſtolicæ dignitatis*. III. Idus Decembris.

Domus Sororum Tertii Ord. oppidi S. Trudonis.

LXXII. De

LXXII. De duabus domibus Monacenſibus Sororum Tertii Ordinis, hæc habet iſto anno auctor Metropolis Salisburgenſis: *Anno Domini* MCCCCLXXXIV. *Sorores Tertiæ Regulæ a domo Butrib. in Monacho expulſæ ſunt, quarum octo Friſingam venerunt, quibus Sixtus Epiſcopus ibi domum emit, injungens eis ut infirmos in extremis viſitarent &c. Eſt ibidem Monachy adhuc alia domus harum Sororum Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci, quæ Ridlerorum dicitur, utraque fundata ſeu inſtituta primitus a Patriciis Monacenſibus, dictis Ridler & Butrich, cenſibus exiguis, quæ deinde bona œconomia, ac largitionibus piorum paulatim creverunt, ac reditibus aucta ſunt.*

Domus Butrih. in Monacho. *Metrop. Saliſb. 1. impreſſ. fol. 217.*

Domus Ridlera ibidem.

LXXIII. Sixtus Pontifex univit hoc anno Monaſterio Conceptionis Clariſſarum, oppidi Juliæ Pacis, vulgo *Bejà*, diœceſis Eboren. de quo alias diximus, parochialem Eccleſiam de Bellas; reſervata ſuper fructibus dictæ Eccleſiæ congrua portione pro uno perpetuo Vicario, per loci Ordinarium, ad Beatricis Infantis Portugalliæ, quæ jus Patronatus dictæ Eccleſiæ habebat, & poſt ejus mortem, perpetuo ad Abbatiſſæ & Conventus dicti Monaſterii præſentationem, inſtituendo. Innocentius confirmavit commutationem quamdam bonorum tranſactam inter Didacum Epiſcopum & Capitulum Palentinum ex una parte, & Abbatiſſam ac Sorores Monaſterii de Regnoſo ejuſdem diœceſis ex altera, in evidentem utilitatem utriuſque partis redundantem. Do litteras, ne memoria bonorum poſſeſſionumque datarum & acceptarum depereat: *Rationi congruit.* pridie Idus Septembris.

Mon. Juliæ Pacis. *To. 13. an. 1459. n. 64. Lib. 206. reg. Sixti. fol. 53.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. IN Caſtro Bagnoli Agri Brixienſis pax Italiæ reddita fuit, inter ſe
„ Principum diſſidentium Plenipotentiariis Commiſſariis, Joanne
„ Tolentino pro Pontifice, Joanne Pontano pro Ferdinando Rege Nea-
„ politano, Joanne Jacobo Trivultio pro Duce Mediolani, Pandolphino
„ pro Florentinis, Jacobo Trotto pro Duce Ferrariæ, & Matthæo Anti-
„ maco pro Marchione Mantuæ, concurrentibus: qui omnes cum Sanſeve-
„ rino Capitaneo Generali, Luca Piſano, & Nicolao Piſauri, Reipublicæ
„ Venetæ in Caſtris Proveditoribus conſentientes, conventionibus Pacis
„ per capita digeſtis, ſubſcripſerunt, & quiſque pro ſuo principali jura-
„ mento firmavit. Pacem in Eccleſia qui ſumme exoptabat Sixtus IV. ſu-
„ premo angore preſſus, poſt dies quinque, ideſt die feſto ſanctæ Claræ,
„ duodecima Auguſti, ad æternæ Pacis Regnum evolavit, præfata pace,
„ ut ignominioſa, improbata. Qui plura cupit, legat Annales, in quibus
„ etiam geſta Sixti potiora offendet: poſt cujus mortem ſexdecim conti-
„ nuos dies cum Apoſtolica Sedes vacaſſet, Joannes Baptiſta *Cibo* Genuen-
„ ſis, IV. Kalend. Septembris ſummus Pontifex enunciatus, aſſumpto no-
„ mine Innocentii VIII. pridie Idus ejuſdem menſis in Vaticano coronatus
„ fuit: quo die ad Infulas Clochorenſes frater Edemundus evectus eſt:
„ *Decens reputamus &c.* cum Nonis ejuſdem menſis beneficium fratri Al-
„ varo Ferdinandi collatum fuiſſet: *Religionis zelus &c.* ſicut Ibibus ejuſ-
„ dem fratri Bartholomæo *Artes* aliud conceſſum eſt: *Rationi congruit &c.*
„ Pridie Nonas Novembris confirmata Abbatiſſa ſanctæ Claræ Dertuſen.
„ *Sollicitæ conſiderationis &c.* & facta auctoritate conſtruendi Monaſte-
„ rium Clariſſarum in territorio Metenſi: *Inter univerſa &c.* X. Kalend.
„ Decembris; frater Donaldus ut acciperet munus conſecrationis, dimiſ-
„ ſus eſt: *Cum nos nuper &c.* Hominem religione aliiſque monaſticis vir-
tuti-

Innocent. VIII. dat litteras. Frater Edmundus Epiſcop.

Leonardus a Potentia celebris.

tutibus commendabilem, venerabilem Patrem fratrem Leonardum a Potentia, urbe Lucaniæ intra Montes Apenninos, commemorat Cimarella, quem ait eximia paupertate præditum, mira ciborum parſimonia admirabilem extitiſſe, a qua aſſiduitatem in oratione didicerat, perceperatque exquiſitum Monaſtici regiminis modum: unde merito Vir magni conſilli & prudentiæ communiter haberetur, quamobrem ſæpios Definitor electus, munus cum multa laude, ſubditorumque utilitate exercuit. In Etruria Pratenſem fundavit Conventum, ac tandem ab omnibus reveritus, Florentiæ hoc anno MCCCCLXXXIV. obiit in Conventu ſancti Salvatoris honorifice tumulatus. Pater frater Petrus *Chriſtmani*, olim Guardianus in Argentinenſi provincia, ſolemnis Eccleſiaſtes, plurium tractatuum & ſermonum Compilator, & in hoc maxime commendatus a Nicolao *Glabſperger* in ſuis Chronicis manuſcriptis ejuſdem Provinciæ Argentinenſis, obiit etiam hoc anno. Similiter Chriſtophorus Badellus de Caſtro Novo, qui poſt obitum Provinciæ Orientalis, & Januenſis munus, dum ſub Alexandro VI. & Innocentio VIII. Pontificibus hæreſeos Hydra virus evomeret, ipſe eruditiſſimorum Scriptorum acinace, pullulantia belluæ capita diſſecabat. *

Frater Petrus Chriſtmani.

** Cum utriuſque Obſervantum familiæ Comitia Generalia ſub hunc annum, Beatæ autem Euſtochii Clariſſæ vitam & acta exactiſſime referat P. Waddingus proprio loco, ſub annum ſcilicet 1491. hinc utramque expungimus Patris Meliſſani narrationem.*

II. Hic abſre non erit Monaſterii Immaculatæ Conceptionis Clariſſarum Pacis Juliæ, ſeu Bejæ, ut Luſitani vocant, ſi initia paucis ante annis dedimus, ejus incrementa narrare. Beatrix cum Ferdinando Portugalliæ Rege, ſuo viro, cui Emanuelem pepererat, ut omnia Regio more circa illius Monaſterii constructionem fierent, ne quid in poſterum deſideraretur, Sixto IV. datis ſupplicibus litteris, reſcriptum obtinuit: *Ex injuncto &c.* IV. Idus Septembris anno MCCCCLXXXIII. cujus virtute præfatis Sanctimonialium ædibus Parochialis Eccleſia, *de Bellas* nuncupata cum ſuis reditibus adnexa fuit, reſervata nihilominus pro uno Vicario perpetuo portione, qui tamen poſt Beatricis obitum, ad Abbatiſſæ præſentationem ab Ordinario inſtituendus eſſet, ut Epitomator advertit: ac pariter Beatrici indultum fuit, ut prope Monaſterium pro Religioſorum in miniſterium deputandorum incolatu, ædiculam conſtruere poſſet: quæ quidem piiſſima Regina ex totis viſceribus operi incumbens, prope quidem, ſed ſejunctim, & ad alteram viæ partem, hoc tempore Oratorium cum ſua Eccleſia, periſtilyo, officinis neceſſaris & horto ſufficiente, ſub titulo ſancti Antonii conſtrui fecit; eo in loco quinque Religioſi, quorum unus Vicarius ex Algarbis Provinciæ Primoribus ſelectus, voce activa & paſſiva præditus, ad ferenda ſuffragia in Comitiis Provincialibus adſciſcitur; Confeſſarii nihilominus onera non ſubeſt, ſed ceterorum quatuor aliquis, qui Coadjutoris titulo honoratur, reliqui vero Capellani dicuntur. Ad ultimam igitur perfectionem conſummatum Monaſterium, ſub tantorum Principum patronatu, a Sororibus ſecundæ Regulæ ſanctæ Claræ, ſub regimine Patrum Regularis Obſervantiæ Minorum inhabitatum, ſplendida virtutum odoramenta effundens, omneſque oblectans, Virgines ſalutis magis animæ zelantes, quam mundi illecebras venantes potenter alliciebat: factumque inde earum plures primarum Inſtitutricum Monaſticam vitam exacte ſequutas, lumina ſplendoribus honoris & honeſtatis ſuæ vitæ ſanctimonia addidiſſe; Princeps Ferdinandus & Beatrix Reges, ad hæc incrementa ſpiritualia plurimum exhilarati, fatebantur ex corde ſe Paradiſum Domino conſtruxiſſe, qui eum perabunde ſua gratia irrigabat: Quamobrem quia in eo corde vivebant, in eodem pariter ſuis corporibus poſt mortem quietis locum eligentes, Sacel-

Ad annum 1467. Indic. ex Vatic.

Harold. ad hunc an. 1384. n. 37.

Ferdinandus ſepelitur in Monaſterio Pacis Juliæ.

li

„ li majoris ſibi jura ſervarunt: Et quidem vita functus Ferdinandus, ibi „ tumulari mandavit, cujus pietatem ſequuti ejus nati idipſum voluere. „ Beatrix vero illibatæ caſtimoniæ peramans, in quodam peculiari ſacello, „ in periſtilyo Monaſterii conſtructo, quaſi eterno convictura Virginibus, „ defuncta locum accepit; Emanuel autem præfatorum filius, Regni & pietatis hæres, Regii juris Monaſterium voluit, ſicuti etiam ſubinde ſucceſſores, qui variis & proficuis plurimum privilegiis illud exornarunt, „ ut ex illius Archivo demonſtrari poteſt; nihilominus diſplicet, edacitatem temporis primarum Virginum, nedum magnifica virtutum exempla, „ ſed etiam nomina, turpi oblivioni dediſſe; nonnullarum tamen, quæ „ primis ſucceſſerunt æmulatrices, hic commemorabimus.

„ III. Occurrunt primæ Agnes & Leonora, quæ idem ſtadium Monaſticæ diſciplinæ viriliter currentes, pari curſu & æquali virtute viſæ ſunt „ bravium perfectionis attigiſſe: ambæ ſuæ Profeſſionis memores, non „ mundi jam ſpreti varios rumores, non murmur carnis, ſenſuum ſtrepitus, „ ſed ſui Paſtoris amantiſſimi vocem audientes, eum per vias ſenticoſas & „ difficiles humilitatis, patientiæ & mortificationis ſtrenue ſequebantur, „ ac tanto caritatis ardore in eum ferebantur, ut, licet corporea moles „ prohiberet amplexus, eum nihilominus corde & animo tenere viſæ fuerint: Et non tantum fervor ille optimus, quem in operibus religioſis & „ officiis Chori, ſervitiiſque domeſticis ſpirabant, id perſuadebat videntium Conſororum oculis, at etiam ipſæ extaſes & ipſi raptus in Deum „ idipſum convincebant: hinc miris apparitionibus confortatæ, etiam rerum cœleſtium viſionibus, necnon Arcanorum Divinorum revelationibus, a ſuarum animarum ſponſo revelabantur. Mira erat earum ſocietas, „ ſimul in Choro vel pſallebant vel orabant, colloquentes invicem de rebus Divinis diſſerebant: In virtutum exercitiis indiviſæ, omnibus perfectionis exempla in ſemetipſis præbebant: Tandem ſenio confectæ, ad „ Angelorum conſortia migrarunt incerto tempore. Præfatas etiam imitatæ ſunt Catarina de Spiritu ſancto, Violanta de ſancto Franciſco, & „ Joanna etiam de Spiritu ſancto, cum Maria *de Atayde*, Comitum „ *de Vadigueyra* nata, quæ ſpreta mundi pompa, cum ſociis poſt Chriſtum exonerata cucurrit. Catarina quoque Aragonia, atque Gratia de „ Jeſu in eodem Monaſterio Regularem diſciplinam exacte colentes, ſuis „ temporibus columina domus viſæ ſunt: ſuo ſiquidem exemplo Conſorores fulcitæ, rectum callem perfectionis, licet anguſtum, ſalebroſum & „ dumetis refertum, cum eis tenere prudenter ſatagebant, ut ad Montem, „ qui Chriſtus eſt, in gloria Dei Patris pervenire mererentur.

Plures Moniales florent. *Monum. MSS. Prov. Algarbi.*

ARGUMENTUM.

Celebrantur Comitia Generalia Conventualium. Cardinalis Arcimboldus narrat ſe vidiſſe corpus ſancti Franciſci. Non vult Pontifex, ut ſuffragetur Obſervantibus bulla Cruciatæ, prohibetque eorum tranſitum ad Conventuales. Erigitur provincia Canarienſis. Moritur Joannes a Santorcaſio, & Michael a Carcano. Bernardinus Feltrenſis multis in locis mire fructificat. Inſtituuntur Epiſcopi. Propagatur Inſtitutum.

I. HOc anno Franciſcus Samſon Miniſter Generalis celebravit Comitia Ordinis in Cœnobio Caſalis Montis-Ferrati. Quid in iis actum ſit, non eſt qui referat. Reverſo ex Comitiis Miniſtro Generali, & Joannem

Capitulum Generale ad Montem-Ferratum 98. *Rodul. fol. 244.*

Card. Arcimboldus vidit corpus S. Francisci. *Anni 1476. n. 4. Ex reg. Ord.* Qua côditione sî conceditur Confeſſarius Minorita?

nem Arcimboldum Cardinalem, tituli ſanctæ Praxedis, Archiepiſcnpum Mediolanenſem, ad Vicum Laviniæ æſtivantem inviſenti, retulit devote, pioque cordis affectu Cardinalis, qualiter ipſe viderit & contrectaverit corpus ſancti Franciſci in comitatu Sixti IV. uti nos ſuo loco narravimus. Huic petenti fratrem Antonium Florentinum Regularis Obſervantiæ, ut ſecum domui reſideret confeſſionibus excipiendis, aſſentire noluit Angelus Vicarius, eaque tamdem lege permiſit, Cardinalis confeſſiones exciperet, dummodo ſub omnimoda ſuperiorum obedientia ad Aram-cœli, ſive Conventum ſancti Franciſci Tranſtyberini moraretur.

An liceat Regularibus uti Bulla Cruciatæ.

II. Ad debellandos Mauros in Hiſpania multa conceſſa erant privilegia & facultates ſubſidium in belli ſumptus conferentibus, eaque una erat, ut poſſent ſemel in vita, & alias in mortis articulo plenarie, & a caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ abſolvi a quocumque Confeſſario, ad arbitrium eligendo. Incommoda & relaxationes conſcientiarum ex hac conceſſione provenientes, cito experti ſunt in Regularibus Inſtitutis Ordinum Superiores, utentibus etiam Religioſis hac bulla, nuncupata *Cruciatæ*, ad hunc confeſſionis effectum. Rogavit itaque Vicarius Generalis Ultramontanus Pontificem ut declararet, iſtud Regularibus, ſaltem ſibi ſubjectis, non licere. Fecit Pontifex, dato ſequenti diplomate; circa cujus, aliorumque a diverſis Pontificibus emanatorum intelligentiam & obſervantiam diverſimode ſenſerunt auctores, quorum rationes & ſententias refert exacte, remque omnem docte expendit Ludovicus a Cruce, vir vere in Theologia morali non vulgariter eruditus, olim Præfectus Pœnitentiariæ Lateranenſis, in opere poſthumo explicationis bullæ Cruciatæ, quod ego Lugduni excudi curavi.

Vide Ludov. a Cruce in bulla Cruc. diſp. 1. c. 1. dub. 10.

Dilecto filio Vicario Generali Ultramontano Fratrum Regularis Obſervantiæ.

Firm. trium Ordinum par. 1. tractat. 2. fol. 141.

III. *Curaſti nobis exponi, quemadmodum nonnulli Fratres Ordinis tui ſub cura & regimine tuo degentes, vigore Cruciatæ in Hiſpania ab Apoſtolica Sede conceſſæ, procurant obtinere indulgentiam, per quam ſemel in vita, in mortis articulo plenarie & a caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ poſſunt abſolvi, ad nutum eligendo Confeſſores, & de non reſervatis, toties quoties opus fuerit, ex quo multi reddi timentur procliviores ad peccata, & tranſgreſſionem Regulæ & profeſſionis ſuæ: Super quo nobis ut opportune providere dignaremur, humiliter ſupplicari feciſti. Nos providere volentes, ne Fratres ipſi ſub hoc prætextu ad illicita prolabantur, & Regularis diſciplinæ inde ſequatur diſſolutio: hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium tibi committimus, ut declares noſtro nomine, prout nos per præſentes declaramus, Fratres prædictos tuæ curæ ſubjectos non poſſe nec debere vigore dictæ indulgentiæ eligere confeſſores, niſi de conſenſu & beneplacito ſuorum Prælatorum, Vicariorum videlicet ſive Provincialium ſive Generalium, & quæcumque alia abſolutio, quoad dictos Fratres, irrita ſit & inanis. Et quia difficile foret hujuſmodi Breve ad omnes Provincias ſive loca neceſſaria deferre, tenore præſentium mandamus & decernimus, quod tranſumpto ipſius, manu alicujus Notarii ſcripto, cum ſigillo tuo, ſive tui Commiſſarii in Romana Curia reſidentis, eadem fides adhibeatur, quæ abhiberetur eidem Brevi, ſi originaliter præſentaretur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris,* VII. *die Novembris anno Domini* MCCCCLXXXV. *Pontificatus noſtri anno* II.

IV. Quia

Prohibetur tranſitus aut regreſſus ad Conventuales.

IV. Quia vero multi ex Obſervantibus, quos ſtrictioris vitæ, & gravioris pœnitentiæ tædebat, ad Conventuales tranſibant vel redibant, non obſtantibus prohibitionibus Pauli II. & Sixti IV. Innocentius ejuſdem Vicari Generalis Ultramontani permotus precibus, Sixti litteras de hac re editas confirmavit.

Dilecta filio Vicario Generali Ultramontano Fratrum Regularis Obſervantiæ.

Ibid. fol. 125.

Vide ann. 1479. n. 5.

D*Udum felicis recordationis Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter quaſdam litteras in forma Brevis pro conſervatione concordiæ inter Fratres de Obſervantia & Conventuales nuncupatos, edidit, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis.* Dilecto filio Vicario Generali omnium Fratrum Minorum de Obſervantia Ultramontanorum. Dilecte fili &c. Feciſti nobis humiliter ſupplicari &c. *Cum autem pro faciliori manutentione hujuſmodi concordiæ nobis ſupplicare feceris, ut præfatas litteras confirmare dignaremur; Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac mutuæ inter Religioſos omnes caritati conſulere cupientes, qua ſemotis diſcordiis virtutum Domino quietius famulari poſſint, illas Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XII. *Octobris* MCCCCLXXXV. *Pontificatus noſtri anno* II.

Erectio provinciæ Canariæ. *Lib. 19. fol. 307.*

V. Sub hoc tempus cœpit nomen habere Provinciæ, illa quæ dicitur *Canariæ*. Invenio enim hoc anno acriter litigaſſe circa modum regiminis Alphonſum de Badillo, qui ſub obedientia Miniſtri Generalis, & Miniſtri Provinciæ Caſtellæ domos Canarienſes, & unam Hiſpalenſem huic miſſioni deputatam regere, & Petrum de Corduba, qui virtute litterarum Apoſtolicarum ſe inſtitutum Miniſtrum provinciæ Canariæ ſub obedientia Vicarii Generalis Ultramontani Obſervantum, contendebant. Controverſiæ diſcuſſionem primo commiſit Pontifex Friderico Mindonien. Roderico Malagenen. & Joanni Rubicen. tunc Hiſpali commorantibus, & demum Archidiacono de Caſtro & Cantori Eccleſiæ Cordubenſis.

Moritur Joannes a Santorcaſio. *Marc. lib. 5. c. 2. & lib. 6. c. 41. Tom. 11. anno 1441. n. 28. Gonz. in Provin. Canar. Conv. 1.*

VI. Inter has inſulas Fortunatas ſeu Canarienſes inſignis eſt illa, quæ *fortis venturæ* appellatur, & prima cultum Chriſtianum admiſit. In ea ſepulturam accepit, hoc ipſo anno defunctus, Joannes a Santorcaſio vir pius & prudens, qui Chriſti fidem indefeſſo labore ardentique zelo illic diſſeminavit. Illuc trajecit ex religioſiſſimo Conventu ſancti Franciſci de Monte in Bethica, a Cordubenſi Civitate quinque leucis diſtante, ſociumque duxit, uti alias diximus, ſanctum Didacum Complutenſem. De eo ita ſcribit Gonzaga in recenſu Conventus inſulæ ſortis Venturæ, Canarienſium primi: *Eſt etiam Canarienſibus commendatiſſimus, Venerabiles ob cineres beati Patris Joannis Torcaſii, qui ad principis hujus Conventus ſacelli dexteram lignea arca reconduntur. Fuit ſiquidem beatus iſte Pater indefeſſus Divini verbi præco, ſui ſtatus ſupra modum obſervantiſſimus, atque eximius Evangelicæ paupertatis cultor; quamobrem innumeris a Deo optimo maximo miraculis decorari meruit. Nam & epilepticis & febricitantibus opportune adeſt, & alios diverſis infirmitatibus laborantes ex mortis faucibus eripuit.* Ejus virtus & miracula. *Præterea cum ex eminentiori cujuſdam montis parte in profundiſſimum fluvium forte fortuna lapſus, per tres integras horas ſub aquis detuliſſet, illæſus omnino, genuflexus atque orationi intendens, a ſe quærentibus inventus fuit. Ejus cor inter ſacra illius celebris Monaſterii, quod Philippus II. Hiſpaniarum*

Rex Patribus Hieronymitis, ſub invocatione beati Laurentii ad vigeſimum lapidem ab oppido Madrito ædificandum curavit, religioſiſſime aſſervatur. Corpus honorificentiſſime conditum, poſt aliquot annos ad novum ſepulcrum tranſlatum, ſuaviſſimum exhalavit odorem. Caput ſub Altari majori conſpicitur; aliæ reliquiæ aliis in locis in veneratione habentur.

Obit Michael a Carcano.

VII. Vel iſto vel præcedenti anno ex humanis abiiſſe Michaelem a Carcano Provinciæ Mediolanenſis inſignem concionatorem, inde conjicio, quod in regeſto Ordinis reperiam, eum prædicaſſe in urbe Parmenſi anno MCCCCLXXXIII. neque occurrat amplius ullum ſuæ vitæ ſive factorum veſtigium. Non itaque aſſentior iis, qui ante annum MCCCCLXXX. neque qui poſt MD. obiiſſe, leviter affirmant. Marcus Ulyſſipponenſis illum reponit inter eos, quos ſub initium ſeculi quinti decimi recenſet. In urbe Comenſi, Guardiano fratre Silveſtro, habitum ſuſcepit Minorum tempore ſancti Bernardini, a quo & Alberto Sartianenſi reprehenſus, quod leviuſcule & minus religioſe quam deceret, converſaretur, liberiori relicto vivendi genere, ſtrictiorem ſibi propoſuit normam deinceps conſtantiſſime obſervandam. Eam litteris dedit operam, ut præcipuas, quæ virum religioſum decent, ſcientias perfecte ſit aſſecutus. Ingenio ſubtilis, pietate inſignis, concione celeberrimus, in præcipuis Italiæ urbibus fructuoſe prædicavit. Mira dicendi efficacia, auditorum, quocumque vellet, animos flectebat; eaque frequentia concurrebant undique populi, ut in plateis & campis oportuerit ſæpiſſime prædicare. Abſque fuco & timore veritatem pandebat, unde & moleſtas paſſus eſt perſecutiones, atque ab univerſo ſtatu Mediolanenſi exilium, de quo reducendo, & Duci Mediolanenſi reconciliando impenſe egit Vicarius Generalis, Angelus a Clavaſio. Candidæ ſive Blancæ Mariæ Sfortiæ Duciſſæ a ſacris Confeſſionibus fuiſſe diximus alias, cui etiam morienti Sacramentum dedit extremæ Unctionis. Mediolanenſibus auctor fuit, cooperante Bernardino Feltrenſi, ut ampliſſimum & commendatiſſimum Xenodochium conſtruerent, atque aliud Comi, nuncupatum *hoſpitale majus ſanctæ Annæ*, ſub Branda Caſtilione Cardinale urbis Epiſcopo, curavit ædificari. Montem Pietatis multis in locis erexit. Comi mortuus, multa reliquit ſuæ pietatis argumenta & ingenii monumenta. Perperam dixit Marcus Ulyſſiponen. Mediolani in Conventu ſancti Angeli ſepultum, alii apud Laudenſes: verum eſt apud hos caput illius aſſervari.

Marc. l. 2. c. 35. Bellarin. in hiſtor. Comen. par. 3.
Qualis fuerit?
To. 11. an. 1440. n. 31.

Legenda MSS. Cimarell. lib. 6. c. 17.

VIII. Bernardinus Feltrenſis hoc anno vocatus Peruſiam, ut in Eccleſia Cathedrali prædicaret, poſt emenſum longum per Apenninum iter hyemali tempore, invenit ſtudia in contraria abiiſſe cives, præcipuis obſiſtentibus, ne ille aut quiſquam Obſervantum in ſuo prædicarent templo, inde irritati, quod Fratres nullis poterant flecti precibus, ut curam reſumerent Sororum Tertii Ordinis, quam juſtis diximus de cauſis ablegaſſe, & propterea Peruſinos advocaſſe Amadeitas retundendæ Obſervantum ſententiæ. Nihil inde commotus Bernardinus, ſuos conſolabatur conſolatores dicens, ſe paratiſſimum per quoſcumque vicos & oppidula prædicare, vel domi cum ſuis Conſodalibus hærere, panem oſtiatim mendicare, munia quæque domus obire. Humilitatem & patientiam præ reliquis admirati Baldus Novellus, & Petrus de Ubaldis, potiſſimi tunc Academiæ Peruſinæ Magiſtri, cum Primoribus agebant, ut hominem pene Divinum, præconem doctiſſimum honorificentius haberent. Præfectus Servitarum magna pollens auctoritate, contradictoribus in Senatu dixit: *Cavete ne opus Dei evacuetis, & ſervum ejus repellatis: inde ego conjicio magnum ex ejus concionibus fructum oriturum, quod tam vehementer diabolus obſiſtat.* Cum vero

An. 1482. n. 72. An. 1483. n. 41.

Bernardin. Feltren vocatus Peruſium prædicat in templo Servitarum.

Digitized by Google

ro poſt dies octo nihil proficeret, ſuum ei templum commendavit. Quanto fructu?

IX. A Dominica Sexageſimæ inchoatus Bernardinus ſermones, civium attraxit omnem multitudinem, viſumque eſt aperte non ſefeliſſe ſpem Magiſtrum Servitarum. Inveteratas enim inimicitias Odeſcorum, & Balliorum, nobilium familiarum extinxit; a Confeſſionis Sacramento abhorrentes, & per triennium inconfeſſos, ad ſacrum hoc propitiatorium reduxit; indecoros & parum modeſtos fœminarum habitus mutavit; & quæ ſpatulas, mammillaſque in conſpectu habebant, ad collum uſque fecit operiri, veſtiſque genus iſtud Senatus conſulto ſtabiliri, præcepitque Epiſcopus nullam priori forma incedentem abſolvi. Montem Pietatis commendavit & auxit, aliaque id generis præſtitit, quæ prius adverſantes ad ſui errati pœnitentiam, & dignam viri reverentiam compulerunt. Completa concionum functione, rogatus per Nuncium & litteras Florentinorum, ut apud ſe proxime futura prædicaret quadrageſima, reſpondit, ſe ſui juris non eſſe, eoque iturum quo ſuperiorum dirigeret præceptum. Ea receſſit urbe ultimo Paſchatis die feſtivo Eremita Auguſtinianus, qui in Eccleſia Cathedrali prædicaverat: ſtatim rogatus Bernardinus ut populum in illa æde doceret, non potuit, irruente, pluſquam capi poterat, in templum, alias capaciſſimum, populorum multitudine. Oportuit itaque in aperto atrio dicere, præparatis ſub Veſperam diei præcedentis ſubſelliis, diſtributiſque locis virorum & mulierum.

Urbini prædicat contra Aſtrologos.

X. Mantuam, invitis Peruſinis, reverſurus, per Urbinum ibat, ubi per dies decem prædicavit, vehementer invectus in Aſtrologos, quorum illic ſtudium frequens & continuum. A Duce Urbinate Guidone Ubaldo vocatum Forum Sempronii, etſi nocte intempeſta, per poſticum dilapſus ſit, ingens virorum ac mulierum turba ſecuta eſt; nec repelli potuit, donec ad ædiculam ab urbe remotam perventum eſt, ubi re ſacra peracta, cunctis benedixit. Fori Sempronii diebus commoratus quinque, totidem habuit ſermones, a Duce honorificentiſſime habitus, qui antequam Urbino diſceſſerat, egregie inſtructam Bibliothecam, memorabile Ducis Friderici Montisfeltrii opus, regiumque palatium ei curavit oſtendi, ubi effigiem Victorini Ramboldi Feltrenſis, ſui conterranei, olim Friderici Præceptoris gaudens conſpexit. Auditores ſemper habuit Ducem, & Epiſcopum Joannem Urbinatem, interfueruntque doctæ diputationi habitæ cum Magiſtro Paulo TheutonicoAſtrologo, qui temerarie nimis audebat futuros, a libero arbitrio pendentes ſucceſſus prædicere, & voluntatis humanæ libertatem attenuare.

Peruſiã regreſſus ſermones proſequitur.

XI. Peruſini, quem apud ſe precibus retinere non poterant, ut rediret coegerunt Pontificio præcepto. Miſſo enim viro primario, obtinuerunt ab Innocentio litteras præceptorias ad Bernardinum. His obtemperans rediit, prædicavitque in publico foro ſingulis diebus a Dominica ante Aſcenſionem uſque ad menſem Auguſti. Condemnavit quoſdam ludos inhoneſtos, & publica ſpectacula, ad quæ nemo deinceps auſus eſt accedere. Tempore quodam feſtivo acceſſerunt duo adoleſcentes nobiles ex Balliorum illuſtri familia impetraturi licentiam hos ludos exercendi: reſpondit diſcretis his verbis Bernardinus: *Quis ſum ego tantillus & miſellus fraterculus, a quo vos licentiam expetatis? Et quidem aliunde mecum cogito, quis ille tam magnus eſſe poſſit, qui poteſtatem faciat in Deum peccandi. Cavete ne hoc veſtrum tripudiandi ſtudium ante annum unum tranſeat in fabellam?* Illorum junior Balduinus, contempto Dei Miniſtro, dixit: *quid nobis cum fraterculo iſto?* duxitque puellas ad choreas & ludos, paucis tamen inſpectantibus propter viri reverentiam. Ubi cœperunt, intonuit de cœlo Do-

Spectacula tollit inhoneſta.

mi-

Digitized by Google

minus, fulgurque magnam dejecit partem turris campanariæ. Guido Ballionus fratrum alter, natu major, Deum veritus iracundum, diſſolvi juſſit choreas, & ludos dimitti. Ante annum expletum adoleſcentior Neapoli miſere trucidatus eſt, & tripudium hoc juxta Viri Dei vaticinium, revocatum ad memoriam tranſiit in miſeram fabellam. In alia invectus peccata, quæ illa præſertim urbe graſſabantur, niſi corrigerentur, comminatus eſt peſtis ſupplicium. In vitiis hærentes Deus eo flagello graviter corripuit; ſic malo meliores effecti, vatem majori habuerunt reverentia.

XII. Ultima concione ſub finem Julii ad lucrandam magnam illam Portiunculæ apud Aſſiſium indulgentiam omnes invitavit, eoque ipſe præceſſit, quo univerſa ferme Civitas eſt ſecuta. Aſſiſii diebus duodeviginti permanſit, nullo die ſine fructu ardentis eloquii. Senatum reprehendit, quod Hebræum publico aluerit ſtipendio pecuniis ſub gravi uſura commodandis. Hinc poſita cum eo ratione, inventum eſt, exigua data pecunia, multam corraſiſſe, & Chriſtianorum ſubſtantiam devoraſſe. Ejecto itaque diſpendioſo uſurario, ſtabilitus eſt novis & firmioribus legibus Mons Pietatis, introductis in conſilium Fratribus Obſervantibus, & impetrata ab Innocentio decretorum confirmatione. Agente apud Pontificem Joanne Jacobo Sclafenato Cardinale tituli ſancti Stephani in Cœlio Monte, cive & Epiſcopo Parmenſe, juſſus eſt Parmæ per Adventum prædicare; quo dum ille proficiſceretur, ubique per Villas & Oppida Divini verbi ſemen ſeminabat. Hiſpelli rogatus a Guidone Balliono oppidi Domino, & Ballionæ factionis Ductore, qui ſuggeſtum propriis manibus præparavit, in foro prædicavit; aſpereque increpavit inveterata odia, quotidianas cædes, perpetuas inſidias utriuſque factionis, atque inhoſpitæ gentis duritiam, quæ ante triduum duos peregrinos infirmos nullo tecto recepit, nullo cibo refocillavit. Ad Burgum ſancti Sepulcri duos; Forolivii quinque; Bononiæ in Eccleſia ſancti Petronii octo; Mutinæ quinque habuit ſermones. Ubi Parmam ineunte Octobre acceſſit, primamque dixit concionem, a Mantuanis monitus valide concuti Montem Pietatis, ab illo uti diximus erectum, eoſque qui erigendo reſtiterunt, dejiciendo totos inniti, illuc propere perrexit contra adverſantium opinionem, qui jam ſparſerant, venire non auſurum ad defendendum uſurariam hanc adinventionem: voce, ſcriptis, & concionibus Montem tutatus eſt; & Magiſtratus adverſantibus rigide ſilentium indixit, uti ſub eodem tempore Dux Genuen. Fregoſus impugnantibus Montes Genuenſem & Savonenſem, ab Angelo Clavaſio, qui docte de hac re quoſdam ſcripſit tractatus & conſilia, erectos.

XIII. Parmam reverſus, ante Dominicam ultimam poſt Pentecoſten in templo cathedrali cœpit prædicare non expectato Adventu, neque frequenti accedente populo. Ubi vero divulgari cœpit hominis virtus & dicendi energia, tam avide currebant, ut templo capi non poſſent; adeoque ejus ſalutaribus doctrinis & ignitis eloquiis commoti ſunt, ut frequentius ad Sacramenta acceſſerint, liberalius eleemoſynas in pauperes erogarint, facilius aliena reſtituerint, fuerintque plures, qui ſubſtantiam omnem vendiderint ut damna illata refarcirent. Monaſteria ſancti Alexandri * ſancti Quintini & ſanctæ Catarinæ ſanctimonialium laxius viventium reformavit, omnemque populum ad meliorem frugem reduxit; qua de cauſa Dux Mediolanenſis, cui tunc Parma parebat, honorifico eum decoravit diplomate, ſuum, ſuæque ditionis amicum appellans, liberumque per univerſum dominium tranſitum concedens. Acceperat autem Bernardinus ſub anni finem Breve Pontificium, quo jubebatur per anni ſequentis quadrageſimam

Bo-

Aſſiſii erigit Mõtem Pietatis.

Hiſpelli prædicat.

Mantuæ defendit Montem Pietatis.

Parmæ multum fert fructum.

* al. Alexii.

Bononiæ prædicare, quod ubi Parmenſes reſcierunt, ad Ducem ſcripſerunt, ut curaret, apud ſe maneret eo tempore prædicaturus. Scripſit ille ſe ita apud Pontificem acturum, & ne interim Bernardinum abire permitterent, admonuit, atque ad ipſum Bernardinum has litteras exaravit.

Bononiæ juſſus prædicare obſequitur.

Venerabili in Chriſto fratri Bernardino Feltrenſi Ordinis Minorum de Obſervantia, nobis dilecto.

VEnerabilis in Chriſto, nobis dilecte. Facit Paternitas veſtra quod ſancti viri ſolent, quando verbum Dei ſeminant, exemplo proficiunt & opere. Perſpeximus id modo in populo noſtro Parmenſi, qui ad evangelizationes veſtras confluens, omnia, quæ ad animorum quietem, mutuamque caritatem pertinent, ſummo ſtudio recognoſcit, & libenter ſectatur. Ea de re nos in primis plurimum debemus Deo & Paternitati veſtræ, cujus labore efficitur, ut populum iſtum noſtrum bene ſe habentem perſpiciamus. Quare magno accenſi deſiderio, ne tantum opus interrumpatur, quod aliis litteris fecimus, rurſus hortamur Paternitatem veſtram ne cogitationem aliquam abeundi cogitet, etiam Apoſtolicis monitis compulſa, ſed omnino Parmæ in proximam Quadrageſimam ſubſiſtat, & prædicationibus ſuis iſtos fideliſſimos cives noſtros in viis rectis retineat, aberranteſque revocet ad ſalutiferam diſciplinam. Nos enim Romam litteras dedimus ut impetremus a ſummo Pontifice revocationem juſſionis ſuæ, neque dubitamus fore ut id aſſequamur, nihil prætermiſſuri quod ad hoc noſtrum pium frugiferumque deſiderium pertineat, etiam ſi oporteret manum in libros veſtros injicere, ne iſthinc diſcedatis. Mediolani, die X. *Januarii,* MCCCCLXXXVI.

XIV. Ducis excitus præcepto urbis Prætor, publico ſtatuit edicto ne diſcederet, juſſitque ut diſcedentem omnes Miniſtri retinerent. At ille ineunte anno ſequenti videns non revocari præceptum Apoſtolicum, impetrata licentia exeundi ad vicinum ſui Ordinis Cœnobiolum, illinc noctu receſſit, & per invia & alpeſtria nocturno præſertim tempore aberrans, tamdem pium illorum deluſit ſtudium, Pontificio mandato pariturus.

Mediolani Dux laborat ut Parmæ remaneat.

XV. Promoti ſunt hoc anno frater Donaldus Offaluyn Regularis Obſervantiæ ad Epiſcopatum Deren. in Hibernia, ſub Archiep. Armacano, per obitum Nicolai, XVII. Kalendas Junii. Frater Michael Lopre de la Sorva ad Giſarcen. in Sardinia, ſub Archiep. Turitano, per obitum Ludovici, eodem die. Frater Joannes de Beerſel ad Cyrenen. in partibus infidelium, ſub Patriarcha Alexandrino, V. Kalendas Junii. Frater Didacus ...... ſacræ Theologiæ Magiſter ad Callipolen. in partibus infidelium, ſub Archiep. Heracleæ, IV. Kalendas Julii. Erat Epiſcopus Cymbalien. hoc tempore, frater Alexander de Capha, qui poſt annos ſeptem duræ ſervitutis apud Turcas, a quibus captus fuit in direptione urbis Caphenſis, poſt vincula, verbera, cruciatus varios, & violentam omnium dentium excuſſionem, tamdem ineunte hoc anno liberatus eſt. Hoc ipſo anno conſecravit Eccleſiam Minorum urbis Collis in Etruria, in cujus fronte ita legitur inciſum. *Reverendiſſ. in Chriſto Dominus Alexander Capha Ordinis Minorum & Epiſcopus Cymbalien. hoc templum conſecravit anno* MCCCCLXXXV. *die* II. *Julii. Prima die a primis Veſperis uſque ad ſecundas ſequentis diei omnibus illud viſitantibus* XL. *dierum indulgentias conceſſit.* Hoc anno inſinuat Rochus Pirrus in ſua notitia Panormitana, factum Archiepiſcopum illius Eccleſiæ Card. Petrum de Fuxo, quem cum iis, quos ſupra adnotavimus auctoribus, aſſerit Ordinis fuiſſe Minorum; ſed cum a Sixto IV. ei optionem fa-

Fr. Donald. Epiſcop. Deren.

Fr. Michael Giſarcen.

Fr. Joan. Cyrenen.

Fr. Didacus Callipolen.

Fr. Alexander Cymbalien.

Fr. Petrus Arch. Panormitan.

factam dicat, ut ſimul cum hoc Archiepiſcopatu retineret unam e duabus Eccleſiis Veneten. & Aduren. neceſſe eſt ut anno præcedenti, quo Sixtus mortuus eſt, vel alio anteriori ad hanc Eccleſiam fuerit promotus. Anno MCCCCLXXXIX. cum Joanne de Paternione Epiſcopo Melitenſi Eccleſiam hanc, nonnuliis adjectis conditionibus, commutaſſe, hic auctor affirmat.

Con. Synopolis. *Gonz. in Prov. 7. Mar. Conv. 3.*

XVI. Circa hunc annum fabricatum in Calabria & Provincia ſeptem Martyrum Conventum Sinopolis, ſub invocatione ſancti Franciſci, quædam mihi ſuppetunt ex regeſto Ordinis conjecturæ. Tempus, originem & auctorem latere dicit Gonzaga; ex quibuſdam tamen indiciis & ſeniorum traditione, ante centum annos a tempore, quo ipſe ſcribebat, oppidanorum & Comitis Sinopolitani ſumptibus indicat fuiſſe conſtructum. Aliquantulum ab oppido ſemotus, ſitu gaudet amœno, pulcherrimo proſpectu, & duplici cinctus rivulo, ampliſſimos habet hortos omnigeni fructus fœcundiſſimos. Snbfuit aliquot annis Patribus Conventualibus, a quibus opera Comitis Sinopolitani Fabritii Ruffi ad Obſervantes translatus eſt.

Conv. Peſrucii. *Idem in Prov. Corſicæ Conv. 18.*

XVII. Hoc anno III. Idus Aprilis in Corſicæ inſula & meditullio illius regionis, quæ vulgo Corſico *Orezza* nuncupatur, juxta oppidum Peſrucii, ſumptibus oppidanorum inchoatum eſt Cœnobium ſancti Franciſci, & infra paucos annos abſolutum. Ad commune Fratrum cœmeterium plures infirmos a ſuis languoribus curari aſſerit Gonzaga, unde conjici poteſt, ibi jacere viros aliquos pietate & ſanctimonia, etſi mundo ignotos, apud Deum tamen illuſtres.

Conv. Centum-Fontium. *Idem in Prov. Caſtellæ Con. 17. Salaz. de ead. Prov. lib. 4. Conv. 21.*

XVIII. Joannes a Silva Comes Centi-Fontanus hoc anno, computo ſeculari, ſed Eccleſiaſtico MCCCCLXXXIV. die II. Januarii, ab Innocentio impetravit facultatem ædificandi prope oppidum Centum-Fontium, vulgo Hiſpano *Cifuentes*, domum pro Fratribus Obſervantibus, ſub titulo S. Franciſci de Cruce, eamque jam habitabilem obtulit anno MCCCCLXXXVIII. die XXX. Aprilis Didaco a Balcazar, Joannis a Toloſa Provinciæ Caſtellæ Vicarii, in Cuſtodia Toletana Commiſſario. Deinde reliquis illius Cuſtodiæ domibus aggregatam, multis affecit muneribus, nihilque prætermiſit, quod vel Conventui exornando, vel Fratribus ſublevandis videbatur neceſſarium. Sacrarium optimis paramentis, pretioſaque ſuppellectile aurea & argentea, Bibliothecam, & chorum libris inſtruxit, & quoad vixit, largiſſimas eleemoſynas Fratribus erogavit. Franciſcus a Silva Patris pietatem æmulatus, quidquid ædificandæ aut inſtruendæ domui ſupererat, abunde perfecit. Dum in Urbe Oratorem ageret Caroli V. multas illac tranſmiſit Sanctorum Reliquias, & pretioſa paramenta. Plurimum etiam huic Conventui beneſecit Comitiſſa Candida de la Cerda, morienſque ei multa legavit. Domus eſt religioſiſſima, in eaque commode triginta Fratres commorantur.

Conv. Namurci. *Lib. 2. bullar. fol. 173.*

XIX. Maximilianus Archidux Auſtriæ, Margarita Duciſſa relicta quondam Caroli Ducis Burgundiæ, & Univerſitas hominum oppidi Namurcen. diœceſis Leodienſis, rogarunt Innocentium ut liceret in dicto oppido Cœnobium conſtruere Fratrum Obſervantum, illudque ſubjicere Vicario Generali Ultramontano, & Vicario Provinciæ Franciæ. Commiſit ille hoc anno VI. Kal. Maii facultatem Epiſcopo Leodienſi, & Abbatibus de Molinis, ac de Boveſſia, ut ſi ita expediret, conſtruendæ domus concederent licentiam. Illi re bene perpenſa, judicarunt magis expedire Obſervantes introducere in domum Conventualium, de quorum laxiori vita populus conquerebatur. Id præſtitit Silveſter Epiſcopus Cluſinus Nuncius Apoſtolicus, cum poteſtate Legati a latere, in eaque domo per annos quatuor

per-

Digitized by Google

permanſerunt Obſervantes. Cum vero ad judicium vocati a Conventualibus, litigare noluiſſent, domoque ceſſiſſent, Maximilianus jam factus Romanorum Imperator, & prædicta Margarita egerunt cum Pontifice, ut iterum domus traderetur Obſervantibus, anno MCCCCXCI. quam deinceps retinuerunt.

Lib. 110. fol. 35.

XX. Hoc anno XI. Kal. Julii conceſſa eſt facultas nobili viro Philippo Comiti de Waldeg conſtruendi Cœnobium Fratribus Obſervantibus in oppido ſuo de Corbeck, Paderbornen. diœceſis in Ducatu Brunſvicenſi, ſub obedientia & regimine Vicarii Provincialis Colonienſis. Diverſa eſt domus iſta ab illa Corbecenſi, de qua ſupra diſſeruimus. XI. Kal. Novembris, ſimilem conceſſit facultatem nobili viro Erico Comiti Holtratiæ, & in Scamberck, ut eiſdem domum ædificaret in oppido Grevenalveshagen. ſui dominii, ſubjiciendam Vicario Provinciæ Saxoniæ. Data eſt inſuper VII. Kal. Junii nobili viro Georgio Comiti Palatino Rheni, inferioris ſuperioriſque Bavariæ Duci, licentia fabricandi in loco decenti intra ſuum dominium, domum pro uſu Fratrum Obſervantum ſtrictioris Inſtituti, qui ſecundum primævam Ordinis inſtitutionem & Regulæ puritatem, ipſam cum teſtamento ſancti Franciſci ſine ullis gloſis, ſtatutis aut privilegiis obſervare tenerentur. Quid porro egerit, non refertur.

Conv. Corbechi. *Lib. 13. fol. 69.*
An. 1479. n. 28.
Conv. Grevenalveshagen. *Lib. 26. fol. 100.*
Conv. in Bavaria. *Lib. 6. fol. 238.*

XXI. Incolæ Inſulæ Guami, diœceſis Conſtantienſis, hoc anno XVI. Kal. Junii impetrarunt facultatem ædificandi Conventum Obſervantibus ſub regimine Vicarii Provinciæ, & Cuſtodiæ Normandiæ. Similiter impetrarunt XVIII. Kal. Maii homines Univerſitatis oppidi Rementz, Miſnen. diœceſis. Orta contentione inter Conventuales & Obſervantes circa Conventum Ulmen. & curam Monaſterii Clariſſarum in Sufflingen. Pontifex remiſit cauſam diſcutiendam Epiſcopo Baſileen. Abbati ſancti Galli, & Præpoſito Eccleſiæ ſancti Joannis, Conſtantienſis diœceſis. Fundatum hoc anno in Hibernia Conventum Inſulæ Sanctorum, monumenta inde tranſmiſſa referunt, neque amplius quidquam adjiciunt.

Conv. Guami. *Lib. 13. fol. 223.*
Conv. Rementzii. *Ibid. fol. 801.*
Conv. Ulmen. *Lib. 24. fol. 35.*
Conv. Inſulæ Sanctorum in Hibernia.

XXII. In oppido Saberniæ, diœceſis Argentinen. habitabant quidam Fratres dicti Stergenſes ſub Regula ſancti Auguſtini, qui per Sixtum IV. ad Inſtitutum Canonicorum Regularium ejuſdem ſancti Doctoris, & ad commodius habitaculum redacti ſunt. Petiit itaque Albertus Epiſcopus Argentinenſis, ut ſibi liceret locum a prædictis Fratribus relictum in domum Obſervantum convertere, eamque Vicario Provinciali Argentinenſi ſubjicere. Annuit Pontifex VIII. Kal. Novembris.

Conv. Saberniæ. *Lib. 23. fol. 291.*

XXIII. Nobili viro Georgio Comiti Palatino Rheni, utriuſque Bavariæ Duci, cui conceſſam diximus facultatem conſtruendi domum Fratrum, etiam alteram Sororum Clariſſarum juxta primæva Ordinis inſtituta ædificandi in ſuo dominio hoc anno VII. Kal. Junii Innocentius conceſſit poteſtatem.

Monaſt. in Bavaria. *Lib. 23. fol. 271.*

XXIV. Ad Viromandorum oppidum, nuncupatum Montis-Deſiderii, Ambianenſis diœceſis, Jacoba de Launoy, oppidorum Ployron & Rembeſcourt Domina, relicta Ludovici Dailli, ex bonis dotalibus conſtruxit domum Sororum Tertii Ordinis ſub titulo ſancti Ludovici. Major pars Sororum curandis infirmis intendit, qua de cauſa oppidanis ſunt gratiſſimæ.

Domus Montis-Deſiderii Sororum Tertii Ordinis. *Gonz. in Prov. Franc. Pariſ. Mon. 18.*

XXV. Caſſandra Vidua Aquilana, & hæres univerſalis quondam Joannis Petri Franciſci de Podio Picentiæ, ſui conjugis, teſtamento reliquit nonnullas domos in urbe Aquilana ſitas Sororibus domus ſanctæ Eliſabethæ Aquilanæ Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ut ex illis domus altera ejuſdem Inſtituti ſub nomine ſancti Hieronymi, pro uſu & habitatione Sororum ejuſ-

Domus S. Hieronymi Aquilæ. *Lib. 15. fol. 59.*

ejuſdem domus ſanctæ Eliſabethæ, adjunctis etiam bonis multis mobilibus & immobilibus, conſtrueretur. Sed cum Fratres Obſervantes Provinciæ ſancti Bernardini, qui curam gerebant Monaſterii Clariſſarum SS. Euchariſtiæ, de Pauperibus nuncupati, ægre ferrent alterius Monaſterii curam ſubire, perſuaſerunt Sororibus ſanctæ Eliſabethæ, quæ jam ad novam domum a ſe inchoatam tranſierant, in conſortium Clariſſarum abirent, earumque Inſtitutum profiterentur. Major pars Fratrum conſilio obſecuta, applicavit reparationi & neceſſitatibus Monaſterii SS. Euchariſtiæ bona domui ſancti Hieronymi relicta, reliquis pauculis ad propria remeantibus. Factum approbaverat Sixtus IV. ſed cum lites moverent prætendentes ſibi deberi hæreditatem ex clauſula teſtamenti, ob non completam teſtatricis voluntatem, Innocentius commiſit examen totius rei Vicario Epiſcopi Aquilani.

Monaſt. Eugubinum. *Lib. 20. fol. 318.*

XXVI. Conſtruxerant olim Eugubini in hoſpitali Pauperum Artis Lanæ Monaſterium Clariſſarum: conceſſit hoc anno XVI. Kal. Julii Pontifex, ut bona, quæ ad dictum hoſpitale ſpectabant, applicarentur Monti Pietatis ejuſdem urbis. Conceſſerat Sixtus IV. privilegium Fratribus Conventualibus ut bona, quæ ad Clariſſarum Monaſteria derelicta vel deſtructa ſpectabant, proximis Fratrum Cœnobiis adderentur. Monaſterium porro Leoneſſæ oppidi, diœceſis Spoletanæ, de quo alias diximus, brevi nimis tempore ad illum ſtatum redactum erat, ut una dumtaxat in eo Monialis habitaret. Hæc itaque ad aliud Monaſterium tranſlata, Miniſter Provinciæ ſancti Franciſci bona Monaſterii Cœnobiolo Minorum prædicti oppidi applicavit. Innocentius hoc anno XVIII. Kal. Julii factum probavit.

Monaſt. Leoneſſæ. *Lib. 2. fol. 271. To. 12. an. 1446. n. 25.*

Monaſt. de Cruce Venetiis. *An. 1481. n. 12.*

XXVII. Quæ de Monaſterio Clariſſarum ſancti Franciſci de Cruce Veneto ſupra diximus, hoc anno confirmata reperimus in diplomate Innocentii, quod ad majorem rei expreſſionem damus in regeſto: *Pium reputamus*. pridie Nonas Julii.

Monaſt. Ave Maria Pariſiis. *Gonz. in Prov. Franc. Pariſien. Mon. 2.*

XXVIII. Sanctus Ludovicus Galliarum Rex honeſtis fœminis, quas *Bighinas* vocant, in Parochia ſancti Pauli Pariſienſi Monaſterium ædificaverat, quæ ſub Ludovico XI. ad Inſtitutum Tertii Ordinis ſancti Franciſci tranſierunt, ſub regimine tamen Vicarii Provincialis Franciæ Fratrum Obſervantum. Facta autem Carolettæ Reginæ Franciæ, Ludovici conjugi poteſtate per Sixtum IV. ut Clariſſarum conſtrueret Monaſterium, Miniſtra & Sorores ſponte dixerunt, ſe ad ſanctæ Claræ Inſtitutum tranſituras, eaſque ſubituras leges, quas ſtatuere placeret, modo ſuum Monaſterium, *de Ave Maria* nuncupatum, reficere, & in ſuam tutelam & protectionem ſuſcipere dignaretur. Pepigit cum eis Regina, conventioneſque Carolus VIII. Carolettæ filius approbavit, & demum omnia hoc anno Innocentius confirmavit: *Ut inter æternæ beatitudinis.* III. Idus Januarii. Adjunxit poſtea Carolus Cœnobium Fratrum pro duodecim Sacerdotibus, tribus Converſis, & aliquot famulis pro Monialium & Eccleſiæ miniſterio. Omnia Caroli & Carolettæ acta rata habuit regio diplomate Henricus II. Eccleſiam conſecravit Dionyſius de Molendino Epiſcopus Pariſienſis, & Patriarcha Alexandrinus, die XVIII. Martii anno, quo obiit, MCCCCXLVII. non MCCCCLXXXI. ut habet Gonzaga, qui etiam Patriarcham dicit Antiochenum, & indulgentias dierum octuaginta in die dedicationis conceſſit. Locus eſt religioſiſſimus, & optime audit apud Pariſienſes.

Conv. Ave Maria ibidem.

Vide Epiſcopos Pariſienſes apud Claud. Robert. n. 97.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. UT Innocentius VIII. ad Pontificatum, Romæ Sixto IV. ita de- Innocentius dat literas.
„ functo Joanne Mocenigo Venetiis, ad ejus Reipublicæ Ducatum
„ aſcendit Marcus Barbarigus, primus qui publice ac ſolemniter in capite *Dogl. cit. fol. 467.*
„ ſcalæ Palatii a Seniore Conſulum Ducales Coronam, Veſtes, & Sceptrum
„ acceperit: at Innocentius ut Eccleſiæ jura vindicaret, in Ferdinandum
„ Neapolitanum dum movet arma, hic in eum Florentinos commovet.
„ Breve & dubium hoc bellum, Oratorum Hiſpaniæ interventu ſuppreſſum
„ fuit. Interea Pontifex fratri Dilolmo Bongio, Nonis Januarii conceſſo *Indic. ex Vatic.*
„ beneficio: *Religionis zelus &c.* & Kalendis Februarii altero etiam in-
„ dulto ſuo Sacellano fratri Bartholomæo: *Grata devotionis &c.* Fratrem
„ Martinum Presbyterum Eccleſiæ ſanctæ Claræ de Villa *Condè* pridie No-
„ nas ejuſdem præfecit: *Honeſtis fidelium &c.* deinde Nonis Martii, abſo-
„ lutus a cenſuris frater Balthaſſar, ad Abbatiam promovetur: *De ſtatu*
„ *perſonarum &c.* & beneficium obtinet frater Ferdinandus: *Summi diſpo-*
„ *ſitione &c.* IV. Nonas Aprilis: ac III. Idus ejuſdem Margaritæ Duciſſæ
„ Burgundiæ poſſe conſtruere Monaſterium datum eſt: *Inter univerſa &c.*
„ Et Monialibus Corporis Chriſti Neapolis nonnulla bona permutare: *Ex*
„ *injuncto &c.* XVI. Kal. Maii: X. vero Kalendas ejuſdem permiſſa fuit
„ conſtructio Cœnobii in oppido *Keminetæ*, Miſnenſis Diœceſis: *Sacræ*
„ *Religionis &c.* & alterius ſancti Antonii Galvinis pro Obſervantibus
„ oppidi *Fudbedeſi Electen*: *Piis fidelium &c.* VI. Idus præfati. Præterea
„ Eccleſiæ Decenſi præfectus eſt frater Donaldus: *Apoſtolatus officium &c.*
„ XVII. Kal. Julii. Ex Monaſterio ſanctæ Claræ Eugubii fieri Hoſpitale per-
„ mittitur: *Pia fidelium &c.* XVI. Kalendas præfati. Et XII. Kalendas
„ ejuſdem conſtructio Conventus in Ducatu Britanniæ inferioris, expedi-
„ tis litteris executorialibus: *Ad uberes &c.* Kalendis Julii Fratres Inſula-
„ rum Canariæ a juriſdictione Patrum Conventualium Provinciæ Hiſpa-
„ lenſis per Breve Pontificium: *Humilibus &c.* exempti fuere; VII. autem
„ Idus ejuſdem fratri Petro de Benno conceſſum eſt Magiſterium: *Viri*
„ *ſacræ &c.* Ac tamdem Henrico Holtſaciæ facta eſt facultas ædificandi
„ Cœnobium Grebenalbis *Hagen*: *Devotionis tuæ &c.* XI. Kal. Novem-
„ bris. Porro Holtſacia, vulgo *Holſtain*, Provincia & Ducatus eſt in *Dictionar. Gallicum de Broiſſgneres.*
„ Alemannia, cujus fines ad ortum alluit *Billene* fluvius, ad occaſum Dit-
„ marſiam habet, ad Meridiem Albi fluvio diluta excurrens in Septentrio-
„ nem, e riparia Maris Cherſoneſum Cymbricam, ſeu Daniam, vel *Danc-*
„ *marck* reſpicit: abundat tritico, equis, & ex ſtagnis piſcibus; antiquitus
„ Saxoniæ adſcripta, nunc Regi Danorum paret, ac etiam Imperatori ve-
„ nerabunda, quadraginta equitum, & octo peditum pro bello tributum
„ ſolvit.
„ II. Pinciis in Hiſpania honeſtiſſimæ fœminæ Joanna Hermoſilla,
„ atque ejus ex fratre neptis Beatrix Hermoſilla, nihil minus ab hoc mun-
„ do ejuſque pompis facientes, quidquid habere poterant, pauperibus
„ erogabant; ipſæ ex proprio labore & eleemoſynis a piis fidelibus ſponte
„ oblatis victitantes. Erat eis adeo religioſus modus vivendi, ut ſummo-
„ pere ſibi faventibus Pincianis, ſacrum Monaſterium ſub invocatione ſan-
„ ctæ Eliſabethæ apud eos inchoare juxta ſua deſideria pietatis & religio-
„ nis potuerint, atque adhærentibus ſibi nonnullis virginibus & viduis
„ ejuſdem ſpiritus & ardoris, illud ita promovere, ut jam Regularem

„ formam haberet, quando ſumpto Ordinis Tertii S. P. Franciſci habitu,
„ Tertii itidem Ordinis Franciſcanis Patribus ſub anno MCCCCLXII. obedientiam promiſere. Erat iis diebus Provinciæ Conceptionis Patrum
„ Regularis Obſervantiæ celeberrima fama: quamobrem Beatrix Hermoſilla præfata, tantæ deprædicatæ virtutis emulatrix animo effecta, ſibi
„ aſſentientibus Sociis, Innocentio VIII. anno proxime elapſo ſupplex
„ petiit, ut ſibi ſuiſque Sociis in Minoritarum præfatæ Provinciæ Patrum
„ curam tranſire liceret. Pontifex vero hæc adeo pia vota exaudire decernens, Compoſtellano Archiepiſcopo injunxit, ut conſtructam a præfatis
„ Sororibus domum, in juſtum regulareque Monaſterium evehendam,
„ atque Eccleſiam, cœmeterium ſibi adnectendum curaret, ceteraque juxta ſupplicata concederet: quod & ille diligentiſſime præſtitit, ac ita illa
„ ſacra Ædes Sororum Tertiariarum Patribus Provinciæ Conceptionis adhæſit. Beatrix vero Hermoſilla inter alias plurimum ſanctitate nitebat:
„ at haud amplius in longum hac in lacrymarum valle vitam protraxit, ad
„ Dominum, quem ſemper quæſierat profectura: etenim illic diem clauſit
„ extremum circa hunc annum MCCCCLXXXV. ejus oſſa poſt quadraginta
„ ſeptem annos ab obitu ſuaviſſime fragrantia, ex antiquiori ſepulcro ad
„ aliud multo honeſtius tranſlata ſunt. Ad tantæ Sororis invocationem, miracula non pauca edere dignatus eſt Altiſſimus, cui placet laudari in Sanctis ſuis, ob eaque a Pincianis maxima in veneratione habetur. Præter
„ Gonzagam plures egerunt de ea, quos in ſuo Martyrologio citat Arthurus.

Gonz. par. 3. in Provin. Concept. fol. 583.

Arthur. ad diem 2. Maii.

ARGUMENTUM.

Ex humanis abeunt Sixtus Mediolanenſis, Julianus Theutonicus, & Petrus Antonius Cortonenſis, ſanctitatis opinione illuſtres. Bernardinus Feltrenſis multas illuſtrat urbes & provincias ſua doctrina & ſanctitate. Conſecrantur Epiſcopi. Multiplicantur domicilia.

I. Hoc anno in die ſanctæ Cæciliæ obiit Mantuæ frater Sixtus Mediolanenſis, de quo ſæpe obiter actum eſt. Aliqui defunctum volunt anno MCCCCLXXXIV. ſed monumenta Mantuana ad me tranſmiſſa hunc ipſum ſtatuunt annum, neque ab hac ſententia recedit Hyppolitus Doneſmundus hiſtoricus Mantuanus. Siculum facit Marcus Ulyſſiponenſis plano errore, alibi tamen nuncupat Mediolanenſem. Præſagium indicavit genitrix futuræ ſanctitatis, quod in ejus partu nullum ſenſerit dolorem. E ſeculo converſus ſermonibus Bernardini Senenſis, anno ætatis ſextodecimo Inſtitutum ſubiit Minorum Obſervantum. Mantuam miſſus ut exorientem foveret reſtitutam Ordinis diſciplinam, diu illic commoratus eſt, multoſque procreavit diſcipulos. Inter præcipuos numerandus Bernardinus Feltrenſis, de quo ſingulis annis quidquam narramus. Hunc impeditioris linguæ Crucis ſigno curavit, monuitque ut ſidenter & ardenter Dei verbum ubique prædicaret. Ejus mortem ubi Bernardinus hoc anno Romæ perſenſit, ingemiſcens ait: *heu quando aves candidæ* (canos & candidos viros intelligebat) *ad littus maris convolant*, *mox ſecuturam judicamus tempeſtatem*; calamitates & ruinas Italiæ paulo poſt ſecutas vaticinatus. Multis deinde teſtimoniis & elogiis probata Sixti ſanctitate, hominem dixit Deo gratiſſimum, eique ſæpe locutum fuiſſe ſanctum Andream.

Moritur Sixtus Mediolanenſis. *Marian. lib. 5. c. 49. Marc. 3. p. lib. 7. c. 4. Doneſm. lib. 6. pag. 65. Marc. cit. c. 38.* Qualis ille fuerit?

II. Ve-

II. Vere ſexaginta annis Sixtus in Ordine laudabiliter converſatus, in extrema paupertate, ſumma obedientia, ardentiſſima caritate, illibata caſtitate, oratione aſſidua, profunda humilitate, tamquam fulgentiſſimum virtutum omnium jubar omnibus effulſit. Multas a Deo recepit internas conſolationes, ſed a dæmone moleſtiſſimas ſuſtinuit perſecutiones. Miraculis in vita & morte claruiſſe affirmat Bernardinus de Buſtis, & mortuos tres reſuſcitaſſe, multoſque a variis curaſſe infirmitatibus aſſerit Marianus, horumque memoriam conſervari, tabellis votivis appenſis ad ſepulcrum. Septuaginta ſex annis vixiſſe, affirmant Marianus & Marcus; ad octoginta ait perveniſſe Doneſmundus, ſed non conſentiunt, quos antea præmiſit, calculi annorum converſionis a ſeculo, & converſationis in Religione. Sepultus eſt in pariete prope ſepulcrum beati Seraphini Mantuani, de quo alias diximus, in ſacello Dominorum Gonzagæ, ibique conſpicitur ejus imago; una manu Chriſtum crucifixum circumdantis manipulo florum, altera lilium, virginitatis inſigne geſtantis.

Buſtis in Mariali par. 1. ſerm. 9. de Concept. p. 3.

To. 13. an. 1460. n. 30.

III. Hoc etiam anno, die ultimo Septembris deceſſit, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto, in Civitate Aquilana & Provincia ſancti Bernardini, Julianus Theutonicus Sacerdos, virtutibus, doctrina & ſanctitate illuſtris. Per annos quadraginta perpetuo jejunio corpus ſuum maceravit, vinum non bibens, carnes non comedens, pane dumtaxat, aqua & leguminibus contentus. Ordinis abhorruit ſemper Prælationes; coactus tamen anno MCCCCLXX. Vicariatum prædictæ Provinciæ admittere, etſi ſexagenarius ſemper pedes in aſpera regione inceſſit, & in ſequentibus Comitiis laboravit quantum potuit, ne iterum ad iſtud munus aſſumeretur. Cum vero inſtarent Conſodales, ut in officio permaneret, gemens & flens dixit ſe Pontificem appellaturum, vel ex Provincia receſſurum, unde Fratres Paulum Aquilanum ſubſtituerunt. Proximorum obſequio totus addictus, quidquid orationi & contemplationi temporis ſupererat, audiendis pœnitentum reatibus, & animabus curandis impendebat. Jacet in Eccleſia ſancti Bernardini in ſepulcro lapideo, multis clarus miraculis.

Obit Julianus Theutonicus. *Marian. cit. Marc. cit.*

IV. Obiit hoc etiam anno in devoto Cœnobiolo Scarlini Petrus Antonius Cortonenſis, dum loci ageret Guardianum. Vir erat doctus, inſignis prædicator, humilis in miniſterio, patiens in adverſis; eamque apud Deum gratiam invenit, ut obitum ſuum ante aliquot menſes præſciverit, & tamquam in regionem longinquam abiturus, parentibus valedixerit, eoſque rogaverit, ut patienter ferrent ejus abſceſſum.

Et Petrus Antonius Cortonen. *Marian. cit. Marc. citat.*

V. Bernardini Feltrenſis creſcente in dies fama, ſparſiſque per multas Civitates tot bonis operibus, quæ ubique faciebat, omnes videre, omnes audire, vehementiſſime cupiebant. Peruſini, qui mirabilem doctrinam & virtutem anno præterito probarunt, etiam hoc anno præceptorem deſiderabant. Bononienſes, Parmenſes idipſum optantes, impetrarunt a Pontifice litteras Apoſtolicas ſub finem anni præcedentis, ut iſte apud ſe prædicaret tempore Quadrageſimali. Pontifex, vel ut ſingulis placeret urbibus, vel quod priorum litterarum oblitus, facile poſteriores conceſſerit, eum tribus prædictis populis conceſſit. In favorem Parmenſium datæ perierunt, reliquas duas ſubjungo.

Multæ urbes petunt ſibi mitti Bernardinū Feltrenſem. *Legend. MSS. Cimarel. 4. par. lib. 6. c. 18.*

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia.

Dilecte fili, ſalutem &c. Volentes annuere deſiderio dilectorum filiorum Priorum Artium, & Communis Civitatis noſtræ Peruſinæ, qui in tuis ſanis

Ex autographo. Jubetur prædicare Perulinis.

ſanis monitis & prædicationibus plurimum ſperant, devotioni tuæ in vim ſanctæ obedientiæ, & nihilominus ſub excommunicationis pœna expreſſe præcipiendo mandamus, quatenus in proxima futura Quadrageſima ad Civitatem ipſam Peruſinam accedere, & in ea prædicare debeas. Cedet id tibi ad meritum non vulgare apud Omnipotentem Deum, & nobis erit gratum. Non obſtante quovis alio mandato tibi forſan facto, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. *Octobris* MCCCCLXXXV. *Pontificatus noſtri anno* II.

L. Griſus.

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex autographo. Et Bononienſibus.

VI. *Dilecte fili, ſalutem &c. Moti fama doctrinæ & probitatis tuæ Bononienſes noſtri, cupiunt plurimum tua ſana monita audire, quæ ad ſalutem animarum profutura ſibi ſperant. Nos autem pio eorum deſiderio annuentes, devotionem tuam hortamur in Domino, & tibi nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ expreſſe præcipientes mandamus, quatenus proxima Quadrageſima Bononiam prædicatum accedas, ibique in majori Eccleſia verbum Dei annuntiando, doctrinam Evangelicam juxta tibi ex alto conceſſam facultatem explicando, fructum animarum facere ſtudeas. Cedet id tibi ad meritum apud Deum, & nobis erit gratum. Non obſtante quocumque alio mandato tibi forſan facto, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XXVIII. *Novembris* MCCCCLXXXV. *Pontificatus noſtri anno* II.

Obſequitur ſecundo præcepto. *Num.* 14. Revocatis prioribus præceptis jubetur Parmam proficiſci.

VII. Poſterioribus litteris recentiorique Pontificis præcepto pariturum, diximus anno præterito, pie eluſis Parmenſibus ad Bononienſes tranſiiſſe, vel inde maxime quod repetitis litteris idipſum ſuaſerit & mandaverit Julianus Ruvereus Cardinalis Oſtienſis, communiter nuncupatus a primo titulo ſancti Petri in Vincula, Ordinis Protector, Bononienſium Epiſcopus. Huic etiam obſecuturus ſtatuit apud Bononienſes hærere & concionari. Sed Parmenſes, potentia & auctoritate Ducis ſui Mediolanenſis adjuti, obtinuerunt ut revocatis prioribus litteris Pontificis, juberetur Parmæ concionari. Male hoc habuit Bononienſes, quos neque repetitis precibus, neque quotidianis ſermonibus placare potuit, quin de ſuo Epiſcopo Cardinale ſummopere quererentur, quod precibus acquieverit Ducis, & curſorem Romam mitterent, qui litteras Conſilii & Magiſtratus Joannis Bentivolii primarii in urbe viri, atque uxoris, Pontifici cariſſimorum, Capituli Canonicorum, aliorumque perferret, & Innocentii animum flecteret, ne, ſe neglectis, tantum virum alio transferret. Rogatus & compulſus Bernardinus ut Pontificis opperiretur reſponſum, expectavit uſque ad Dominicam Sexageſimæ, videnſque tempus elabi, & abeundi urgere præceptum, ante auroram clam receſſit, Regiique hærens per dies quinque totidem habuit conciones.

Regii quinquies prædicat.

VIII. Parmam profectus, extra urbem honorifice receptus eſt ab Archipresbytero multiſque viris nobilibus, ſermones inchoatus die Cinerum, ſabbato ſequenti. Breve recepit Apoſtolicum revocati præcepti de profectione Parmenſi, litteraſque Bononienſium ut placeret reverti. Excuſatum ſe habuit apud Nuncium Vir Dei, monuitque ne quidquam de ſui adventus cauſa referret, ne Parmenſes offenderet. Is fuit populorum ad ejus ſermones concurſus, ut noctu præcurrerent locum habituri, pateretque

A Parmenſibus honorifice recipitur.

Revocatus Bononiam tarde nimis, ire non potuit.

Ec-

Fructus ſermonũ apud Parmenſes.

Eccleſia nocte excipiendæ multitudini. Multiplex ſtatim fructus conſecutus, frequentioris confeſſionis peccatorum, integræ bonorum reſtitutionis, extinctæ magnatum inimicitiæ, inſtitutæ Confraternitatis ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, aucti cultus erga Divinum iſtud Myſterium. Induxit populum ut ſingulis menſibus ſemel ſacrum ſolemne de hoc cœleſti caneretur Sacramento, & coram ſacro reconditorio lampades perpetuo arderent, eoque crevit piorum devotio, ut perpetuo accenſæ penderent quinque ſupra viginti. Affectum hunc erga Divini hujus ſacramenti cultum præceſſiſſe in Cherubino Spoletano, atque hæc ipſa præſtitiſſe, diximus ſuperius. Feria quinta hebdomadæ ſanctæ quo ſacratiſſimum hoc inſtitutum eſt Myſterium, numeroſiſſimam & devotiſſimam ordinavit ſupplicationem, totiſque horis Divini Officii interfuit cum Canonicis.

An. 1484. n. 19.

Invitatur a Florentinis pro futura Quadrageſima.

IX. Antequam conciones abſolveret quadrageſimales, accepit a Florentinis epiſtolam, qua publico decreto Senatus & Magiſtratus eum pro ſequentis annis Quadrageſima electum Concionatorem pro Eccleſia ſanctæ Reparatæ intimabant. Quibus illæ comiter gratias habuit; ſe tamen ſui juris non eſſe dixit, eoque ſibi tendendum, quo Superioris deſtinaret præceptum. Mittebant multi varia cibaria, alii ad convivia invitabant; hæc reſpuebat, illa ad pauperes, & carceribus incluſos deſtinabat. Cum ejus perſuaſu nobile pretioſumque fieret in Altari majori ſanctiſſimi Sacramenti depoſitum, Albertus inſignis Architectus aliunde ad hoc opus evocatus, inter adjiciendas ornamento ſtatuas marmoreas ex Carrario lapide, in una effigiem expreſſit Bernardini; quod ubi ille reſcivit, quieſcere noluit, donec ſtatuæ vultus deformaretur. Feria ſexta in Paraſceve & in Paſchate reſurrectionis in aperta Templi area prædicavit, alioſque habuit ſermones de mundi contemptu, & de juſtitia contra Hæbreos & Chriſtianos uſurarios. Alio die vehementer inſectatus concubinarios, infra illam hebdomadam quindecim viri locupletes uxores duxerunt, quas annis multis habuerunt concubinas.

Quidam ei paraſt ruinam, ſed fruſtra.

X. Quidam ægre ferentes tantam morum caſtigationem, ſeque ab amaſiis derelinqui, vindictam excogitarunt præparatæ ex ſuggeſto ruinæ. Quatuor pulpiti pedes ſeu fulcra clam noctu ad imam ferme ſuperficiem inciderunt, ut quocumque motu aut pondere inſilientis concionatoris ſubſideret, virumque ex alto collideret. Aſcenſurus ille dolum cœlitus percepit, dixitque ſocio & circumſtantibus: *Equi mei inciſi ſunt pedes, nihilominus inſiliam, & curram; inciſores vero Deus flagellabit.* Intrepide prædicavit, nihilo ſoliti ſervoris remiſſo, perſtititque immobile ſolidumque ſuggeſtum.

Mutinam abit.

XI. Finitis concionibus, Mutinam perrexit, unde remiſſurus adoleſcentem, qui ſuo caballo viri Dei libros advexit, vidit ad pedes proſtratum, ſuum, ſuique caballi obſequium ultrò offerentem, dicentem: *Majora Vir Dei his tibi debeo: tuis enim ignitis eloquiis factum eſt, ut duo mei genitoris debitores ſummas pecuniarum mihi penitus ignotas, in defuncti Patris teſtamento minime expreſſas, ſponte domum attulerint, per quas e miſerrimo ad mediocrem vitæ ſtatum exurrexi.* Gaviſum ſe dixit factæ reſtitutionis, per quam fœneratores ſuæ caveruut conſcientiæ, & illius providerunt paupertati, domumque remiſit.

Illic energumenam curat.

XII. Ea in urbe conciones habuit quatuor in Templo Cathedrali, deſcendentique e ſuggeſto, furibunda occurrit quædam Dæmoniaca, vociferans: O *Bernardine, quid ega in te commiſi, ut ita me perturbes & crucies? ſed non impune facies, e ſuggeſto te præcipitem dabo, & caput contundam.*

Ad

Ad inconditos frementis & ſpumantis clamores, quæ aderant, fugere cœperunt mulieres: ille ut ſiſterent exhortatus, juſſit ut ad arcam ſeu tumulum ſancti Geminiani poſſeſſa ferretur. Illic ingenti hominum & mulierum conſtituta multitudine, magna voce intonuit Bernardinus, miſeræ energumenæ compatiendum, ſed magis, quæ adſtabant, mulieribus adſcititio ornamento ſuam ſpeciem mentitis. Hæc enim corpore, illæ mente laborant; hujus carnem dæmon affligit, harum animas commaculat. Et ad mulieres converſus, ait: *Hujus dæmoniacæ miſeremini, & ſtatum veſtrum non conſideratis? Qui hanc affligit, in eaque apparet Spiritus, in vobis latenter, ſed manifeſte ſua ſigna producit. An non ejus opera in vobis probatis? Nonne ejus veſtigia in corpore veſtro videtis? Unde falſus ille fucus? unde cerri & criſpantes crines? unde ſtibium & ceruſſa? unde tot malorum irritamenta? quis pectora, quis mamillas nudare, quis humeros incautis praviſque oculis docuit objicere? Nonne, qui ſubtus latet, malus genius hæc vobis perſuadet, pravaſque ſubinde cogitationes vobis veſtriſque ſpectatoribus immittit? An non hæc creditis, vel dubitatis, quia in vobis non loquitur, vel corpora non diſcruciat? certiora habetis inhabitantis dæmonis ſigna. Quæ ſic incompoſite loquuntur, & miſere vexantur, multoties aliunde malum ſentiunt ab ægritudine, a læſa potentia, ab exuberante humore, objectiſque menti ſpectris horrendis, hæc veſtra corporis ſpecieique mendacia certiſſima ſunt dæmonis ſigna, eique abſque dubio famulantur. Scitote non niſi illius opera eſſe, qui vos iſtis tendiculis in aliorum armat ruinam.* Dum hæc diceret, aſtantes fœminæ capita præ pudore demittere, interulas ad jugulum attrahere, ornamenta vana detrahere, lacrymabundæ & compunctæ recedere, inaures, annulos, pretioſa monilia in pauperes diſtribuere. Ad hæc dæmon fremere, concuti, vociferari dæmoniaca, maledictis laceſſere Bernardinum, qui tot ſibi animarum laqueos abſtulit, & arma diripuit.

Hortatur ut vanos ornatus mulieres deponant.

XIII. Deinceps concionari oportuit in aperto foro, concurrente innumerabili hominum multitudine ex finitimis agris Carpenſi, Mirandulano, Regino, Mutinenſi, Bononienſi: Integra ſe in coſpectum effundebant oppida, præeuntibus, qui præerant in populo, & ſacerdotibus, ſummoque mane antequam urbis portæ aperiebantur, præ foribus ſtabant, ut mature locum caperent, unde audirent concionantem. Per tres horas conſtanti voce & firmo latere diſſerebat diebus ferialibus, per quatuor feſtivis. Reliquo diei tempore excipiebat adventantes; tribulatis ſalutaria conſilia, mœſtis ſolamen, tentatis remedia, omnibus levamen exhibebat; nullus e conſpectu triſtis recedebat.

Prædicabat in foro multiplicato populo.

XIV. Doctrinam porro & vitam Dominus ſignis multis confirmavit, nota præſertim ſupra dæmonia poteſtate. Orlandum ferum & inexorabilem olim militem, cujuſdam Oppidi deprædatorem; fœminam propterea poſſeſſam, quod in die Paſchatis, adſcititiis capillis, ſtibio & fuco adulterata, ad ſanctiſſimæ menſæ Communionem acceſſerit; alteram, quod die ſequenti poſtquam ſacrum epulum acceperat, ad fucos quos tunc depoſuerat, pectoriſque nudi oſtenſionem redierat; tertiam, quia in diploide bullulas geſtabat argenteas, quas iniquus Sacerdos patruus ei ex ſacra calicis patena conflarat; adoleſcentulum ob crimen peſſimum vexatos, oratione & Crucis ſigno a malo genio liberavit. Frequens erat in urbe iſta, pecuniam in orbem tondere, talis ludere, pompoſe veſtire. Contra hæc, & mulierum faſtus, doloſaſque artes, quibus homines irretire ſolent, quodam die prædicavit ingenti fervore, eoque item fructu, ut vitia hæc penitus extirpaſſe videretur, & fœminæ ſuos falſos ornatus procul fecerint, ac capillos non ſolum alie-

Multos liberat dæmoniacos.

Qualis apud Mutinenſes mutatio.

alienos abjecerint, ſed & ſuos abſciderint, nolentes alteri placere, quam Deo. In Hebræos acriter invectus, increpavit Chriſtianos Judæorum familiares & amicos, atque hinc vindictam ſumptura quædam Hebræa, efficto nobilis Chriſtianæ nomine, miſit ad eum quædam bellaria & fructus intoxicatos. Fraudem ſubodorati Fratres, cani fruſtella dederunt, qui paulo poſt intumuit & obiit. Poſt ultimas duas conciones paratos habuit rogos, quibus ingentem copiam injecit ludi inſtrumentorum, & fuci fœminei.

Venenum ei parat Hebræa, ſed fruſtra.

XV. Ferrariam inde profecturus, clam receſſit, honorem inſequentis populi declinaturus, ſed fruſtra; ingens enim turba ſecuta eſt, nec dimittere voluit abeuntem, niſi ſolemniter benediceret, & bene precaretur. Fœminæ per annos octo ſurdæ tunc auditum reſtituit. Multiſque diſtribuit nomen ſanctiſſimum Jeſu a ſe chartulis inſcriptum, quarum indita virtute malis multis præſto aderant remedia. Rogatus a Ferrarienſibus ut in die ſancti Georgii prædicaret, habuit paucos auſcultatores, diſtracto populo circa haſtiludium & choreas. Die altero contemptum reprehendit verbi Dei, ſacrorumque præconum, dixitque nimis cito urbem illam oblitam fuiſſe tot calamitatum, quot ante paucos annos fuerat perpeſſa. Die ſancti Marci abiit Ravennam, ubi nocte una hæſit, ſummoque mane navigavit Ariminum verſus, inde abiit ad Montem-Florum, hinc Urbinum, nullo commoratus neque concionatus loco. Eugubii ſermonem habuit coram Domino Octaviano, Ducis Urbinatis patruo, aſpere increpans uſurarios & iniquos fœneratores, commendato deinde Inſtituto Montis Pietatis. Reprehendit Hebræorum amicos & fautores, qui præceptis Principum e conſortio Chriſtianorum rejectos, propter munera aut ſordidum lucrum curant revocari. Eo ipſo die indictum erat concilium, ut paciſcerentur cives cum Hebræo quodam locuplete circa commodandas pecunias; non enim eo crevit Montis nuper erecti facultas, ut omnium ſufficeret neceſſitati. At Bernardini doctrina ita mutati ſunt animi, ut Judæi pacta cives repulerint, & communibus oblationibus Mons ſit auctus ſufficienter.

Ferrariæ prædicat.

Vide ſupra ann. 1483. n. 18.

Per varia loca pergit Eugubiū.

XVI. Eugubio Peruſium profectus, omnium exceptus eſt jubilo; ſed creſcente illic peſtilentia, quam anno præterito dixerat propter peccata graſſaturam, plurimi receſſerunt in villas & prædia ruralia, deſertaque urbe, oportuit conciones dimittere. Reſumpſit tamen, objectiſque ſapientiæ verbis: *Sermo tuus Domine, qui ſanat omnia*, cœpit convocare populum, animos addere, ſpem fugandæ peſtis injicere, modo pœnitentiam agerent, & opera exercerent miſericordiæ. Indicta ſolemni ſupplicatione, Dei clementiam omnes imprecati, nudiſque pedibus etiam heroinæ, ſparſis capillis, atra & humili veſte binæ incedentes, Dei iram placaverunt. In ſolemnitate Corporis Chriſti alteram iis ordinavit legibus, ut nihil non ſanctum & pacificum conſpiceretur, ubi alias multæ rixæ & homicidia in populo ſemper armato perpetrabantur. Tot beneficiis adſtricti Peruſini, ſummo in honore auctorem habuerunt, beatumque ſe reputabat, qui vel alloqui poſſet, vel veſtem attingere. Tanto impetu ut accederent ferebantur, tantoque comprimebant concurſu, ut nonniſi ſatellitio ſenatorio circumſepto liceret e Cœnobio ad Templum proficiſci, e ſuggeſto domum redire.

Inde Peruſium.

Num. 11.

Sap. 16. 12.

Abigit peſtem & ferales inimicitias.

XVII. In feſto ſancti Antonii Patavini, poſt concionem dum ad refocillandas languentes vires menſæ aſſideret, ecce ingens rumor & ſtrepitus armorum duarum potentiſſimarum factionum, de Peneſchis & Staffeſchis in foro digladiantium. Aſſumpta cruce, irruit in acies medias Bernardinus, & tamquam poteſtatem habens, præcepit ut quieſcerent. Quamvis quadraginta utrimque fuerint vulnerati, omneſque in mutuas exarſerint cædes, ni-

Inteſtina bella extinguit.

nihilominus Viro Dei obſecuti, diverſa in loca receſſerunt. Advenerunt paulo poſt tamquam ſuis partiariis auxiliaturi Ballioni & Oddeſci, de quibus ſuperius locuti ſumus; ſed & hos compeſcuit Bernardinus, omniumque partium capita duxit in ædem ſancti Laurentii proximam, ubi Epiſcopi & Gubernatoris Pontificii interventu, odia aſpera temperavit, pacemque ſtabilivit. Hoc fructu frequentique incendio muliebrium vanitatum aliorumque peccati inſtrumentorum, tota prædicavit æſtate Peruſii in publicis plateis, exceptis diebus quatuor, quibus Aſſiſii ſermones habuit de Indulgentia Portiunculæ, ubi ſemel fulgentiſſima apparuit ſtella ſuper caput prædicantis.

An. 1485. n. 9.

Super prædicantis caput ſtella apparet.

Romam vocatur.

XVIII. Icto ſub hoc tempus pacis fœdere inter Innocentium Pontificem & Ferdinandum Regem Neapolitanum, Aquilana urbs in poteſtatem Regis devenit. Timentibus autem civibus, ne defectionis pœnas apud Regem luerent, turbæque in dies orirentur inter Pontificiæ & Regiæ partis ſtudioſos, illiſque inſtantiſſime petentibus ut ad eos Bernardinus mitteretur, his eum litteris ad ſe vocavit Innocentius.

Dilecto filio Bernardino de Feltro Ordinis Minorum profeſſori.

Ex originali.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Volumus, ac tibi præſentium tenore, in virtute ſanctæ Obedientiæ expreſſe præcipienda mandamus, quatenus, his acceptis, ad noſtram præſentiam venias. Datum Romæ ſub annulo Piſcatoris apud S. Petrum, XIX. *Septembris* MCCCCLXXXVI. *Pontificatus noſtri anno* III.

Hieronymus Balbanus.

XIX. Acceptis litteris, confeſtim in Urbem contendit Bernardinus, ſed in itinere verbi Dei pabulo Narnienſes & Tifernates refecit. Pontificis autem in Urbe audito mandato, viſum eſt aliquantiſper expectandum, donec animus Alphonſi Calabriæ Ducis, Ferdinandi primogenti, exploraretur. Sedatis tamen rebus, pacatiſque animis, multoties allocutus Bernardinum Pontifex in delitiis habuit, voluitque apud ſe in Urbe retinere. Multa porro arrepta hac occaſione ſuggeſſit Vir Dei, quæ regimen Eccleſiaſticum, & fructum concernebant animarum; neque hæc contempſit Innocentius, ſed tamquam a viro ingenuo & Numini caro prolata judicavit, & opere perfecit. Etſi vero Pontifex ſe benignum facilemque oſtenderit, & quæcumque petere vellet, obtulerit, nihil tamen poſtulavit præter remiſſionem peccatorum quotieſcumque pro ſua ſanctitate oraret, & confirmationem erecti Montis Pietatis Mantuani, per quam tanta obverſantium contradictio tamdem ceſſaret. Utrumque facile conceſſum, etſi circa ſecundum ſe oppoſuerit M. Antonius de Groſſis Epiſcopus Tyburtinus, Pontifici familiaris. Sed quas objecit rationes docte ſolverunt Matthæus Ubaldus Peruſinus, Romanæ Rotæ Auditor, Joannes Baptiſta Sanſeverinus Juris Cæſarei in Romana Sapientia primarius Profeſſor, Advocatus Conſiſtorialis, & hujus profeſſionis vir alter inter Peruſinos celebris Ballionus de Monte Ubiano, qui nomine collegii Peruſini doctum edidit conſilium, ſive tractatum circa hujuſmodi Montium erectionem, rogatus a beato Jacobo Piceno. Bullæ autem Montis Mantuani poſt varias altercationes traditæ, hic exhibeo tranſumptum.

In pretio habetur apud Innoc. Pontificem.

Circa erectioné Montium Pietatis in Urbe controvertitur.

Digitized by Google

Ad perpetuam rei memoriam.

XX. *AD ſacram Petri Sedem in plenitudine poteſtatis, Divina diſpoſitione vocati, ad ea, ut decet, libenter intendimus, per quæ pauperum & miſerabilium perſonarum neceſſitatibus utiliter & ſalubriter valeat provideri, & his, quæ propterea provide ordinata fore noſcuntur, ut eo firmius illibata perdurent, quo erant majori robore ſolidata, noſtræ confirmationis robur adjicimus, & ut optatum ſortiantur effectum, interponimus ſollicitudinis noſtræ partes. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis civium Mantuanorum nobis exhibita petitio continebat, quod olim nonnulli bonæ mentis viri, provide conſiderantes, quod in dicta Civitate & locis Marchionatus Mantuani continue erant quamplurimi pauperes, quorum aliqui adeo pecuniis carere noſcebantur, ut in eorum oportunitatibus expediret, eos ad Hebræos fœneratores in Civitate prædicta degentes, perſæpe habere recurſum, & ab eis, pignoribus traditis, ſub non levibus uſuris pecunias mutuo capere. Erant præterea aliqui, qui quamquam pro eorum decenti ſuſtentatione facultates haberent, nihilominus vitam ducentes diſſolutam, ut eorum noxios appetitus implerent, ad eoſdem fœneratores ultro ſeſe offerentes recurrebant, & ſub hujuſmodi uſuris pecunias mutuo recipiebant ab eiſdem, quas poſtea in malos uſus convertebant, & ſtatuto termino illas non reſtituentes, pignora perdebant, ſicque paulatim ipſi fœneratores tam tenues, quam alias facultates exhauriebant eorumdem, per uſurariam pravitatem eos ad extremam miſeriam deducentes in dies: & excogitantes ac diſcutientes quomodo fieri poſſet, quod honeſtis pauperum neceſſitatibus, adjuvante caritate fidelium facultates ſuas ad id miſericorditer erogantium, omni uſura penitus ceſſante, ſuccurreretur, & Hebræi fœneratores prædicti non degerent ibidem, ſicque hujuſmodi incommodis, quæ ex illorum fœnoris exercitio proveniebant, obviaretur; perſuaſione & impulſu nonnullorum Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & de illorum ac diverſorum Juriſperitorum conſilio in prædicta Civitate Mantuana, non parvam pecuniæ ſummam ex piis Chriſtifidelium ſuffragiis colligere, & in unam maſſam, quæ* Mons Pietatis *nuncuparetur, redigere curarunt, & quod illius fide & facultatibus idoneus depoſitarius, perſonis pauperibus & egenis per officiales deſuper pro tempore ordinandos, examinata cauſa neceſſitatis eorum, ac receptis pignoribus ab eiſdem, opportune valeret proportionaliter ſubvenire, inter alia provide ordinarunt, quod dictarum pecuniarum depoſitarius, qui pro tempore foret, teneretur mutuare pauperibus & egenis incolis Civitatis & Marchionatus Mantuani ad eum pro tempore recurrentibus, & non ludi aut negotiationis cauſa id petentibus, de pecuniis prædictis, primo anno poſt ordinationem illius uſque ad ſex libras monetæ Mantuanæ pro quolibet eorum, & illo decurſo, tantum, quantum facultates dicti Montis paterentur, receptis ab eis pignoribus valoris duplicis ſummæ mutuatæ, quam intra annum reſtituere deberent eidem, alioquin anno decurſo, pignora venderentur, præcedentibus ſubhaſtationibus, plus offerenti, nec deberet Mons ipſe ab eis intra annum ſolventibus, aut de pretio pignorum, quæ venderentur, aliquid præter mutuatam quantitatem habere ullo modo: quodque ad conſervationem, cuſtodiam & gubernationem dictorum pignorum, & ad diſtribuendum mutua pignora, venditiones & pretia pignorum venditorum, eſſe deberent alii officiales & miniſtri, exercitiis opportunis dicti Montis vacantes in numero ſufficienti, qui idoneam cautionem præſtarent de pignorum cuſtodia & conſervatione hujuſ-* Confirmatur Mons erectus Mantuæ. *Ex autographo.*

modi, & de implendo omnia, ad quæ tenerentur ratione officiorum ſuorum, & omnem eorum induſtriam adhibere circa præmiſſa eorum officia incumbentia, tenerenturque de pignorum perditione & deterioratione, quæ eorum culpa eveniret: qui officiales & Miniſtri pro hujuſmodi laboribus & periculis, eis ordinanda convenientia ſalaria habere deberent, liceretque eis pro hujuſmodi ſalariorum ſolutione, ac etiam penſione domus ad præmiſſa in loco commodo & honeſto conducenda in Civitate prædicta, libris & ſubhaſtationibus, aliiſque expenſis neceſſariis pro executione eis commiſſorum officiorum hujuſmodi, a perſonis mutuo recipientibus pecunias dicti Montis, illaſque reſtituentibus intra annum, præter ſummam mutaatam, duos denarios pro qualibet libra mutuata ejus ſummæ, pro quolibet menſe petere & recuperare, & a non reſtituentibus de pretio venditorum pro tempore pignorum retinere; & ſi dicti duo denarii pro libra ſic collecti, in fine anni non aſcenderent ad ſummam opportunam pro ſalariis & aliis expenſis prædictis, voluerunt id, quod deficeret, ſuppleri de ſumma anni ſeqaentis; & ſi ſumma dictorum duorum denariorum pro libra ſic collecta, in fine anni tranſcenderet ſummam opportunam pro ſalariis & expenſis prædictis, voluerunt id quod ſuperabundaret, eiſdem ſolventibus proportionabiliter & pro rata, pro qua ſolviſſent, ultra reſtitai, ſi recuperare vellent, & ad hunc effectum publice ſæpius proclamari per Civitatem prædictam, quod quicumque intenderent rehabere portiones eis contingentes de ſuperabundantia prædicta collecta per exactorem duorum denarioram pro libra, debeant proteſtari officialibus prædictis infra quindecim dies ad minus a die ſibi facti mutui, recepiſſe mutuo animo rehabendi talem portionem eis contingentem, quantumcumque parvam; alioquin decurſis dictis quindecim diebus, proteſtatione prædicta non facta, intelligerentur, poſt tot proclamationes repetitis vicibus factas, tales mutuo recipientes, & non proteſtantes, velle, immo mandare ac injungere dictis officialibus, quod diſpenſent pauperibas, vel convertant in alias pias cauſas illas parvas quantitates & portiones, quæ ipſos proteſtantes contigebant de dicta quantitate ſuperabundanti, amore Dei, & pro ſuæ ac ſuorum prædeceſſorum animarum ſalute, de conſilio duorum Religioſorum, vel aliorum ſacerdotum, aut aliorum bonæ opinionis & famæ: Ordinaverunt præterea, quod dicto Monti præſiderent, & ſaperintenderent in concernentibus illum, quatuor Religioſi & octo ſeculares, quorum ſecularium duo Milites vel Nobiles, duo legum Doctores vel in Medicina Magiſtri, duo Mercatores, & duo alii cives Mantuani forent, & ex dictis qaatuor Religioſis, quorum officium ad eoram vitam duraret, primus per dilectos filios Capitalum Eccleſiæ ſancti Petri Mantuani, ſecundus per Abbatem Monaſterii de Padoloren. extra muros Mantuæ Ordinis ſancti Benedicti, ſeu confeſſorem Monialium Monaſterii ſancti Joannis de Carretis Mantuani dicti Ordinis, tertius per Priorem ſancti Dominici, & quartus per Guardianum ſancti Franciſci domorum Mantuan. Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinum pro tempore exiſtentes depatarentur; ſeculares vero illi forent, quorum nomina de buſſula eorum pro tempore extraherentur, in qua illorum nomina dumtaxat immitterentur, quos, convenientibus in unum Marchione & Epiſcopo Mantuano, ſi intereſſe vellent, & ipſo Epiſcopo abſente vel infirmo, aut intereſſe recuſante, illius in ſpiritualibus Vicario Generali, & præfatis Abbate, Confeſſore, Priore & Guardiano, necnon Rectore hoſpitalis pauperam Mantuan. Priore Collegii & Conſulibus, ac Præpoſitis artis lanæ, per majorem partem eorum ſic convenientium, miſſo partito ad fabas albas & nigras, pro idoneis contingeret approbari; deberentque ipſi laici prima vice ſic extracti, ſimul per annam integrum dicto Monti præ-

præſidere, & anno finito, quatuor ex eis officium ipſum præſidentium continuare, & alii quatuor ab eo amoveri, & amotorum loco alii quatuor, quorum nomina extrahi contingeret de buſſula prædicta, ſubrogari; ſecundo vero anno decurſo, loco eorum, qui remanſiſſent, & biennio officium continuoſſent, illis amotis, alii quatuor eorum loco pari modo ſubrogari, ſicque continuo fieri, & cum quatuor, qui uno anno præfuiſſent, alii quatuor de novo venientes deputarentur, & ſuperintenderent circa ejuſdem Montis opportunitates & commiſſa eis per ordinationes: & nonnulla alia Capitula & ordinationes deſuper juxta materiæ hujuſmodi exigentiam, ſanctorum Patrum decretis minime contraria, ediderunt, & illa ſic edita, dilecto filio nobili viro Franciſco Marchioni Mantuano obtulerunt, & pro illorum confirmatione eidem cum inſtantia ſupplicarunt, ut illa pro dicti operis executione & incremento, ipſius Marchionis auctoritate roborata validius firmarentur, & majora in dies, Domino inſpirante, incrementa ſuſciperent: qui ſubditorum ſuorum commodis, ut decebat, intentus, attendens propoſitionem prædictam laudabili deſiderio conceptam fore, capitula & ordinationes hujuſmodi diſcuſſioni & examini conſiliariorum ſuorum commiſit, ut illis bene & mature digeſtis, eidem ſancto operi effectualiter intendi poſſet: Cumque conſiliarii prædicti, dictis capitulis & ordinationibus juxta mandatum ipſius Marchionis viſis & diligenter examinatis, & ubi opus fuerat, conſultiſſime reformatis, eorum tenorem Chriſtianæ Religioni conſentaneum, & ipſi Marchioni honorificum, Civitati & ſubditis ejus quibuſcumque utilem, fideliter eidem Marchioni retuliſſent, ipſe Marchio ſupplicationibus prædictorum benigna mente annuens, omnia & ſingula capitula & ordinationes, ac omnem illorum tenorem, prout de verbo ad verbum in illis exprimebatur, auctoritate ſui Marchionatus per quaſdam ſuas litteras approbavit & confirmavit, mandans officialibus ſuis quibuſcumque pro tempore exiſtentibus, ut illa tam in judicio, quam extra facerent pleniſſime, omni cavillatione remota, perpetuis tunc futuris temporibus, ubi opus foret, obſervari. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Communitas præfata cupiat, præmiſſa pro eorum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicæ auctoritatis munimine comprobari; pro parte Communitatis prædictæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut erectioni Montis Mantuani, capitulis & ordinationibus prædictis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur noſtræ confirmationis adjicere, aliaſque ſuper contentorum in eis obſervatione opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui præfatum Marchionem, ejus exigentibus ſinceræ devotionis affectu, & integra fide ad Nos & Romanam Eccleſiam, & ejus conſideratione, illius ſubditos præfatos ſpeciali dilectione proſequimur, & gerimus in viſceribus caritatis, ordinationem dicti Montis Pietatis, quæ eiſdem incolis Civitatis & Marchionatus Mantuan. non parum proficua eſſe dignoſcitur, plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illa noſtræ approbationis munimine circumfulta firmius obſervetur, & Mons ipſe ad eorumdem pauperum ſubventionem in dies ſuſcipiat incrementum; felicis recerd. Pauli Papæ II. qui Peruſinæ, & Sixti IV. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui Savonen. Civitatum Montis Pietatis ordinationes & ſtatuta per eorum litteras approbarunt, veſtigiis inhærendo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Montis Pietatis Mantuanæ creationem, plantationem, erectionem, inſtitutionem, & illa, in quibus inter alia continetur, quod præſidentes dicti Montis debeant eſſe duodecim, quatuor videlicet Religioſi, quorum primus per dilectos filios Capitulum Eccleſiæ ſancti Petri Mantuanæ, ſecundus per Abbatem Monaſterii ſancti Benedicti de Padoloren. extra muros Mantuan. ſeu Confeſſo-

ſorem Monialium Monaſterii ſancti Joannis de Carretis Ordinis ſancti Benedicti, etiam Mantuan. tertius per Priorem ſancti Dominici, & quartus per Guardianum ſancti Franciſci domorum Mantuan. Prædicatorum & Minorum Ordinum pro tempore exiſtentes deputarentur, & octo ſeculares, videlicet duo Milites ſeu Nobiles, duo legum Doctores, vel in Medicina Magiſtri, duo Mercatores, & duo alii cives Mantuan. & eorumdem præſidentium Religioſorum perpetuo, laicorum vero officium biennio dumtaxat duret, & quolibet anno quatuor ex eis amotis, eorum loco alii quatuor, quorum nomina de buſſula in qua buſſulata forent, extrahi contigerit, ſubrogentur, ſicque perpetuis futuris temporibus obſervetur, quæ pro illius directione, manutentione & confirmatione, ac pecuniarum ejus diſtributione & recuperatione; pauperum quoque ſubventione laudabili, ac aliis Montem ipſum Mantuan. & illius conſervationem & incrementum concernentibus emanaverunt, ordinationes & capitula prædicta quæcumque, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et ut ejuſdem Montis Pietatis Mantuani proventus in eas, pro quibus deputati ſunt, cauſas provide diſpenſentur, præſidentibus & aliis tam dicti Montis, quam Civitatis Mantuanæ Officialibus quocumque nomine nuncupatis, & quibuſcumque aliis, cujuſcumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, & quacumque nobilitate, dignitate & facultate Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant, ſcientia & auctoritate ſimilibus diſtrictius præcipiendo inhibemus, ne dicti Montis Mantuani proventus in totum vel pro aliqua parte in alias cauſas, quam illas, ad quas ordinantur & deputantur, quovis modo convertere, aut de illis quidquam exponere, ſeu circa illos fraudem vel dolum committere, & illos, qui proventus ipſos augere intenderent, quominus id faciant, impedire, aut ab eorum pia intentione hujuſmodi retrahere, directe vel indirecte quovis quæſito colore præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a qua ab alio quam Romano Pontifice, præter quam in mortis articulo conſtituti, nequeant abſolutionis beneficium obtinere: Et nihilominus duplum ejus quod expoſitum fuerit aut fraudatum, ſeu ne illi erogaretur ſuaſum, eidem Monti Mantuan. reſtituere teneantur. Et quia ſecundum varietates temporum, nonnumquam expedit ſtatuta immutare, præſidentibus dicto Monti Pietatis, ac quibuſcumque aliis ad quos ex forma ordinationum illius, ſtatuta ipſius Montis Pietatis immutaro poſſe conceſſum eſt, ſtatuendi ſuper dictorum proventuum acquiſitione, uſu & diſtributione, ac conſervatione, ac ſtatuta pro tempore immutandi, & ex toto abrogandi, ac alia faciendi, per quæ tamen nullum votivæ diſtributioni eorumdem proventuum in pios uſus, ad quos deputantur, præjudicium generetur, ſcientia & auctoritate prædictis facultatem concedimus; ac mandamus, quod ea quæ ſtatuta & ordinata ſunt, & pro tempore in poſterum provide ordinari & reformari contigerit, debeant ab omnibus inviolabiliter obſervari: Prædicatoribus verbi Dei, qui in prædicta Mantuana Civitate pro tempore erunt, in remiſſionem peccatorum eorumdem injungentes, ut in eorum prædicationibus Chriſtifideles ad impendendum pia ſuffragia prædicto Monti Mantuano inducere, dum & quoties expedire putaverint, non omittant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, inhibitionis, conceſſionis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei,

ac

ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVI. III. *Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno* III.

Hie. Balbanus.

Jubetur redire Peruſium.

XXI. Habitis concionibus ad templum Aracœli ſui Ordinis, præſertim in natalitio ſancti Franciſci, concurrente immenſa populorum multitudine, juſſus eſt Bernardinus redire Peruſium, ſedaturus novos illius gentis tumultus, ita tamen ut declinaret ad Tudertinos, ſimile beneficium præſtiturus. Prompte obſecutus dixit Pontifici, ſævam & ad arma cædeſque proclivem gentem Peruſinam dure coercendam, Præſidemque immitti debere, qui rigore & timore coerceret, uti ſub Paulo II. factum erat, cujus tempore pacifice vixerunt. Diſceſſuro præcepit Angelus Vicarius Generalis, ut propter attenuati corporis complexionem, viarum incommoditatem, brumæque rigorem equitaret, ſociiſque injunxit ne permitterent peditare. At ille inſuetus equis, minimeque valens calcaria pigritantis equi lateribus admovere (erant enim parvuli hominis crura breviſſima, vix ephippia excedentia) rogavit ſibi permitti religioſo conſuetoque more ambulare.

Ubi diſſidia feralia extinguuntur.

XXII. Ubi Peruſium, civium omnium exultatione appulerat, cœpit concionari Dominica tertia Adventus, omneſque hortari ad frequentiam Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, ad opera miſericordiæ exercenda, & ferales inimicitias extinguendas. Infra paucos dies, juxta Bernardini conſilium, Pontifex illuc Gubernatorem, ſive Legatum miſit Epiſcopum Caſtellanum, Mantuanum, hominem in rebus Curialibus & regimine expertiſſimum, ampliuſque reprimendo ſævienti populo adjunxit ſuum Nepotem Archiepiſcopum Coſentinum, latis inſuper ſeveris legibus contra paeis urbiſque perturbatores. Ægre gens Balliona hoc ſibi frænum & vincula injici ferebat, cui ſedandæ conatus omnes adhibuit Bernardinus, dieque ſancti Silveſtri doctiſſimam habuit concionem de obedientia debita legibus Pontificiis, de bono pacis, de ſeditionum incommodis, & de pœnis digne inſerendis in pacis publicæ violatores. Hac præmiſſa diſpoſitione, publice lecta ſunt ſtatuta Pontificia, deinde præcipuis Civibus ad conſilium vocatis, reconciliatis partium ducibus, admiſſæ ſunt leges, & urbs pacificata. Reliqua quæ Tuderti aliiſque in locis Bernardinus egit, dicemus anno ſequenti.

Fr. Mich. Epiſc. Rubicen.

Fr. Garſias Giſarcen.

Floret Jacobus de Atienza.

Joan: Tamaritius.

Et Martinus a Caſo.
Peram. de orig. Inquiſ. l. 2. c. 3. n. 26.

XXIII. Duos dumtaxat invenio hujus anni Epiſcopos Minoritas, Michaelem Lopre de la Sorva translatum ab Eccleſia Giſarcen. quam anno præterito diximus accepiſſe, ad Rubicen. in Fortunatis Inſulis, ſub Archiep. Hiſpalenſi, per obitum Joannis, IV. Kalendas Aprilis, & Garſiam de Quexada ſacræ Theologiæ profeſſorem, electum ad prædictam Giſarcen. per translationem Michaelis, eodem die. Floruerunt in Provincia ſancti Jacobi litteris & virtute Jacobus Atienzienſis in Theologia olim Laureatus, & ex Collegio Doctorum Salmanticenſium unus, Miniſter prædictæ Provinciæ hoc anno electus, qui cum vehementer ſe opponeret conſtructioni Monaſterii ſanctæ Urſulæ, Tertii Ordinis Monialium e regione Cœnobii Minorum Salmanticenſis, quod Alphonſus Fonſeca Archiep. Compoſtellanus ædificabat, hoc ipſo anno deceſſit; & Joannes Tamaritius, qui anno ſequenti ad Miniſteriatum aſſumptus eſt, vir prudentiſſimus, & rei bene gerendæ peritiſſimus. In regione Bætica notiſſimus fuit Martinus a Caſo, ſacræ Theologiæ Magiſter, Inquiſitoribus Cordubenſibus aſſeſſor & coadjutor adſcriptus.

XXIV. Flo-

Ac Joanna de Croy.

XXIV. Florebat etiam hoc anno in Monaſterio ſanctæ Claræ de Moncello, juxta pontem ſanctæ Meſſaniæ, alias ſanctæ Maxentiæ, Belvacen. diœceſis, de quo alias diximus, ſoror Joanna de Croy, de Ducum (ut habet quoddam Innocentii diploma) Barooum, Comitum genere procreata, & Renati Lotharingiæ Ducis conſobrina.

Conv. Glemonæ. Gonz. in Prov. S. Anton. Con. 10.

XXV. Catarina devota fœmina Glemonæ oppidi, quod in Foro-Julii montibus ſupra Utinenſem urbem conſurgit, facultates omnes legavit conſtruendo ibidem Cœnobio Obſervantum. Hoc anno cœptum, brevi abſolutum eſt, & Fratribus Provinciæ ſancti Antonii traditum. Poſt aliquot annos deficiente victu, & frigeſcente Glemonenſium caritate, locum deſeruere. Poſſederuot Fratres Auguſtiniani uſque ad annum MDLXXVIII. quo Miniſtri ſungebatur officio Franciſcus Gonzaga: ſcribit enim ſe tunc rogatum a Glemonenſibus, locum iterum admiſiſſe, poſtquam alio translati ſunt Auguſtiniani, & oppidani promiſerunt ſe Franciſcanis ad victum & amictum neceſſaria miniſtraturos.

Conv. Urcei. Idem in Provin. Brixiæ Conv. 11.

XXVI. Prope Urceum, Brixienſis diœceſis Oppidum perelegans, foſſa, aggere, propugnaculiſque munitiſſimum, peroptimi & ſubtiliſſimi lini feraciſſimum, oppidanos hoc anno Cœnobium Obſervantibus ſub titulo ſancti Franciſci de Pace conſtruxiſſe, annuente Ludovico XI. Francorum Rege, qui tunc Mediolanenſibus imperabat, aſſerit Gonzaga. Sed vel error eſt in annorum numero, vel nullam tunc conceſſit Ludovicus facultatem, qui ante biennium defunctus eſt, neque ullum tunc Galli exercebant in Mediolanenſes imperium.

Conv. Pini. Idem in Provin. Corſicæ Conv. 19.

XXVII. Hujus etiam anni partus eſt Conventus ſancti Franciſci prope oppidum Pini in Corſicæ inſula, ubi requieſcit frater Bernardious a Pravoli Balaoia, Laicus virtute & pietate illuſtris, qui juvenem podagra graviſſime laborantem ſolo manus contactu a tanto dolore liberavit. Obiit anno MDLXVI. corpuſque tertio poſt tranſitum anno incorruptum repertum, peculiari cœpit coli veneratione.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Joan. Lionettus. Picquet. in Cœnob. Tanlay. Inſtrum. donationis. Gonz. in Provin. S. Bon. Conv. 16. Conv. Tanlay.

,, XXVIII. In exiguo, ſed amœno Caſtro Tanlaico, diœceſis Lingo-
,, nenſis, perſuadente fratre Joanne Lionetto, pio Concionatore, & inter
,, ſuos gentiles non vulgaris venerationis, hoc anno (licet alii annum nu-
,, merent MCCCCLXXIII.) die XV. Junii Petrus de Courcellis, Dominus
,, locorum a ſancto Theobaldo, & Tanlay aliquot jugera terræ donavit,
,, ut ibidem Cœnobium conſtrueretur Obſervantum, ejuſque ſorores An-
,, na & Margarita, necnon viri aliquot nobiles & pii, pingues fabricæ pro-
,, movendæ contulerant oblationes. Eccleſiam conſtruxit Margarita conjux
,, Ducis Burgundiæ, & ſub oomine Dominæ noſtræ de Pietate conſecravit
,, Epiſcopus Troyenſis anno MCCCCXCVI. die XXII. Septembris, licet of-
,, ficium dedicatioois in XIII. Octobris tranſtulerit Epiſcopus Lingonenſis.
,, At quod pii illi Domini Tanlaici religioſe conſtruxerunt, alii ex eadem
,, progenie impii Calviniſtæ anno MDLXII. feraliter deſtruxerunt, & quid-
,, quid libuit ex ſacris prædeceſſorum donationibus in proprios uſus con-
,, vertentes, rapaciter diripuerunt; & eouſque ut nolas, horologium, &
,, lapides ipſos io domos ſuos tranſportarint, & poſt biennium Fratres ex
,, Tanlayo, & villa Tonnery, occiſis duobus, rebus omnibus & veſtibus
,, ſpoliatos, male habitos, & crudeliter cæſos cum ludibrio profligarint.
,, Pacatis tumultibus reverſi Fratres, uti potuerunt, domum reſtaurarunt.

Fr. Jacob. Hugonis.

,, Hoc in loco a prima ſua fundatione multi vixerunt viri docti & religioſi,
,, inter quos maxime emicuit Jacobus Hugonis Delphinas Doctor Pariſien-
,, ſis, Henrici II. Franciſci II. Caroli IX. Francorum Regum Eccleſiaſtes,
& Con-

„ & Confeſſarius, ab eodem Carolo ad Concilium Tridentinum miſſus, pro „ Joanne Urſino Epiſcopo Tricorenſi Procurator exſtitit, & ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem honorifica legatione perſunctus eſt. A nullo horum Regum induci potuit, ut oblatos admitteret Epiſcopatus. Carolus eum in delitiis habuit, valdeque familiarem, & abſque comitatu „ frequenter inviſebat; cubicula illi conſtruxit, annuamque dabat penſionem, quam ille, obtenta facultate Apoſtolica, in Fratrum uſus convertebat, maxime in ornatu & cultu Divino, conflatis quæ adhuc videntur „ in ſacrario Pariſienſi vaſis argenteis deauratis, pondo ferme centum marcarum. Obiit anno MDLXXIV. die XIX. Novembris Lutetiæ, ſepultuſque „ eſt in magno Conventu ante Altare ſupremum in eodem ſepulcro cum „ Petro a Cornibus ſuo præceptore. Henricus III. dum regnum gubernaret Poloniæ, ubi deceſſiſſe audivit, valde contriſtatus eſt, & ſolemnibus ei parentavit exequiis. Illic etiam floruit frater N. Gallier, doctrina „ & ſpiritu prophetiæ clarus, qui ſæpe publice, & e roſtris, quod alias dicemus, prædixit turbas in Gallia per hæreticos excitandas, noluitque in „ templo illius Cœnobii ſepeliri, prænuncians illud violandum fore, & in „ ſtabulum convertendum; uti vere poſtea per illud tempus effectum eſt.

Fr. N. Gallier. *An. 1520.*

XXIX. Conceſſit hoc anno XII. Kalendas Julii Innocentius Pontifex facultatem Vicario Provinciæ Britanniæ inferioris, *noviter* ut habet diploma *erectæ*, accipiendi a Dominis locorum de Roham, & de Ploen in Ducatu Britanniæ conſiſtentium, duos vel tres Conventus, quos cogitabant in ſuis dominiis conſtruere, & prædictæ Provinciæ aggregare, ſcripſitque Epiſcopis Coriſopiten. & Briocen. ac Abbati de Doulas, Coriſopiten. diœceſis ut fabricæ contradictores compeſcerent. Nullum tamen accepiſſe comperio; nulla enim horum locorum inter prædictæ Provinciæ Conventus mentio reperitur.

Conv. Britanniæ. *Lib. 31. fol. 346.*

XXX. Nicolaus Carros de Arborea, Baro Calaritanus, olim Sardiniæ Prorex, legavit bona ſua condendo Cœnobio Fratrum Obſervantum duodecim, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu prope Eremitorium Dominæ noſtræ de Serpe, diœceſis Galtellinenſis. Hoc autem anno ejus conjux vidua Brianda, Carros de Mur Baroniſſa, ab Innocentio petiit facultatem Cœnobium conſtruendi, & aggregandi ædificio prædictum Eremitorium. Rei examen commiſſum eſt Epiſcopo Galtellinenſi, XVI. Kalendas Octobris, neque alia poſt hæc hujus Cœnobii reperitur notitia.

Conv. de Serpe. *Lib. 34. fol. 67.*

XXXI. Innicus Lopetius a Mendoza ſecundus Tendiliæ Comes, & primus Mondexaris Marchio, feliciter perfuncta pro Regibus Catholicis Ferdinando & Eliſabetha legatione apud Innocentium Pontificem, & ſtatuta inter ipſum & Ferdinandum Regem Neapolitanorum pace, compoſitiſque inter Italiæ Principes bellorum tumultibus, obtinuit hoc anno a Pontifice facultatem ædificandi in ſuis terris Cœnobium Fratrum Obſervantum ſub vocabulo ſancti Antonii. Reverſus in Hiſpaniam, tum ſuis tum germani fratris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſumptibus, Cœnobium ſub titulo ſancti Antonii intra Mondexaris oppidi mœnia Fratribus Obſervantibus conſtruxit. Fratrem hunc Cardinalem dicit Gonzaga fuiſſe Petrum Gonzalvum a Mendoza Epiſcopum Giennenſem & Patriarcham. At Petrus Salazarius Didacum Hurtado de Mendoza Archiepiſcopum Hiſpalenſem, Patriarcham * Alexandrinum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. Vere uterque fuit Cardinalis, ille creatus a Sixto IV. anno MCCCCLXXIII. iſte ab Alexandro VI. anno MCCCCXCVIII. ſed primus fuit ex Marchionibus Santillanæ, non tamen Epiſcopus Giennenſis, ſed Calaguritanus, ex quo Epi-

Conv. S. Antonii Mondexaris. *Conc. in Prov. Caſtel. Conv. 16.*

Salaz. l. 4. de Prov. Caſtel. c. 20.

* *al.* Hieroſolymitanum.

Vide Nobiliar. Hiſp. l. 4. c. 13. & lib. 5. c. 5.

Epiſcopatu ad maximas Hiſpaniæ Eccleſias & dignitates aſcendit: ſecundus vero fuit Innici frater ex Comitibus Tendiliæ, Petri nepos, ſive conſobrinus. Hujus itaque Didaci opulentiſſimi fratris adjutus opibus, Cœnobium magnifice conſtruxit Innicus, plurimis pretioſis ornamentis a Rege Neapolitano dono acceptis, vaſis aureis & argenteis abundanter inſtruxit. Succeſſores fundatoris pietatem æmulati, erga Fratres ſatis liberales & pios ſe ſemper exhibent, & cum eodem in ſacello majori ſe curant tumulari.

* *al.* Athachathenſi. Conv. Kil-cuilini. *Monum. MSS. Prov. Hiber.*

XXXII. In Hibernia & diœceſi Dublinenſi * in Lagenia, hoc anno conſtruxit Obſervantibus Cœnobium prope pontem Kille-cuilini XVIII. M. P. a Dublino, in via qua itur in Momoniam, Rolandus Euſtatius Juſtitiarius, Cancellarius & Theſaurarius Hiberniæ, in quo ipſe, ſucceſſores, & multæ nobiles familiæ illius regionis delegerunt ſibi ſepulturam. Fuit locus valde devotus, ſed deſtructis reliquis ædificiis per hæreticos, remanſit dumtaxat Eccleſia cum ſuis ſacellis, obductis fuligine & temporum inclementia picturis. A triginta circiter annis partem ædificii occupabat hæreticus Anglus, unde neque auſi ſunt Fratres ſua repetere. Quando expulſi ſunt, curaverunt meliorem auferre ſuppellectilem, & campanas ſubtus terram abſconderunt, loco poſterioribus non omnino incognito. Novi, Philippum Flasburium in ſuis chronicis fundationem hanc rejicere in annum MCCCCLXVII. ſed probabilius quædam Fratrum monumenta ad me miſſa, in hunc annum reducunt. Refert autem Flasburius, ipſum Rolandum anno MCCCCLXVII. defunctum, ſepultum fuiſſe *in cancella* inquit (forte intra cancellos) *ſacelli majoris una cum conſorte ſua D. Margarita Janico*. Hoc anno Conventus Wexfordienſis in eadem Provincia Lagenienſi, admiſit reformationem, & traditus eſt Obſervantibus.

Conv. Wexforden reformatur.

Mon. Giennen. *Lib. 42. fol. 51.*

XXXIII. Hoc anno pridie Idus Decembris Innocentius facultatem conceſſit Joanni de Narbayes, Theſaurario Eccleſiæ Giennen. ea in urbe Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ conſtruendi ſub invocatione beatæ Mariæ de Gratia, & regimine Vicarii Cuſtodiæ Hiſpalen. Fratrum Minorum de Obſervantia, & ut Sorores in eodem victuræ, earumque confeſſarius gauderent omnibus privilegiis & indulgentiis conceſſis a variis Pontificibus Monaſterio beatæ Mariæ Regalis de Oterdeſillas, diœceſis Palentinæ. Quid autem in hac re factum ſit, non comperio; neque enim inter Monaſteria Provinciæ Granatenſis, intra cujus limites illa Civitas continetur, video recenſeri. De alio antiquiori Giennenſi Clariſſarum Monaſterio alias locuti ſumus.

Tom. 5. an. 1371. n. 33.

Mon. Brulen. *Lib. 24. fol. 294.*

XXXIV. Eadem eſt incertitudo circa Monaſterium aliud, quod Brulis Trajectenſis diœceſis Margarita Duciſſa, relicta quondam Caroli Ducis Burgundiæ ſtatuit, annuente hoc anno III. Idus Aprilis Innocentio Pontifice, conſtruere juxta primævam ipſius Ordinis inſtitutionem, quam ſancta Clara a ſancto Franciſco recepit, quod gubernari volebat a Vicario Provinciæ Colonienſis; neque enim aliud hujus Monaſterii veſtigium reperio.

Domus Sororum Tertii Ordinis Segobien. *Gonz. in Prov. Concept. Mon. 30. Mon. MSS. ejuſd. Prov.*

XXXV. Maria a Spiritu ſancto, virgo Hiſpana, ex Guadalfagiara urbe oriunda, cupiens ſe Divinis devovere obſequiis, Divinitus monita patriam reliquit & Segobiam ſe contulit: in honeſtiſſimas quaſdam Virgines eadem mente & deſiderio præditas incidit, initoque cum eis conſilio, ex communibus omnium facultatibus, diverſiſque fidelium eleemoſynis hoc anno domum ædificari curavit, in qua cum ſociis per annos duodecim ſub Tertio Inſtituto ſancti Franciſci permanſit. Sed cum Sorores ſanctæ Claræ antiquioris Monaſterii extra urbem ſub Patrum Conventualium regimine laxius viventes, ad alterum ejuſdem Inſtituti ſub titulo ſancti Antonii & guber-

nio

nio Obſervantum anno MCCCCXCVIII. reducerentur, ita curantibus Eliſabetha Hiſpaniæ Regina, & fratre Franciſco Ximenio ejus confeſſario, Sorores prædictæ Tertiariæ ad derelictum a Clariſſis Monaſterium tranſierunt, nomenque indiderunt ſanctæ Claræ. Ultra triginta Moniales hic vivunt religioſiſſime; obieruntque illic pleræque non ſine ſanctitatis opinione, Maria a Pennaloſa, quæ deſunctum puerum ad vitam revocaſſe fertur, humilitatis, caritatis, aſſiduæ orationis aliiſque virtutibus inſignis; Eliſabetha Peralta, Joanna Lopetia, Catarina de San Millan, dæmonibus inviſa, & ab eis plurimum exagitata, quæ anno MDLXXIX. ſancte deceſſit; Maria de Heredia, abſtinentia, carnis maceratione, & erga pauperes caritate inſignis, quæ anno MDCVIII. carnis ergaſtulum reliquit, quas nuper ſecuta eſt Maria Ramirez, celebrem apud Segobienſes propter plurimam virtutem opinionem adepta.

Domus Alcarazii. *Idem in Provin. Carthagin. Mon. 13.*

XXXVI. Virgo altera ejuſdem gentis, Maria Ruizia; Alcarazii (quod frequens eſt Toletanæ diœceſis oppidum) nata; ſpretis nuptiis, habitum induta Tertii Ordinis, in editiori urbis parte domum accepit, conſentiente Archiepiſcopo Toletano, a Marchione Villenæ anno MCCCCLXXI. eique adhærentibus aliis ſui propoſiti Virginibus, hoc anno facultatem ab Innocentio impetravit, ibidem domum regularem ſub obedientia Miniſtri Provinciæ Caſtellæ inſtituendi: *Sedis Apoſtolicæ*. v. Idus Junii. Gonzaga ait, ſub obedientia Miniſtri Provinciæ Carthaginenſis vivendi conceſſam fuiſſe facultatem, idque conſequenter ad ea, quæ in exordio illius Provinciæ de ejus erectione anno MCCCCLXXXIV. affirmarat. Sed de adeo celeri hujus Provinciæ erectione non ſine fundamento nos eo anno dubitaſſe, hoc Innocentii diploma docebit. *An. 1484. n. 48.* Poſt annos vero quadraginta, ex hoc loco anguſto valde ad alium intra ejuſdem urbis mœnia capaciorem, ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ conſtructum, translatæ ſunt Sorores. Vivunt hic ferme triginta in ſumma ſui Inſtituti obſervantia. Prima, quæ normam dedit, Maria Ruizia, omni virtute illuſtris, præſago ſpiritu ſui obitus diem prædixit. Hic Catarinæ Gonſalvæ dæmon plurimas, ſed fruſtra tetendit inſidias. Soror itidem Catarina Alvarez ſumma humilitate, caritate & oratione prædita, ſancto illic fine quievit. Aliæ his ſimiles ſubſecutæ.

Monaſt. Villæ Comitis.

XXXVII. Invenio hoc anno in regeſto Pontificio mentionem Eccleſiæ Parochialis ſancti Petri Dacerna, diœceſis Braccaren. unitæ Monaſterio ſanctæ Claræ Villæ Comitis ejuſdem diœceſis; & Monaſterii ſanctæ Claræ Delfenſis, diœceſis Trajectenſis, cujus ſervitio extra clauſuram Innocentius quatuor deputavit matronas honeſtas, ætate graves; Monaſterii ſancti Marcelli de Pogeto, diœceſis Caturcenſis, a Bertrando Epiſcopo Oſtienſi, uti alias diximus, fundati, cui Bertrandus alter Epiſcopus Caturcen. propter redituum tenuitatem univit Eccleſiam Parochialem ſancti Laurentii de Sancellis, ratumque voluit hoc anno Innocentius: & domus Sororum Tertii Ordinis Villæ Cloſcorburen. Auguſtanæ, diœceſis Maguntinæ, cui Pontifex incorporavit Eccleſiam Parochialem prædictæ Villæ, cujus Rector Sororibus Sacramenta miniſtrabat.

Monaſt. Delfen. Monaſt. S. Marcelli de Pogeto. *Tom. 7. an. 1342. n. 63.* Domus Sororum Cloſcorburen.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. JAnuenſes inter & Florentinos ob Serezanam Civitatem Mariti-
„ mam, quam Auguſtinus Fulgoſius Societati ſancti Georgii ejuſ-
„ dem Januæ dederat, armata diſſidia exoriuntur: at belli ſententia, Lau-
„ rentio Medicæo hujuſmodi negotio Martis manum admovente, in horum

„ favorem ceſſit, & quod gravius fuit, ipſa Janua in partes ſtulte diviſa, in
„ manus Ludovici Sfortiæ cecidit; quando Fridericus Imperator, pacata
„ Germania, Aquiſgrani Maſſimilianum filium in Regem Romanorum
„ electum & coronatum magno cum gaudio vidit. Romæ Pontifex fra-
„ trem Antonium de Cucaro Eccleſiæ Montis Marieni præfecit, *Apoſtolatus*
Indic. ex Vatic. „ *officium &c.* IX. Kalendas Februarii. Ad ſupplicationem vero fratris
„ Bernardini de Guaza Commiſſarii in Romana Curia, quod omnia indul-
„ ta, gratiæ & privilegia conceſſa ac concedenda Fratribus familiæ Ciſ-
„ montanæ cenſeantur conceſſa Ultramontanis, & converſo: extenditque
„ gratias & indulta conceſſa Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis in com-
Bullar. Roder. fol. 235. „ muni viventibus ad illos etiam, qui vivunt in particulari: & R. P. Hie-
„ ronymus Torniellus impetravit Sacerdotibus noſtris celebrantibus in
„ diebus Dominicis, & ſolemnitatibus Domini, beatæ Mariæ Virginis, &
„ Sanctorum noſtri Ordinis, inſuper & laicis communicantibus, Indulgen-
„ tiam plenariam, & idem etiam Monialibus. Clariſſis de *Belalcazar* ap-
Indic. ex Vatic. „ plicavit Capellam *de la Columna* nuncupatam: *Diſpenſatione Divina &c.*
„ III. Kal. Februarii. Fratrem Raphaelem Borellum ad Magiſterium di-
„ miſit: *Viri Sacræ &c.* VII. Kalendas Aprilis. XI. Kal. Julii Dieſtenſi-
„ bus, Colonienſis diœceſis conſtruendi Cœnobii reformationis beatæ
„ Coletæ facta fuit facultas: *Cognita devotionis &c.* Quod poſtea conſtru-
„ ctum ejus incolæ, ut habetur in Annalibus ſub MDVI. parentes mandato
„ Julii II. Pontificis, unanimi conſenſu, ſeipſos cum Cœnobio Obſervan-
Harold. ad ann. 1506. n. 15. Ex Copia. Ex Archivo SS. Apoſtol. „ tum familiæ ſuperioribus tradiderunt. Die XI. Julii Fratres de Aracœli
„ a ſolutione quartæ funeralis exempti fuere: *Ad grandia onera &c.* Ere-
„ mitas Clarenos haud ſubeſſe Fratribus Minoribus, at locorum Ordinariis
„ ordinatum eſt: *Vita &c.* pridie Idus Novembris, cum nonnullis ante
„ diebus, decima ſcilicet die Octobris, Matthias Hungariæ & Boemiæ Rex
„ Monialibus ſanctæ Claræ Znoymæ privilegia a ſuis prædeceſſoribus con-
„ ceſſa liberaliter confirmaſſet, ut ſubjectum exemplar oſtendit.

MATHIAS, Dei gratia Hungariæ, Boemiæ Rex, & Marchio Moraviæ, Luxemburgenſis & Sileſiæ Dux, & Marchio Luſatiæ.

Ad perpetuam rei memoriam.

Mathias Rex confirmat privilegia Clariſs. „ II. UNiverſis. *Licet omium Religioſorum loca, Chriſtifidelium pia*
„ *devotione Divino cultui mancipata, mentis noſtræ ſit protegere*
„ *& gratioſius conſervare; præcipue tamen fragili ſexui fœmineo, Deo im-*
„ *mortali in vitæ ſanctimonia, mundi abdicatis deliciis, famulanti, & lo-*
„ *corum earum conſervationi clementiorem nos debemus exhibere, cum debili*
„ *naturæ earum ac conditioni, & natura & Religio Orthodoxa plus perſua-*
„ *deat miſereri, quales eſſe intelligimus religioſas & devotas nobis dilectas*
„ *Abbatiſſam, Virgines, ac totum Monaſterium Sanctimonialium Ordinis*
„ *Minorum ſanctæ Claræ, Monaſterii in Znoyma, pro quibus Serenitati no-*
„ *ſtræ fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ipſis & Conventui ipſarum de*
„ *conſueta liberalitate noſtra, omnia & ſingula jura, privilegia & indul-*
„ *ta, ac omnes litteras & libertates, gratias, poſſeſſiones, bona, & commen-*
„ *dabiles conſuetudines univerſas, a piæ memoriæ Sereniſſimis Principibus,*
„ *Regibus Boemiæ, & Marchionibus Moraviæ, prædeceſſoribus noſtris,*
„ *aliiſque Principibus data & conceſſa, datas & conceſſas, innovare, ra-*
„ *tificare & gratioſius conſervare dignaremur.*
„ *Nos igitur, qui Eccleſiarum commodum promovere deſideramus, vo-*
tis

„ *tis illis libenter annuimus, & non per errorem aut improvide, ſed ſana*
„ *mentis noſtræ deliberatione, Procerum & fidelium noſtrorum accedente*
„ *conſilio, & ex noſtra certa ſcientia, auctoritate Boemiæ Regia, & Mar-*
„ *chionali Moraviæ, omnia & ſingula earum jura, privilegia, indulta, ac*
„ *omnes litteras, libertates, gratias, poſſeſſiones, bona, commendabiles con-*
„ *ſuetudines univerſas, dictæ Abbatiſſæ, Virginibus & toti Conventui Or-*
„ *dinis Minorum ſanctæ Claræ in Znoyma, Olomucenſis diœceſis, a præfatis*
„ *Regibus Boemiæ, & Marchionibus Moraviæ, ac aliis Principibus præde-*
„ *ceſſoribus noſtris, data & conceſſa, datas & conceſſas, prout rite & ra-*
„ *tionabiliter proceſſerunt, cum omnibus earum punctis, clauſulis, articulis*
„ *& ſententiis, ac ſi de verbo ad verbum hic eſſent earum tenores expreſſi,*
„ *innovamus, approbamus, & præſentibus gratioſe confirmamus, decernen-*
„ *tes & volentes ea ſingula habere robur perpetuæ firmitatis. Mandamus*
„ *igitur univerſis & ſingulis Baronibus, Nobilibus, ſignanter autem Capi-*
„ *taneo, & Subcamerario Moraviæ, quatenus dictas Abbatiſſam, Virgines,*
„ *Conventum & Monaſterium præfatum in ſuis juribus, privilegiis, ac bo-*
„ *nis, donationibus quibuſcumque, necnon in hac noſtræ confirmationis gra-*
„ *tia, quovis modo impediant, turbent aut moleſtent, quin potius eas manu-*
„ *teneant, protegant atque defendant, prout noſtram indignationem regiam*
„ *cupiunt evitare. In quorum fidem has noſtras litteras fieri, & ſigilli no-*
„ *ſtri regia appenſione juſſimus muniri. Datum ex Rez* x. *Octobris, anno*
„ *Domini* MCCCCLXXXVI. *Regnorum noſtrorum Hungariæ* XXIX. *Boemiæ*
„ *vero* XVIII.

Ad mandatum Domini Regis Joannes Epiſc. Wradic.

„ III. Dimiſſis tribus Monialibus de Moncello ad Benedictinas: *Apo-* *Indic. ex Vatic.*
„ *ſtolicæ Sedis &c.* Kalendis Decembris, & conceſſo beneficio fratri Joan-
„ ni Cheirai: *Religionis zelus &c.* XVII. Kal. Januarii; in Conventu
„ Tanlaico, diœceſis Lingonienſis in Gallia, Anonymus quidam ex noſtris, *Foder. in deſcript. illius Conventus.*
„ *Gallier* nuncupatus, vir doctrina & ſpiritu prophetico clarus obiit hoc
„ anno MCCCCLXXXVI. ſæpe Vir Dei publice ad populum ſermonem ha-
„ bens, longinqua tamquam præſentia manifeſtavit; calamitates, incendia
„ & cædes, quas invecturi erant anno MDLXII. clare prænunciavit; roga-
„ vitque, ut ſibi defuncto ſepulcrum daretur, non in Eccleſia, ut de more
„ ſolebat, ſed in Clauſtri angulo, quod lugens dicebat vidiſſe in ſpiritu
„ eam redactam veluti in equile, aut immundorum ſtabulum, uti vere ſub
„ illum annum accidit. Londini vero in Anglia frater Alexander Tertii
„ Ordinis S. P. Franciſci alumnus, omni virtutum genere ornatus, & ſan-
„ ctis operibus clarus, hoc item anno III. Nonas Septembris vitæ perio-
„ dum explevit. Ex Chronicis manuſcriptis Provinciæ Reformatæ Bava-
„ riæ, poſterorum memoriæ mandabo, hoc anno in Dominica *Jubilate*
„ poſt Paſcha, Provinciæ Argentinenſis Patres Ambergæ Comitia Provin-
„ cialia celebraſſe, Præſide Reverendiſſimo Patre fratre Joanne *Chroyn*
„ Vicario Generali Ultramontano Fratrum de Obſervantia, in quibus
„ quidem Comitiis, circa obſervantiam Regulæ noſtræ, & præſertim Mi-
„ noriticæ paupertatis perplura puncta magno zelo diſputata, declarata &
„ determinata fuere.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

Habentur Comitia Generalia Obſervantum utriuſque familiæ. Joannes de la Puebla in Hiſpania novam inchoat reformationem. Prohibetur Obſervantibus tranſitus ad Conventuales. Jubetur ne Inquiſitores Dominicani, aut Franciſcani in ſe invicem inquirant. Cogitat Pontifex præſcribere annuos reditus Fratribus incolis Hieroſolymorum, ſed renuunt accipere. Moriuntur viri pii Poloni. Decedit Gabriel Cardinalis Agrienſis. Florent viri docti & nobiles Clariſſæ. Bernardinus Feltrenſis multas percurrit Civitates & Provincias, ubique benefaciendo. Inſtituuntur Epiſcopi. Conſtruuntur domicilia.

Capitulum Generale Obſervãtum Ciſmontan. XVI. Aſſiſi. *Marc. 3. p. lib. 7. c. 10. Regiſt. Ordin.*

I. CELEBRATA ſunt hoc anno Kalendis Junii, apud ſanctæ Mariæ de Angelis in agro Aſſiſiate Comitia Generalia Fratrum Obſervantum familiæ Ciſmontanæ. Electus eſt Vicarius Generalis frater Joannes de Sigeſtro ſacræ Theologiæ profeſſor, olim in Curia Romana Commiſſarius, qui hoc anno cum laude conciones habuit quadrageſimales Aquilæ, ubi Pontificiæ & regiæ partium ſtudioſos invicem adverſantes pacificavit. Commiſſarius Curiæ deſignatus Evangeliſta Peruſinus Provinciæ ſancti Franciſci; Guardianus Montis Sion Hieroſolymis, Franciſcus de Periſiis Provinciæ Mediolanenſis; Vicarius Candiæ Paſchalis de Camplo Provinciæ Marchiæ; Commiſſarius Auſtriæ, Boemiæ & Poloniæ, Ludovicus a Turre Provinciæ ſancti Antonii; Commiſſarius Sardiniæ, Bartholomæus a Bergomo Provinciæ Brixiæ. Multa in his Comitiis decreta ſunt pro bono regimine totius Familiæ, & pro conſervatione locorum Terræ Sanctæ, quæ peculiari de conſtitutionibus operi, Deo dante, inſeremus.

Capitulum Obſervantum Ultramont. XVII. Toloſæ.

II. Similiter Patres Ultramontani ſuum etiam celebrarunt Capitulum in ſeſto Pentecoſtes ad Cœnobium Toloſanum ſanctæ Mariæ Angelorum Provinciæ Aquitaniæ, in quo electus eſt Vicarius Generalis Oliverius Mayllardus vir doctus & religioſus, ejuſdem Provinciæ alumnus. Inter alia decretum eſt, ita volentibus Regibus Catholicis Ferdinando & Iſabella, qui continuis præliis Mauros Granatenſes conterebant, quod Conventus, qui in Regno Granatenſi ſundarentur, in peculiarem Cuſtodiam vel Provinciam ſecundum arbitrium ſuturi Capituli Generalis, coaleſcerent. Inſuper quod Vicaria Canariæ aggregaretur Cuſtodiæ Hiſpalenſi, & cum ea unam conſtitueret Cuſtodiam, interveniente tamen auctoritate Apoſtolica, interim vero regeretur per Vicarium Provincialem, vel in ejus abſentia per Commiſſarium ejus, ſeu Vicarii Generalis. Quod etiam Conventus Angliæ, donec in Provinciam juxta ſtatutum præcedentis Capituli Generalis exurgerent, ſubjicerentur immediate regimini Vicarii Provinciæ Coloniæ, qui per ſe vel per Commiſſarium illos viſitet, ac de Fratribus provideat; hoc tamen ſalvo, quod ad Capitulum Generale diſcretum electum poſſint deſtinare, qui in eo ſuffragetur. In proximo Capitulo Generali, Coloniæ habito, multiplicato Fratrum numero, conceſſum eſt eis ut haberent deinceps juxta modum aliarum Provinciarum duo ſuffragia. Recenſiti ſunt Fratres defuncti hoc triennio ab ultimo Capitulo Generali octingenti quadraginta duo, atque inter hos Joannes Philippi, qui ter functus eſt officio Vicarii Generalis, bis Vicarii Provincialis in Provincia Franciæ, ſemel in Provincia Burgundiæ, & iterum in Aquitaniæ. Deceſſit anno præterito in Conventu de Lynejo.

Exordium Provinciæ Granatenſis.

Vicaria Canariæ unitur Cuſtodiæ Hiſpalenſi.

Conventus Angliæ ſubjiciuntur Vicariæ Coloniæ.

III. Joan-

III. Joannes de la Puebla, ſive de Sotomajori, de cujus nobiliſſima proſapia, & a Religione Hieronymiana ad Franciſcanam tranſitu, ſuperius locuti ſumus, poſtquam anno præterito excitatus precibus Fratriæ ſuæ Teresiæ Enriquez, relictæ fratris Gutterii, & coactus præcepto Angeli a Clavaſio Vicarii Generalis, in Hiſpaniam, infantuli nepotis & ampliſſimi Status bono regimini conſulturus abiiſſet, cogitavit de reformando Sodalitio, ſtrictaque paupertate, quam vidit & didicit in Provincia ſancti Franciſci, introducenda. Cupiens itaque inde accipere cooperatores, unde normam adduxit, egit cum prædicta vidua, & Friderico de Stunica, nobiliſſimi dominii moderatore, ut ab Innocentio Pontifice impetrarent, duos vel tres ex illa Provincia mitti Conſodales, vita probatos, & virtute conſpicuos. Et quidem impetraſſe, hoc ipſius Innocentii diploma manifeſte docebit. *Joannes de la Puebla abit in Hiſpaniam. An. 1480. n. 1. Marian. lib. 5. c. 47. Marc. l. 6. c. ult. Cimarel. lib. 5. c. 52.* *Advocat ex Italia cooperatores reformationis, quam excogitavit.*

Dilectis filiis fratri Andreæ de Peraſio, fratri Hilarioni de Tuderto, & fratri Franciſco de Baſtia, Ordinis Minorum de Obſervantia ſancti Franciſci, ſalutem &c.

IV. *NUper ex parte dilectæ in Chriſto filiæ Tereſiæ Henriquez, Comitiſſæ de Belalcazar, Cordaben. diœceſis, ac dilecti filii Friderici de Stanica ejuſdem comitatus adminiſtratoris, exhibita nobis petitio continebat, quod dilectus filius frater Joannes de la Pluebla dicti Comitatus quondam Comes, nunc autem Ordinis Minorum de Obſervantia in Italiæ Provincia ſancti Franciſci profeſſus, pro nonnullis præfatæ Comitiſſæ, quæ etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi, Caſtellæ, Legionis & Aragonum Regis Illuſtris, conſobrina exiſtit, ac etiam pro negotiis ſpiritualibus, & totius Religionis in Hiſpania incremento & manutentione, plurimum conduceret, ſi in Hiſpania, ubi nunc ex obedientia ſui Vicarii Generalis moratur, remaneret, tyro adhuc, & in ea non ſatis exercitatus, moleſte illic ſine ductu & conſilio alicujus ſenioris fratris moratur, valde optarent tam Comitiſſa, quam Adminiſtrator præfati, ex Provincia Italiæ prædicta viros aliquos graves, in Dei timore, ac aliis eorum regularibus Obſervantiis probatos, ejuſdem Ordinis profeſſores, ad eas partes, quamdiu ibi eſſe illum oportuerit, cum eo commoraturos, ac auxilio & conſilio in cunctis ei affuturos, per nos deſtinari, ut libentius ibi manere, & quæ per eum agenda ſunt, rectius ac libentius facere poſſet. Quare piis eorum ſupplicationibus inclinati, cupienteſque pariter, ut & illi in his, quæ ſecundum Deum per ipſum fratrem Joannem fieri deſiderant, adjuventur, & ipſe in ſuis regularibus inſtitutis, ac in omni bona operatione proficiat, vobis ac veſtrum ſingulis, de quorum prudentia & religione, teſtimonio fideli nuper accepimus, ad meritum obedientiæ ſalutaris mandamus, ut poſtquam hoc noſtrum Breve vobis præſentatum fuerit, infra trium dierum ſpatium iter verſus Hiſpaniam cum rebus veſtro uſui per Prælatos veſtros hactenus deputatis, vel pie vobis dehinc a fidelibus concedendis, quæ vobis neceſſaria aut commoda fore pro tempore putaveritis, capiatis, ac ſucceſſive, ſicut Dominus dederit, ad fratrem Joannem prædictum accedatis, & cum eo, quamdiu in illis partibus fuerit, in Conventibus veſtri Ordinis, & ſub dicta obedientia commoremini, ac quando in Italia ad præſentiam noſtram redire voluerit, redeatis: diſtrictius inhibentes, ne quis hanc veſtram profectionem quocumque prætextu aut colore, aut quavis auctoritate, directe vel indirecte, per ſe aut per alium, retardare aut impedire ullo modo præſumat: Ordinis, Familiæ, Provinciæ, cujuſcumque regularium provinciarum illorum conſtitutionibus, indultis & privilegiis for-* *Ex regiſtro Ord.*

forſan, per quæ inconſulta Sede Apoſtolica, aut aliis quibuslibet parere non teneantur, & eorum derogatoriis clauſulis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ, die XII. *Octobris* MCCCCLXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Incepto ſtrictiori vitæ genere varias patitur moleſtias.

V. His adjutus ſociis, & favore Eliſabethæ Reginæ, peculiare quoddam & rigoroſum vitæ genus in domunculis humilibus & pauperculis anno ſequenti auſpicatus, cœpit male habere tum a PP. Conventualibus, tum ab Obſervantibus. Invicta ferens omnia patientia, ad aſperam ſolitudinem Montis Mariani, vulgo *Sierra Morena* ſeceſſit, ubi inchoavit Cuſtodiam Angelorum, uti anno ſequenti dicemus, quæ in religioſiſſimam excrevit Provinciam, primam earum, quæ inter Hiſpanos vocantur *Recollectæ*. De reliquorum Conventuum incremento ſuis annis dicemus, & de piiſſima Joannis converſatione anno MCCCCXCV. quo ex hac vita deceſſit.

To. 13. an. 1463. n. 21. Prohibetur tranſitus Obſervantum ad Conventuales.

VI. Ex Fratribus Obſervantibus familiæ Ciſmontanæ tranſibant facile ad Patres Conventuales, ſive ad Congregatiunculas particulares, quas dixi neque Miniſtro Generali, neque Vicario Generali Obſervantum fuiſſe ſubjectas, illi quos vel tædebat vitæ auſterioris, vel culparum ſupplicium deterrebat. Severo conſtituto Pontifex hunc tranſitum prohibuit, quem etiam inhibuit anno ſequenti Fratribus Ultramontanis, maxime propter Aragonios facile ad Conventuales abeuntes. Idipſum ineunte anno ſequenti, auctoritate Pontificia vetuit Julianus Epiſcopus Oſtienſis, Ordinis Protector, ampliſſimo diplomate. Inſtabant Evangeliſta Peruſinus, Vicarii Generalis Ciſmontani, & Guillelmus Lemenandi, Ultramontani Procuratores, ſeu Commiſſarii in Curia Romana.

Dilecto filio Vicario Generali Ciſmontano Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

Ex originali.

VII. D*ilecte fili, ſalutem &c. Exponi nobis feciſti quod licet fel. record. Pius II. & Paulus etiam II. ac Sixtus IV. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri per diverſas eorum litteras inhibuerint Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus*, Conventualibus *nuncupatis, & aliis quibuſvis perſonis, cujuſcumque gradus, ſtatus & conditionis, ne Fratres dicti Ordinis*, de Obſervantia *nuncupatos, tuæ obedientiæ ſubjectos, reciperent, ſine licentia ſuorum Superiorum habita in ſcriptis; nihilominus nonnulli ex eiſdem profeſſoribus*, Conventualibus *nuncupatis, & alii, qui ſe etiam* de Obſervantia *faciunt nuncupari, ab obedientia Miniſtrorum Generalis & Provincialium Fratrum Conventualium exempti, & tuæ etiam obedientiæ non ſubjecti, plures Fratres tuæ obedientiæ ſubjectos, apoſtatas, ſcandaloſos, ac diſciplinam Ordinis tui fugientes, contra inhibitionem hujuſmodi perſæpe recipiunt & retinent, ac mittunt quocumque eis libuerit, allegantes prædicta facere poſſe auctoritate Apoſtolica ſuper hoc eis conceſſa; ac propterea nobis etiam ſupplicari feciſti, ut ſuper his providere paterna benignitate dignaremur. Nos igitur tuis ſupplicationibus inclinati, eorumdem Prædeceſſorum inhibitionem & litteras prædictas, &, prout inhibitionem eamdem concernunt, omnia & ſingula in dictis litteris contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus: Mandantes illis, qui aliquem ex tui Ordinis profeſſoribus*, de Obſervantia *nuncupatis, contra inhibitionem eamdem ſine licentia hujuſmodi receperunt, & in poſterum quomodocumque recipient, ſub pœnis & cenſuris in litteris Prædeceſſorum prædictorum contentis, ut poſtquam requiſiti fuerint,*

Digitized by Google

rint, aut alias ad eorum notitiam pervenerit, ſuper talium ſic receptorum nunc & pro tempore remiſſionem ad obedientiam Prælatorum tui Ordinis, a qua apoſtatarunt, illos ſine mora juxta inhibitionem hujuſmodi remittant, & eiſdem, qui ſic apoſtatando recepti fuerunt, ut ad eamdem obedientiam, a qua ſine licentia exceſſerunt, redeant, & locorum Ordinariis ac perſonis in dignitate conſtitutis, Cathedraliumque Eccleſiarum Canonicis, & Ordinariorum eorum officialibus, ac in ſpiritualibus Vicariis generalibus, quos deſuper pro parte tua requiri contigerit, ut tales, qui ſic receſſerunt, & pro tempore recepti fuerint, ad tui Ordinis Prælatorum obedientiam, a qua ſine licentia receſſerunt, redeant, & qui illos receperunt, ut eos remittant ad obedientiam hujuſmodi, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, & alia opportuna juris remedia compellant, faciantque & mandent eas non obedientes eorum mandatis, cenſuris prædictis per litteras Prædeceſſorum prædictorum in eos inflictis, irretitos publice nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec obedientes eiſdem, mereantur abſolutionis beneficium obtinere. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die x. *Maii* MCCCCLXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* III.

VIII. Etſi Clemens & Sixtus Quarti decreverint, ne Inquiſitores ex Ordine Prædicatorum inquirerent in Fratres Minores, neque hujus Ordinis profeſſores agerent in Prædicatores, nihilominus in Regnis Hiſpaniarum aliquot Inquiſitores ad ſua tribunalia Minores ſiſtebant. Quapropter Pontifex honorifico conceſſo Minoribus privilegio, inhibuit omnibus quibuſcumque Inquiſitoribus, ne quempiam illorum deinceps moleſtarent, ſed ſuis Superioribus juxta Regularia Inſtituta puniendos permitterent. Ita habet diploma.

Ne Inquiſitores Dominicani procedant contra Franciſcanos, & e contra. *Vide quæ diximus de hac re an. 1479. n. 6.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Firm. 3. Ord. par. 2. tract. 1. fol. 36.

E*X debito ſollicitudinis paſtoralis officii, cui, meritis licet inſufficientibus, præſidemus, ea, quæ pacem & concordiam nutriunt, pura, ut debemus, intentione perquirimus, & quæ ſeditiones excitant & ſcandalum introducunt, ab Eccleſiaſticis, Regulari Obſervantiæ præſertim deditis perſonis, ſtudioſius extirpare curamus, & his, quæ propterea provide emanaſſe dicuntur, ut omni tempore firma & illibata perſiſtant, libenter, cum petitur, noſtri adjicimus roboris firmitatem, ac alias deſuper providemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem fel. record. Clemens Papa IV. prædeceſſor noſter ex certis rationabilibus cauſis prohibuit omnino, ne Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor contra Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, vel e contra, Ordinis Fratrum Minorum profeſſor contra Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſores, ex commiſſo vel committendo ſibi in poſterum Inquiſitionis hæreticæ pravitatis officio, quantumcumque ſciret aut exiſtimaret eum reum, aliqua ratione procederet, ſed vel ejuſdem Superiori denunciaret, quod crederet corrigendum, vel ad Sedem Apoſtolicam referret, ſi mallet, & videret expedire. Et ſi ſecus attentaretur, decrevit proceſſum non tenere. Et deinde recolendæ memoriæ Sixtus Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, ſtatuit & ordinavit, quod Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor, dictæ pravitatis Inquiſitor, in Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, & e contra, Ordinis Fratrum Minorum profeſſor, ejuſdem pravitatis Inquiſitor, in Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſores quoſcumque officio Inquiſitoris hujuſmodi fungi, illudque exercere nullatenus poſſent, abſque Sedis Apoſtolicæ licen-*

licentia ſpeciali, de ipſius Sixti prædeceſſoris ſtatuta & ordinatione ſpecialem & expreſſam faciente mentionem, prout in eorumdem Prædeceſſorum litteris deſuper confectis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Generalis Miniſtri & Vicariorum tam citra, quam ultra Montes dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, nonnulli dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſores, in Hiſpaniarum Regnis & aliis dominiis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi, regnorum eorumdem Regis, Inquiſitores hæreticæ pravitatis per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias deputati, contra nonnullos Ordinis prædicti Minorum profeſſores, etiam de Obſervantia nuncupatorum, eorum officium hujuſmodi exercere, inhibitioni prædictæ contraveniendo, quamquam id eis nominatim conceſſum non exiſtat, tentaſſe dicantur; pro parte Generalis Miniſtri & Vicariorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi prohibitioni, ſtatuto & ordinationi Prædeceſſorum prædictorum, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur noſtræ approbationis adjicere, & ſuper eorum obſervatione pro quiete perſonarum dictorum Ordinum alias opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui profeſſorum dictorum Ordinum quietem, & proſperitatis votivæ ſucceſſus paternis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Clementis prohibitionem, & Sixti prædeceſſorum ſtatutum & ordinationem hujuſmodi, &, prout illa concernunt, omnia & ſingula in dictis litteris contenta, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere, & obſervari debere decernimus. Proque potiori cautela ea, quæ per eoſdem Prædeceſſores, ſicut præfertur, provide prohibita, ſtatuta & ordinata fuerunt, de novo eadem auctoritate ſtatuimus & ordinamus, ac univerſis & ſingulis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis prædictæ, Prædicatorum, & aliorum quorumcumque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium profeſſoribus, & Clericis ſecularibus, tam juxta privilegia ipſorum Ordinum in illorum Capitulis, vel per eorum Prælatos, quam per Sedem Apoſtolicam ſeu ejus Legatos, vel alias deputatis hactenus, & quos in poſterum quandocumque perpetuis futuris temporibus deputari continget in regnis & dominiis prædictis, ac alibi ubilibet per univerſum orbem, ne prætextu cujuſcumque poteſtatis & facultatis attributæ ſeu attribuendæ ſuper inquiſitione hujuſmodi quantumcumque ampliſſimæ, contra quempiam dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſores procedere & inquirere, aut officium ſuum exercere, quoquo modo præſumant, præfata auctoritate prohibemus. Et ut, ſi quos ex eiſdem Fratrum Ordinis Minorum profeſſoribus capere, ſeu carceribus mancipare forſan hucuſque præſumpſerunt, vel in futurum præſument, Fratres ipſos ſic captos, infra triduum, poſtquam de præſentibus notitiam qualitercumque habuerint, aut requiſiti fuerint, ad ipſorum ſic captorum, & detentorum Fratrum Superiores per omnia illæſos, & ſine mora per eos juxta juris formam & regularia inſtituta debitis pœnis puniendos remittant. Et quibuſcumque Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, Capitulis, Conventibus, & perſonis Eccleſiaſticis tam religioſis, quam ſecularibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis & conditionis exiſtant, & quacumque Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Primatiali, & mundana etiam Comitali, Ducali, Marchionali, vel alia qualibet auctoritate præfulgeant, ne contra dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, contra Prædeceſſorum prædictorum, & noſtrarum litterarum hujuſmodi tenorem procedant, inſiſtant, aut ad id auxilium, conſilium vel favorem præſtent, neve ullorum ex eis, qui contra earumdem litte-

tera-

terarum tenorem detenti, nunc & pro tempore forent, relaxationem & remiſſionem hujuſmodi impedire, aut malitioſe differri, ſeu retardari procurare, & ne fiant perſuadere per ſe vel alios, directe vel indirecte attentent, prælibata auctoritate mandamus. Et illos ex eis, qui Prædeceſſorum prædictorum, ac noſtris prohibitioni, ſtatuto & ordinationi contravenerint, excommunicationis ſententiam, & privationis officii Inquiſitionis, & aliorum officiorum & beneficiorum, quæ obtinent ſeu poſſident, & pro tempore obtinebunt ſeu poſſidebunt, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenenda irremiſſibiliter eadem auctoritate incurrere volumus. Et nihilominus locorum Ordinariis, & perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, ac Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, & eorumdem Ordinariorum Vicariis in ſpiritualibus generalibus, & officialibus ubilibet conſtitutis, qui deſuper pro parte alicujus profeſſoris dicti Ordinis Fratrum Minorum pro tempore fuerint requiſiti, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel plures aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios præmiſſa, ubi, quando & quoties expedire cognoverint, ſolemniter publicantes, & eiſdem requirentibus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant Inquiſitores præfatos prætextu cujuſcumque facultatis & poteſtatis eis attributæ ſeu attribuendæ, ſuper inquiſitione hujuſmodi quantumcumque ampliſſimæ, contra quemquam dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem procedere, & inquiſitionis hujuſmodi officium alias quomodolibet exercere. Et ſi quos ex eiſdem Fratribus Minoribus capere ſeu carceribus mancipare forſan hucuſque præſumpſerunt, vel pro tempore præſument, Fratres ipſos ſic captos ad ipſorum Fratrum Minorum Superiores per omnia illæſos, ſine mora remitti faciant puniendos. Et illos, quos eis hujuſmodi excommunicationis & privationis pœnas, non parendo Prædeceſſorum & noſtris prohibitionibus, ſtatuto & ordinationibus prædictis, incurriſſe conſtiterit, excommunicatos & privatos publice nuncient, faciantque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras hujuſmodi iteratis vicibus aggravare, & loca quæcumque, ad quæ cenſuris hujuſmodi ligatos declinare contigerit, Eccleſiaſtico interdicto ſubjicere procurent, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur ne quis extra ſuam Civitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede prædicta deputati, extra ſuam Civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque: ſeu ſi Inquiſitoribus prædictis, vel quibuſvis aliis, aut eorum Ordinibus a Sede prædicta indultum exiſtat, quod ipſi & eorumdem Ordinum perſonæ ſuſpendi vel excommunicari, aut eorum loca interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: decernentes præſentibus litteris numquam intelligi derogatum per quaſcumque clauſulas etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores atque efficaciores, niſi dum & quoties earum vero expreſſo tenore de verbo ad verbum, non autem per clauſulas hujuſmodi expreſſionem importantes, contingeret derogari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, prohibitionis, voluntatis & decreti infringere,

gere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVI. VI. *Idus Martii, Pontificatus noſtri anno* II.

Pōtifex præſcribit annuos reditus pro Fratribus Terræ ſanctæ.

IX. Videns Innocentius, ob bellorum tumultus, aliaſque temporum calamitates refriguiſſe fidelium caritatem erga incolas locorum Terræ ſanctæ, eoſque ob victus rerumque penuriam probabiliter inde receſſuros, ſtatuit ſuper pinguia beneficia Hiſpaniæ, Galliæ, & Burgundiæ, aliarumque regionum taxas quaſdam imponere, certoſque reditus annuos pro Minoritis illorum locorum cuſtodibus & incolis ſtabilire. Sed cum hoc ſciret Vicarius Generalis Obſervantum, cujus ſubditi ſacra illa loca incolebant, omnino obſtitit, nolens contra Regulæ præſcriptum reditus aſſignari, dicens, per duo ferme ſecula abundanter ſola pauperie contentos Fratres feliciter illic permanſiſſe; curavitque retineri litteras omnes ad Principes tranſmittendas. Idem tenor eſt omnium ad Hiſpanum, Gallum, & Burgundum ſcriptarum. Ipſa autographa ad meas manus pervenerunt. Do exemplar.

Admittere non vult Vicarius Generalis.

Cariſſimis in Chriſto filiis Ferdinando Regi & Eliſabethæ Reginæ Caſtellæ, Legionis, & Aragonum illuſtribus.

X. *Religioſi Ordinis Minorum beati Franciſci, qui apud Hieruſalem loca illa ſancta, Dominicumque ſepulcrum cuſtodiunt, carent, ut nuper accepimus, conſueta eleemoſyna, & ſolito ſubſidio, quod aliqui Principes Chriſtiani jam defuncti, quotannis pie ſolebant elargiri. Unde fit, ut Religioſi ipſi hoſpitalitatem ſervare, reparationes facere, aliaque ad Divinum cultum pertinentia parare & habere non poſſint, neque ibi diutius immorari valeant. De quo nos pro ſanctitate Templi illius, & pietatis operibus, quæ illic exercentur, non mediocriter movemur, & providere de remedio cogitamus, præſertim quod illa fere ſola devotio fidelibus populis inter nationes illas barbaras, & Chriſti nominis inimicas integra remanſit, quæ ne extinguatur, neve locus ille tam celeber & venerabilis, pro quo recuperando & conſervando tantum ſanguinis noſtri majores effuderunt, deſeratur, omnibus Catholicis curæ eſſe debet. Quare hortamur Serenitates veſtras, & attente requirimus, ut velitis nobis ſignificare, de quibus beneficiis, Prioratibus, aut Monaſteriis in veſtris Regnis exiſtentibus quæ commendari ſolent, & Conventus non habent, poſſimus ſpecialem facere reſervationem, & quantum annuatim, ſupportatis omnibus oneribus, reddere poſſint, ut ſubventioni ejuſdem loci fructus proventuſque illorum applicare valeamus. In quo Majeſtates Veſtræ magnum apud Deum meritum, pro cujus laude & honore id fit, & apud omnes Chriſtifideles, qui unicum illud in ea regione perfugium habent, laudem conſequentur, & nobis pro communi Chriſtianorum beneficio facient rem gratiſſimam. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XI. *Maii* MCCCCLXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* III.

Hie. Balbanus.

Moritur Anton. a Radoniſco. *Chron. MSS. Polonia.*

XI. Circa hunc annum moritur Cracoviæ Antonius a Radoniſco ex Magiſtro Artium & Doctore Pariſienſi, primum Canonicus Regularis, deinde Minorita Obſervantinus. Ex levi cauſa impatientia in tirocinio victus, abire cogitavit; ſed a Magiſtro viro pio & prudenti in vocatione con-

confirmatus, totum ſe beatiſſimæ Virginis & ſancti Franciſci patrocinio commiſit. Sacerdotio initiatus, frequenter prædicabat & devote, applauſum populi non aliter, quam cantus ſyrenum pertimeſcens. At dum neſciri cupit, & inanem auram aſpernatur, oportuit ex præcepto Capituli adhærere R. D. Sbigneo Archiepiſcopo Gneſnenſi, eumque ad diverſas ſynodos & diœceſis viſitationes comitari. Tandem infirmus Cracoviam ductus, Sacramentis rite ſuſceptis, contemplandæ Chriſti paſſioni totus intentus, alta trahebat ex corde ſuſpiria, & de Chriſto pro nobis paſſo pia verba miſcebat. Qui audiebat Joannes Puil, vir pius, eidemque aſſuetus contemplationi, effigiem attulit Chriſti crucifixi. Offerenti peramanter infirmus utraque manu ſinum cordis indicans, reſpondit: *Nihil opus eſt, hic eſt, iſthic requieſcit. Ex quo enim, frater cariſſime, Religonem intravi, paſſionem Domini mei Jeſu Chriſti nullo die meditari prætermiſi: attamen da mihi Dominum hunc meum crucifixum, ut intus & foris ei totus adhæream*; & in illius ſuaviſſimo amplexu totus in lacrymas reſolutus, obdormivit in Domino.

XII. Per idem tempus frater Paulinus concionator, omnibus carus, & in via Domini operarius fructuoſus, in virtute obedientiæ Cracovia ad Eremum ſanctæ Catarinæ miſſus, pia morte in oppido Scalmirienſi decedit, magnoque populi concurſu in Eccleſia parochiali ſepelitur.

Et Paulinus Polonus.

XIII. Floruit hac tempeſtate Cracoviæ Stanislaus de Corzep. Magiſter Artium Univerſitatis ejuſdem urbis, poſtea vir religioſiſſimus & celeberrimus prædicator. Poſtquam in Conventu Opatovienſi libros legit Sententiarum, & Decretalium volumen docte interpretatus eſt, multoſque procreavit doctos diſcipulos, & celebres Prædicatores, abſtinentiæ, vigiliis & orationi totum ſe applicuit, in choro aſſiduus, inceſſu gravis, moribus compoſitus, omnium factus virtutum exemplar, *Sancti* apud omnes nomen adeptus, diem clauſit extremum.

Floret Stanislaus de Corzep.

XIV. Licet multi diſcrepent circa annum quo Gabriel Mutinenſis, Cardinalis *Agrienſis* communiter nuncupatus, deceſſit, nonniſi hoc ipſo defunctum mihi probat regeſtum Vaticanum, quo refertur v. Kalend. Maii Epiſcopum Jaurienſem Urbanum translatum fuiſſe ad Eccleſiam Agrienſem, per obitum Gabrielis tituli ſanctorum Sergii & Bacchi Cardinalis nuper defuncti, vacantem. Locum ſepulturæ ad Aram-Cœli ſuperius indicavi. Floruit hoc tempore in provincia Terræ Laboris vir doctus & nobilis, Joannes de Thomacellis, cujus ad gravia munera frequenter adſciti occurrit mentio in Ordinis regeſto. Prædicarunt hoc anno cum laude & ingenti fructu Franciſcus de Aragonia, Regis Neapolitani Conſanguineus, Panormi; Michael de Aquis celeberrimus concionator Peruſii. Reginæ Neapolitanæ ejuſque nurus Duciſſæ Calabriæ confeſſiones excipere Vicarius Generalis dum Neapoli hæreret, juſſit fratrem Jacobum de Turre, Guardianum Conventus ſanctæ Mariæ Novæ, nolentem id munus ſubire, præcepitque fratri Michaeli de Neapoli, ut acceptaret officium eleemoſynarii Ducis Calabriæ, & cum eo quocumque iret, proficiſceretur.

Moritur frater Gabriel Cardin. Agrienſis.

Ann.1478. n.52.

Floret Joannes de Thomacellis. *Ex Reg. Ordin.* Et Franciſcus de Aragonia. Jacob. de Turre confeſſarius Reginæ Neapolis & Duciſſæ Calabriæ. Michael de Neapoli eleemoſynarius Ducis. *Barroſ. dec. 1. lib. 3. c. 5.*

XV. Joannes Luſitaniæ Rex totus intentus explorandis novis Regnis & Orientis regionibus, ſuo imperio ſubjugandis, miſſiſque multis per diverſa tempora navigiis, quæ tamen in hunc annum Promontorium trans Æquatorem & Capricornum celeberrimum, quod *bonæ ſpei* appellant, ſuperare non poterant, cum Indiarum, Æthiopiæ, Æthiopumque Regis exactam habere vellet notitiam, quod mari tot annis non poterat, terra ſtatuit experiri. Miſit itaque hoc anno fratrem Antonium Ulyſſipponenſem adjun-

Anton. Ulyſſipponen. mittitur a Rege Luſitaniæ in Æthiopiam.

adjuncto ſocio ſeculari Petro Montaroyo, qui ſub ſpecie peregrinationis Hieroſolymitanæ, ea in urbe Abiſſinos, frequenter illuc confluentes convenirent, mores gentis ediſcerent, & cum eis in Æthiopiam proficiſcerentur. Irrito hæc omnia conatu: etſi enim Hieroſolymis Abiſſinos viderint, & per interpretes alloquerentur, tamen propter Arabici idiomatis, per vaſtiſſima inter Paleſtinam, & Æthiopiam ſpatia ferme omnibus gentibus communis, inſcitiam, ulterius non ſunt auſi proficiſci.

Reguli Mirandulani duæ filiæ Clariſſę. *Ex regiſtro Ordinis.*

XVI. Regulus Mirandulus inſtantiſſime egit hoc anno cum Laurentio Parmenſi, Vicario provinciæ Bononienſis, ut duas admitteret in Monaſterio Mirandulano Ordinis ſanctæ Claræ, ſuas filias; quod dum ille renueret tum propter Monialium exceſſivum numerum, tum ne leges contemneret Religionis, quæ cavebant, duas in eodem Monaſterio recipi Sorores, Cuſentia ſcripſit Vicarius Generalis, ut ſuperatis ſua auctoritate difficultatibus, viri Principis, optimique benefactoris deſiderio ſatisfieret. Reguli etiam Camertis & conjugis Joannæ precibus acquieſcens, facultatem conceſſit nobili piæque ſorori Eliſabethæ de Varano, de qua iterum ſermo redibit, ut ex Monaſterio Urbinate ubi continuo languebat, ad Camertinum procurandæ ſaluti transferretur.

Reguli etiam Camertis una.

Legenda MSS. Cimarel. lib. 6. c. 12. Bernardinus Feltren. Tudertum pacificat.

XVII. In ipſo hujus anni introitu Bernardinus Feltrenſis ad Pontificis votum Tudertum abiit, civeſque in duas diviſos factiones publicis concionibus piiſque exhortationibus ad pacem reduxit. Deinde in unum corpus redactos, in Pontificis ſacramentum adegit, adeoque manſueſecit, ut quas placuit Hieronymo Urbinati, Epiſcopo Foroſempronii, leges ferre, paſſi ſint libenter. Diſceſſurus ante Dominicam Septuageſimæ, vexillum, quod ſecreto fieri curavit, in ſuggeſto, in ampliſſima area præparato, explicuit, in quo Chriſtus flagellatus brachiis extenſis urbi Tudertinæ prominebat, cives genuflexi euſque in duas partes diviſi, ſublatis ad Chriſtum oculis dicebant: *Pars mea Deus eſt*. Chriſtus viciſſim reſpondebat: *Et ego ero vester, ſi vos mei fueritis*. Et in fine concionis ingenti fervore prolatis illis verbis: *Pacem meam relinquo vobis*, omnes ad conſervandam, quam inierant, pacem hortatus, duo ſimilia vexilla rogavit fieri, unumque in Eccleſia Cathedrali, alterum ad Templum ſancti Fortunati, tertium in domo civica in teſtimonium & exhortationem pacis juſſit appendi. E roſtris deſcendentem, omnes lacrymis, magnis vocibus *pacem pacem* conclamantes, exceperunt.

Inde abit Fulgineum. Peruſii prædicat in Quadrageſima.

XVIII. Tuderto progreſſus Fulgineum, in Eccleſia cathedrali diebus duodecim concionatus, ludos inſaniaſque Bacchanalium deteſtatus, cœpit infirmari, vectuſque aſello, ſub initium Quadrageſimæ Peruſium pervenit. Languens & debilis concionari cœpit in Eccleſia cathedrali, nulloque die prædicare omiſit, etſi frequenti febris ſymptomate affligeretur. In die ſancti Joſephi, Peruſinis ſolemniſſimo, propter annulum ſponſalitium beatæ Mariæ Virginis quem poſſident, magnifica inſtituta ſupplicatione, doctaque habita oratione, perſuaſit Magiſtratui, ut nobile conſtruerent ſacellum marmoreum pretioſo theſauro cuſtodiendo, quem arculæ ferreæ deauratæ, clavibus quatuor obſeratæ, pretioſis monilibus, mirisque modis exornatæ commiſerunt, diviſis clavibus inter Dominicanæ, Franciſcanæ, Servitarum, & Auguſtinianæ Familiarum Superiores. Factum hoc, & pios Bernardini conatus, in ſuo docto commentariolo, quem de annulo pronubo Deiparæ Virginis inſcripſit Joannes Baptiſta Laurus Peruſinus, Urbano VIII. a cubiculi ſecreto, & litteris amœnioribus, meus dum viveret, optimus amicus, ita recenſet.

Facit honeſtius reponi annulum pronubum beatę Mariæ Virginis.

Laurus lib. 1.

XIX. Ce-

XIX. *Ceterum quo perennaturi apud Peruſinos annuli cultus longe lateque in dies amplificaretur, ab ædicula Palatina digniorem celebrarioremque in locum Patres tranſferendum cenſuere, idque non tam ſponte, quam hortatu beati Bernardini a Monte Feltrio *, Minoritæ Franciſcani, qui exquiſita majorum artium cognitione, ac ſanctimonia pollens, mirus Hieronymi atque Auguſtini diſcipulus audiebat, Enetboque afflatus ſpiritu, complura vaticinabatur, fuereque in his bella (Cometis enim duabus ſub initum Sixti IV. Pontificatus conſpectis, abunde fidem fecerant) conſueta, quæ poſtea univerſam Italiam funeſtiſſime devaſtarunt. Is Eccleſiaſtes ea tempeſtate laudatiſſimus, Peruſiæ inter concionandum, pronubi annuli dignitatem, excellentiamque lectiſſimis ornabat ſententiis, orationeque vivida, & liberalibus præconiis ad cælum efferebat, ſimulque obſervantiam illius multo flagrantius amplectendam prædicabat. Hujus dicto ſapientiſſimus Magiſtratus extemplo audiens, ornatiſſimum ſacellum in Baſilica ſancti Laurentii, qua muro picturato, ac cælacis aſſeribus concluſum, qua ferreis pilis & cratibus magnificentiſſimo ſumptu extruendum curavit. In ſummo hujus haſtati propugnaculi, ducta circum faſcia, hi deſcripti extant verſiculi.*

Hic ſociata ſuo colitur Regina marito,
Et facili juſtas accipit aure preces.
Hac ſacer intactæ matris jacet annulus æde.
Qui dedit, eſt cuſtos muneris ille ſui.

* al. a Feltro urbe.

XX. Deinde proſequitur egregias ſacelli picturas, variumque ornamentum tanto pignore digniſſimum, ibique jacere nobili ſepulcro Minoritam Theutonem tanti muneris auctorem, qui Cluſinis ſublatum, dum in Germaniam transferre cupit, Peruſinis tradere Divinis artibus compellitur. Hoc illius illic inciſum Epitaphium.

Acceptus hic annulus a Minorita.

FR. WINTHERIO

Natione Theutonico, profeſſione Minoritæ Franciſcano, cui Peruſia ob pronubalem Mariæ annulum, fortuitum donum, non minus debet, quam ſi ſponte obtuliſſet, ut cujus luminibus pios digitos ad extremum officium admovit, eidem tumulum pro dignitate excitaret, & benevolentiam ex diuturnitate, ac nobilitate muneris cumulatius remetiretur, Aram ante ipſam, Joſepho & Virgini Deiparæ dicatam, monum. poſ. XXIX. Octobris. Anno M. D. VI.

XXI. Porro Bernardinus ultra conſtructi ſacelli opus, tamquam pretioſiſſimi theſauri Cuſtodes, & ſtationarios milites, Confratres adhibuit Sodalitii ſancti Joſephi, primuſque huic Confraternitati urbis Epiſcopus, ſecundus ipſe Bernardinus Inſtitutor, qui & leges præſcripſit, deinde heroes, Clerus & populares affatim ſua nomina dederunt, appenderuntque ante nobile depoſitum lampades tredecim, omnium maxima in medio collocata, qua Virginis hoc annulo oppignoratæ, duodecimque Apoſtolorum excubias & fidam cuſtodiam denotarent. Præter hæc, ſolemnem devotamque fieri curavit feria quinta majoris hebdomadæ ſupplicationem, ut dignius tanti Sacramenti inſtitutio celebraretur, quod ipſe urbis Epiſcopus pretioſo geſtatorio circumferebat. Die ſequenti ad pœnitentiam dignamque peccatorum ſatisfactionem, ſabbato, & Reſurrectionis luceſcente aurora, ad reſurgendum cum Chriſto, & quæ ſurſum ſunt, ſapienda exhortatus, infirma ſemper valetudine, firmo tamen & conſtanti ſpiritu conciones cum latiſſimo fructu pacis & pietatis abſolvit.

Sodalitatem inſtituit ſancti Joſephi.

XXII. Doctrinam ejus Dominus ſignis multis comprobavit: etenim char-

Confirmatur miraculis ejus doctrina.

chartulis, quibus nomen *Jeſus* inſcribebat, fruſtulis panis ab ejus menſa diligenter ſublatis, multi e multis infirmitatibus convaluerunt. Fratris Barnabæ Peruſini germanus parvulus ad mortem properabat, & genitor ad Bernardinum cucurrit, ut opitularetur. Dedit chartulam, Jeſu nomine ſignatam, juſſitque ut benediceret, cruciſque ſigno muniret. Fecit pius pater, ſtatimque exurrexit languidulus filius, & cum parentibus ad menſam cœnavit. Aquiſpartis una dumtaxat concione, & ſanata muliere epyleptica, atque in capite vulnerata, omnes in ſui amorem & admirationem excitavit. Franciſcus Surianus Venetus, de quo alias obiter diximus, a confeſſarii munere, quod prudenter & ſolerter per annos multos exercuit, tranſire cupiens ad Prædicatoris, Bernardinum convenit, rogavitque ut Evangelicæ functionis rudimenta doceret, & linguæ crucis ſignum imprimeret. Ut fecit ille, ſenſit hic Divinum inſtillari animarum zelum, docteque & cum fructu prædicavit primo in Etruria: deinde inſtitutus Guardianus Hieroſolymitanus, Alexandriam perrexit, ubi multiſque in locis Ægypti multos Chriſto lucrifecit.

Tom. 12. an. 1455 n. 87.

Pernicioſos libros comburit.

XXIII. Peruſio diſceſſurus, ingentem ſtruem combuſſit librorum Magicorum, Nigromanticorum, malarumque artium, quibus plurimi ex gente hac erant addicti. Illic accepit litteras ab Antonio Foſcaro, Guardiano Veneto Conventus, *a Vineis* nuncupati, in ſupremo conſilio Decemviratus revocatum exilii edictum, in eum olim promulgatum, magnoque ferri Senatum deſiderio, ut repatriaret. Tudertum reverſus, comperit repullulaſſe ſtudium partium, atque ex factioſis multos Romæ laboraſſe, ut eo munere abdicaretur digniſſimus, quem ante diximus, Gubernator. Dolebant ſe tanti hominis reprimi auctoritate, cupiebantque ad ſimultates & odia fræna laxari. Reſtitit Bernardinus, multiſque concionibus pacis commodum, inimicitiæ damna, reverentiæ erga Sedis Apoſtolicæ Miniſtros, meritum & laudem enarravit. Tandem ſolidæ pacis præſcriptis ſexdecim articulis, explicatum pacis, quod diximus, vexillum, ordinato omnium proceſſu, per urbem circumduxit, portantibus, qui ſequebantur, olivæ ramos, ſtabilitæ pacis indicium. Dies hic Tudertinis ſolemnis & ſalutaris, urbis annalibus diligenter annotatus eſt, & in ædibus ſenatoriis Bernardini exſculpta effigies.

Tudertum revertitur.

Pacem confirmat.

Spoletum a Pontifice miſſus fructuoſe prædicat.

XXIV. Amplius prædicare progreſſus de vita Chriſtiane tranſigenda, de moderandis filiarum dotibus, de minuendo luxu, & temperanda pompa, de bona & religioſa filiorum educatione, Pontificiis litteris avocatus eſt Spoletum. Hic dum magno animarum lucro quotidie prædicaret, frequentiam ſuaderet Sacramentorum, modumque doceret recipiendi chariſmata Spiritus ſancti, cujus ſolemniſſimæ apparitionis feſtum imminebat, ad Comitia Generalia ſui Ordinis, quæ ſub illud tempus hoc anno Aſſiſii diximus celebrata, profectus eſt. Illic concionatus ipſo die Pentecoſtes, optime intellexerunt Poloni, Auſtrii, Boemi, aliarumque exterarum nationum Conſodales, veluti ſi lingua uniuſcujuſque loqueretur. Illic litteras accepit a Florentinis ſe jam tertium eum in ſuum prædicatorem delegiſſe, & Pontificium obtinuiſſe decretum ne alio mitteretur aut proficiſceretur, ſequenti Quadrageſima prædicaturus. Parum hic moratus, Pontificis mandatum proſecuturus, Spoletum rediit, illinc Ceretanos, peſſimum & fraudulentum hominum genus expulit, ſuburbia in quibus copioſe habitabant, multis ſuperſtitionibus & diabolicis expurgavit impoſturis. Ibidem etiam dæmonis, ita vocabant, rogum extruxit, in quo dæmonis arſerunt inſtrumenta, mulierum, ſpecieique adulterina ornamenta, aleæ, tabulæ, chartæque luſoriæ, amatoria carmina, libri quique pernicioſi.

Hoc anno n. 1. Aſſiſii prædicans die Pentecoſtes variis linguis loqui viſus eſt.

Spoletum redit, ubi multa bona operatur.

XXV. Re-

XXV. Recedentem univerſus ferme populus ſecutus eſt, adductique ſunt coram pluſquam quingenti parvuli, ut benedictionem impertiret. Conceptam de ſe virtutis aut ſanctitatis opinionem declinaturus, benedicere recuſavit; id a parentibus, quorum imprecationes aut benedictiones plurimi faciebat, dixit fieri debere. Trevium profectus, per hebdomadam prædicavit, inde progreſſus Fulgineum, ad pacem & concordiam inter ſe feraliter diſſidentes hortatus, prædixit urbis ruinam, niſi factionibus finem darent. Vere prænunciaſſe, ſuo malo probarunt. Sciſſis enim in contraria ſtudia civibus, copioſa collecta manu ruſtici urbem depopulati pleroſque nobiles occiderunt. Aſſiſii Montem Pietatis auxit, applicatis aureis quingentis teſtamento legatis ad pios uſus, pro illius arbitrio diſtribuendis, & ſex ſermonibus quos in foro habuit, multos excitavit, ut alias adderent pecunias. Pacis inſuper a ſe inductæ (ubique enim hæc factionum peſtis per id tempus invaluit) conſervatores deputavit. In feſto ſanctæ Claræ, ſplendidiſſimi illius urbis ornamenti, doctiſſimum habuit ſermonem, illiuſque progeniem & conſanguineos, quos nuſquam interrupta linea comperit extare, multis honoribus, quod alias diximus, affecit. Vehementer invectus in duas ſeditioſas partes, de quodam territorio contendentes, & tamdem Ballionibus Peruſinis donantes, ne pars una vinceretur ab altera, inſtar impiæ illius fœminæ, dicentes: *Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur*, voce magna clamavit: *Cavete*, inquit, *ne Dei Satellites & Miniſtros, qui vos ſevere puniant, advocetis: ſerpentem in ſinu abſconditis, & fovetis*. Vere prædixit, irruente poſtea in eos gente Ballionea, & miſere flagellante.

Trevii prædicat, & Fulgineum redit.

Aſſiſii Montem Pietatis auget.

Tom. 1. an. 1218. n. 14.

3. Reg. 3. 26.

XXVI. Nurſiam a Vicario Generali amandatus ut incultam illam gentem excoleret, Camerini ab urbis Regulo rogatus, in die Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis prædicavit. In Caſtello Viſi per aliquot dies hærere compulſus, feram gentem manſuefecit, pacificavit, & peſte illa Ceretana, inſtar urbis Spoletanæ liberavit. Nurſinis in publico foro ſingulis diebus prædicavit, qua potuit arte & labore mores ab aliarum gentium conſuetudine alienos, mire reformavit, Reipublicæ regimen aliud edocuit, qua educandi erant filii, multis documentis aperuit, pacemque turbatiſſimis rebus ſuperinduxit. Fuerunt qui per annos ſeptem & plures a conſortio & colloquio mutuo, propter odia & inimicitias & homicidia abſtinebant, quos Bernardinus ad oſcula pacis reduxit. Itineri ſe accingens Parmam verſus, ubi per Adventum Pontifex prædicare juſſerat, aliud hoc ejus mandatum accepit.

Nurſiæ & Viſi prædicat.

Jubet Pontifex ut Nurſiæ aliquandiu hæreat.

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia.

XXVII. *Dilecte fili, ſalutem &c. Intelleximus te aliquandiu prædicaſſe in Terra noſtra Nurſiæ cum magna ſatisfactione & ſpirituali conſolatione illius populi, qui in tuis ſanis monitis multum ſperat, & ſi diutius illic permanſeris, uberem fructum proventurum inde videt. Proinde ſupplicant omnes, dignemur eorum pio voto in hoc annuere. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tamquam ii, qui in primis animarum ſalutem, & Chriſtifidelium quietem & unitatem deſideramus, hortamur tuam devotionem, tibi nihilominus in virtute ſanctæ Obedientiæ Apoſtolica auctoritate mandantes, quatenus pro toto menſe Septembris ibidem prædices, & e Nurſia non diſcedas, ut opus bonum, quod inchoaſti, abſolvere poſſis, & ex ſalutifero ſemine fructus perveniant ad maturitatem. Deinde effi-*

Ex autographo.

ecre ſtudebis quæ tibi per alias litteras noſtras mandata fuerunt. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die prima Septembris MCCCCLXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* III.

Eugubii prædicat.

Callii, Piſauri, Arimini.

Ravennæ, Ferrariæ.

In Caſtro Revereo.

Mantuæ, obviiſque in locis.

XXVIII. Manſit itaque Nurſiæ uſque ad principium Octobris, Deo per illum mirabiliter in terra ſterili & horrida mire fructificante. Per aſperos montes nive conſitos pervenit Fulgineum, inde abiit Eugubium, ubi a quodam durius exceptus propter expulſos inde Hebræos, erectumque Montem Pietatis, intra ſui Cœnobii fines ſe continuit, & Conſodalibus, præſertim tironibus, prædicavit. Callii unum habuit ſermonem, Piſauri quinque, Arimini duos, ubi inter frequentiſſimas nundinas, quæ ea in urbe tunc inſtituebantur, in foro docuit eam veram eſſe nundinationem, quo parvo pretio æterna immenſaque Paradiſi bona comparantur. Ravennæ omnium applauſu exceptus, diebus tribus prædicavit in Eccleſia cathedrali, cymba dehinc Ferrariam evectus, inde perrexit ad Caſtrum Revereum territorii Mantuani, ubi novem dies concionatus, vanitatum malorumque inſtrumentorum inſtituit incendium, Mantuæ diebus hærens viginti, totidem habuit ſermones, ingentique pyra dæmonis malas artes evertit. Hinc abiens, Luzzaræ rogatus a Rodulpho Gonzaga, Viadanæ, Breſſelli prædicavit, ubique fœcunda ſpargens ſemina virtutum.

Parmæ prædicat per Adventum.

XXIX. Parmæ cœpit concionari incredibili civium lætitia Dominica prima Adventus, qui noctu præveniebant loca, ex quibus dicentem poſſent audire. Concionatus ſæpe contra fœneratores, & Hebræorum uſuras, tamdem obtinuit Montem erigi Pietatis. De beatæ Virginis Conceptione ita pie, ita docte diſſeruit, ut Canonici capitulariter decreverint, ne in Eccleſia ſua vocaretur in dubium puritas originalis ſacratiſſimæ Virginis, & Senatusconſulto hujus myſterii dies dictus eſt feſtivus. Aleatores, Luſores, uſurarios extra urbem fecit, factiones extinxit, per urbem a pueris cantari, in vicis publiciſque locis affigi curavit, *Pars mea Deus in æternum*, inſignia, ſignaque partium, ad factioſorum portas depicta, deleri, nomenque ſacratiſſimum Jeſus ſubſcriptis verbis prædictis fecit depingi. Demum caſtellum ingens ex peccatorum incentivis, libriſque amatoriis etiam bene compactis, argento & auro pretioſis, quos Dux Mediolanenſis Joannes Maria Galeatius amaſiæ tranſmiſit, magno civium jubilo tradidit Vulcano.

Turbarum fautor prædicente Bernardino male perit.

XXX. Regebat urbem Parmenſem Joannes Petrus Bergomenſis, Ducis Mediolanenſis Commiſſarius, cujus culpa ferme revixerunt factiones, paulo antea a Bernardino extinctæ, quique clauſtra Monialium laxiorem vitam agentium reformari & occludi prorſus impedivit. Acriter hominem reprehendit Vir Dei, e cœloque vindictam minatus, dixit, ante annum ferali morte pœnas luiturum. Vere prophetavit, etenim poſt paucos menſes defuncto Principe Faventino, eam in urbem amandatus a Duce Commiſſarius, fruſtratim cæſus eſt a Vallis Camonenſis populo, quod ubi Parmenſes audierunt, recordati prophetiæ Bernardini, Dei juſto tribuerunt judicio. Alia duo ſubjiciam prænunciatæ ab eo Divinæ vindictæ argumenta.

Malo mercatori mala prædicit, & ſequuntur.

Larvarum mercator Parmenſis, cum merces ſuas Bernardini concionibus contemni, ſed & incendi conſpexit, poſt probra & contumelias in Dei ſervum prolata, ſtatuit quæ ſupererant, Larvas Mantuam evehere, cariuſque divendere. Hæc ubi reſcivit Vir Dei: *Abeat*, inquit, *quo velit*, *Dei judicium proſequetur*, *Mantuam incolumis non perveniet*. Veraciter dixit: vix novem millibus paſſuum ab urbe proceſſerat, cum in foveam profundam aquis plenam cum ſarcina & equo deciderat, nec quidquam mercium

aut

aut jumentum inde poterant reduci. Fibulas argenteas a mulierum cingulis inter ipſas conciones latrunculus abſcidit: poſtera die poſtquam hæc Bernardino narrata ſunt, ex roſtris acriter increpavit, quem præſentem ex ſpiritu cognovit: *O ſceleſte*, inquit, *& impie nebulo, ita ne tu audes in Templo Dei hujuſmodi committere ſacrilegia, & dum alii verbo Dei intendunt, tu illorum bona ſuffuraris? dignum te manet crucis ſupplicium, nec tardabit*. Nocte ſequenti deprehenſus in furto, vi tormentorum multa quæ patravit faſſus, fibulis mulierum collo appenſis, ex feneſtra domus Senatoriæ ſuſpenſus eſt. Iſta hoc anno Parmæ peracta, reliqua dicentur anno ſequenti.

Item latrunculo ſuſpendium.

XXXI. Duo hoc anno promoti ſunt ad Infulas Pontificias, Antonius Bonitus a Cuccharo, vir doctus, qui diffuſe de Virginis ſcripſit Conceptione, ſacræ Theologiæ Magiſter, provinciæ Terræ Laboris Miniſter, Regi Ferdinando cariſſimus, & ab eleemoſynis, ad Montiſmarani in regno Neapolitano, ſub Archiepiſc. Beneventano, per obitum Simonis etiam Minoritæ, IX. Kalend. Februarii. Simon Vargius ad Sulcitanam in Sardinia, ſub Archiepiſc. Calaritano, per obitum Juliani, pridie Nonas Aprilis.

Fr. Anton. Epiſc. Montiſmarani.

Fr. Simon Sulcitanus.

XXXII. Prædicaverant magno animarum fructu Obſervantes provinciæ Brixiæ in oppidis Vicinovi, territorii & diœceſis Brixienſis, & Endennæ, diœceſis Bergomatis in Valle Brembana, eaque apud populos nacti ſunt opinionem, ut utrobique eis domos conſtituere decreverint oppidani. Ut eas Vicarius admittere poſſet, in primo ſub titulo ſancti Franciſci, in ſecundo ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Miſericordia, hoc anno, XIV. Kalendas Decembris Pontifex indulſit. Secundum vere conſtructum fuiſſe apparet in recenſu Cœnobiorum illius Provinciæ; de primo nihil comperio.

Conv. Endennæ. *Lib. 63. bullar. fol. 41. Gonz. in Provin. Brixiæ Conv. 4.*

XXXIII. Ad mille paſſus extra Archum, Tridentinæ diœceſis oppidum, a Comitibus Archuanis circa hoc tempus affabre conſtructum Obſervantum Cœnobium, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratiis, conjicit Gonzaga. In Umbria Univerſitatem oppidi Bevanienſis, diœceſis Spoletanæ, accepto a Patribus Benedictinis ſitu, quem *de vivo Saxo* nuncupabant, hoc anno conſtruxiſſe eiſdem Conventum, ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ, ad M. paſſus extra oppidum in quodam Monticulo: Et prope Manlianam Tuſcorum olim urbem, hodie Villam Pontificiam, Clarenos circa hoc tempus Cœnobiolum beatæ Mariæ de Liliis, Manlianenſium & adjacentium populorum ſumptibus ædificaſſe, idem recenſet. Sub Pio V. adjudicatus eſt Obſervantibus provinciæ Romanæ. Prope etiam urbem Buxenti Lucanorum Civitatem, vulgo *Policaſtro*, urbis Comitem ſub hoc tempus ejuſdem Inſtituti Fratribus domum ædificaſſe ſub titulo ſancti Franciſci, idem auctor eſt, atque Turcis devaſtantibus & incendentibus, ſcripturas & monumenta periiſſe. Nihil amplius de univerſis his ædibus memorandum occurrit.

Conv. Archuanus. *Idem in Provin. S. Anton. Conv. 25.* Conv. Bevanienſis. *Idem in Provin. ſancti Franciſci Conv. 18.* Conv. Manliani. *Idem in Provin. Roman. Conv. 22.* Conv. Buxenti. *Idem in Provin. Baſilic. Conv. 3.*

XXXIV. Conceſſit hoc anno Vicarius Generalis Joannes facultatem Angelo de Clavaſio ſuo prædeceſſori, capiendi in urbe Januenſi alium locum ſeu novum Cœnobium. Cepiſſe vel admiſiſſe non reperio; ex tribus enim qui Genuæ ſunt, Conventibus, nullum in hoc tempus licet reducere, Angeli præſertim cura aut diligentia conſtructum. Qui enim *de Pace* prope Januam nuncupatur, ab Amadeis, non ab Obſervantibus ſub Vicario Generali degentibus, paulo poſt hunc annum inchoatus eſt.

Conv. Januenſis. *Ex Reg. Ord.*

XXXV. Fratres Provinciæ Romanæ aeris intemperie coacti, paulatim negligebant & deſerebant Cœnobia duo. Unum ad oppidum Montis-Rotun-

Conv. Montis-Rotundi.

Conv. Corneti.

tundi, diœceſis Sabinenſis, alterum in Civitate Cornetana. Dolentes oppidani & cives ſe a Religioſis derelinqui, obtinuerunt quæ ſubjungo Pontificis diplomata.

Dilectis filiis Vicario Generali, ac Definitoribus Capituli Ordinis Minorum de Obſervantia apud Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Angelis prope Aſſiſium celebrandi.

Ex Reg. Ord.

Dilecti filii, ſalutem &c. Intelleximus quod Fratres veſtri Ordinis & Obſervantiæ decreverunt deſerere locum quemdam in oppido Montis-Rotundi exiſtentem, & ſub vocabulo beatæ Mariæ conſtructum, qui hactenus per ipſos veſtri Ordinis Fratres inhabitari conſuevit: & quoniam cauſa non dicitur ſubeſſe ſaltem legitima, cur deſeri debeat, & devotioni hominum & oppidanorum illius loci conducit, ut religioſi ipſi ibi ſtent. Ideo ſupplicationibus in hoc nobis porrectis inclinati, hortamur devotionem veſtram, ut in iſto Capitulo ordinetis & ſtatuatis, quod idem locus non deſeratur, ſed inhabitetur & teneatur per Fratres ipſos veſtri Ordinis & Obſervantiæ, prout hactenus inhabitatus fuit, quod erit vobis meritorium, & nobis gratum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. *Maii* MCCCCLXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* III.

Dilecto filio Hieronymo de Corneto Ordinis Minorum de Obſervantia Profeſſori.

Ibidem.

XXXVI. *Dilecte fili, ſalutem &c. Animarum zelus, quo terrena omnia deſpicienda eſſe probantur, ad pia quæque opera peragenda nos incitat & accendit. Vexati igitur devotis Cornetanorum noſtrorum civium precibus, ne locus ſeu Conventus ſancti Franciſci in eorum Civitate fundatus & ſitus, quem ab antiquo Fratres Romanæ Provinciæ, de Obſervantia nuncupati, religioſitate præcipua coluerunt, eorum incuria, Fratrum indigentia deſeratur: Eorum honeſtis deſideriis volentes annuere, & favorem pariter benevolum impertiri, tibi fratri Hieronymo Cornetano, de cujus & ſufficienti peritia, & morum honeſtate nobis ſatis relatum eſt, in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipimus & mandamus, ut ipſius loci curam & ſollicitam cuſtodiam geras, & in virtute ejuſdem Obedientiæ, frater Leonardus de Corneto, frater Petrus, & frater Marianus de eodem, & frater Vincentius Corſus, ſeu quicumque alii in Romana degentes Provincia, quos in eodem loco ad manendum promptos cognoveris, uſque ad octo tecum pariter debeant commorari, viſis & intellectis præſentibus, ſub obedientia & cura viventes veſtri Vicarii Generalis, cui talem locum ſupponimus, & ejus curæ relinqui volumus & mandamus. Et omnes ſimiliter Fratres, qui ad dictum locum deinceps permanſuri diverterent, ſub cura & obedientia Vicarii Generalis veſtræ familiæ Ciſmontanæ manere volumus & mandamus: Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis & conſuetudinibus dictorum Ordinis & Obſervantiæ, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ, die* XXV. *Octobris* MCCCCLXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Conv. Alcantaræ.
Gonz. in Provin. S. Michael. Conv. 11.
Monum. MSS. ejuſd. Prov.

XXXVII. In diœceſi Caurienſi in Hiſpania nobilæ oppidum eſt Norbæ Cæſareæ, vulgo *Alcantaræ*, inſigni Ordini militari, ab oppido nuncupato, ſubjectum, juxta quod Bartholomæus de Oviedo vir pius & timens Deum, Cœnobium fundare cœpit anno MCCCCLXXVIII. conſentiente fratre Petro de

de Villalobos Epiſcopo Beritenſi, Franciſci de Toleto, Datarii Pontificii in prædicta diœceſi Viſitatore Generali. Intra ſeptennium opus ferme abſolvit, petiitque hoc anno licentiam a Pontifice illud Minoribus Obſervantibus conferendi, acceptoque diplomate impetravit: *Piis fidelium votis*. pridie Nonas Julii. Poſſeſſionem domus accepit Joannes del Rio Miniſter Provinciæ ſancti Jacobi, anno MCCCCXCIII. die ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani. Paulo poſt orta lite cum Magiſtro & militia Alcantarenſi, quæ prætendebat erectionem abſque ſua ſpeciali licentia nullam eſſe, volebatque inde Fratres ejicere, Ferdinandus & Eliſabetha Reges Catholici, tamquam prædictæ militiæ Adminiſtratores, Regio caverunt diplomate anno MCCCCXCVI. ne ulla deinceps inſerretur Fratribus moleſtia. Diviſa tamdem a Provincia ſancti Jacobi, illa, quæ dicitur ſancti Michaelis, adjudicata eſt iſta domus anno MDLIV. Fratribus recollectis. Jacent hic ſepulti Didacus de Oviedo frater germanus fundatoris, qui conſentientibus uxore & liberis, Eremiticam & ſanctiſſimam vitam peregit, & Franciſcus a Cruce vir religioſiſſimus, miræ abſtinentiæ, orationis & pœnitentiæ, qui domum iſtam aliquando gubernavit. Fr. Didacus de Oviedo. Fr. Franciſcus a Cruce.

XXXVIII. Burdigalenſis Senatus cupiens in loco, a Campauri nuncupato, domum Obſervantibus ædificare, contradictores habuit Patres Conventuales ex una parte,& Dominicanos ex alia;illos,quia ſui cœtus homines illic multiplicari nolebant; hos,quia non diſtabat locus ab illorum Cœnobio pluſquam cannis centum & viginti. Rogatus Carolus VIII. impetravit ab Innocentio facultatem Cœnobium ædificandi in loco opportuno, abſque gravamine aut offenſa aliorum. Ineunte anno ſequenti ipſe Rex opus inchoavit, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratia. Cooperati ſunt aliquot pii Burdigalenſes, maxime quidam heros ex ſancti Magrini familia. Conv. Burdigalen. Campauri. *Lib. 52. fol. 15.* *Gonz. in Provin. Aquit. antiquior. Conv. 12.*

XXXIX. In oppido Segenenſi, diœceſis Maguntinæ, Comitatus Naſſau, Joannes Comes ædificare propoſuit Conventum Obſervantum, impetravitque facultatem a Pontifice: *Quinimo in his*. Idibus Martii: cui etiam ſuum conſenſum & auctoritatem, quatenus opus erat, addidit anno MCCCCLXXXIX. Bertholdus Archiepiſcopus Maguntinus, Joannis conſanguineus, eodemque tempore opus inchoavit, & tamdem egregie complevit. Sed cum fundator, ejuſque conſors Eliſabetha Haſſiæ Lantgravia deceſſiſſent anno MDXXIII. ſub eorum filio Willelmo, talibus progenitoribus plane indigno, res Comitatus, præſertim quoad fidem Catholicam peſſum ire cœperunt, nam Luterana hæreſi infectus, Fratres e Cœnobio expulit, locumque profanavit; qui tamdem in poteſtatem Patrum Societatis Jeſu pervenit. Sed Fratres continuo conatu, & juridicis documentis illum repetere non ceſſant, neque deſperant ſe aliquando obtenturos. Conv. Segenenſis.

XL. Dorſtanæ urbis, diœceſis Colonien. Magiſtratus, cum bellum gereret adverſus Domicellum de Raesfeldt, Dominum de Oſtendorp, pacis arbitrum ſe adhibuit Antonius de Raesfeldt Guardianus Lydenſis, & Vicarii Provincialis Commiſſarius, atque inter reliquas pacis præſcribendæ conditiones ea fuit poſtrema, ut Senatus Dorſtanus ædificando Cœnobio Minorum Obſervantum locum & aream, centumque millia laterum, hiſque componendis calcem neceſſariam, univerſumque lignum erogaret, reliquum operi complendo præſtaret Domicellus Raesfeldanus. Impetratum itaque eſt Innocentii diploma hoc anno XI. Kalend. Maii, inchoatumque opus anno ſequenti, ſub titulo ſanctæ Annæ, & brevi abſolutum, ſtudentibus univerſis ferme oppidanis ſanctum Franciſcum ſibi demereri. Ita factus eſt Conventus hic memoriale pacis inter Dominum de Oſtendorp, & Conv. Dorſtanus. *Monum. MSS. Provin. Colon.* *Lib. 39. fol. 98.*

Se-

Geneſ. 31. Senatum Doiſtanum, inſtar tumuli Galaad, qui factus eſt teſtis inter Laban & Jacob. Illic paulo poſt habitum ſuſcepit Bernardus Raesfeldt exemplo patrui ſui, & cum eo paris nobilitatis Lambertus ab Oer, uterque inſignis concionator; ille ſeverus, qui ſemper juſtitiam; hic mitis & manſuetus, qui Dei miſericordiam inculcabat. Superior hujus Cœnobii directionem habet duarum domorum Tertii Ordinis Sororum, unius in minori Tremonia, alterius in Stochemeno. Anno MDCXXVII. in Capitulo Colonienſi aſſignatus eſt provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis.

Conv. Zaberinenſis. XLI. Hoc anno Fratres Provinciæ Argentinæ poſſeſſionem ceperunt Conventus Zaberinenſis, uti referunt monumenta quædam illius Provinciæ apud me MSS. neque quidquam amplius de illo reperio. In oppido Arnehmii, diœceſis Trajectenſis, in quo Duces Geldriæ reſidere ſolebant, ut ædificaretur domus Obſervantum, hoc anno III. Kal. Maii, Pontifex conceſſit. Ædificari cœpit anno ſequenti, brevique abſolutus eſt: ſed irruente hæretico furore in illam Provinciam, Fratres abire coacti ſunt, & Cœnobium in ſecularium habitaculum, & templum in ſcholas hæreticorum commutata ſunt.

Conv. Arnehmii. *Ex lib. 19. fol. 198.*

Conv. Leodienſis. *Tom. 12. Ann. 1451. n. 56.* XLII. Etſi alias de Conventu Leodienſi ſub invocatione ſanctarum Mariæ & Barbaræ locuti ſimus, non tamen ante hunc annum ædificatum fuiſſe, expreſſe narrat diploma Pontificium: *Ad uberes, quos Ordo.* XIV. Kal. Novembris, quod pro majori rei claritate in regeſto repono.

Mon. Aſtigii. *Gonz. in Provin. Batica Mon. 11.* Mon. Civitatulæ. *Idem in Provin. Majoricen. Mon. 3. Monum. MSS. ejuſd. Prov. Vide Dacam 4. p. lib. 3. c. 49.*

XLIII. Agnes Cherina relicta Ducis ſeu Capitanei Ludovici Perniæ in ſuburbiis Aſtigii, vulgo *Ezya* in Provincia Bethica, hoc anno Monaſterium Clariſſarum ſub invocatione ſanctæ Agnetis conſtruxit. Inſignes illic conditæ Sanctorum reliquiæ dono Mariæ Auſtriacæ Imperatricis. Circa hoc tempus fundatum fuiſſe Monaſterium Civitatulæ in inſula Minoricenſi Maris Mediterranei, conjicit Gonzaga: ſed alii longe vetuſtius inde probant, quod ex archivo & tabulis regiis conſtat ſolvi quoſdam reditus iſti Monaſterio, ex legatione Jacobi II. Regis Majoricarum, qui anno MCCCXI. deceſſit. Domum hanc combuſſerunt Turcæ anno MDLVIII. Occiderunt Sororem Agatham Amalleram, captivam abduxerunt Conſtantinopolim Catarinam Ponce, ubi jejuniis, religioſis ſui Inſtituti exercitiis, Divino recitando officio ſolerter intenta, puerulos Turcarum clam fidem Chriſti docebat. Ipſam, quam domi profitebatur, in gente efferа vitam obſervabat. Suis poſt aliquos annos reſtituta, religioſiſſime vixit uſque ad annum ætatis nonageſimum, vita functa anno Chriſti MDCXXIV. Pie hic deceſſerunt Bartholomæa Ramon, & Catarina Sintes, non vulgaris virtutis Sorores.

Agatha Amallera. Catarina Ponce.

Mon. Complutен. *Lib. 51. fol. 151.* XLIV. In oppido Complutenſi diœceſis Toletanæ Sancius Martini presbyter, in ſuo teſtamento juſſit in domo, ſanctæ Liberatæ nuncupata, ad ſe ſpectante, hoſpitium pauperum peregrinorum inſtitui, ſed executores teſtamenti facere neglexerunt. Hinc moti Ferdinandus Didaci de Fonte Archipresbyter, & Garſias Gondiſalvi de Arevalo Rector Eccleſiæ Parochialis ſanctæ Mariæ dicti oppidi, habita licentia Archiepiſcopi Toletani, in eam domum introduxerunt quatuor Sorores Tertii Ordinis, quibus leges præſcripſerunt, impetraruntque a Pontifice hoc anno III. Kalendas Novembris facti confirmationem, utque in juſtum Monaſterium erigi poſſet ſub regimine Vicarii Cuſtodiæ Toletanæ, & confeſſarium poſſent Sorores ab Obſervantia ſuſcipere, idem indulſit. Creverunt poſtea numero & reditibus ſub nomine *Beatarum* ſeu *Honeſtarum* mulierum. Sed cum Franciſcus Ximenius Cardinalis Toletanus, dum Academiam ædificaret Complutenſem, & collegium ſancti Idelphonſi conſtrueret, timens ne inter ſtudentum tur-

Gonz. in Provin. Caſtellæ Mon. 6. Salazar. lib. 5. c. 14.

turmas periculum ſubiret honor fœminarum, quæ clauſuram non obſervabant, eas induxit, ut ad Inſtitutum ſanctæ Claræ tranſirent. Annuentibus Monaſterium ædificavit, ad quod translatæ anno MDXV. dum Franciſcus ab Angelis Commiſſarium ageret Ultramontanum, incompleto opere deceſſit Ximenius; templum adjunxit Ferdinandus Diaz Archipresbyter Complutenſis, qui in ſacello majori ſepulcrum ſibi delegit. Capaciſſimum eſt quinquaginta Clariſſarum domicilium.

XLV. Duæ domus Sororum Tertii Inſtituti circa hoc tempus conſtructæ ſunt in Provincia Portugalliæ: una ad oppidum Trancoſi, diœceſis Egitanienſis, in ultimis finibus Luſitaniæ, verſus eam Caſtellæ partem, quæ Extrema-Dura nuncupatur: altera extra oppidum Campenſe, diœceſis Conymbricenſis. Uti utriuſque fundationis tempus incertum, ita etiam & auctor. Anno MDLXXXIII. Patres illius Provinciæ decreto capitulari utriuſque domus curam repulerunt; ſed anno ſequenti auctoritate Reverendiſſimi P. Gonzagæ, tunc Miniſtri Generalis, uti ipſe recenſet, eamdem reſumpſerunt.

Domus Sororum Tertii Ordinis Trancoſi. Gonz. in Prov. Portug. Mon. 21. & 22. Domus Campenſis.

XLVI. Hoc anno die III. Auguſti Joannes Epiſcopus Cyrenenſis, Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis in Pontificalibus Vicarius Generalis, Eccleſiam & Altaria Sororum Tertii Ordinis urbis Colonienſis in Streitgaſſen conſecravit. Hoc in loco perſeverarunt prædictæ Sorores ſub eodem Inſtituto uſque ad annum MDCVIII. quo primam Regulam ſanctæ Claræ & diſciplinam Sororum reformatarum ſuſceperunt. Titulus domus erat Præſentationis beatæ Mariæ, ſub quo etiam aliud erat domicilium Tertiariarum eadem in urbe, quæ in Remkens vocabatur. Illuc introducta eſt Tertia Regula anno MDXIX. & ſequenti conſecratum eſt templum.

Domus Colonienſis una. Monum. MSS. Prov. Colon. Et altera.

XLVII. Diximus alias domum Gandenſem, diœceſis Trajectenſis Tertii Ordinis Inſtitutum mutaſſe, & Regulam ſanctæ Claræ admiſiſſe. Id probat Innocentii diploma hoc anno emiſſum, quod damus in regeſto: *Ex injuncto nobis deſuper.* VII. Kal. Julii. Monaſterio Clariſſarum ſancti Franciſci de Columna prope oppidum de Belalcazar, de quo ſupra locuti ſumus, univit hoc anno Pontifex Capellaniam in Eccleſia ſancti Jacobi de la Puebla de Alcon, diœceſis Toletanæ, fundatam per quondam Gutierrium de Sotomajori, olim Magiſtrum Militiæ de Alcantara, ita rogante Tereſia Enriquez Comitiſſa Belalcazaris, matre & tutrice adoleſcentuli Comitis, fratris Joannis Minoritæ, uti diximus, nepotis, necnon Friderico Stunica Comitatus Gubernatore.

Tom. 10. Ann. 1427. n. 45. Mon. Gandenſe. Mon. Belalcazaris. An. 1484. n. 67. Hoc anno n. 3.

XLVIII. Hoc anno in die ſanctæ Agnetis multas gratias conceſſit Pontifex Angelo a Clavaſio Vicario Generali circa confeſſiones excipiendas, & caſus reſervatos Epiſcopis, quas ille exſcribi curavit in regeſto Ordinis, & ego conſultius judicavi hic omittenda; ſunt enim multa contra praxim hodiernam & decreta recentia, iiſque privilegiis monebat ipſe Angelus caute utendum, ne offenſionem incurrerent Prælatorum aut ſcandalum. Tunc etiam conceſſum Vicario Generali, ut diſpenſare poſſet in vigeſimo ſecundo anno completo cum ſuo ſubdito, ut Ordinem ſuſciperet Sacerdotii. Declaratum inſuper poſſe omnes Fratres Ultramontanos gaudere privilegiis conceſſis familiæ Ciſmontanæ Fratribus, & e converſo.

Varia indulta.

SUPPLEMNTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. MAximilianus, ut Romanorum Coronam accepit, ut dicebamus,
„ in Flandriam rediit, & ſubjectionis jugum inconſulte populis gra-

Dogl. cit. ſup. fol. 468.

Indic. ex Vatic.

gravius facere aggreſſus, repente oborto inſano tumultu, captus cum nonnullis, odioliſſimo carceri, licet honeſto & commodo, inconſultius ab inimicis traditus, quatuor menſibus libertatem ſuſpiravit. Sed conjurationis præcipui imperiali clava domiti, ſeveras & exemplares pœnas dedere, iis ferme diebus quibus Sigiſmundus Auſtriæ Dux in Venetos per Tridentum caſtra direxit: Sed Imperator & Pontifex ea nova diſſidia compoſuere. Interea vero pridie Idus Januarii Monaſterio ſanctæ Claræ Compoſtellæ beneficium annexuit Innocentius: *Ad apicem* &c. Et XI. Kalendas Februarii Sorores Tertii Ordinis S. P. Franciſci haud includi in quadam conſtitutione Joannis XXII. incip. *Sancta Romana* &c. declaravit: ſuper hoc expedito, & ad Vicarium Generalem, & Provinciales Ultramontanos directo brevi, cujus exemplar apponimus.

Dilectis filiis Ultramontanis Fratrum Minorum de Obſervantia Vicariis Generali, & Provincialibus.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex Bullar. Roder. fol. 241.

Dudum per felicis record. Joannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum, accepto, quod nonnulli Fraticelli, ſeu Fratres de paupere vita, ſeu bizocchi, *vel aliis nominibus nuncupati, habitum novæ Religionis aſſumentes, Congregationes & Conventicula facere, & Superiores ſibi eligere, plurimos ad eorum ſtatum recipere, loca de novo conſtruere, & in illis in communi habitare, publice mendicare, quaſi eorum ſecta foret una de Religionibus approbatis, temeritate damnabili præſumpſerint, & præſumebant inceſſanter: quorum plurimi tunc Regulam, quam S. Franciſcus inſtituerat, profiteri, & ad litteram obſervare, & a Generalis & Provincialium Miniſtrorum Ordinis Fratrum Minorum obedientia per Cæleſtinum Papam V. prædeceſſorem noſtrum exemptos eſſe: nonnulli vero ſe de Tertio Ordine B. Franciſci, de pœnitentia nuncupato, fore ſe aſſerebant, & ſub velamine hujuſmodi eorum ſtatum, ritum & ſectam palliare ſatagebant; idem Joannes prædeceſſor in Conſtitutione ſua incipiente:* Sancta Romana & Univerſalis Eccleſia &c. *Sectam, ritum & ſtatum eorumdem improbans, & ſub excommunicationis pœna ea ipſo incurrenda, eis & omnibus aliis perſonis inhibuit, ne ſectam, ritum ſive ſtatum hujuſmodi ſectarentur ulterius, vel ipſum de novo aſſumere quoquo modo præſumerent, prout in eadem Conſtitutione plenius continetur. Et nonnulli timoratæ conſcientiæ, ut aſſeritur, dubitant, an Sorores vere de Tertio Ordine prædicto exiſtentes, juxta illius regularia inſtituta in communi domo, ſub unius Superioris earum Matris ſive Miniſtræ obedientia, cura & directione Prælatorum veſtri Ordinis, aut aliorum proborum Religioſorum, vitam ducentes, in Conſtitutione præfata includantur. Paci conſcientiarum ſic dubitantium conſulere, & ſcrupulum de illis removere volentes, Sorores prædictas ubilibet per univerſum mundum conſiſtentes, etiamſi in communi viventes, ad plura alia, quam Ordo ipſe exigat, ſe propria voluntate adſtringant, & tria vota eſſentialia emittant, in Conſtitutione prædicta non includi, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore declaramus; & eis quod velum nigrum aſſumere, & ſub perpetua Clauſura manere, libere & licite valeant, quoties eis placuerit, &*

vo-

„ *vobis, aut aliis earum ſuperioribus videbitur earum ſtatui expedire,*
„ *eadem auctoritate concedimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Or-*
„ *dinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum*
„ *Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, anno Domini*
„ MCCCCLXXXVII. *die* XXII. *Januarii, Pontificatus noſtri anno* III.

„ II. Poſt hæc ad ſupplicationem Reverendiſſimi Patris fratris Angeli
„ de Clavaſio Vicarii Generalis familiæ Ciſmontanæ Obſervantum, for-
„ mam præſentationis faciendæ Epiſcopis pro ſuis Fratribus ad Confeſſio-
„ nes Sacramentales excipiendas in illorum diœceſibus, conceſſit, hoc
„ modo qui ſequitur concinnandam. Quod Guardiani loci noſtri vel Civi-
„ tatis, omni anno ſemel ſe præſentent Epiſcopo, vel ejus locum tenenti
„ in ſpiritualibus, vel mittant alium fratrem pro ſe, & dicant eidem: *Re-*
„ *verendiſſime Domine, ecce me præſento Reverendiſſimæ Dominationi ve-*
„ *ſtræ pro me, & omnibus Confeſſoribus deputatis & deputandis a noſtro*
„ *Provinciali Vicario pro audiendis confeſſionibus veſtrorum ſubditorum,*
„ *petendo humiliter, ut dignemini eſſe contenti, cum veſtra benedictione*
„ *ipſos audiant in Confeſſione, & abſolvant: & ſi quid auctoritatis veſtræ,*
„ *circa caſus vobis reſervatos velitis, nobis concedere dignemini, & ſimiliter*
„ *circa votorum diſpenſationem: & etiam dignemini nos aviſare, ſi quid*
„ *habeamus facere pro ſalute animarum veſtræ Dominationi commiſſa-*
„ *rum*. Quo facto, ſive concedat ſive deneget, S. D. N. Innocen-
„ tius VIII. conceſſit, quod ſtatim Confeſſores prædicti habeant auctori-
„ tatem omnem abſolvendi ab omnibus, exceptis caſibus a jure reſervatis
„ Epiſcopo vel Papæ, anno Domini MCCCCLXXXVII. V. Kalend. Februa-
„ rii, in Feſto ſanctæ Agnetis ſecundo. Itemque declaravit, primum ca-
„ ſum de jure reſervatum Epiſcopis intelligendum eſſe ſecundum opinio-
„ nem Innocentii & Oſtienſis, ſcilicet quod hodie ſolum eſt una excom-
„ municatio, quæ de jure Epiſcopis reſervatur, ſcilicet, injectio manus
„ violentæ in perſonam Eccleſiaſticam in caſibus, in quibus de jure perti-
„ net ad Epiſcopum: & ideo in aliis, quæ ſunt de jure, & non reſervantur
„ Papæ, poſſunt prædicti abſolvere: ſimiliter ab omnibus excommunica-
„ tionibus, per Statuta Provincialia vel Synodalia promulgatis, quas ipſi
„ Conditores ſibi vel alteri ſpecialius non reſervarunt, quando ſtatutum
„ fecerunt: conceſſit etiam præfatos Confeſſores poſſe diſpenſare in omni-
„ bus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, exceptis votis peregrinationis
„ ultra duas Diætas: item indulſit, quod Fratres neſcientes per ſe plene
„ perſolvere Divinum Officium, non teneantur ad illud ſub pœna peccati
„ mortalis, donec ſciverint, dummodo faciant, quod in ſe eſt, & dicant,
„ ſicut ſciunt, & ultra dicant horas Laicorum Fratrum: & id quidem con-
„ ceſſit ſupplicante fratre Evangeliſta Commiſſario electo in Comitiis Ge-
„ neralibus celebratis Aſſiſii hoc anno MCCCCLXXXVII. Fratri Ludovico
„ Capræ datum eſt beneficium: *Religionis zelus &c.* pridie Nonas Februa-
„ rii; & VIII. Idus ejuſdem indulgentia pro Capitulo Generali celebran-
„ do Cremonæ: *A ſupremo &c.* Et fratri Angelo Converſo licentia ſibi
„ conſtruendi Eremitorium: *Supplicari nobis &c.* die XIV. Maii. Fratri
„ Gaſparo de Simonibus maturabatur beneficium, quod ei collatum eſt
„ Nonis Junii: *Religionis zelus &c.* Ac IV. Idus Auguſti, expedito Brevi
„ pro Conventu *de Alcala*, Toletanæ diœceſis: *Humilitas &c.*

„ III. Venerabilem, omnique ævo laudandum Virum Dei, Ange-
„ lum de Clavaſio, Ex-Vicarium Generalem Ciſmontanum, Pontifex gra-
„ tioſo ſubſequentis tenoris diplomate cohoneſtavit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servoum Dei.

Dilecta filio fratri Angelo de Clavaſio, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncapatorum Profeſſori, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex Archiv. Civit. Clavaſii.

,, *PRovenit ex tuæ vitæ honeſtate, & fidei ſinceritate, quam ad Nos, &*
,, *Romanam geris Eccleſiam, ut ea tibi libenter concedamas, per qae*
,, *animarum Chriſtifidelium ſaluti conſulere, & illas, ut optare videris,*
,, *Deo lucrifacere valeas Creatori, & erga benemeritos, cum tibi placue-*
,, *rit, te poſſis reddere gratioſum. Hinc eſt, quod Nos tibi, cum per te vel*
,, *alium vel alios, quos ad infraſcripta duxeris deputandos, ut quoſcumque*
,, *per ſententiam hominis excommunicatos, de partium conſenſu, injuncta*
,, *eis pro modo culpæ, pœnitentia ſalutari, abſolvere poſſis, & cum quibuſ-*
,, *vis perſonis, quocumque gradu affinitatis, ex quavis illicita & ſecreta*
,, *cognatione provenientis, qui invicem matrimonia contraxerunt, & ſine*
,, *ſcandalo ſeparari non poterunt, in ſic contractis matrimoniis, etiam al-*
,, *tero Conjuge inſtante, remanere, ſeu eis invicem ad tempus, de quo tibi*
,, *videbitur, ſeparatis, illa de novo contrahere, & poſtquam illa ſic con-*
,, *traxerint, in eis remanere libere & licite valeant, cum contrahentium*
,, *eorumdem ab exceſſu & cenſuris & pœnis, quas propter eas incurrerunt,*
,, *abſolutione munitis, injuncta eis pro modo culpæ, pœnitentia ſalutari,*
,, *& aliis, quæ de jure fuerint injungenda, ſuſceptam vel ſuſcipiendam ex*
,, *hujuſmodi matrimoniis prolem, legitimam decernendi, auctoritate noſtra*
,, *diſpenſandi, & obligando ad aliquid dandum, tradendum vel faciendum*
,, *Eccleſiis vel piis locis ſea cauſis, qui ob defectum probationum, ad ea debent*
,, *urgeri, non poſſint: nec non ad ablata & male acquiſita incerta, etiam*
,, *per uſurarum pravitatem reſtituendum, ut ſoluta aliqua parte eorum,*
,, *quæ ſic debent, perſonæ per te deputandæ pro Fidei defenſione contra Tar-*
,, *cas convertenda, ad ultra ſolvendum non teneantar, nec ad id inviti com-*
,, *pelli poſſint; nec non quibuſcumque perſonis, de quibus tibi videbitur, ut*
,, *a quocumque malaerint Sacerdote, etiam a Mendicantium Ordinum Pro-*
,, *feſſore, præterquam in Paſcha Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti,*
,, *Euchariſtiæ Sacramentum toties, quoties eis placuerit, recipere, ipſeque*
,, *Sacerdos illud ſibi miniſtrare licite poſſit, concedendo, eam poteſtate,*
,, *etiam, ut illi, quos ad præmiſſa deputaveris, ipſi pari modo aliis perſo-*
,, *nis, quas ad hujaſmodi peragenda idoneas eſſe cognoverint, cum pari &*
,, *omnimoda facultate deputare poſſint, ac ſi præſentes litteræ ad ipſos ſpe-*
,, *cialiter dirigerentur. Conſtitutionibus, & Apoſtolicis Ordinationibus,*
,, *ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, te-*
,, *nore præſentiam concedimus facultatem. Datum Romæ apud ſanctum Pe-*
,, *trum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXXXVII. ..... *menſis Au-*
,, *guſti, Pontificatus noſtri anno* III.

Hieronymus Balbianus. Sign. F.Mximus

,, IV. Confirmata Abbatiſſa ſanctæ Annæ, Placentinæ diœceſis: *Inter*
Indic. ex Vatic. ,, *ſollicitudines &c.* X. Kalend. Novembris; VII. Idus ejuſdem menſis,
,, frater Alphonſus fit Abbas Monaſterii Ciſtercienſis de Zaracio: *Romani*
,, *Pontificis &c.* Et XV. Kalend. Decembris facultas fit erigendi domos
pro

„ pro Minoritis Regularis Obſervantiæ, in Provincia Brixiæ: *Via Deo &c.*
„ Commendatur plurimum in quodam Catalogo Soror Elias a Mantua [Sor. Elias a Mantua.]
„ Virgo Tertii Ordinis S. P. Franciſci, ob eximiam humilitatem, fervo-
„ rem orationis, & extremam in proximum caritatem, quæ tamdem
„ miraculis clara migravit ad Sponſum XVI. Kalendas Februarii an-
„ no MCCCCLXXXVII.
„ V. Dinamenſe Cœnobium pariter hoc anno haud parum illuſtravit [Joannes de Fabrica.]
„ ſuo obitu P. Joannes de Fabrica Doctor Theologus, & ejuſdem Guar-
„ dianus, a Sixto IV. Summo Pontifice Ordinis corona nuncupatus, qui-
„ que potentiſſimi Domini Franciſci, ejuſque Conjugis Britanniæ Ducum [*Monum. MSS. Provinc. Boemiæ Turon. maj.*]
„ a confeſſionibus erat. Bellum, quod quadam arrepta occaſione in
„ Britannos movit Carolus VIII. Conventum Barbezilienſem in Xantonia
„ expilavit, ac omni ſupellectile ſpoliatum, pene ſolo æquavit, ſuperſti-
„ tibus tantum quibuſdam muris, & Eccleſiæ fornicibus, ex quorum alti-
„ tudine quantus fuerit dignoſci poteſt. Pientiſſima vero Maria *de* [Maria de Cleve.]
„ *Cleve*, Caroli Ducis Aurelianenſis uxor, & Mater Ludovici XII. Fran-
„ corum Regis, noſtro Ordini addictiſſima, cum propriis ſumptibus ab
„ Anglis deſtructum Cœnobium Bleſenſe in Territorio Carnotenſi reſti-
„ tuiſſet, hoc anno e vivis ſublata, in eodem Conventu tumulata jacet.

ARGUMENTUM.

Habentur Comitia Generalia Conventualium. Moriuntur Franciſcus Gallus, Jacobus Ticinenſis, Philippa Medicæa. Bernardinus Feltrenſis proſequitur ſuas conciones cumulatiſſimo fructu per multas Italiæ Civitates. Creantur Epiſcopi. Conſtruuntur Domicilia.

I. HOc anno in urbe Cremonenſi habita ſunt Comitia Generalia Patrum Conventualium ſub feſtum Pentecoſtes. In eo conſeſſu Nicolaus Lugarus Rhetor clariſſimus frequenti foro orationem habuit diſertam in commendationem familiæ Franciſcanæ. [Capitulum Generale Ordinis Cremonæ 99. *Rodul. fol.* 244.]

II. Moritur hoc anno Franſciſcus Gallus Neapoli, bonis operibus & virtutibus inſignis. Erga ſacrum Euchariſtiæ myſterium devotiſſimus, omnibus, quot poterat quotidie miſſas celebrantibus ſerviebat, ſumma mentis recollectione in Deum totus intentus, qua de cauſa multas paſſus eſt a dæmone tribulationes & moleſtias. Aliquando eum vidit fuſtem contra celebrantem ſtringentem, qui tamen ad elevationem ſacræ hoſtiæ diſparuit. In Cœnobio Neapolitano ſanctæ Mariæ novæ dæmonum aſpexit conſeſſum, in quo is, qui præſidebat, rationem cum reliquis inibat, de lucro ſacto vel damno accepto, animadvertitque, plures in eorum poteſtatem animas perveniſſe, quam ab eorum manibus reſilierint. Triduo ante mortem ſcalam intuitus eſt in cœlos porrectam, cumque per eam facile & velociter aſcenderet, exiſtimaretque ſe pedem ad ſuperna illaturum, tres in culmine defeciſſe gradus contemplatus, e viſione regreſſus myſterium percipiens, prædixit tres vitæ ſuæ ſupereſſe dies, iiſque elapſis, ſe ad cœlos tranſiturum. Sacramentis rite & devote procuratus, tertio die pie deceſſit. Fuit, qui hunc Franciſcum Gallum cum Franciſco Aprutino, de quo nos anno ſequenti agemus, confunderet; etenim in oppido ſancti Omeri, vel Homeri natum ad ſanctum Audomarum, vulgo etiam *Sant Omer* in Gallia Belgica ortum dicebat, & Gallum efformabat, cum [Moritur Franciſcus Gallus.] [*Marc. l. 7. c. 10. Marian. lib. 5. cap. 43.*]

Digitized by Google

vere ille Aprutinus fuerit, & in prædicto oppido in Veſtinis natus, Provinciæ Pennenſis alumnus; hic vero Gallus, & Provinciæ Terræ laboris, hoc anno defunctus.

Et Jacobus Ticinenſis. *Tomo 10. anno 1455. n. 71. Marcus citatus.*

III. Circa hoc tempus deceſſit Jacobus Ticinenſis ſive Papienſis, de quo alias diximus. Præter ea, quæ illic enarravi, addo, ad ultimam uſque ſenectutem ſummo cum rigore corpus maceraſſe, etiam octogenarium, ne in oratione dormitaret, nudis in terra genibus, donec preces abſolveret perſeveraſſe. Ori Franciſci Bargæ conſodalis animam agentis, ſignum crucis impreſſit, altaque voce dixit: *Domine, ſi tibi placuerit, & tuo ſit dignus ſervitio hic religioſus, oro ut longiorem vitam concedas*, ſtatimque convaluit, quem omnes brevi deceſſurum putabant. Ad Conventum Caſtri novi, in quo diximus tumulatum, annis multis in concavo trunco Caſtanei vixit, eo tantum uſus cubiculo.

Nec non Philippa Medicæa. *Marian. lib. 2. c. 25. Rodul. fol. 141.*

IV. Hoc anno hora nona noctis ſancti Nicolai Epiſcopi, Florentiæ in religioſiſſimo Monaſterio de Monticellis ad cœlos evolavit B. Philippa Medicæa, primaria illius urbis ſata progenie. Annos nata novem, tutæ cuſtodiæ & religioſæ diſciplinæ quarumdam ex conſanguineis illius Monaſterii Sororibus commendata, grandiori ætate Religioſum cum eis ſubivit Inſtitutum. Ab ipſo profeſsionis die firmiſsime decrevit, quod verbo promiſerat, opere complere. Nullo unquam tempore viſa eſt a propoſito reſilire, neque contra emiſſa vota feciſſe, ſed in omni virtute & ſanctitate Sororibus præluxiſſe. Silentii ſtudioſiſſima, vix neceſſaria verba proferebat. Interrogantibus, cur adeo parce loqueretur? Reſpondebat variis ſacræ Scripturæ ſententiis, quas in hunc finem collegerat, videlicet: *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui a bonis*; addebatque: *ſi a bonis aliquando Propheta ſilebat, ut quid abſque neceſſitate loquendum? Nonne ſecundum Salvatoris documentum, in die judicii reddituri ſumus rationem de omni verbo otioſo?*

Thren. 3. 26. *Pſal. 38. 2.* *Matth. 12. 36.*

V. Orationi ſemper intenta, in Templo pernoctabat. Divino officio in choro ſemper aſsiſtebat, communibus Monaſterii exercitiis diligentiſsime præſens, numquam abeſſe viſa eſt a Choro vel Refectorio, etſi multis gravaretur languoribus, niſi uno dumtaxat ante obitum die, eoque ipſo, quo deceſſit, Officium B. Mariæ Virginis recitavit, inchoatoque ſancti Nicolai, inter Divinas preces ſpiritum exhalavit ætatis anno ſexageſimo tertio. Annis undecim Monaſterium ſanctiſſime gubernavit, & duodevinginti variis infirmitatibus, fiſtulari præſertim in latere dextro afflicta, ſumma tulit patientia, neque quiſquam ſenſit unquam conquerentem. Ad finem appropinquanti Catarina de Pazzis dilecta ejus diſcipula, fiſtulis etiam quinque gravata & extenuata dixit: *Heu me, mater mea, quam habebo pro te genitricem? Oro humiliter, ubi ad cæleſtem gloriam perveneris, ut mei memineris, ſalutem animæ & corporis a Deo velis impetrare, remiſſionem criminis & exilii meorum conſanguineorum* (conſpiraverant enim contra Laurentium & Julianum Medicæos, urbis primarios: hunc proditorie occiderunt, illum in Templo vulneraverunt) *& mihi reveles ſtatum Domini Jacobi de Pazzis*, (viri equeſtris, qui in ipſo conjurationis tumultu fuerat ſuſpenſus) *valde enim timeo, in tam repentinis & turbulentis motibus non fuiſſe ſufficienter contritum*. Cui Philippa: *Filia cariſſima: genitricem & Dominam tibi optimam relinquo, B. Virginem Mariam, & ſi ad portum ſalutis ex Divina clementia pervenero, pro te orabo, ac pro conſangalneis intercedam*. Die ſequenti Catarina ad feretrum defunctæ orans, ſenſit ſibi

Catarina de Pazzis.

quin-

quinque fiſtularum loca contingi, & confeſtim ſanari; de Jacobi ſalute nihil revelatum: conſanguinei poſt annos ſex urbi reſtituti. His beneficiis adeo obſtricta Catarina & immutata eſt, ut deinceps nudis pedibus incederet, ſuper aſſeres vel ſarmenta dormiret, orationibus ſanctiſque exercitationibus aſsidue vacaret.

Num. 29. ſeq. Legend. MSS. Cimarel. 4. p. l. 6 c. 27. & ſeqq.
Bernardinus Feltren. reformationi intendit Cleri Parmenſis.

VI. Anno præcedenti diximus Bernardinum Feltrenſem Parmæ multa pie & utiliter inſtituiſſe. Poſtquam populi mores reformavit, etiam clerum circa quædam judicavit admonendum, ita etiam ut faceret, rogante Antiſtite Dominicano, Cardinalis Epiſcopi ſuffraganeo. Ineunte itaque hoc anno, propter reverentiam ſacratiori hominum Ordini debitam, convocavit in Templum urbis præcipuum præter Capitulares ſacerdotes, centum quadraginta, foribuſque clauſis, præſente dicto Antiſtite, poſtquam de dignitate & munere ſacerdotali docte diſſeruerat, corrigenda reverenter propoſuit, illas potiſſimum afferens rationes, eos a Deo electos in ſortem miniſterii ſacri, populi inſtitutos magiſtros, & in ſublimi loco conſtitutos, religioſum debere omnibus exemplum. Demum eliminandis Hebræorum intolerabilibus uſuris Montem Pietatis erexit, cujus regulas & ſtatuta Dux Mediolanenſis, urbis Princeps, confirmavit, etſi fuerint, qui erigendo reſtiterint, fœnoris modum reputantes illicitum. Horum rationibus ſatisfecit Mediolani Theophylus Stanga Cremonenſis, Congregationis ſanctæ Juſtinæ Patavinæ Abbas Generalis, olim Præfectus Monaſterii Parmenſis, & Bernardino addictiſſimus. Infra paucos dies ingens collecta eſt ſumma pecuniæ; inſtituti ſunt Miniſtri, deſignatique Præſides Vicarius Epiſcopi, Abbas Monaſterii ſancti Joannis, Prior Canonicorum Regularium, & Guardianus Minoritarum Obſervantum. Ita reformato Clero, inſtructo populo, exciſis vitiis, profligata Hebræorum uſura, urbem ſceleribus, diſcordiis nutantem confirmavit.

Montem Pietatis ibidem erigit.

Bonav. Angelus in hiſtor. Parmen. lib. 4. fol. 1487.

VII. Tanti beneficii perpetua viget apud Parmenſes memoria, ſuiſque voluerunt Annalibus manifeſtum. Ita ſub hunc annum hominis virtutes, doctas conciones, varia in Rempublicam munera, hiſtoria refert Parmenſis: *Circa hoc tempus Parmæ prædicavit Bernardinus Feltrenſis, cognominatus* Parvulus, *Obſervantiæ Franciſcanæ, cujus ſermones erant efficaciſſimi propter morum ſuavitatem, ſacrarum litterarum ſcientiam, vitiorum reprehenſionem & ſupplicium, appoſitamque exemplorum applicationem. Accedebat inſuper vitæ ſanctitas, Inſtituti paupertas, converſatio ſpiritualis, humanitas, morum candor, puritas, exactiſſima totius Chriſtianæ legis obſervantia, ut facile, miroque laboris compendio univerſum populum in ſuam traxerit ſententiam. Omnes venerabantur & timebant, tamquam verum Chriſti Apoſtolum, & ſanctum Domini Evangeliſtam. Ad ejus nutum, res mira! mundi contempſerunt oblectamenta, vitam vixerunt Chriſtianam, obſervantes Divina mandata, unamque Chriſtianæ profeſſionis regulam. Utque fieri ſolet, poſt beneficium aut commodum unum alia ſequuntur; ita hic evenit, poſt enim caſtigatos populi mores, abſque magna difficultate ad ſublevandas pauperum neceſſitates, & ad eliminandam inſatiabilem Hebræorum ingluviem, Montem Pietatis inſtituit. Huic operi impenſe favit Joannes Petrus Bergaminus, urbis Gubernator, collatis a Clero, Magiſtratu, Doctoribus, Nobilibus, Mercatoribus, Artificibus, viris & mulieribus, univerſoque populo multis pecuniis.*

Jubetur prædicare Florentiæ in Quadrageſima.

VIII. His apud Parmenſes utiliter feliciterque peractis, ſummo mane antequam luceſceret, ne abeuntem profuſim aſſociarent, abſceſſit, Florentiæ, uti a Pontifice per hoc diploma præceptum erat, in Quadrageſima concionaturus. *Di-*

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia .

Ex originali.

Dilecte fili , ſalutem &c. Pio deſiderio dilectorum filiorum dominii Florentini , qui in tua doctrina & exemplaritate vitæ multum ſperant , & te in prædicationibus audire deſiderant annuentes : Tibi præſentium tenore in virtute ſanctæ Obedientiæ expreſſe præcipiendo mandamus , ut in Quadrageſima proxima futura Florentiam accedas, & in Eccleſia domus ſanctæ Crucis tui Ordinis prædices , & verbum Dei annunties , lucrum animarum faciendo juxta traditam tibi deſuper facultatem , contrariis non obſtantibus quibuſcumque . Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris , die prima Martii MCCCCLXXXVIII. *Pontificatus noſtri , anno* IV.

Regii , Mutinæ , Bononiæ prædicat.

IX. Regii & Mutinæ, dum tranſiret, prædicavit : Bononiæ propter continuas nives per dies ſeptem immorari oportuit , neque tamen feriatus a bonis ; etenim dum populus per nivis incommoda ad conciones non potuit accedere , ille ad Virginum Monaſteria quotidie prædicavit . Alpibus ſuperatis , ſumma cœli inclementia , & itineris moleſtiis , per nives , pluvias , ventorum turbines, librorum ſarcinulis ad humeros appenſis, tamdem Florentiam pedeſter acceſſit . Summa omnium gratulatione exceptus , conciones auſpicatus eſt a feria ſexta ante Dominicam Quinquageſimæ . Die Cathedræ ſancti Petri , poſtquam de immunitate Eccleſiaſtica , Sacerdotali dignitate , gravique onere Clericorum nuper in exactione contributionum & gabellarum impoſito , diſſeruiſſet , & ſublevandam prædicaſſet pauperum miſeriam , quorum ſubſtantias Hebræi devoraverant , reſumendam dixit Montis Pietatis erectionem , quam antè annos octodecim Magiſtratus decreverat , ſcriptis conditionibus & regulis , quas a Notario , qui tunc inſervierat , accepit . Propoſitionem optimam plerique dixerunt , & multi palam in ipſa concione pingues oblationes pio operi inchoando deſignarunt .

Florentiæ auſpicatur ſermones Quadrageſimales.

Ibidem de erigendo Monte Pietatis agit.

X. Erat tunc Florentiæ locuples potenſque Hebræus , qui teloniis quatuor in urbe inſtitutis , pauperum facultates abſorbuerat , dolebatque tanto ſe fœnore ſpoliari . Secretum proinde ini erat cum Senatoribus & Conſilii Primariis fœdus , ne Fraterculi adinventiones comprobarent , ſed rem alias diſcuſſam & neglectam , conſtanter repellerent . Advolavit etiam huic rei evertendæ Judæus Piſanus , omnium hujus gentis fœneratorum , qui per Tuſciam erant diſperſi , primarius & director , ac clam diſtributis pluſquam XX. M. auri florenorum, Conſules corrupit . Bernardinus ab amicis monitus, utque Conſules & Laurentium Medicæum , omnium ductorem , ad favendum hortaretur , ſingulos adivit , remque Deo gratiſſimam , & urbi ſumme proficuam ut promoverent , ſummopere rogavit . Etſi vero illi ſe facturos promiſerint , ſummoque honore Dei Virum affecerint , Hebræi ſuis artibus & muneribus prævaluerunt . Grave mox in populo ſecutum murmur , liberaque ex ſuggeſto Bernardini increpatio , qui etiam candidas & apud Deum efficaces puerorum preces imploravit , effecit , ut numeroſo agmine pueri in Hebræorum , primarii præſertim ædes irruerent , parumque abeſſet , quin omnes occiderent . Nocte ſequenti Cancellarius Octumvirum ex Senatus conſulto indixit Bernardino ſilentium , juſſitque ut ad ſuum extra urbem Cœnobium recederet , ſi quod aliud emanaret decretum expectaturus . Paruit confeſtim Vir ſanctus , & ne tumultus fieret in populo , ante auroram receſſit . Id ubi reſcivit populus , qui frequentiſſimo cœtu ad Templum & concionem acceſſerat , graviter conqueri , lacrymari , ſortem iniquam ,

Sed magnam patitur contradictionem.

Indicitur ei ſilentium.

quam, ſuamque jacturam deplorare, pium innocuumque Eccleſiaſten repetere. Magiſtratus, ne ſpe regreſſus, controverſias & tumultus populus in longum produceret, miſſo ſecreto Nuncio, clauſiſque urbis januis, ne populus ſi forte reſciret, abeuntem impediret, præcepit ut toto Florentinorum dominio excederet. Nihil ille moratus, ſtatim Senas profectus eſt.

Mox exilium.

XI. Ultimis concionibus contra publica quædam vitia graviter invectus, Senatus Florentinus quatuor nebulones, his vitiis magis implicatos, ne prædicatoris ſalutaria quæque ſuadentis doctrinam penitus deſpicere videretur, ipſo, quo receſſit die, per urbem cædi præcepit. Illi vero ſui ſupplicii cauſam ad Bernardinum reducentes, dum exulare audiunt, inſequuntur, ut trucident. Præmonitus Vir Dei, ſicariorum artes pie deluſit, & in Caſtro ſancti Caſſiani reverenter exceptus, inde receſſit nobili ſtipatus comitatu uſque ad Caſtrum ſancti Donati, in quo nocte præcedenti ſceleſtiſſimi homines dormierant. Ne in via ex inſidiis irruerent, ſtipatores cepit, qui Caſtellinam, inde Senas incolumem deduxerunt. Jam pervenerant quorumdam Florentinorum litteræ monentes, ne a ſe rejectum concionatorem, qui tot turbas in urbe excitaverat, exciperent: ſed dum Bernardinum fama ubique celebrem eſſe compererunt, litteraſque attuliſſe Hebræum perceperunt, neglectis his malis artibus, rogarunt, ut reliquis Quadrageſimæ diebus apud ſe prædicaret. Incœpit a die Jovis poſt feſtum ſancti Joſephi in Eccleſia ſancti Martini Canonicorum Regularium, concurrente univerſo populo tum propter ſparſum rumorem Florentinum, tum propter celebrem Viri ſanctitatem. Exinanitis aliis Eccleſiis, queri cœperunt prædicatores ſe propter unius Fratricelli, aliunde pulſi, incertam famam, auditoribus deſtitui; neque tamen eos revocare potuerunt, etſi Bernardinus publica exhortatione ſuaſerit, tantos viros, inſignes Prædicatores, ſacræ Theologiæ Magiſtros ſibi deſpecto homunculo, infimo præconi vellent præferre.

Sceleſti viri trucidare intentant.

Senis reliquos proſequitur ſermones Quadrageſimales.

XII. Piſani audientes quid circa Bernardinum Florentiæ actum ſit, communi omnium Ordinum conſenſu miſerunt Senas virum graviſſimum, Eccleſiæ Cathedralis Canonicum, qui rogaret, ut reliquo Quadrageſimæ tempore apud ipſos prædicaret. Cui ille, ſe a Florentinis, quibus Piſani parebant, ejectum, & a Senenſibus perhumaniter exceptum, non poſſe Piſas proficiſci, abſque Florentinorum licentia & Senenſium conſenſu. Hæc præſentientes Senenſes, ægre tulerunt Canonici Piſanorumque conatum, eaſque adhibuerunt retinendi Prædicatoris artes, ut quem caſu acceperunt, induſtria conſervarint. Omnes porro, qui Florentiæ ut exularet conſpirarunt, ultio apprehendit Divina, quibuſdam morte ſublatis, aliis morbo correptis, vel infortunio punitis; adeoque manifeſtum fuit illatæ injuriæ ſupplicium, ut nemo non Dei vindictam appellaret. Senenſes vero ingens ex ejus adventu reportarunt beneficium: etenim præter caſtigatos errantium mores, illud effecit, Dominica Palmarum potentiſſima habita concione, ut factionis ſæviſſimæ, quæ tunc Senis ſub nomine Montis Noveni libere graſſabatur, Principes & Collegæ a fœda, quam meditabantur, ſtrage abſtinerent, dimiſſis ſicariis & perditis hominibus, quos undique collegerant, & ſuis domibus conſtiparant. Civium nomine gratias illi egerunt, Andreas & Jacobus Picolominei, Pii II. Nepotes, Deique peculiari beneficio Senas miſſum dixerunt, cujus virtute & potenti eloquio hæc mala Deus avertit. Nobiles hi viri frequenter ad eum divertebant, & in Republica corrigenda monebant, cum quibus ille jocatus dixit, ſe ex illorum familia procreatum, e puſilla ſua ſtatura alluſionem faciens ad nomen Picolomineum, quod Italis *parvulum hominem* ſignificat.

Rogatur a Piſanis ut apud ſe veſit concionari.

Exilii auctores punit Deus.

Factiones Senenſium evertit.

XIII. Die

XIII. Die Lunæ poſt feſtum Reſurrectionis in ampliſſimo foro prope Palátium Senatorium, in quo aliquando Bernardinus etiam Senenſis prædicaverat, de unionis & concordiæ bono ita luculenter diſſeruit, ut multas extinxerit veteres inimicitias, & firmiſſimam pacem inter urbis primarios ſtabilierit. Die Veneris ſequenti prædicavit in Eccleſia Cathedrali, nec docere deſtitit ſingulis diebus uſque ad Dominicam Trinitatis populum ſemper numeroſius accedentem. In die Pentecoſtes mane & veſperi concionatus, auditoribus oſtendit brachium ſancti Joannis Baptiſtæ, a Pio II. concive donatum, eoque fervore in ſancti Præcurſoris laudem prorupit & populum erudivit, ut flammæ igneæ ab ejus ore prodeuntes, viderentur populum obumbrare & ignire. Caſtellum, quod appellabant Satanæ, ex chartis luſoriis, libris prohibitis, vanis ornamentis, fuciſque mulierum conſtructum, igne ſubjecto Dominica Trinitatis fecit ardere; cumque Faber Ferrarius ludo aſſuetus, irreverenter hæc improperaret, & ſe in Fraterculi & homuncionis deſpectum frequentius luſurum enormi juramento jactaret, paulo poſt domum reverſus miſere occubuit, decidente in caput ejus ferreo malleo, quem loco excelſo pridie repoſuerat: ita ut veriſſime ei adaptari poſſent illa comminatoria ſacræ Scripturæ. *Parata ſunt deriſoribus judicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.*

Flammæ igneæ ab ejus ore procedunt.

Prov. 19. 29.

XIV. Rebus tranquillis, urbeque in pace compoſita, cogitanti diſceſſum Bernardino, cives, quibus potuerunt precibus & artibus reſtiterunt, egeruntque apud Pontificem, ut moras præciperet longiores. Nihil ille hujuſmodi ſuſpicatus, diluculo ſecretoque diſceſſit die inſequenti feſtum Corporis Chriſti, aliis Civitatibus prædicaturus. Ad caſtrum Bonconventi, quod Senis XII. M. P. diſtabat, ubi pervenerat, inſequitur nobilis civis Senenſis; Pontificium porrigit diploma, Senatuſque explicat preces, ut regrediatur, foveatque, quod contulit pacis beneficium, ne recens inductum, ejus perturbetur abſentia. Pontificis hic litteras exhibeo.

Senis diſcedit.

Iubetur reverti.

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex originali.

Dilecte fili, ſalutem &c. Deſiderat plurimum Communitas Senenſis experta ſanos ſermones, & ſalubres Prædicationes tuas, te diutius apud ſe retinere, ut ſemina quietis & pacis ac bonarum actionum, quæ illic ſparſiſti, perducere poſſis ad frugem & maturitatem quamdam ſuam; feceruntque Senenſes ipſi nobis ſupplicari, dignaremur pio ipſorum deſiderio annuere. Nos autem, qui illius Reipublicæ nobis cariſſimæ, tranquillitati conſultum imprimis cupimus; pio Senenſium ipſorum voto annuentes, Devotioni tuæ in virtute ſanctæ Obedientiæ expreſſe præcipiendo mandamus, ut iſtic Senis remaneas, & proxima futura Quadrageſima ibidem prædices, ac juxta conceſſam tibi a Domino facultatem animarum fructum uberem facere ſtudeas, quo nihil acceptius Divinæ Majeſtati fieri poteſt, apud quem etiam hoc tibi cedet ad meritum, nobis vero erit pergratum: non obſtante quovis alio mandato etiam per aliud Breve noſtrum tibi facto, aut etiam faciendo, niſi de hoc ipſo Brevi, quod tibi dirigimus, ſpecialis & expreſſa fieret mentio, ceteriſque in contrarium facientibus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III. *menſis Junii* MCCCCLXXXVIII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

XV. Pontificio mandato obſecuturus, ſtatim regreſſus eſt, poſtquam illo die Sabbati de beatæ Virginis cultu, eo in oppido piam habuit concionem.

Digitized by Google

nem. Senenſium ſumma exceptus lætitia, conciones denuo auſpicatus a ſecunda Dominica poſt Pentecoſten, in ſoro magni Xenodochii diebus feſtivis pleraſque habuit, diebus ſerialibus inſtructa, piiſque documentis confirmata Societate ſeu Confraternitate ſancti Bernardini, ad quam conveniebant pueruli, quos patienter erudiebat & cathechizabat, aſſiſtebatque Confratrum pœnitentiis, flagris ſeu diſciplinis. Inde tamdem dilapſus ſub finem menſis Julii, per vicos & Caſtella continuo prædicavit, donec Peruſium, jubente Pontifice, pervenit. Illic conſpicatus omnia ſuſque deque revoluta, ad vetereſque inimicitias, & hoſtiles factiones cives reverſos, vehementer indoluit, duaſque habuit in ſoro conciones, quibus pacem & unitatem, quam ante ſeſquiannum induxiſſe narravimus, reſtituere curavit. Sed Ballionum ſactione, ſuſis ſugatiſque Odeſcis adverſariis, reductaque in ſuam poteſtatem Civitate, quotidie magis invaleſcente & inſoleſcente, inundantibus malis & cædibus, Vir Dei non poterat mederi. Comminatus tamen gravem Dei vindictam, & ſecuturas fœdas hominum ſtrages, ad leniorem & pacatiorem mentem niſus eſt Balliones revocare, ſed ſurdis canebat.

Peruſium abit.

Factioſis Dei prædicit vindictam.

XVI. Obſervatum eſt, malorum urbi impendentum tunc præceſſiſſe prodigium. Nam, cum ex more ſtruem rerum maleficarum Bernardini juſſu viri timorati paraviſſent, duorumque ſicariorum ſimulacra cum enſibus ligneis, ſerri colore tinctis, per ludum, vel ad deteſtandas cædes, machinæ præpoſuiſſent, accenſo igne, viſa ſunt rotare enſes, veluti manus conſererent: quod aliqui ſumi vertigine factum, alii portentum rati, omnes admirati, varia circumſtantium expreſſit judicia: *At ita*, inquit Bernardinus, *in te urbs inſipiens & turbulenta, vibrabunt ſicarii & partiarii gladios ſuos, & ſicut iſti in rogum hunc corruent, ita ſanguinarii, tuæ pacis perturbatores in flammas decident inferni*. Aliud item oſtentum protinus inſecutum. Nubes tribus diebus cum tonitruis & ſulguribus urbem totam & ſolem obumbravit, aere circumquaque ſereno. Stupentibus cunctis, recordatus Bernardinus ſacerdotem lacrymantem ſibi libellum characteribus, diabolicis figuris, ſœderibuſque conſperſum, & proprio ſanguine conſcriptum, nudiuſtertius attuliſſe, ut ſecreto combureret, clam tunc in thalamo flammis ingeſſit. Sed cum e ſoco proſiliret, pede compreſſum, præmiſſo exorciſmo, tertio projectum ignis abſumpſit, & denſa nubes diſſipata eſt.

XVII. Ingenti illa pyra abunde combuſtis tabulis, inſtrumentiſque luſoriis, maledixit ei, qui aliunde aleas, alveolos, teſſeras adveheret. Porro avidus quidam abiit Tudertum, unde ſarcinulas hujuſmodi rerum dum lætus reportat, caſu occidit in itinere lancea transfixus. Aromatarius quidam in Prædicatoris contemptum, & legum, quas Senatus ejus ſuaſu contra publice ludentes pie tulerat, ſeorſim in ſua taberna uſque ad quartam noctis horam ludo incubuit. Non ſecit impune; accenſo enim igne cubiculo, quod ſuper concameratæ tabernæ ſornicem erat, omnia aromata cum piſtillis & vaſis etiam æneis liqueſactis, interiere, & ille, cum nihil ſupereſſet, Peruſia receſſit.

Luſores divinitus plectuntur.

XVIII. Conſpiciens tamdem Bernardinus eo malorum & ſeditionis perveniſſe Peruſinos, ut nulla tunc proficiendi ſpes ſupereſſet, abiit Aſſiſium, habita prius concione ad oppidum Bruſſæ, ubi Joannis Capiſtrani converſionem habuiſſe comperit illud ipſum exordium, quod nos ſuo loco enarravimus. Aſſiſii prædicavit in die magnæ Indulgentiæ, quæ quotannis IV. Nonas Auguſti illic ſolemniſſime celebratur; pridie enim illius diei Michael Aquenſis huic deſtinatus muneri, vehementi dolore iliaco fuerat correptus.

Tom. 9. an. 1414. n. 1.

Aſſiſium proficiſcitur.

Dominica etiam ſequenti aliam adhibuit concionem ſatisfacturus devoto populo undique concurrenti. Inde dilapſus Tudertum, quinque habuit conciones, quibus abuſus aliquot extirpavit, Corbaræ unam, atque inde profectus ad Urbem-veterem, triduo ante Aſſumptionem beatæ Virginis Mariæ in area Templi Cathedralis exorſus eſt prædicare. A duobus annis Senatus & Epiſcopus repetitis litteris & nunciis ejus ſollicitabant adventum, beatoſque jam ſe reputabant, quibus conceſſum erat coram habere, & frequenter audire. Pacem & concordiam ſummopere commendavit, laudavitque impenſe Pauli II. conſtitutiones, quibus hujus urbis pacem ſtabilivit. Rogatus a civibus, ad Innocentium ſcripſit felicis urbis ſummam tranquillitatem. Auditores ſemper habuit Magiſtratum & Epiſcopum Urbevetanum, necnon Parmenſem, olim Sixti IV. domui Præfectum, urbis Gubernatorem.

Inde Tudertum.

Hinc ad Urbem veterem.

Multo civium fructu.

XIX. Hic dæmoniacam Corbarienſis civis filiam ab immundo ſpiritu liberavit, deinde ſermones omnes contra blaſphematores, luſores, uſurarios, vanum laſcivumque fœminarum cultum convertit. Montem Pietatis anno MCCCCLXV. ſub Pio II. erectum, pecuniis auxit, novis legibus ſolidavit; ſodalitatem Corporis Chriſti augmentavit, eoque crevit numero, ut dum ferretur infirmis, quadringenti aliquando cerei præferrentur. Sacrum hoc myſterium in Civitate iſta a tempore Urbani IV. honorificentius colitur, propter inſigne miraculum eo tempore patratum. Cujus in jure canonico ſolemnis eſt memoria. Nobile Confratribus tradidit Bernardinus vexillum, ſacra hoſtia & vivifico calice diſtinctum, quod in ſupplicationibus publicisque congreſſibus explicabant. His beneficiis obſtricta Civitas, nullum prætermiſit erga Bernardinum amoris aut reverentiæ ſignum; luceſcente aurora, quando rem ſacram agebat, turmatim confluebant ut celebrantem viderent, & noctu ſedes præparabant, ut dicentem audirent. Multi etiam adoleſcentes ſua flexi doctrina, religioſum Inſtitutum ſuſceperunt.

Clem. 1. de reliq. & vener. Sanct.

XX. In die Nativitatis Virgineæ, poſtquam Satanicum pro more ſuccendit Caſtellum, ſecreto receſſit, comitatus honores declinaturus. Pantanellis (vicus eſt obſcurus, ſancti Franciſci miraculo memorandus) concurrentes ex vicinis oppidis ultra tria millia hominum prope nemus conſodalium Minoritarum, ex pulpito arborum ramis confecto, piis documentis erudivit. Tudertum regreſſus præcepto pariturus Vicarii Generalis, pacem jam turbatam reſtituere conatus, Dominica quintadecima poſt Pentecoſten in publico foro, ubi prædicare ſolebat, ad unionem & firmam exhortatus concordiam, cives induxit, ut præcedentibus pacis vexillis trinis, quæ ipſe urbi donaverat, ad Templum præcipuum omnes ſuppliciter procederent, claves Civitatis, urbem, ſe ipſos beatæ Virgini conſecrarent, patronam & tutelarem adſciſcerent. Acceptas deinde ex Altari Virginis claves, Gubernatori tamquam beatæ Virginis vices gerenti ejus nomine tradidit; utque pacificam vellet & conſervaret, impenſe commendavit. Hujus deditionis, ac conſignationis publicum confecit inſtrumentum urbis Cancellarius, genere Senenſis.

Diſcedit ab Urbeveteri.
Vide tom. 1. an. 1216. n. 10.

Vadit Tudertum.

Urbem B. Virgini conſecrat.

XXI. Tuderto Interamnam abiit, ubi in ampliſsima area tres habuit conciones, auditoribus ſemper Epiſcopo & Canonicis. Hinc diſceſſurus, litteras accepit Pontificias, quæ binas antea miſſas indicant, ut ſequenti Quadrageſima Regii, & Peruſii prædicaret. His poſterioribus lites utriuſque populi ſuper hæc contendentis diremit.

Di-

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex originali.

Dilecte fili, ſalutem &c. Mandavimus alias tibi ut hoc ſequenti anno, tempore Quadrageſimæ Regii prædicares. Alio vero Brevi noſtro injunximus tibi, ut eo ipſo tempore Peruſium prædicatum accederes: & quoniam uterque populus magnam ſpem in tais ſanis monitis ad ſalutem animarum repoſuit, volentes providere, ut ambo fructu bonorum tuorum gaudere poſſint, tibi denuo præcipimus & mandamus, ut Communitati Peruſinæ optionem des, utrum te tempore Adventus, an Quadrageſimæ audire velint, & pro altero ex his temporibus, quo te elegerint, illuc prædicatum accedas, pro altero vero Regii prædices, ut utrobique operam tuam impertiendo, majorem animarum fructum facere poſſis. Non obſtante quovis alio mandato tibi facto, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ ſub annulo Piſcatoris, die VI. *Auguſti* MCCCCLXXXVIII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Inviſit devota loca Vallis Reatinæ. *Tom I. an. 1217. n. 12.*

XXII. Spiritum aliquando refocillaturus, abiit ad devotum Cœnobiolum Cratii, quod nos alias ſuis partibus deſcripſimus, ibique invenit adoleſcentes duos tirones Novaria oriundos, quos ille dum in Urbe prædicaret, e famulatu duorum Cardinalium ad Divinum convertit. Hortatus ad perſeverandum, & veſtigia ſui Inſtitutoris, quorum illic plurima, ſectanda, perrexit ad devotum locum Fontis Columbi, in quo ſanctus Franciſcus a Chriſto vivendi formulam accepit. Reate ter concionatus in Templo Cathedrali ſummo populi jubilo & concurſu, a finibus Pontificiis tranſivit ad Regnum Neapolitanum, & in urbe Theatina in feſto ſancti Hieronymi prædicavit. Inde Aquilam profectus, ſermonem habuit in die ſancti Franciſci, & ſequentibus invehi cœpit contra crapulam, ludos, luxum, muliebrem vanitatem, præſertim contra longas, quas trahebant caudas, olim uti narravimus, ab Alberto Sartianenſi Ferrariæ condemnatas. Fœminas nobili præivit obſequii & virtutis exemplo, Comitiſſa Montorii, reſecta cauda, rejecta pompa, abdicato omni mundo muliebri, etſi in aula apud Reginam Neapolitanam adoleverit, & nobiliſſima ſata fuerit progenie. Secutæ ſunt aliæ, & in omnibus magna apparuit morum reformatio. Tunc converſa eſt ad Dominum Bonaventura ab Antrodocco, nobilis Virgo, de cujus virtute & pietate ſub mortis annum opportune dicemus.

Tom. 1. anno 1217. n. 19. & Tom. 2. an. 1223. n. 11.
Inde progreditur Theatim, & Aquilam.
Hic multa præſtat bona.
Tom. 10. anno 1434. n. 10.
An. 1492.

XXIII. In die Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, a communi hominum labe oſtendit fuiſſe præſervatam, multoſque ad piam hujus myſterii credulitatem excitavit, & Confraternitatem Conceptionis ibidem erectam adauxit; ad laudes beati Jacobi Piceni, magnifici illius templi ſtructoris, ſui Præceptoris & inſtitutoris, a quo religioſam veſtem accepit, facile deſcendit, & inde ad renovationem Montis Pietatis, ab illo olim inſtituti, ſed propter rerum viciſſitudinem, bellorum turbines, ſtatum inconſtantem urbis, modo Regi Neapolitano, modo Pontifici Romano ſubjectæ, omnino neglecti, & oblivione ſepulti. Obtinuit ut Senatus veteri reſtituendo Monti aureos conferret mille, & ter mille ex liberis oblationibus collegit, antiquatiſque pii operis legibus novas adjunxit, & a Senatu fecit confirmari.

Magnas patitur Judæorum contradictiones.

XXIV. Hebræi ægre ferentes ſua fœnora imminui, miſſis ad eum, qui rogarent, ne tam vehementer increparet, quos Rex ſuis privilegiis munivit, nec illorum uſuras tam illicitas reputaret, quas ubique gentium, & per optimas quaſque Italiæ Civitates exercebant, cum nihil obtinerent, Pro-

vinciæ Prælidem ſibi multis muneribus devinctum, contra Dei famulum concitarunt. Sed ille ante multos annos commotæ in Bernardinum turbæ Divino judicio pœnas luit exſecti capitis in urbe Neapolitana, duoſque filios habuit ſupplicii comites, qui fuerunt etiam criminis læſæ Majeſtatis conſortes. Provocarunt inſuper contra eum Ducem Calabriæ, a quo poſtquam litteras recepit, ut ſe Neapolim ad Regis ſui genitoris præſentiam conferret, & a Guardiano Neapolitano moneretur, commotum eſſe Regem propter concitatos in Hebræos univerſos cives, reſpondit, ſe Dei pauperumque cauſam egiſſe, & iniquas uſuras condemnaſſe, vehementerque mirari, a Catholicis Principibus tot favoribus & privilegiis muniri gentem ſceleſtiſſimam, Chriſtianis infenſiſſimam, Deo & hominibus exoſam: ſe autem propere profecturum, rationemque ſui muneris redditurum, quotieſcumque per Prælati ſui licentiam Aquila potuerit diſcedere, neque tunc amplius quidquam per Regios fuerat præſcriptum. Altera concione ſummis laudibus mirificavit beatum Joannem Capiſtranenſem, implacabilem Judæorum & Hæreticorum hoſtem, prope eam urbem natum, ejuſque egregia facta compendioſe narravit. Deinde contra vitia, ludos, amatoria carmina, libros nigromanticos, ſermones proſecutus, illic uſque ad initium ſequentis anni permanſit.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Oliverius Mayllardi pro Sede Apoſtolica laborat.

„ XXV. Oliverius Mayllardus, quem anno præterito diximus electum „ Vicarium Generalem Ultramontanæ Familiæ, egregie audivit apud In„nocentium Pontificem, magnaque pollebat auctoritate apud Carolum „ Francorum Regem & Parlamenti Conſiliarios, a quibus nuper prodie„rat Sanctio Pragmatica in grave Sedis Apoſtolicæ præjudicium. Ut illa „ revocaretur, modis omnibus laborabat Innocentius, adhibendamque „ operam Mayllardi judicavit, ut ſecundum illius apud Regem gratiam, „ & zelum erga Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, ei ſua jura reſtituerentur, „ adlaboraret. Binas ergo ei litteras in rem hanc excripſit: priores hoc „ anno, poſteriores ſequenti exaratæ ſunt. Illas ex Archivio Cœnobii Re„collectorum in Suburbio ſancti Michaelis Civitatis Toloſanæ in ſuum „ Martyrologium tranſcripſit Arthurus Monaſterienſis, ex quo eas nos hic „ Lectori exhibemus.

Martyrolog. 12. Kal. Aug.

Dilecto filio fratri Oliverio Mayllardi Ordinis Minorum de Obſervantia, partium Ultramontanarum Generali Vicario, ac ſacræ Theologiæ profeſſori.

„ *INtelleximus a fide dignis multa de doctrina, puritate, & Religionis „ zelo, at vitæ exemplaritate tua, quibus fit, ut apud cariſſimum in „ Chriſto filium noſtrum Carolum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, ac „ Conſiliarios de Parlamento, in bona ſis gratia & exiſtimatione, & ſperas, „ ut nobis relatum eſt, tuo nomine, aſſiſtente tibi Divina gratia, „ poſſe apud eos operari, ut pragmatica conſuetudo, quæ tantum inolevit „ non ſine præjudicio magno, & diminutione honoris hujus Sanctæ Sedis, „ tollatur, & jura ipſius Sedis in integrum reſtituantur: placuit id nobis „ audire de moribus & vita tua, & in ſpem venimus poſſe te huic ſancto ne„gocio multum prodeſſe. Hortamur itaque devotionem tuam, & tibi com„mittimus, ut omni ſtudio & diligentia rem hanc aggrediaris & perficere „ ſtudeas, Regemque & Conſiliarios præfatos, ac alios ad quos hujuſmodi „ negotium pertinet, inducere ad id coneris. Nam ſi tua opera hujuſmodi „ negocium confici, & pragmatica ipſa ſanctio aboleri poterit, magni id erit*

apud

„ *apud Deum meriti, conſequeris ab omnibus laudem, & apud Nos, & hanc*
„ *ipſam Sedem gratiam non parvam tibi comparabis. Datum Romæ apud*
„ *ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* X. *Julii* MCCCCLXXXVIII. *Pon-*
„ *tificatus noſtri anno* IV.

Balbanus.

EIDEM.

„ EX *tui, ac Oratorum noſtrorum apud Chriſtianiſſimum Francorum*
„ *Regem litteris intelleximus, te in negotio Pragmaticæ magnam*
„ *adhibuiſſe diligentiam, cauſamque noſtram, ac hujus ſanctæ Sedis in ea*
„ *re maxime commendatam habere: quod nobis gratiſſimum fuit, & tuam*
„ *exinde devotionem plurimum in Domino commendamus. Functus es officia*
„ *probi Catholici, & vere religioſi viri. Et quia audimus te e Gallia deceſ-*
„ *ſiſſe & veniſſe in Germaniam, tuamque præſentiam admodum eſſe neceſſa-*
„ *rium in perficiendo dicto negotio, quod hactenus ſumma fide & ſtudio ce-*
„ *piſti, hortamur devotionem tuam, & attente requirimus, quatenus pro*
„ *noſtra & dictæ Sedis reverentia, ſtatim ad Regiam Curiam in Galliam*
„ *redeas, ibique juxta traditam tibi ex alto facultatem, Oratoribus ipſis*
„ *noſtris, in tam pio ſanctoque incepto cooperceris, ut tua potiſſimum opera*
„ *& induſtria ad votivum exitum perducatur. Facies rem Deo acceptam,*
„ *nobis ac inde gratam, & tua probitate dignam. Datum Romæ apud ſan-*
„ *ctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* IX. *Junii* MCCCCLXXXIX. *Ponti-*
„ *ficatus noſtri anno* V.

A. Trapeſuntius.

XXVI. Michael de Caranſedes in Theologia Baccalaureus hoc anno promovetur ad Eccleſiam Neapolitanam in Samaria, ſub Patriarcha Hieroſolymitano (aliæ duæ ſunt hujus nominis Eccleſiæ in partibus infidelium, una in Caria, ſub Archiep. Stauropolitano, altera in Arabia, ſub quarta Sede Bithiræ) per obitum Ladislai, & datur ei facultas exercendi Pontificalia in diœceſi Vacienſi in Hungaria, XV. Kalendas Auguſti. Floruit ſub hoc tempus magna pietate frater Angelus converſus in Conventu S. Bartholomæi de *Buonripoſo*, ſive Bonæ quietis, diœceſis Civitatis Caſtelli, cui Pontifex hoc anno die XIV. Maii facultatem conceſſit ad Eremum tranſeundi, & ſolitariam vitam ducendi; ſub obedientia tamen ſui Superioris Regularis Obſervantiæ.

Fr. Michael Epiſcop. Neapolitan.

Fr. Angelus laicus.

XXVII. Hoc anno, propter multiplicia Bernardini Feltrenſis in urbem Tudertinam collata beneficia, decreverunt cives ex Obſervantum Sodalitio apud ſe habere viros religioſos. Translatis itaque Sororibus Clariſſis ad locum tutiorem, Monaſterium Montis ſancti extra urbem Fratribus hoc anno, uti alias diximus, contulerunt.

Conv. Montis ſancti Tudertl. *Gonz. in Prov. S. Fran. Con. 16. Tom. 5. an. 1234. n. 21.*

XXVIII. Ut Fabrianenſes, diœceſis Camerinenſis, Obſervantibus Cœnobium conſtruerent, indulſit hoc anno Pontifex Innocentius: introductos in Monaſterium Annunciationis beatæ Mariæ ſpectans ad Moniales ſancti Romualdi, aſſerit Gonzaga, ſed ex ſcripturis authenticis eo oppido miſſis habeo, anno ſequenti die XXIX. Octobris emptum fuiſſe ſitum in regione ſancti Petri de Membricellis prope Fabrianum per ſyndicum, & quatuor deputatos a Magiſtratu, præſentibus & conſentientibus Petro Montis Ulmi Vicario Provinciali, Bernardino Auximano Guardiano Eremi Vallis Saxi, Joanne Firmano, Marco a ſancta Maria in Gallo, aliiſque ejuſdem Eremi accolis. Anno MCCCCXC. die XVII. Octobris frater Apollonius Fabria-

Conv. Fabrianenſ. S. Mariæ Annunciationis. *Gonz. in Prov. March. Conv. 35.*

brianenſis cantavit ſolemniter primam Miſſam in Eccleſia ſancti Venantii, & inde ſupplicantium more proceſſit Magiſtratus & univerſus populus, primum lapidem jacturus templi ſub invocatione beatæ Mariæ. Paulo poſt cœpit appellari ſanctæ Mariæ Gratiarum, & demum Annunciationis beatæ Mariæ, quo etiam nunc audit nomine.

Conv. Potentiæ. *Idem in Prov. Baſilic. Conv. 2.*

XXIX. Prope Potentiam, Baſilicatæ urbem, ædicula erat beatæ Mariæ, frequentibus in ea patratis miraculis illuſtris. Incolebant Eremitæ duo, non tamen quo par erat, cultu decorabant. Decrevit itaque Potentiæ Comes ædem nobiliorem reddere, & Fratrum Obſervantum Cœnobium adjicere. Id præſtitit hoc anno, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Sepulcro. Habetur hic Theologiæ gymnaſium. Neſcio unde huc aſportatum ſancti Patritii, Hibernorum Apoſtoli os, quod dæmoniacos, a ſerpentibus morſos, & rabie laborantes epota aqua, cui itingitur, a malis reddit immunes. Conventum Motæ Patrum Conventualium Provinciæ ſancti Antonii & Cuſtodiæ Venetiarum hoc anno conſtructum affirmat Rodulphus.

Conv. Motæ. *Rodul. fol. 271.*

XXX. Martinus Alphonſus de Villa Seca, Civis Cordubenſis, fratris Joannis de la Puebla ſive conſanguineus ſive neceſſarius, intellecto ejus pio propoſito circa reſtituendum primævum Ordinis rigorem, conſtruendaſque humiles ædiculas, in quibus hujuſmodi exacta vitæ norma vigeret, decrevit piis viri votis cooperari, impetravitque hoc anno ab Innocentio facultatem duas hujus vitæ viris domos exædificandi, a quibus Cuſtodia Angelorum, Miniſtro Generali & Vicario Obſervantum ſubjicienda, ſumeret exordium: *Sacræ Religionis*. VI. Idus Martii. Hac fultus Pontificis auctoritate, dum fratri Joanni committit, ut locum perquirat ſuis votis accomodum, & ille univerſum tractum Caſtullonenſem (vulgo *Sierra Morena*) perluſtrat, incidit tamdem anno MCCCCXC. in cavam atque a confluentibus aquis fere exciſam rupem oppido *Hornachuelos* propinquam, ubi ædiculam ex arborum corticibus, terra, ſtraminibus, & cæmento, ſub appellatione ſanctæ Mariæ Angelorum, juxta bullæ diſpoſitione n, & contiguum tuguriolum rudi & impoſito opere conſtruxit. Etſi vero hæc ædes in altiſſimi montis, inſtar Carmeli ſaltus, vertice conſurgat, nihilominus neque hortis, neque aquarum irriguis, licet ſalebroſo loco, caret, ſed abundat.

Conv. S. Mariæ Angelorum de Furnis. *Gonz. in Prov. Angel. Conv. 1.*

XXXI. At Fratrum quieti, jugique contemplationi, notæque virtuti invidens humani generis hoſtis, poſt aliquot annos excitata in vicini nemoris penetralibus flamma vorante, quæ longe lateque ſe diffudit, ædiculam & Cœnobiolum in cineres redegit. Ne tamen domus illa, totius Cuſtodiæ caput & fundamentum omnino periret, aliam primæ ſimilem infra breviſſimi temporis ſpatium conſtruxerunt; licet vero ex temere congeſtis lapidibus ſilveſtrique materia tumultuarie ſatis coagmentata, perſeveravit nihilominus uſque ad annum MDX. quo Franciſcus ab Angelis, poſtea totius Ordinis Miniſter Generalis, & S. R. E. Cardinalis eam ex ſectis lapidibus, lateribus, tignis a cæmentariis, latomis, fabriſque lignariis dolatis, & ad artem compoſitis nobiliorem effecit. Intra hortorum ſepra quatuor adjunxit Oratoria ſive Eremitoria ſub ſanctorum Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, & Angeli Cuſtodis nominibus, a ſe invicem longa intercapedine diſtincta, per quæ diſtributi alternis hebdomadibus quatuor Fratres, pane & aqua contenti, orationi & meditationi, juxta pias & rigidas Eremicolatus regulas inſtantes, vitam tranſigere ſolent ſanctiſſimam.

XXXII. Tantam piorum hominum virtutem, vitamque cœleſtem ferre non valens invidus Satan, vehementiori ſtudio, & majori rabie ſtatuit eos inde expellere, quapropter anno MDXLIII. omnia in favillam redegit. Sed

Deus

Deus potentior ad reædificandum, quam dæmon ad deſtruendum, inſpiravit nobili tironi Ludovico a Cruce, Ducis Bejarenſium fratri germano, qui nondum paternæ hæreditati renunciarat, ut Conventum multo ſolidiorem & elegantiorem fabricari curaret. Philippus II. Hiſpaniarum Rex, dum illac Granatam proficiſceretur, conſtruendo dormitorio, Eccleſiaſticis paramentis, & jocalibus comparandis pinguem ſcripſit eleemoſynam. Anno MDVI. quidam pius Eremita Joannes de Blanca ceſſit donavitque Martino a Vergara Provinciæ Caſtellæ Miniſtro, & tunc Cuſtodiæ Angelorum moderatori, aream, domum, cellam, & Oratorium, quod in loco *Allozar* nuncupato in finibus populi de Hornachuelos juſto titulo poſſidebat, ut Fratribus hujus Conventus ſanctæ Mariæ Angelorum deſervirent. Petrus de Medina Guardianus poſſeſſionem cepit, quam eodem anno die XIX. Junii, Julius II. confirmavit. Hinc natæ aliquæ controverſiæ cum Diœceſano poſt mortem Eremitæ. Mirabilis eſt hujus Cœnobii ſitus: altiſſimi illic conſpiciuntur montes, & ſcopuli ad cœlum pertingentes, denſiſſimis arundinetis, confertiſſimis oleaſtris, amygdalis, aliiſque hujus generis arboribus conſiti; ex alia parte profundiſſimæ valles ad ima terrarum inclinatæ. Fertiliſſimi campi & frugiferi horti proſpectu explicantur gratiſſimo.

XXXIII. Jacet hic Andreas laicus ſeu Converſus, Caroli V. Imperatoris olim Pincerna, claris ortus natalibus, & virtutibus illuſtris. Ab ingreſſu Religionis uſque ad vitæ finem in pane tantum & aqua jejunavit, corpus ciliciis, flagris, variiſque cruciatibus maceravit. Humi cumbebat; noctes inſomnes in oratione protrahebat. Certum ſui obitus diem, & ſecundum Cœnobii incendium prædixit. Ejus caput theca pretioſa repoſitum habetur apud omnes in veneratione. Huic adjacet Bernardinus a Caſtro-Viridi Sacerdos, qui dies integros noctesque in oratione ducebat, vino & carnibus perpetuo abſtinebat, omnique virtutum genere animam excoluit. Tertius illic requieſcit Joannes Aſſilles etiam Sacerdos, vir ex omni parte perfectus. Opportuna contemplationi loca quærenti, obviavit ex inſperato mulier nuda penitus, ſolis crinibus undique tecta, quæ diſſolutæ vitæ pœnitens, ſolitario loco procul ab hominum commercio per integrum decennium ſeveram egerat pœnitentiam. Mantello ſuo contectam, in Eccleſiam duxit pius Pater, ubi confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta lacrymanti miniſtravit. Paulo poſt eiſdem ſecundo & tertio acceptis, illa pie obdormivit in Domino, & in Eccleſia Fratrum ſepulta eſt. Inter exequiarum ritus vocem hanc e cœlo delapſam, religioſus hic pater audivit: *Dilectam meam ego nunc in Cœlo me ipſo paſco*. Mulieris corpus, & ſpelunca, in qua tamdiu pœnitentiam egit, & præfatorum Patrum cineres in maxima apud convicinos populos habentur veneratione.

Fr. Andreas Laicus. *Gonz. citat. Monum. MSS. Prov. Angel. Daza 4. p. lib. 3. c. 33.*

Fr. Bernardinus a Caſtro-Viridi.

Fr. Joan. Aſilles.

XXXIV. Ab oppido ſanctæ Crucis, diœceſis Corianæ in Hiſpania, per V. M. P. diſtat Mons altus Altæ-muræ, in cujus jugulo Cœnobium ſub hunc annum ædificatum fuerat, ſub titulo ſancti Marci, & cura Patrum Conventualium. Sub anno MDXIII. tranſivit ad Obſervantes, ita jubente Miniſtro Generali Bernardino Pratenſi, acceptante Franciſco a Fraxineto, Cuſtodiæ ſancti Gabrielis moderatore. Coriani Epiſcopi huc frequenter declinant, præſertim tempore Quadrageſimali paſtoralem curam aliquantulum remiſſuri, & animas ſerius curaturi. Hoc fine Didacus Henriquez ab Almanſa Epiſcopus, qui Concilio Tridentino interfuit, domum Cœnobio contiguam conſtruxit, in qua abſque famulitio inter Fratres, tamquam unus ex ipſis converſabatur. Ipſum etiam Cœnobium ruinæ proximum a fundamentis refecit anno MDLIV. ſubſidium etiam conferentibus Monialibus Salamantinis Ordinis D. Jacobi.

Conv. Altæ-Muræ. *Gonz. in Provin. S. Gabriel. Con. 9.*

XXXV. In

Conv. Redenſis. Idem in Provin. Catalon. Con. 11.

. XXXV. In Principatu Cataloniæ & diœceſi Tarraconenſi oppidum eſt Redenſe, vulgo *Reus*, cujus incolæ permoti bona fama Fratrum Obſervantum, eis conſtruxerunt circa hunc annum domum ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu, ac c. P. a Vallo diſtantem. Hoc anno adjudicati ſunt Bæticæ Cuſtodiæ Conventus duo, Utreræ, & Sanlucaris, quorum utrumque diximus deſtinatum Fratribus laborantibus in miſſione, & converſione Canarienſium.

Conv. Utreræ. Conv. Sanlucaris. To. 10. an. 1411. n. 13. & To. 11. an. 1441. n. 17.

. XXXVI. Viri nobiles Ludovicus Comes Ventendoren. & Marcheſius de Sterella, Dominus locorum de Sterella & Ruſſillho, Lemovicen. diœceſis in Aquitania, & Catarina de Beaufort, Ludovici conthoralis, obtinuerunt hoc anno v. Kal. Septembris facultatem ædificandi domum Obſervantum infra limites parochialis Eccleſiæ de Novovico ejuſdem diœceſis, ſubjiciendam tamen Miniſtro Generali. An vere fecerint, ignoro; neque enim alibi veſtigium reperio. Superius ſcripſi de Conventu Vici ante centum annos per Comitem Armaniaci conſtructo.

Conv. Novi-Vici. Lib. 79. fol. 121. An. 1481. n. 27.

XXXVII. Renatus Dux Alenconii, Duperchæ Comes, & Par Franciæ, ac Margarita Lotharinga ejus conjux, cum per annos quatuor prole caruiſſent, voverunt ſe Cœnobium Minorum ædificaturos, ſi Deus interceſſione ſancti Franciſci, cui erant addictiſſimi, dignaretur liberos concedere. Acceptis filio uno & filiabus duabus, ædificarunt in oppido Fixæ * diœceſis Andegavenſis, juxta fluvium Ligerim inter urbes Cenomanenſem & Andegavenſem, Conventum ſub nomine ſancti Franciſci. Facultatem dedit hoc anno v. Kal. Auguſti Innocentius, inchoatumque eſt opus anno ſequenti.

*Conv. Fixæ. Gonz. in Provin. Turon. Pictav. Conv. 16. Lib. 152. fol. 196. * al. della Tleche.*

XXXVIII. In Hungaria & Provincia ſanctæ Mariæ ædificatus eſt hoc anno Conventus Zudlachienſis ex diverſis fidelium eleemoſynis, opera fratris Petri Racſy, & paulo poſt dicitur conſtructus Conventus Zmichienſis piorum eleemoſynis, ſtudio & induſtria cujuſdam fratris Bartholomæi.

Conv. Zudlachien. Gonz. in Provin. Hungar. Con. 32. & 33. Con. Zmichienſis.

XXXIX. Conceſſit hoc anno Innocentius facultatem Joanni Martinez Montaraſin & Catarinæ Lopetiæ conjugibus, ætate provectis & prole carentibus, ut Monaſterium Sororum Tertii Ordinis, Xenodochium conjunctum, & Eccleſiam Conceptinnis Beatæ Mariæ conſtruerent in oppido Viſus, diœceſis Toletanæ, & ditionis Militiæ Calatravenſis. Acceſſit conſenſus Petri Gonzalez de Mendoza, Archiepiſcopi Toletani, Cardinalis, & Garſiæ Lopetii prædictæ Militiæ Magiſtri. Domum & Xenodochium in ſuam curam admiſit Joannes a Toloſa Vicarius Provinciæ Caſtellæ. Catarina fundatrix, annuente marito, primis ſe aggregavit Sororibus, ſanctiſſimeque inter eas vitam traduxit. Vir ejus Joannes ſub eodem Inſtituto vitæ reliquum in paupertate & carnis maceratione tranſegit. Uterque in prædicta Eccleſia loco conſpicuo pro fundatorum dignitate ſepulti ſunt. Sorores hic vivunt religioſiſſime.

Domus Sororum Tertii Ordinis Viſenſis. Idem in Provin. Caſtell. Mon. 17. Salazar. lib. 7. c. 16.

XL. Mentio hoc anno occurrit Monaſterii Beatæ Mariæ in Nazareth oppidi Delfen. Ordinis ſanctæ Claræ, diœceſis Trajecten. cujus Monialibus conceditur, ut ſi Fratres de Obſervantia Provinciæ Coloniæ earum regimini intendere nollent, poſſent alii Provinciæ ſe ſubjicere, & confeſſorem eligere. Periit hoc Monaſterium cum reliquis, deveniente oppido in poteſtatem hæreticorum Geuziorum.

Monaſt. Delfen. Lib. 70. fol. 175.

XLI. Apud Dulendium, Viromandiæ oppidum in Gallia, ante aliquot annos domum obtinuerunt Beghinæ, quam hoc anno, conſentientiente Innocentio, oppidani Sororibus Tertiariis Franciſcanis, quæ curandis infirmis inſiſterent, contulerunt. Eccleſiam Deo ſub nomine ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſacram quidam Hebronenſis Epiſcopus anno MDL. conſecravit.

Domus Dulendii. Gonzag. in Prov. Franc. Pariſien. Mon. 17.

XLII. Pe-

XLII. Petrus Manrique, Dux Najaræ, hoc anno expoſuit Pontifici, ſe ad votum Mariæ de Sandoval, ſuæ genitricis viduæ, hoſpitale ſancti Emiliani in oppido ſuo de Hamuſco, Palentinæ diœceſis, largitione quondam Hurracæ Comitiſſæ, quibuſdam Confratribus pro pauperibus recipiendis donatum, in pulchram & ampliſſimam domum Tertii Ordinis commutaſſe, regendamque tradidiſſe Miniſtro Provinciæ de Santoyo, quæ nunc Conceptionis appellatur, ibique prædictam ſuam genitricem, nobileſque Virgines habitum ſuſcepiſſe, aliaque circa reditus & donationem ſua propria auctoritate ſtatuiſſe, quæ ab Apoſtolica Sede confirmari cupiebat. Annuit Pontifex: *Ex injuncto nobis*. III. Idus Julii. In hac bulla mentio habetur Monaſterii Clariſſarum, olim a Leonora de Caſtilla, conjuge prædicti Ducis avi, in ſuo palatio conſtructi, & per quemdam Sedis Apoſtolicæ Legatum, ad alium locum in eodem oppido tranſlati. Neutrius Monaſterii habetur memoria in hiſtoria Provinciæ prædictæ Santoyanæ.

Domus Hamuſci.

Mon. Hamuſci.

XLIII. Philippus Comes Palatinus Rheni, hoc anno per ſuas litteras aſſignavit locum & domum in urbe Heidelbergenſi Fratribus Tertii Ordinis, quos ſubjectos eſſe voluit Guardiano Fratrum Minorum de Obſervantia ejuſdem urbis. Habitabant etiam hujus inſtituti viri ad ſanctum Nicolaum Tryſt prope Terdych, Colonien. diœceſis, qui ex conſenſu quondam Ruperti Archiepiſcopi, olim inierunt quædam pacta cum Rectore ſeu paſtore parochialis Eccleſiæ in Gleen. quæ Pontifex hoc anno confirmat.

Domus Fratrum Tertii Ordinis Heidelbergen. *Monumt. MSS. Prov. Colon.*

Domus Terdychi. *Lib. 70. fol. 235.*

XLIV. Perſiſtentibus conſtanter Fratribus provinciæ ſancti Franciſci in ſua determinatione de non admittenda cura vel regimine Sororum Tertii Ordinis, quæ ſub clauſura vivere nolebant. Rogatus Pontifex, juſſit hoc anno, ut curam reſumerent Monaſterii ſanctæ Cæciliæ de Civitate Caſtelli, hoc eis miſſo diplomate, alio ſimili emiſſo die XXII. Januarii anno MCCCCXC. in quo refert Sorores has ex indulto Apoſtolico in communi viventes, vota caſtitatis & obedientiæ emittere ſolere.

Fratres Provinciæ S. Franciſci jubentur curam reſumere Monaſterii Civitatis Caſtelli.

Dilecto filio Vicario Provinciæ ſancti Franciſci Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

XLV. *Dilecte fili, ſalutem &c. Inclinati ſupplicationibus dilectarum in Chriſto filiarum Miniſtræ & Sororum domus ſanctæ Cæciliæ de Civitate Caſtelli, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de pœnitentia nuncupati, quæ, uti accepimus, ſub cura, regimine & adminiſtratione tua tuorumque Fratrum, alias degere conſueverunt, & ſub illis Altiſſimo cupiunt famulari, tibi ad meritum ſalutaris obedientiæ committimus & mandamus, ut curam, regimen & adminiſtrationem Sororum earumdem ſuſcipias, eiſque circa Divina, Confeſſiones & Eccleſiaſtica Sacramenta per aliquem religioſum tui Ordinis provectæ ætatis & probatæ vitæ provideri facias & procures. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* X. *Decembris* MCCCCLXXXVIII. *Pontificatus noſtri anno* V.

Ex Autographo.

XLVI. Circa Sorores hujus Inſtituti quidam facile dubitarunt, an ſub nomine *Bizocharum* a Joanne XXII. in decretali: *Sancta Romana & Univerſalis Eccleſia*, comprehendi dicerentur? Dubium abſtulit Innocentius peculiari conſtitutione hoc anno, qua declaravit, ſub illo nomine non eſſe intelligendas. Conſtitutionem ſi quis legere voluerit, inveniet in trium Ordinum Firmamento.

Sorores Tertii Ordinis minime a Joanne XXII. condemnatæ.

Vide ſupra fol. 440.

XLVII. Quatuor Ordinum Mendicantium Fratres, & Sorores, Prælatos

Dantur Iudices Conſervatores privilegiorum.

tos Eccleſiarum eorumque officiales, præſertim in Marchia Anconitana, graves ſenſerunt circa ſuas perſonas judices, & privilegiorum a Sede Apoſtolica conceſſorum perturbatores. Amplum defenſionis diploma Pontifex hoc anno XIV. Kalend. Februarii conceſſit, juſſitque ut, quos in ſuum adjutorium & defenſionem Fratres vocarent, aut privilegiorum Conſervatores deſignarent, locorum Ordinarii & Officiales ſuo foverent patrocinio.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Dogl. cit. fol. 468.
„ I. MOrtuo Jacobo Cyprio, Catarina Cornara ejus Vidua Regnum
„ moderabatur: ſed conſilio Georgii Cornari fratris ſui con-
„ ſcenſis triremibus navigavit in Patriam, eique occurrens Auguſtinus
„ Barbarigus Reipublicæ Dux cum univerſo Senatu, maximo cum honore
„ excepit, ac ita Regnum ad Venetos tranſiit ſine labore. Hieronymus
Indic. ex Vatic.
„ autem Riarius, dum minis terrere putat Franciſcum Orſum Forolivien-
„ ſem, ab eo in proprio cubiculo occiditur; ſed Catarina Neptis Ludovici
„ Sfortiæ, ejus armis protecta, atrocem Mariti mortem vindicavit. Ponti-
„ fex fratrem Richardum ad beneficium deſtinat: *Zelus Religionis &c.*
„ V. Kalend. Februarii: & datis litteris quartadecima die Martii pro elee-
„ moſynis ſanctæ Mariæ de Portiuncula: *Dudum felicis &c.* apud Gloga-
Ex copia.
„ viam in Sileſia, turbida ſorte, licet magna pietate & majore liberalita-
„ te fundatum, conſtructum, demolitum, ac poſtea reſtitutum ab eodem
„ ſuo Fundatore & Patrono Joanne Duce Sagano, Cœnobium SS. Apo-
„ ſtolorum Petri & Pauli pro Obſervantiæ Fratribus, iterum hoc anno in-
„ ter præfatum Ducem, & Matthiam Boemiæ Regem recrudeſcente bello
„ ob eamdem cauſam, quod eſſet obnoxium Caſtro, ſecundo immiſſo
„ igne, ſolo æquatum, Fratribus III. Idus Aprilis ejuſdem anni, præſente
„ Illuſtriſſimo Domino Fundatore, & Venerabili Viro Domino Apicio
„ Colo Doctore Canonum, & Scholaſtico Glogavienſe Delegato Diœce-
„ ſani, ad alium ſecuriorem locum in ſuburbio, auctoritate Apoſtolica
Supra ad annum 1480.
„ tranſlatis, Joannes præfatus Dux magnifica liberalitate alias Ædes fun-
„ davit atque conſtruxit. Pontifex Romæ fratri Dominico *de Media Villa*
„ beneficium contulit XVII. Kalend. Maii, & VIII. Kalend. ejuſdem aliud
„ fratri Nicolao Gubioo, ambobus expeditis brevibus: *Religionis zelus &c.*
„ XVII. Kalend. Junii, Conceptionis Monaſterio de *Beja*, diœceſis Ebo-
„ renſis in Portugalia conſulebatur: *Juſtis & honeſtis &c.* Taurinorum
„ Auguſtæ in Pedemontio Univerſitas fratrem Bernardinum de Prato,
„ futurum totius Ordinis Primicerium, Laurea Magiſterii decorabat, quem
„ honorem Bononiæ aſſequutum, apud nonnullos legi: quod niſi eodem in
„ gradu bis inſtitutus fuerit, eſſe nequit; veruntamen ad veritatem hiſto-
„ riæ ſcribens, ex ipſis Originalibus litteris ſuæ promotionis ad ſacræ Theo-
„ logiæ Magiſterium, in Archivo Conventus S. P. Franciſci Cherii dili-
„ genter cuſtoditis, ecce ad evidentiam rei, omnibus copiam facti præ-
„ beo.
„ II. *Joannes de Gromis Decretorum Doctor, Archidiaconus Ypore-*
„ *gienſis, Vicariuſque & Locum tenens Epiſcopalis Reverendiſſimi in Chri-*
„ *ſto Patris, & Domini D. Dominici Ruvere, miſeratione Divina tituli*
„ *ſancti Clementis S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Epiſcopi Taurinenſis,*
„ *& in hac parte Almæ Univerſitatis Studii Taurinenſis Vice-Cancellarius*
„ *per prælibatum Reverendiſſimum Dominum D. Cardinalem & Epiſcopum*
„ *Taurinenſem dictæ Almæ Univerſitatis Cancellarium ſpecialiter deputa-*
tus:

Digitized by Google

,, *tus: Venerando fratri Bernardino de Prato de Ripa prope Cherium, Ordi-*
,, *nis Minorum, Taurinenſis diœceſis, ſacræ Theologiæ Profeſſori, ſalutem*
,, *in eo, qui omnium eſt ſacra ſalus.*
,, *Dignum & congruum arbitramur, ut pro univerſis juſtis laboribus*
,, *condigna meritorum præmia tribuantur, illis præſertim, qui per difficiles*
,, *ſtudiorum ſemitas ambulantes, difficilibus curis & laboribus inſudarunt,*
,, *& præcipue ſacræ Theologiæ facultati, per quam verum a falſo diſcerni-*
,, *tur, & ſalus acquiritur animarum. Cum itaque Venerandus ſacræ Theo-*
,, *logiæ Magiſter frater Jacobinus de Prato Ordinis Minorum, tamquam*
,, *veſter Promotor, vos tamquam ſufficientem & benemeritum, coram nobis*
,, *Vicecancellario, necnon ſpectabili juris utriuſque Doctore D. Petro Nico-*
,, *lai, hujus Almæ Univerſitatis Studii Taurinenſis Rectore, ac venerandis*
,, *ſacræ Theologiæ Magiſtris, fratre Thoma de Monte-Calerio Ordinis Mi-*
,, *norum, dictæ Univerſitatis Decano, & aliis de Collegio, præſentaverit*
,, *externa die, privatum & rigoroſum ſubiturum examen in præfata ſacræ*
,, *Theologiæ facultate: noſque cum præfatis Dominis Rectore, Decano Col-*
,, *legii hujuſmodi præſentationem de vobis factam ſolemniter duximus ad-*
,, *mittendam, præfixis vobis die & hora præſentibus ad comparendum in*
,, *Aula ſpeciali, in qua rigoroſa examina fieri conſueverunt, dictum priva-*
,, *tum punctum, & rigoroſum examen, more ſolito coram nobis, in præfata*
,, *ſacræ Theologiæ facultate ſubiturum: quibus quidem die & hora præfixis*
,, *& aſſignatis, coram nobis, & præfatis Dominis Rectore, Decano Collegii,*
,, *ceteriſque Patribus, Doctoribus & Magiſtris facultatis prædictæ ſacræ*
,, *Theologiæ ad hujuſmodi examina deputatis, præſentialiter comparuiſtis*
,, *cum veſtro jam dicto Promotore, dictum privatum & rigoroſum examen*
,, *intrando & ſubeundo, lectiones & puncta, in præfata ſacræ Theologiæ fa-*
,, *cultate in locis & partibus vobis aſſignatis jurgando, ſufficienter quæſtio-*
,, *nibus & argumentis hinc inde vobis licitis, reſpondendo competenter,*
,, *dubia & quæſtiones univerſi examinis reaſſumendo & abſolvendo veraci-*
,, *ter: Vos itaque ſufficientem & idoneum in ipſo examine rigoroſo cum exhi-*
,, *bueritis, & a præfatis Dominis Rectore, Decano, ceteriſque Doctoribus,*
,, *Patribus & Magiſtris de dicto Collegio ad hujuſmodi examina deputatis,*
,, *& in ipſa facultate fuiſtis probatus ſufficiens & idoneus ad obtinendam*
,, *licentiam, necnon Doctoratus & Magiſterii gradum in præfata ſacræ*
,, *Theologiæ facultate. Nos igitur volentes in primis virtutum & laborum*
,, *fructum veſtrorum, quam poſſumus, vobis reddere gratioſum; vos tam-*
,, *quam dignum, ſufficientem & benemeritum in præfata ſacræ Theologiæ*
,, *facultate pronunciavimus & pronunciamus, licentiam auctoritate Apoſto-*
,, *lica, qua fungimur in hac parte ſuper hoc muniti, dantes & concedentes*
,, *vobis eadem auctoritate, auctoritatem & facultatem in præfata ſacræ*
,, *Theologiæ facultate de cetero legendi, diſputandi, gloſſandi & interpre-*
,, *tandi, necnon Doctoratus & Magiſterii gradum in eadem ſacræ Theolo-*
,, *giæ facultate quandocumque volueritis petendi, recipiendi & obtinendi,*
,, *in hac tamen Univerſitate, & ſub uno jam dicto Promotore. Verum præ-*
,, *nominatus Magiſter frater Jacobinus de Prato Promotor veſter de man-*
,, *dato noſtro, necnon de conſilio pariter & aſſenſu dictorum Dominorum*
,, *Rectoris, Decani, aliorumque Patrum & Magiſtrorum de ipſo Collegio,*
,, *in eadem Aula exiſtentium, in ſignum ceſſionis, gradus & Doctoratus, ac*
,, *Magiſterii victorialiter in præfata ſacræ Theologiæ facultate conſtituti,*
,, *factis debitis & conſuetis Veſperis, Cathedram, Magiſterium (ut moris*
,, *eſt) aſſignavit, librum clauſum & apertum tradidit, birctum ſeu lau-*

ream capiti veſtro impoſuit, cum oſculo pacis, & benedictione paterna, in ſignum gradus & Magiſterii per vos, ut præmittitur feliciter conſecuti; idcirco vobis petenti & requirenti, has neceſſario patentes litteras in forma inſtrumenti publici redactas, & per nobilem & egregium Damianum Barberini Epiſcopalem Taurinenſem Secretarium infraſcriptum ſubſignatas, ſigilloque Pontificali prælibati Reverendiſſimi Domini D. Cardinalis Epiſcopi & Cancellarii ſigillatas, in fidem & teſtimonium præmiſſorum vobis duximus concedendas.

Actum & datum Taurini in Aula præfata, in qua ſimilia fieri conſueverunt, die XVII. *menſis Maii anno* MCCCCLXXXVIII. *præſentibus ibidem Magnifico Domino Georgio Bertoni Præſide Audientiarum, ſpectabilibus juris utriuſque Doctoribus, D. D. Jacobino de ſancto Georgio, Angelino Provana, & Devoto de Caburetto, ac Egregio Michaele Galliardi, dictæ Univerſitatis Bidello, teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.*

Damianus Barberini.

** Notitias hic expunctas Waddingus ad hunc annum in ſuis additionibus refert. Indic. ex Vatic.*

Notandum hic præfatum Promotorem fuiſſe avunculum promoti Bernardini, qui poſtea ex Provinciali Provinciæ Januæ, anno MDXII. electus fuit in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Minorum. *

III. Emanaverat e Vaticano licentia conſtruendi Cœnobium in Burgundia pro Minoribus Regularis Obſervantiæ: *Eximiæ devotionis &c.* IV. Kalend. Julii; & IV. Idus Auguſti Fratri Ludovico poſſe promoveri ad beneficium Eccleſiaſticum indultum eſt: *Religionis zelus &c.* & XVI. Kalend. Septembris, permiſſo eſu carnium Monialibus ſanctæ Claræ de Beja: *Sacræ Religionis &c.* Aliud beneficium fratri Alberto Nidebrexiæ decretum eſt: *Religionis zelus &c.* Ac tertio aliud fratri Joanni de Raymuodis, conſimili Breve, ſed Nonis Novembris; & XIV. Kalend. Decembris frater Bernardinus ad Benedictinos dimiſſus eſt: *Apoſtolicæ Sedis &c.* Supplicationibus fratris Bernardini de Guaza, Procuratoribus Fratrum, eorumque Subſtitutis, Liberis, Parentibus, Fratribus Sororibuſque poſſe promereri Indulgentias Stationum, & alias Fratribus conceſſas, dicendo in Eccleſiis Fratrum quinque *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria* pro felici ſtatu Romanæ Eccleſiæ, benigna liberalitate conceſſit. Tandem ex Monumentis Provinciæ Majoris Turoniæ proditur Cœnobium Montis Jani, de cujus antiquitate nedum, ac nec de nomine quidquam apud nullos legere licuit. Monumenta tantum ajunt, quod antiquitus erectum in quodam Vico nuncupato Caſtrum-Panis, gallice *Chateau Pan*, in Cuſtodia Bituricenſi, ultimo ſubmiſſo igne a Ludovico Domino de Monte Jano deſtructum fuerit; qui tamen juſſu Caroli Regis novum in ſuo oppido erexerit; quamobrem nos ex hiſtoriis, temporum qualitate conſiderata, cum anno MCCCCLXXXVIII. Britanniæ bellum finem habuerit, credidimus hic poſſe commemorari, ne ejus memoria pereat.

Joannes Tarlo floret.

Andreas Bonfanti in ſua tabula Sanctorum Tertii Ordin. dedic. S. Maria Mag. Auſtriaca.

Gonz. p. 2. de Conv. Opatonii 18. Pr. Pol. fol. fol. 470.

IV. Joannes etiam *Tarlo* Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci Alumnus, Illuſtriſſima Proſapia natus, necnon Eccleſiaſticis dignitatibus, Regioque favore conſpicuus, oratione & lacrymis Chriſti ſacra veſtigia perluſtrabat, cum tamdem virtutibus, meritis & bonis operibus cumulatus, in ſacro Monte Sion, depoſita corporis ſarcina, cœleſtia Regna petivit, quemadmodum enarrat Andreas Bonſanti anno MCCCCLXXXVIII. Attamen ſuſpicor hunc eſſe eumdem cum Petro Joanne *Tarlo*, de quo ita ſcribit Gonzaga: *Petrus Joannes* Tarlo, *ſanguine cla-*

„ *clarus, Eccleſiaſticis dignitatibus, Regioque favore conſpicuus, qui Minorum Ordinem in Polonia ſtrenue defendebat contra adverſarios; ac vero*
„ *terrena faſtidiens, & aucta erga Seraphicum Patrem Franciſcum devotione, una cum genitrice Leopoli tertium ejus Inſtitutum ſubivit, & paulo*
„ *poſt Minorum habitum ſuſcepit: deinde peregrinationem in Terram ſanctam inſtituit, ubi in oratione aſſidua, & lacrymis ſacra Chriſti veſtigia*
„ *perluſtrans, in Monte Sion anno* MCCCCLXXXVIII. *diem clauſit extremum, meritis opimus.* Ita Gonzaga. Cum itaque facta conſonent, cur
„ non potuit eſſe binominis?

ARGUMENTUM.

Obſervantes utriuſque Familiæ Generalia celebrant Comitia. Ex humanis abeunt Franciſcus de Barga, Onufrius Sarzanenſis, Scholaſtica Fulginas. Bernardinus Feltrenſis fructuoſe ubique ſuum peragit munus. Fratres provinciæ Hungariæ multis muniuntur privilegiis. Propagatur Inſtitutum.

I. HABITA ſunt hoc anno Comitia Generalia Obſervantum Familiæ Ciſmontanæ in Conventu ſancti Donati extra Civitatem Urbini, electuſque eſt quartum Vicarius Generalis Angelus a Clavaſio die XXVIII. Maii. Deſignati Definitores (quorum uſum ante hoc Capitulum non invenio) Ludovicus a Turre provinciæ ſancti Antonii, Dominicus a Goniſſa provinciæ Marchiæ, Bernardinus de Caymis provinciæ Mediolani; Commiſſarius in Curia Romana, Hieronymus Torniellus provinciæ Mediolani; Guardianus Hieroſolymitanus Montis Sion ...... Vicarius Candiæ, Benedictus de Vercellis provinciæ Mediolani; Commiſſarius Sardiniæ, Raphael a ſancto Severino provinciæ Terræ Laboris.

Capitulum Gener. Obſervant. Ciſmont. Urbini XVIII.
Reg. Ordinis. Marc. par. 3. l. 7. c. 11.
Vicarius Generalis Angelus a Clavaſio.

II. Ultramontani ſimiliter ſub feſtum Pentecoſtes, ſuum celebrarunt Capitulum in Conventu de Fonte prope Rupellam provinciæ Turoniæ, in quo electus eſt tertia vice Vicarius Generalis Joannes Croyn provinciæ Franciæ. Numerus Fratrum defunctorum in illa Familia poſt ultimum Capitulum Generale recenſitus eſt quingentorum quadraginta novem, atque inter hos præcipue nominati ſunt Joannes Philippi olim Vicarius Generalis, qui deceſſit anno MCCCCLXXXVII. in Conventu de Linejo, & Jacobus de Horne, olim vir potens in ſeculo, de quo alias egimus, cujus filius poſtea fuit Epiſcopus Leodienſis: deceſſit anno MCCCCLXXXVIII. uti dictum eſt Tomo præcedenti. In his Comitiis admiſſum eſt diploma Apoſtolicum de erectione Cuſtodiæ Angelorum, conceſſumque eſt fratri Joanni de la Puebla, de quo ſupra ſæpe locuti ſumus, ut intra fines Extremæ Duræ & tractus Caſtullonenſis domos ædificaret, ex quibus poſtea coaluit provincia Angelorum.*

Capitulũ Ultramontanum Fontis XVIII.
Vicarius Gener. Joãnes Croyn.

Tom. 13. anno 1458. n. 41.
Anno 1461. n. 38.
Erigitur Cuſtodia Angelorum.
Ann. 1480. n. 1. & an. 1487. n. 1.
* *Hic narratio obitus Petri Molianenſis ex monitis Waddingi ad annum 1509. expuncta, & in hac nova editione refertur ad ann. ſequentem.*

III. Deceſſerunt hoc anno duo piiſſimi viri Franciſcus de Barga, quem anno præcedenti diximus a morte liberatum precibus Jacobi Papienſis, & Gonzaga refert, in ſuæ inculpatæ vitæ teſtimonium fuiſſe miraculis illuſtrem. Jacet in Eccleſia Conventus ſanctæ Mariæ de Gratiis prope Bargam. Alter Onufrius Sarzanenſis laicus, quem diximus miraculis clarum, requieſcere in Templo Virginis Annunciatæ apud Nurſiam.

Gonz. in Provin. Tuſciæ Conv. 19.
An. 1488. n. 3.
Monum. MSS. Prov. S. Franciſci.

„ IV. Tertius accedit Marchionus, aliis Marchio, & Marcus Corto-
„ nenſis, de cujus vehementi ſtudio erga aſſiduam orationem alias diximus, ſer-

Tom. 10. anno 1432. n. 31.

Digitized by Google

Additio Patris Lucæ Waddingi. Fr. Marcus Cortonenſis. *Tom. 1. anno 1213. n. 21. Marc. 3. p. l. 7. c. 42.*

,, ſermonem inſtituentes de Conventu Podii Bonitii, in quo requieſcit.
,, Tamdem in virtute & pietate conſummatus, hoc anno plenus meritis &
,, bonis operibus, lenta febre correptus, ſacram Synaxim recepit cum aliis
,, Fratribus adoleſcentibus & laicis, & ſub Veſperum petiit a Cœnobii
,, Præfecto extremam Unctionem. Videns antem Superior per domum in-
,, cedere, judicavit differendam. Sub horas Matutini, ſeu ſub noctis me-
,, dium iterum petenti denegavit Superior, conceſſit tamen celeriter ſum-
,, mo mane jam expiranti. Remanſit corpus molle & tractabile,& facies ju-
,, cunda veluti ſubridentis.

Necnon Scholaſtica Fulginas. *Jacobil. de Sanctor. Fulgin. die 22. Julii.*

V. Scholaſtica Fulginas, Petri Marini Delii filia, Monaſterii ſanctæ Luciæ in eadem urbe Abbatiſſa, hoc anno e vivis exceſſit. Septennis Monaſterium ingreſſa, vixit in ſumma paupertate, humilitate, tribulationum & infirmitatum ſufferentia. Vitam contemplativam ita conjuxit activæ, ut licet ſui Monaſterii curam exactiſſime ſubiret,numquam tamen ſtatutis horis orationem aut contemplationem neglexit. Poſt mortem glorioſa apparuit cuidam Sorori ſuæ familiari, præfecturam, quam ipſa reliquit, prænuncians, ſeque cum beata Virgine Maria & ſancta Clara electioni adſtituram, ne dæmonum occultis artibus perturbaretur. Ita factum eſt, ut omnium ſuffragiis hæc in Abbatiſſam cooptaretur.

Num 22. Legend. MSS. Cimarel. l. 6. c. 35. Bernardin. Feltren. ab Aquila proficiſcitur Theatim.

VI. Bernardinum Feltrenſem diximus anno præcedenti Aquilæ uſque ad finem anni perſtitiſſe. Primo hujus anni die poſtquam inſignem habuit in aperta area Templi ſancti Bernardini concionem de pace & concordia, deque remittendis injuriis & deponendis odiis, ſub noctis medium diſceſſit, ſequente nihilominus magna hominum turba, quamvis ſtudioſe ſequelam hanc declinare cogitaverit. Poſtridie Epiphaniæ pervenit Theatim, ibique hæſit dies quinque, totidem concionatus, reprehendenſque Clericorum ibi maximam incontinentiam, inde occaſionem accipiens, quod in primitiis novi Sacerdotis primum Sacrificium Deo offerentis multa licentioſius fieri conſpexerit. Puellæ obviæ dæmonium habenti, a parentibus equo per vim & ſtrepitum ad ſe perductæ, nomen Jeſu impoſuit, præcepitque ut abſque contradictione aut reſiſtentia permitteret ſe pacifice Aquilam conduci, & ante ſancti Bernardini arcam collocari. Præceptis obtemperans,ad ſancti Viri ſepulcrum a malo genio perfecte liberata eſt. Sermone ultimo contra Hebræorum uſuras invectus, Montem Pietatis, inſtar Aquilani rogavit inſtitui, eodemqne die profectus eſt in urbem Reatinam. Eo ſecutus Cancellarius Theatinus,retulit in Senatu decretam fuiſſe Montis erectionem, collectamque pecuniam, nihilque deeſſe præter ſolas regulas & normam ab eo præſcribendas. Eas protinus tradidit, & tanti operis auctoribus largam impertiit benedictionem.

Inde Reatim.

Theate & Reate Montes erigit Pietatis.

VII. Reatinos aſpere increpavit propter civiles diſcordias, quæ urbem penitus devaſtarunt, obtinuitque ut communi Magiſtratus & Populi conſilio, pacis caduceatores deſignarentur. Hic etiam Montem Pietatis inſtituit, qui infra biennium auctus eſt vehementer, hortatuſque eſt omnes ad bene pieque vivendum, & urbem Dei protectioni commendavit, quam a tot ſeculis Leo IV. Imperatoribus Lothario & Ludovico voluit commendatam. Poſt dies quindecim abiit Pedelucum, ubi ſingularis devotionis indiciis exceptus, longum habuit ſermonem de vita Chriſtiana, fuga peccatorum, & reverentia ſanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti. Interamnæ ſex dies commoratus, honorifice habitus eſt ab Epiſcopo, & ſermones habuit in foro, auctoque Pietatis Monte ab aliquot annis erecto, pacificavit urbis primarios, propter cæſum nobilem adoleſcentem ad arma paratos. Abeuntem ſecuti ſunt

Prædicat Pedelucl. *C. Rom. Eccleſia C. Nobis Dominus diſt. 91.* Interamnæ.

ſunt multi, qui ſibi, arvis & campis, per quos tranſibat, benedici flagitabant.

VIII Per oppidum ſancti Geminiani, ubi biduo ſtetit, Narniam accurrit, audiens ingentes timeri ſtrages propter rixas pridie inchoatas. Prædicavit in ampla Epiſcopi area, quo univerſus accurrit populus, audiente ex feneſtra Epiſcopo. Pro themate verba illa: *Abyſſus abyſſum invocat*, aſſumpſit, Satanæque artes in perturbandis populis detexit, ex quibus malorum concatenatam ſeriem, urbiumque ſequi ruinam, clariſſime demonſtravit. Ita efficaciter peroravit, ut depoſitis armis, in alternos amplexus, qui prius in mutuas ruebant cædes, accurrerent. Collecta hic Pio Monti inſtituendo pecunia, cunctiſque lacrymantibus, tranſivit ad Amerinos, ibique contra fœneratores tribus prædicavit diebus. Montecchii ſemel, ad Urbem veterem ter concionatus, & Senas per urbem Pientinam profectus, illic ſtatuit juxta Pontificis præceptum a nobis ſuperiori anno relatum, conciones habere Quadrageſimales. Illuc, licet ſero, pervenerunt binæ Pontificis litteræ, quibus Perufii primum, tum Romæ jubebatur prædicare. Eas hic exſcribo, quibus alias de hac re ad Vicarium Generalem a Pontifice ſcriptas ſubjungo.

Narniæ pacificat rixantes.

Pſal. 14. 8.

Erigit Montem Pietatis.

Num. 14. Jubetur Perufii, & Romæ prædicare.

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia.

IX. *Dilecte fili, ſalutem &c. Intelligentes operam & præſentiam tuam in Civitate noſtra Peruſina prædicando & admonendo plurimum hactenus profuiſſe, & profuturam eſſe, ideo volumus, ac tibi in virtute ſanctæ obedientiæ expreſſe præcipiendo mandamus, ut in hac Quadrageſima proxime futura ad ipſam Civitatem prædicatum accedas, & per ſalubria monita, & Divini verbi Evangelicæque doctrinæ annunciationem, lucrum animarum facere, & quieti ac paci & unioni Civitatis ejuſdem conſulere ſtudeas, non obſtante quovis alio mandato tibi facto, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XI. *Februarii* MCCCCLXXXIX. *Pontificatus noſtri, anno* V.

Ex autographo.

EIDEM.

X. *Aſſiduis dilectorum Conſervatorum Populi almæ Urbis noſtræ precibus inclinati, te in Domino paterne hortamur, in virtute ſanctæ obedientiæ nihilominus Apoſtolica auctoritate mandantes, ut non obſtante quocumque alio mandato, per Nos, aut Vicarium tui Ordinis tibi forſan facto in contrarium, Romam venias, verbum Dei Quadrageſima proxima futura in Eccleſia Ara-cæli prædicaturus. Ut autem liberius & commodius id facere poſſis, ipſi Vicario etiam ſuper hoc ſcribimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XX. *Februarii* MCCCCLXXXIX. *Pontificatus noſtri, anno* V.

Ex autographo.

Dilecto filio Vicario Generali Ciſmontano Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

XI. *Non potuimus reſiſtere precibus dilectorum filiorum Conſervatorum Populi almæ Urbis noſtræ, aſſidue ſupplicantium dari eis in Prædicatorem proxima Quadrageſima dilectum filium fratrem Bernardinum de Feltro. Quocirca hortamur devotionem tuam in Domino, ut efficias, quod* Ro-

Romæ in Eccleſia Ara-cœli juxta deſiderium dilectorum Conſervatorum, & mandatum noſtrum prædicet. Et tu hoc ipſi fratri Bernardino injunget. Non obſtantibus quibuſcumque aliis ordinationibus & mandatis in contrarium forſan factis, & intelligentia inter nos habita. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XX. *Februarii* MCCCCLXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

Nihilominus obtinuerunt Senenſes ut apud ſe prædicaret.

XII. Tot perplexus præceptis Bernardinus, quid agendum, quove abeundum erat, prorſus neſciebat. Recedere tentavit pariturus poſtremo Pontificis & Vicarii mandatis. Reſtiterunt Senenſes, neque ſe prorſus dimiſſuros dixerunt, allegantes ſe priores in jure, potiores debere eſſe in poſſeſſione, miſeruntque celeriter, qui recentiora curaret præcepta revocari. Obtinuerunt quidem, interveniente Cardinale Senenſe Legato Peruſino. Conciones exorſus a ſexageſima, per univerſam proſecutus eſt Quadrageſimam in Eccleſia Cathedrali. Dominica prima percepit, adoleſcentulam Hebræam octennem, æſtuantem baptiſmi deſiderio, non potuiſſe ad ſacras aquas pervenire, Epiſcopi Vicario denegante. Vocatæ ad ſe juvenculæ conſtantiam lacrymaſque admiratus, ſolemniſſimo ritu, frendentibus Judæis, fecit intingi, habita ſuper his inſigni concione. Plurimum hic laboravit, diebus feſtivis pro conſuetudine urbis bis concionatus, ſed & tertium adjungebat ſermonem in Clariſſarum Monaſterio.

Ter aliquãdo in die prædicabat.

Suadet ne pro curãdis Chriſtianis medici admittãtur Hebræi.

XIII. Graviter reprehendit morbidos quoſdam Chriſtianos, nimis familiares Hebræorum amicos, & potentes patronos, quorum opera nuper ſtipendiis publicis conductus erat civibus curandis Medicus Hebræus. Suaſit inſuper, ne quiſpiam ab illo medicinam ſumeret, quem manifeſte & ex condicto noverant Jeſu Chriſti hoſtem perpetuum. Retulit, ſanctum Bernardinum illorum concivem narraſſe, Medicum Hebræum Avenione morientem dixiſſe, non adeo illibenter ſe mori, poſtquam præſcriptis doloſis pharmacis occidit multa millia Chriſtianorum. Fuerunt equidem, qui omnem potius reſpuere medicinam, quàm ab iſto vellent recipere, & Divina ope convaleſcebant. Nobilis matrona, N. Burgheſii conjux, reſtitit marito Hebræum hunc vocanti, ut filium continua febre laborantem curaret, & mirabiliter ſanum excepit. Lucretia Salimbeni triduo puerperio cruciata, animam actura, ex ſymptomate in ſe reverſa, videns Hebræum præ lecto ſtantem, indignabunda repulit, & fuſis ad virginem Mariam precibus, ultro peperit incolumis. Perſeverantibus tamen quibuſdam in Hebræi tutela, aliiſque ad medelam vocantibus, dixit e ſuggeſto Bernardinus, quod Magiſtratus nolebat, virginem Mariam urbis protectricem, & ſanctum Bernardinum ea urbe natum, remedium brevi adhibituros. Paulo poſt Hebræus morte periit repentina.

XIV. Die Paſchatis ter prædicavit, primum poſtquam ſub auroram ingentem multitudinem ſacra communione refecit; ſecundo poſt prandium; tertio poſt Veſperas, multas pretioſaſque Senenſium oſtendens Reliquias, quarum præcipuas brevibus doctiſque commendabat elogiis, concionemque hanc longo poſt tempore Senenſes coronam appellabant ſui ſacri Theſauri. Sæpiſſime per litteras & Nuncios rogatus a Lucenſibus, ut ad eos declinaret, tamdem hoc anno abiit, & Kalendis Maii cœpit prædicare de recta vivendi norma Chriſtianorum in bonitate & ſimplicitate, abſque pompa, luxu & vanitate; de ſubventione & patrocinio pauperum, quorum ſubſtantias alieni a fide devorabant. Divinum deinde comminatus judicium iis, qui propter munera & retributiones tutelam ſuſceperant Hebræorum, idem proſequutus eſt argumentum in domo Senatoria, rogatus illic Magiſtratum

Lucam proficiſcitur.

Reprehendit Hebræorum fautores.

tum

tum & Rectores urbis docere, adjiciens quæ ad perfectum Reipublicæ regimen, & juſtitiæ æquitatem conducebant.

XV. Adductis porro per Hebræorum fautores pleriſque documentis in eorum defenſionem, bulla videlicet Nicolai V. & Conſiliis Alexandri de Imola, nobilis Juriſperiti, Doctiſſimorum Theologorum, & U. J. Doctorum, oppoſuit contrarias aſſertiones, & Nicolai diploma vitio nutare ſurreptionis, eoque inſcio prodiiſſe, teſtimonio Miniſtrorum Curiæ Romanæ probavit. Diſcuſſis exacte fundamentis, demum concluſum eſt, Hebræos dimittendos, & Montem in ſubventionem pauperum erigendum. Non deſtiterunt tamen Hebræorum patroni huic operi adverſari, auxiliaremque convocarunt eum Theologum, tunc Florentiæ morantem, qui olim Mantuæ nullum non movit lapidem, ne Mons erigeretur. Fruſtra tamen has aliaſque artes excogitarunt, Domino revelante Franciſco Plebis ſancti Stephani, viro religioſiſſimo, de quo ſuo loco dicemus, hoc ſuum, non Bernardini opus eſſe, ſeque difficultates omnes ſuperaturum. Exitus veritatem probavit, ipſis adverſariis mirabiliter converſis in fautores. Circa ſtipendium conferendum Officialibus ex denariolo propter erogatas pecunias retribuendo, de quo ſupra diximus, alia ſuſcitata fuit controverſia: ſed & hæc ſopita fuit, & Montis opus magna ſolemnitate, & totius urbis concurſu, generali indicta ſupplicatione, inchoatum, primas pingueſque oblationes facientibus Epiſcopo Joanne Galeanutio, & Dominico Gallignano. Dives inſuper Mercator, qui propter lucrum & fœnus, quod ex ſocietate cum Hebræis inita ſuſcipiebat, quanto potuit conatu ſe oppoſuit huic inſtituto; tandemque ſe illius obſequio dedicavit, & ſuæ facultatis quadraginta aureorum millia Monti legavit. Epiſcopus vero quorumdam ſcrupulos curaturus, hoc exhibuit rei bene recteque geſtæ teſtimonium.

Conſil. 1. 2. & 101. vol. 3. Vide conſil. 48. Antonin. de Prato.

Statuitur erectio Montis Pietatis.

An. 1474. n. 11.

Nicolaus Dei gratia Epiſcopus Lucenſis. Univerſis & ſingulis in Civitate & diœceſi noſtra Lucenſi commorantibus, ſalutem in Domino ſempiternam.

XVI. *AD confirmationem & approbationem omnium, quæ ſtatuta & ordinata ſunt circa Montem Pietatis, in hac Civitate Lucenſi conſtructum, nos N. Epiſcopus præfatus, dicimus, confirmamus & approbamus, quod Mons Pietatis Divinitus humano generi revelatus, omni Populo & præcipue Lucenſi eſt utiliſſimus, nec quiſquam merito dubitore aut ſuſpicari poteſt, quod aliqua ſpecies aut ſcrupulus uſuræ cadat in eo. Sic enim a ſanctis viris ab Eccleſia approbatis, ſic a multis Univerſitatibus ſtudiorum Italiæ, ſic ab Excellentiſſimis viris ſacræ Theologiæ omnium Ordinum profeſſoribus, ſic denique a quampluribus utriuſque Juris Doctoribus, publicis documentis confirmatum & declaratum eſt, & quod omnium ſupraſcriptorum majus & excellentius eſt, ſummi Pontifices ordinationem & formam dicti Montis laudare & confirmare non deſinunt. Quod ſi quis hujus rei incapax, ingenio, ſexu, ætate, aut ſuaſu vel gratia ulterius ſecus ſentiret, ad Sedem Apoſtolicam ſe convertat, & pro ſalute animæ ſuæ, depoſita omni ſcrupuloſitate id credat, quod approbat Eccleſia. Sanctiſſimus enim eſt Mons Pietatis. Et in illo denario, qui conſtituitur pro ſalario dicto Monti ſervientium, nulla penitus cadit uſura nec ſcrupulus, prout multis documentis & omnibus publicis a venerando Patre fratre Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia, non minus ſancte, quam docte confirmatum exſtitit & declaratum. Ejus enim opera & exhortationibus Mons prædictus in hac Civitate con-*

Epiſcopus Lucenſis laudat erectionem Montis.

conſtitutus eſt, & ſi d.narius ille Officialibus Montis deſignatus, pro expeditiori computo Montis, & aliquali utilitate pauperum ex publico ſolveretur, id quietius eſſet, ſed certe non ſanctius. Itaque hortamur omnes in hac Civitate & diœceſi commorantes, ut quæ ſupra ſcripta ſunt, teneant, & omni ſcrupuloſitate depoſita, ſanctiſſimo Monti hilari animo ſubvenire ſtudeant. Nos enim ita ſentimus, & ſententiam noſtram his patentibus litteris declarandam & publicandam duximus, & in fidem & teſtimoniam hujus rei noſtra manu nos ſubſcripſimus, & noſtrum conſuetum ſigillum apponi mandavimus; ac de Omnipotentis gratia Dei, ac beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli meritis confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui huic ſanctiſſimo Monti Pietatis manus porrexerint adjutrices, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, pariter & indulgemus. Datum Lucæ in noſtro Epiſcopali Palatio apud ſanctum Martinum, MCCCCLXXXIX. *Indictione* VII. *die vero* XXV. *Julii.*

Nicolaus Epiſcopus Lucenſis manu propria.

Luca recedens per obvia loca concionatur.

XVII. Nuncii litteriſque a Faventinis & Genuenſibus acceptis, ut eos ſua præſentia conſolaretur, & doctrina inſtrueret, propter varias rationes delegit Gennam abire. In vico Borghetti XII. M. P. ab urbe Lucenſi, ex qua receſſit poſtridie diei ſancti Jacobi Apoſtoli, prædicavit, deinde Caſeronianæ, mox Mutinæ. Illic hærens diebus quindecim, ludos, carnis concupiſcentias, ſeculi vanitates, & exceſſivas dotes, per quas familiæ integræ deſtruebantur, acriter reprehendit. Satanæ caſtellum hic ex peccatorum fomentis extruxit, & flammis deſtruxit. Ex Regio Lepido venerunt rogatum, ut eo ſe conferret, & aſſentientem, ſed claudicantem pede læſo, humili caruca ſeu plauſtro conduxerunt. Venit tunc in illam urbem Eleonora Ferdinandi Regis Neapolitani filia, Herculis Ferrarienſis Ducis conjux, ſtatimque duabus aſſociata filiabus, Eliſabetha, Franciſci Gonzagæ Marchionis Mantuani uxore, & Beatrice deſponſata Ludovico Sfortiæ, cognomento Mauro Duci Barenſi, poſtea Mediolanenſi, ad virum Dei perrexit, rogavitque ſalutaria doceri. Genitrici & puellis optima quæque tribuit documenta, uniuſcujuſque ſtatui & conditioni opportuna. Monuit Eleonoram, ad fratrem Calabriæ Ducem ſcriberet, abſtineret a pauperum oppreſſione, a tutela Hebræornm, a bellis injuſtis; ſin aliter, ſciret ſe regno pellendum juxta Jacobi Piceni vaticinium, nti quidem contigit, Carolo Francorum Rege patrem Ferdinandum Regem, & filium Alphonſum Ducem prædictum profligante. Ea in urbe accepit Pontificis litteras & mandatum, ut proxima Quadrageſima Lucenſibus prædicaret.

Mutinæ.

Regii Lepidi.

Parmæ.

XVIII. Parmam dilapſus, viginti habuit conciones, Montemque Pietatis multis auctariis nobiliorem amplius adauxit. Febre correptus, litteras accepit Apoſtolicas, & Vicarii Generalis, quibus Genuæ jubebatur per Adventum prædicare. Morbo cito liberatus, longo ſe commiſit itineri, & Pontremuli concionatus die ſanctorum Simonis & Judæ, in Spetiæ oppido ſex conciones habuit, totidemque Levanti, illuc cymba tranſvectus. Genuæ prædicare cœpit in Eccleſia Cathedrali in die ſanctæ Cæciliæ, nec deſtitit ullo die uſque ad feſtum Epiphaniæ. Etſi vero civibus prædicarit, Religioſo occluſas carcere non neglexit, ſed per omnia Monaſteria diſcurrens, omnibus quæ ſtatum & ſexum decebant, monita dabat ſalutis, & quaſdam vitæ laxioris ſumma dexteritate ingentique labore reformavit.

Pontremuli.

Spetiæ.

Genuæ.

XIX. Fratres Obſervantini Provinciæ Hungariæ diligenter & indefeſ-

ſe

ſe laborabant in finitimis regnis & provinciis, fideles in recta doctrina confirmantes, & hæreticos ac ſchiſmaticos ab erroribus convertentes. Multis magniſque privilegiis, quibus univerſi Inſtituti profeſſores quicumque gaudebant, eos remunerandos Pontifex judicavit. Ecce amplæ conceſſionis documentum.

Magna conceduntur privilegia Fratribus Hungariæ.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Hungariæ ſecundum morem dicti Ordinis.

SAcræ Religionis &c. conſuli poſſit. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, ſæpenumero contingat vos ad diverſa Chriſtifidelium loca, intra & extra regnum Hungariæ conſiſtentia, ſub Superiorum tamen veſtrorum obedientia, ad verbum Dei Chriſtifidelibus prædicandum, & eorum confeſſiones audiendum, ac ſchiſmaticos & hæreticos, quorum magna copia in locis dicto regno finitimis habetur, ad fidem Catholicam & veritatem S. R. E. doctrina Evangelica, boniſque operibus & exemplis, etiam non ſine maximo vitæ veſtræ diſcrimine & periculo inducendum, conferre. Nos attendentes labores veſtros, quos continuo pro augmento fidei Catholicæ perferre non ceſſatis, ac volentes etiam animarum veſtrarum ſaluti conſulere, voſque favoribus proſequi gratioſis, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis & Fratribus dictæ Provinciæ nunc & pro tempore exiſtentibus, in dicta tamen Obſervantia perſiſtentibus, & tam in domibus, quam Congregationibus & Capitulis veſtris, ac etiam quoties vos & illos extra dictas domos ad prædicandum verbum Dei, confeſſiones audiendum, ac dictos ſchiſmaticos & hæreticos ad viam rectam inducendum eſſe contigerit, ut omnibus & ſingulis gratiis, prærogativis, indulgentiis & privilegiis, ac litteris tam per nos, quam per fel. record. Sixtum PP. IV. & alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros Fratribus dicti Ordinis, etiam de Obſervantia, *ac* de familia *nuncupatis, tam citra, quam ultra montes degentibus, etiam vivæ vocis oraculo conceſſis, perpetuis futuris temporibus uti, potiri & gaudere libere & licite poſſitis & debeatis, ac poſſint & debeant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi illa omnia & ſingula vobis & ipſis ſpecialiter conceſſa fuiſſent, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c.* MCCCCLXXXVIII. V. *Kal. Martii, anno* V.

Lib. 75. fol. 292.

XX. In aliquibus partibus, maxime in Provincia Aragoniæ, Fratres Obſervantes contra Conſtitutiones Pii II. Pauli II. & Sixti IV. tranſibant ad Patres Conventuales abſque licentia ſuorum Superiorum, & alii ſuſcipiebant abſque eadem licentia curam & regimen Monaſteriorum Monialium, inſiſtebantque obſequiis virorum Nobilium: ut his mederentur incommodis, Vicarius Ultramontanus & Ciſmontanus per ſe ſuoſque Commiſſarios in Curia rogarunt Innocentium, vellet Prædeceſſorum ſtatuta confirmare. Ille vero Juliano Cardinali Oſtienſi Ordinis Protectori negotium commiſit. Atqui ille juxta ſupplicis libelli tenorem hoc anno die XIX. Februarii protulit ſententiam, utrumque rigoroſe prohibens exceſſum, & Ordinariis auctoritatem impertiens tranſgreſſores coercendi.

Coercetur libertas quorumdam diſciplinam ſuperiorum declinantium.

Vide Firmam. 3. Ord. 2. p. fol. 125.

„ XXI. Serpierus Laurentii de Pelliccionibus vir pius oppidi de Col-
„ le Vallis-Elſæ, nullius diœceſis in Provincia Tuſciæ, per ſuum teſtamen-
„ tum rogatum anno MCCCCLXXV. injunxit Jacobæ Gherardi ſuæ conjugi,

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Conv. Collis.

„ ut in domibus ſuis habitationem conſtrueret pro Religioſis fœminis,
„ *Amantellatæ* nuncupatis, quibus alendis bona aliquot immobilia legavit.
„ Uxor viri executa mandatum, eas domi congregavit, ſed ſuperveniente
„ bello, & obſeſſo a Duce Calabriæ prædicto oppido, tormentorum impetu
„ ædes illæ fuerunt penitus deſtructæ. Quibus reparandis dum vidua jam
„ ſenex & egena non ſufficeret, obtinuit, ut ex bonis a marito relictis pro
„ fœminarum alimentis reficerentur, & traderentur Fratribus Obſervan-
„ tibus Conventus ſancti Luchesii prope Podium Imperiale, ut eis ſervi-
„ rent pro hoſpitio. Habeo totius rei amplum inſtrumentum originale,
To 16. an. 1524. „ & hoſpitii in Conventus formam redacti alias redibit memoria.

ADDITIO ET CORRECTIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Conv. S. Mariæ de Pace Januen. *Gonzag. in Prov. Genuen. Conv. 3.*

„ XXII. Hoc anno die XI. Martii confecto publico inſtrumento, Hi-
„ bletus Notarius Apoſtolicus Monaſterii ſancti Stephani Januenſis, Or-
„ dinis ſancti Benedicti Commendatarius (quem e domo Fliſca de Lava-
„ niæ Comitibus fuiſſe aſſerit Gonzaga, ſociumque in hac donatione addit
„ Laurentium de Fliſco) ejuſdemque Monaſterii Conventus, initis qui-
„ buſdam pactis cum Silveſtro & Iſaia Fratribus Societatis Amadei Hiſpa-
„ ni, conceſſerunt eis & donarunt Prioratum ſancti Martini, qui ſine cura
„ animarum extra muros Januenſes ſitus erat, membrumque dicebatur
„ prædicti Monaſterii, accedente etiam conſenſu Gregorii Prioris ejuſ-
„ dem Prioratus. Innocentius Pontifex anno ſequenti III. Kal. Aprilis
„ donationem confirmavit ſuo diplomate: *Sacræ Religionis ſinceritas &c.*
„ quod ſub annum ſequentem dabimus in regeſto, extinxitque nomen &
„ ordinem Prioratus, ac invocationem ſancti Martini ſuppreſſit. Fratres
„ itaque illi Amadeitæ, veteri parvaque diruta, novam extruxerunt Ec-
„ cleſiam ſub appellatione ſanctæ Mariæ de Pace, quem titulum aliis mul-
„ tis ſuæ Societatis Templis indiderunt, ædificato in eadem ad Monacho-
„ rum votum ſacello ſub invocatione ſancti Martini, ne omnino primi
„ titularis memoria deperiret. Hinc fortaſſis putarunt Cœnobii hujus in-
„ colæ ſe teneri, aut poſſe feſtum ſancti Martini cum octava celebrare, de
„ quo aliquoties fuit apud illos opinionum diſcrepantia. Sed verior illa
„ eſt negantium eos teneri, aut poſſe ita facere, cum auctoritate Pontifi-
„ cia, uti conſtat ex Bulla, ſuppreſſus fuerit omnino titulus aut invocatio
„ ſancti Martini, & proinde non poſſit hodie dici hunc Sanctum eſſe illius
„ Eccleſiæ titularem aut Patronum, neque ſubſit alia ſufficiens ratio, pro-
„ pter quam ſolemne illius feſtum agatur, contra regulas Breviarii Roma-
„ ni „ Porro Amadeitæ Templo a ſe conſtructo domum adjunxerunt reli-
gioſam, in eaque perſeverarunt uſque ad Pii V. Pontificatum. Ab his ad
Obſervantes tranſivit, & demum ad Fratres ſtrictioris Obſervantiæ, qui
Conv. Parmen. ruinoſam refecerunt & auxerunt. Eiſdem Amadeis dedit Vincentius de
Lib. 98. fol. 264. Cariſſimis Canonicus Parmen. Prioratum ſancti Egidii extra muros portæ
ſancti Michaelis urbis prædictæ, Ordinis ſancti Benedicti, a Monaſterio ſancti
Joannis Baptiſtæ Parmen. dependentem, quem ille habebat in Commen-
dam, ut in eo Conventum ædificarent, ſub nomine etiam ſanctæ Mariæ de
Pace, ratamque voluit hoc anno IX. Kal. Septembris Innocentius donatio-
nem. Nunc hujus Conventus nulla eſt apud noſtros memoria.

Conv. Herbæ. *Gonzag. in Prov. Mediol. Conv. 22. Monum. MSS. illius Prov.*

XXIII. In clivo cujuſdam eminentis colliculi aliquantulum ab oppido
Herbæ, diœceſis Mediolanen. vir nobilis & pius Galdus Carpanus, ære
communi oppidanorum adjutus, hoc anno Conventum ædificavit Obſer-
vantum, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Angelis. Ejus nepos Leo Carpanus
ſacerdos, patrui proſequutus erga Fratres benevolentiam, eos plurimis aſ-
fecit beneficiis. Eccleſiam, nobilis quidem ſtructuræ, pulchris imaginibus
exor-

exornavit. Ipſe vero diſtributis Herbæ & Romæ in pauperes facultatibus, voluntarius pro Chriſto pauper effectus, inter mendicos mortuus eſt in Urbe, & apud Clericos regulares Theatinos in Eccleſia ſancti Silveſtri Montis Quirinalis ſepultus. Eccleſia & Altaria hujus Conventus conſecrata ſunt; quo tamen tempore, vel a quo Epiſcopo, neſcitur. Cœnobium hoc inter optimos Provinciæ Mediolanenſis reformatorum poteſt connumerari. Copioſam habet aquarum ſcaturiginem, aerem ſaluberrimum, & victui quæque opportuna. Hoc oppido orti, iſto loco diu commorati ſunt Franciſcus Moronus, vir pius & prudens, optimus & diuturnus tironum inſtructor, Cherubinus & Angelus Paravicini, olim Provinciæ Mediolanenſis Miniſtri.

XXIV. In oppido Montis Brinantii, vulgo *Monte de Brianze*, diœceſis Mediolanenſis, hoc eodem anno Fratres cœperunt ædificare Conventum S. Mariæ de Miſericordia, in fundo appellato *Mons-Rubeus*, a nobilibus Gripporum & Fumogallorum familiis, ut fertur, collato, collectis per convicinos populos eleemoſynis. Eccleſiam conſecravit anno MCCCCXCVIII. frater Guillelmus Corſicus Sagonenſis Epiſcopus, de quo ſuperius locuti ſumus. Ex hoc oppido prodiiſſe aſſerunt fratrem Leonem de Perego, olim, ut diximus, Archiepiſcopum Mediolanenſem, & in hoc Conventu initiatus eſt Angelus ab Hello in jure Canonico peritiſſimus, qui ſui ingenii monumenta poſteris reliquit, a nobis aliquando producenda.

Conv. Brinantii. *Gonzag. in Prov. Mediol. Conv. 22. Monum. MSS. ejuſd. Prov.*

An. 1481. n. 22.

Tom. 3. an. 1239. n. 15.

XXV. Diximus ſuperius, Gomeſium Suarez de Figueroa, Feriæ Comitem, ædificaſſe Conventum ſancti Benedicti ad oppidum Zafræ. Hoc anno ille idem vir Princeps, Ordini addictiſſimus, obtinuit facultatem a Pontifice domum aliam prope Eremitorium ſancti Onufrii *de Lappa*, diœceſis Pacenſis V. M. P. a Zafra remotum, ædificandi, eamque ſubjiciendi Guardiano Zafrenſi, & Vicario Provinciæ ſancti Jacobi: *Expoſuit tuæ devotionis*. III. Kal. Martii. Hæc illius ædis origo certior eſt illa, quam alias ex Gonzaga tradidimus. Illa ergo quæ tunc diximus *, per iſta corrigi vellemus.

An. 1480. n. 25. Conv. S. Onufrii de Lappa.

To. 11. an. 1447. n. 74.

* *Ea, quæ perperam de hoc Cœnobio Tom. 11. ad annum 1447. n. 74. dicebantur, per noſtram additionem jã fuere correcta.*

XXVI. Garſias Alvarez a Toledo, Dux Albanus, non procul ab Albæ oppido, diœceſis Salmanticenſis, ex altera parte Tormii fluminis, Conventum Obſervantibus ædificare cœpit, ſed morte præventus, non potuit conſummare. Fridericus a Toledo ejus filius opus proſecuturus, facultatem impetravit hoc anno ab Innocentio Eccleſiam ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Incarnatione, & Cœnobium conſtruendi, in quo Collegium inſtitueretur decem Fratrum, qui litteris vacarent, alendi ab eodem Duce, ejuſque ſucceſſoribus: *Exigit tuæ devotionis*. XV. Kal. Januarii; ſtructura quidem Cœnobii nobilis eſt, ſed aura inſalubris propter adlabentem fluvium. Etiam nunc conſervatur ſub nomine Collegii Theologorum provectorum, qui poſtquam in aliis Conventibus ſua ſtudia abſolverunt, huc transferuntur amplius exercendi, donec Lectores inſtituantur, vel ad alia litteraria miniſteria aſſumantur. Hoc in loco anno MDCXV. egò operam dedi litteris Hebraicis ſub Franciſco Caſtillo, hujus idiomatis perquam perito. Duces quidem Albani magno affectu continuiſque beneficiis domum hanc proſequuntur, dignaque viciſſim a Fratribus obſequia recipiunt. Magnas Indulgentias conceſſit idem Innocentius viſitantibus Eccleſiam in diebus Annunciationis & Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, & ſancti Franciſci.

Conv. Albæ. *Gonzag. in Prov. S. Jacobi Conv. 18.*

XXVII. Diximus alias Eleonoram Principem, poſtea Navarræ Reginam, ex conceſſione Pauli II. Conventum Taſſaliæ ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Miſericordia conſtruxiſſe. Hoc anno Petrus de Fuxo, ſanctorum Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis, Eleonoræ filius, quem multi auctores boni Minoritam ſcribunt, Pontifici expoſuit, opus imperfectum remanman-

To. 13. an. 1468. n. 20. Conv. Taſſaliæ.

manſiſſe, & Fratres neque commodam Eccleſiam, neque cellas habuiſſe, ſeque voluiſſe genitricis fabricam complere, petiitque ampliandæ Eccleſiæ, in qua ſepultas dixit Eleonoram genitricem, & Eleonoram alteram, ſororem, concedi capellam ſancti Sebaſtiani, templo conſtruendo propinquam. Poſtulatis Pontifex aſſenſit dato diplomate: *Pia conſideratione.* XVIII. Kal. Decembris, quod in regeſto vel inde maxime damus, quod ex illo amplius conſtabunt ea, quæ adnotavimus, quando de prima conſtructione locuti ſumus, & plane videbitur, non pro Conventualibus, ſed pro Obſervantibus domum hanc fuiſſe inchoatam.

Conv. Loxæ. *Gonz. in Provin. Granaten. Con. 7.*

XXVIII. Ferdinandus & Eliſabetha Reges Catholici, ob frequentes victorias contra Mauros Granatenſes habitas, gratias Deo habituri, hoc anno Cœnobium ſancti Franciſci nuncupatum, prope Loxam Beticæ oppidum, diœceſis Granaten. ex partis de hoſte ſpoliis aliiſque ſuis facultatibus conſtruxerunt.

Facultas plura Cœnobia conſtruendi.

XXIX. Fratribus Obſervantibus provinciæ ſancti Ludovici ampla conceſſa eſt hoc anno facultas in quibuſcumque Urbibus, Oppidis & Villis, ad quæ vocarentur, Cœnobia conſtruendi: *Ad uberes.* XVIII. Kalend. Maii. Aliarum quidem Provinciarum Fratribus, neque viris Principibus, non inveni hucuſque conceſſam adeo abſolutam facultatem. Semper enim pro limitatis iiſque paucis Conventibus capiendis concedebant Pontifices licentiam. Nobili viro Nicolao de Chabanis, Comiti Dampmartin. Melden. diœceſis indulſit Pontifex hoc anno VI. Nonas Octobris, ut in quocumque loco opportuno ſui Dominii Obſervantibus domum ædificaret. Quid ille fecerit, non invenio.

Lib. 97. fol. 162.

Fr. Philippus de Burgundia vir Princeps Minorita.

XXX. Philippus a Burgundia, vir Princeps, & generoſus adoleſcens, ſummo cordis dolore deperdita nobili & pulchra conjuge Maria de Roje, mundo nuncium remiſit, & Minorum Obſervantum Inſtitutum amplexus eſt. In filii gratiam Joannes de Burgundia, Brabantiæ, Lothieri, ac Lemburgi Dux, Nivernenſium Comes hoc anno IV. Kalend. Junii, impetrata Sedis Apoſtolicæ facultate, Cœnobium ſub invocatione ſancti Joannis Evangeliſtæ & omnium Sanctorum ad CC. P. a munitiſſimo oppido Maſſeriarum, diœceſis Rhemenſis, conſtruxit, cujus Guardianum per annos triginta quinque ejus filius prædictus Philippus egit perquam religioſe. Ejus corpus, præfatæque Mariæ conjugis curarunt parentes honorifico ſepulcro in ſacello ſancti Philippi reponi. Petrus Sidonienſis Epiſcopus, & Rhemenſis Archiepiſcopi ſuffraganeus, anno MDIV. conſecravit.

Conv. Maſſeriarum. *Gonz. in Provin. Franc. Pariſien. Conv. 17.*

XXXI. Quidam Ventadourenſium Dux, quidamque heros ex nobiliſſima Scorrailhenſium familia hoc anno, annuente Innocentio Pontifice, Conventum ſancti Pergeti, in profundiſſima quadam valle juxta Dordoniæ fluminis marginem ædificari pro Fratribus Obſervantibus curarunt. Id factum ſub Ludovico XI. Rege ait Gonzaga; at non ille, ſed Carolus VIII. ejus filius tunc regnabat. Locus eſt ſolitarius, amœnus, vitæ contemplativæ opportunus. Eccleſia conſecrata eſt die ultima Auguſti, anno MDV. a quodam Claromontenſis Epiſcopi ſuffraganeo, ſub titulo Deiparæ Virginis Mariæ. Ibi requieſcit Catarina Beaufortia, Turonenſium Comitiſſa, ſumptuoſiſſimo ſepulcro. De fratre Petro Guarrignejo, hujus Conventus alumno ab hæreticis anno MDLXXIV. occiſo, eo anno dicemus opportunius.

Conv. S. Pergeti. *Gonz. in Provin. Aquit. antiquior. Conv. 30.*

Fr. Petrus Guarrignejus.

XXXII. In Sileſia & Civitate Javorii hoc anno ex communibus facultatibus ædificatus eſt Conventus Obſervantum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Virginis, & ſancti Andreæ Apoſtoli; ſed in eam urbem irruente hæreſi, profanatus eſt, & ad terram dejectus.

Conv. Javorii. *Idem in Provin. Boemiæ Conv. 23.*

XXXIII. Con-

XXXIII. Conceſſa eſt hoc anno x. Kalend. Januarii facultas nobili viro Joanni de Bournoville, militi, Domino loci *du Valentin*, Morinen. diœceſis eo in loco conſtruendi Obſervantum habitaculum. An vero conſtruxerit, non invenio. Hoc anno Bertholdus Epiſcopus Hildeſemen. & Verdenſis ad requiſitionem & ſupplicationem Proconſulum & Conſulum oppidi Luneburgenſis, Verden. diœceſis, ex Conventu illius loci ejectis Conventualibus, introduxit Obſervantes. Et quia illi Conventum ſibi reddi modis omnibus intentabant, Pontifex anno ſequenti dedit Obſervantibus Conſervatores Abbatem Monaſterii ſancti Michaelis Luneburgenſis, ac Decanum, & Scholaſticum Eccleſiæ ſanctorum Petri & Pauli Bardevicenſis, diœceſis Verdenſis.

Conv. Valentini. *Lib. 91. fol. 127.*

Conv. Luneburgenſis. *Lib. 81. fol. 186. & lib. 100. fol. 179.*

XXXIV. Beatrix Vidua Ferdinandi Portugalliæ Infantis relicta, Eliſabethæ Caſtellæ & Legionis Reginæ avia, & Leonoræ Portugalliæ Reginæ genitrix, ante hunc annum cœpit in oppido Juliæ Pacis, vulgo *Beja*, Eboren. diœceſis, Monaſterium Conceptionis Virginis Mariæ Ordinis ſanctæ Claræ conſtruere, cui ædificando ante plures annos diximus a Pio II. conceſſam licentiam Alphonſo Luſitaniæ Regi, & Ferdinando fratri. Operi complendo Beatrix petiit a Pontifice hoc anno applicationem quorumdam bonorum, quia nimirum Ferdinandus ejus maritus opus complere tenebatur, & obtinuit: *Piis fidelium*. pridie Idus Januarii. Aliud reperio diploma hoc anno conceſſum, quo confirmatur unio capellæ hoſpitalis ſanctæ Crucis ejuſdem oppidi ad hoc Monaſterium facta per Garciam, olim Epiſcopum Eboren. & approbata hoc tempore ab Alphonſo Epiſcopo.

Monaſt. Juliæ Pacis.

Tom. 13. anno 1459. n. 64.

XXXV. Juſta Roderici, pia mulier Egitanienſis, hoc anno impetravit licentiam fundandi extra muros Villæ de Setuval, Ulyſſiponen. diœceſis, Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ pro una Abbatiſſa & duodecim Monialibus, in ſimilitudinem Jeſu Chriſti, qui duodecim Apoſtolos elegit: *Cupientes Divinum cultum*. xv. Kalend. Julii. In multis diſcrepat ab hac narratione Gonzaga, quæ ad hujus bullæ ſeriem veniunt corrigenda.

Monaſt. Setuvalen.

Gonz. in Provin. Algarbia Monaſter. 4.

XXXVI. Henricus de Guſman & Leonora de Mendoza Duces Medinæ, impetrarunt facultatem ædificandi in Villa *San Lucar de Barrameda*, Hiſpalenſis diœceſis, ſui dominii Monaſterium Clariſſarum primævi Inſtituti ſanctæ Claræ, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Angelorum, adjectis quibuſdam conditionibus, quæ in ipſo diplomate legi licebit: *Summa prudentia*. ix. Kalend. Martii. Ceterum ex noſtris auctoribus nihil circa hoc Monaſterium occurrit, videturque ex ipſa inſtitutione Ordinario ſubjectum.

Monaſt. Barrameda.

XXXVII. Ad Forum oppidi, vulgo *Feltre*, erant aliquot Virgines, quæ ſe Deo conſecrare cupiebant, quibus proſpecturus beatus Bernardinus Feltrenſis, impetravit hoc anno ab Innocentio Pontifice facultatem, ut pro eis conſtrueretur Monaſterium, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Angelis, prope oppidi mœnia, ex diverſis fidelium eleemoſynis. Ea celeritate promotum eſt opus, ut ſub annum MCCCCXCII. erudiendis juvenculis evocatæ ſint Magiſtræ, & Monaſterii fundatrices ex Monaſterio Mantuano Corporis Chriſti.

Monaſt. Fori-Oppidi.

Gonz. in Provin. S. Antonii Monaſter. 12.

XXXVIII. Communitas oppidi Rue, quod in Normandia & diœceſi Ambianenſi mari imminet Oceano, habito Epiſcopi & Rectoris Collegiatæ Eccleſiæ aſſenſu, hoc anno ex communi ærario intra oppidi muros Sororibus Tertiariis domum conſtruxit, ſub beatæ Mariæ Virginis, & ſanctæ Annæ invocatione. Eccleſiam poſt aliquot annos quidam Ambianenſium Epiſcopus conſecravit.

Domus Sororum Tertii Ordinis Ruenſis.

Idem in Provin. Franc. Pariſien. Monaſt. 20.

XXXIX. Plu-

Domus Belgicæ ſubjiciuntur Vicario Franciæ.

XXXIX. Plurimas habuerunt Sorores prædicti Inſtituti domos in Belgicis provinciis, quas hoc anno Pontifex ſubjecit regimini Vicarii Regularis Obſervantiæ provinciæ Franciæ; quædam circa chlamydem exteriorem, modum recitandi officii, & privilegiorum communicationem decrevit, domumque Beguinarum Dulendii, Ambianenſis diœceſis eiſdem adjudicavit. Diploma in regeſto exhibeo, ex quo plura, domorumque nomina lector accipiet: *Apoſtolicæ nobis*. v. Idus Januarii.

Domus Fratrum Tertii Ordinis Melidenſis. Lib. 81. fol. 61.

XL. Occurrit hoc anno mentio domus ſancti Spiritus de Melide, Mindonien. diœceſis Fratrum Tertii Ordinis, cui laici quidam Lucen. diœceſis in regno Galæciæ legarunt bona multa Eccleſiaſtica, ab eis bellorum tempore occupata.

Fratres Luſitani nolunt admittere curam Monaſterii Bejenſis. Ibid. fol. 60.

XLI. Beatrix Ferdinandi Infantis Portugalliæ olim, ut diximus, conjux, impenſe agebat cum Fratribus Regularis Obſervantiæ provinciæ Portugalliæ, ut curam ſuſciperent Monaſterii ſanctæ Claræ oppidi Bejenſis, ſeu Juliæ Pacis, Eboren. diœceſis, quam dum illi ægre admittere vellent, conditionem appoſuerunt, non adeo facile, uti putabant, complendam, ut ſcilicet eis domus conſtrueretur prope Monaſterium. Atqui & hanc generoſa Princeps ſtatim extruxit, neque tamen obtinere potuit, ut Fratres Sororum curam & regimen ſubirent. Juſtis tamdem ejus precibus Pontifex aſſentiens, impetravit hoc anno IV. Nonas Junii, ut in domo a Beatrice conſtructa, Fratres habitarent, & Monaſterium gubernarent. Paulo poſt, ſcilicet XVI. Kalend. Septembris, rogante eadem Beatrice, Pontifex indulſit Sororibus ejuſdem Monaſterii, ut quibus antea non licebat, carnibus veſcerentur.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. CArolum VIII. Regem inter & Franciſcum Britanniæ Ducem
,, concluſa ac ſtipulata pace, hic non diu ſupervixit, unde varii
,, tumultus emerſere: quo tempore etiam Hungaria ob Matthiæ Corvini
,, mortem variis motibus fluctuabat; nam Maximilianus juſſu Patris Fride-
,, rici Imperatoris, collecto militum exercitu, Auſtriam invaſit, Vien-
,, nam, & alia loca, quæ alias Corvinus occupaverat, recuperavit. Interea
,, Pontificis gratia Manellam Monialem ſanctæ Claræ fecit Abbatiſſam Be-
,, nedictinarum Converſam: *Inter ſollicitudines &c.* III. Nonas Januarii;

Indic. ex Vatic.

,, Et XVI. Kalend. Februarii in feſto Conceptionis beatæ Mariæ Virginis
,, Eccleſiæ Caliſienſi provinciæ Boemiæ, & Cuſtodiæ Gneſnenſis indulgen-
,, tias conceſſit: *Romanus Pontifex &c.* Et IV. Nonas Martii beneficium
,, inſtituit in Eccleſia Clariſſarum de Tybure: *Romani Pontificis &c.* Et
,, venias inſtituit in ſacro Monte Alvernæ ad inſtar illarum Portiunculæ
,, apud Aſſiſium: *Patris æterni &c.* Nonis Aprilis. Idibus ejuſdem bene-
,, ficium fratri Martino Dorgen decrevit: *Religionis zelus &c.* Abs re au-

Harold. ad hunc annum n. 10.

,, tem non erit hic parumper immorari, & Setobrigenſis Monaſterii Cla-
,, riſſarum fundationem aperire, licet de eadem in Annalibus noſtris quid-
,, piam legatur. Longe ante in Portugallia regnante Alphonſo V. quidam
,, Minorita, vir probus, pius, & prophetico ſpiritu dotatus, Setobrigæ
,, Luſitanis ſtabat, inter publice diſſerendum, ut occaſio ferebat, certa
,, emphaſi, cùm majeſtate gravi, manu & indice in locum quempiam dire-
,, ctis, dixit: *En vobis, ibi ſuo tempore Monaſterium conſtruetur.* Obſerva-
,, runt adſtantes manum ejuſque digitum, & obſervatione locum didice-
,, runt, repoonentes audita, & cuſtodientes in corde ſuo: Prædicere au-
tem

,, tem futura licet eorum ſit, quibus ea Divinus ſavor & gratia oſtendit,
,, quæ illos falſi poſſe redargui minime patitur, attamen ſolummodo tan-
,, tum eſſe licite poteſt, quantum eſt ipſius rei futuræ ipſum ex illuminatio-
,, ne ſeu revelatione prævidere: unde ſi res futura præoſtenditur Prophe-
,, tæ ſine differentia temporis, profecto hic hujuſmodi tempora profari non
,, poterit: & hinc ut plurimum, pauca fides habetur Prophetis; nihilomi-
,, nus ut profatum illius Viri probi verificatum extitit, ſtatim qui audie-
,, rant, meminerunt eum prædixiſſe. Res igitur ſic enarratur: Domina Ju-
,, ſta *Rodriquez* Pereira nobilis Matrona in Aula Joannis II. Regis, præſati
,, Alphonſi V. filii, natum Emanuelem Ducem educabat, quando ſpiritu
,, pietatis atque devotionis acta, Monaſterium Clariſſarum primæ Regulæ
,, conſtruere meditabatur, ſuaque vota Regi aperuit, qui altius propoſi-
,, tum Juſtæ examinans, in hæc verba prorupit: *Rem difficilem excogitaſti,*
,, *ac ardua nimis affectas*. Ad hæc illa: *Si Redemptori noſtro Jeſu aliquid*
,, *opus fuerit; forte non te propitium habebit, o Catholice Rex?* Qui autem
,, ad mulieris verba Joannes, diſcooperto capite & inclinato ita fatus eſt:
,, *Jeſu meo perſonam & coronam libentiſſime dabo*. O verba tanto Rege
,, digna! quæ profecto non retractavit, ſed opere omnino firmavit; nam
,, eo intercedente a ſummo Pontifice Innocentio VIII. per Breve datum
,, Romæ ſub XVII. die Junii anno MCCCCLXXXIX. cujus exequutio Epiſco-
,, po Ceptæ demandabatur, Domina Juſta præſata conſtruendi Monaſte-
,, rium, quod habebat in votis, facultatem obtinuit, qua habita, a Confra-
,, tribus ſanctiſſimæ Annunciationis ipſius Oppidi Setobrigæ prædia ad opus
,, neceſſaria emit. Major autem Prior Magiſtratus ſancti Jacobi erat iis
,, diebus Joannes *Fernandez*, qui cum univerſis Clero & Equitibus ſui
,, Ordinis ab Eccleſia ſancti Jacobi devotiſſima proceſſione inſtructa, cun-
,, cto populo utriuſque ſexus concomitante, ad locum pro conſtruendo
,, Cœnobio deſignatum perrexere, ubi jam Epiſcopus, & Dux Emanuel
,, præſati, cum Juſta Fundatrice pervenerant, ac ibi a Regni Proceribus
,, propriis manibus apertis futuræ ædis fundamentis, coramque univerſo
,, populo, ad nutum Antiſtitis, lecto Pontificio Brevi, & loco ſolemniter *Monumen. MSS. Provin. Algarbiæ infra ad annum 1491.*
,, benedicto, ad excitandum Monaſterium, ſub invocatione ſanctiſſimi
,, nominis Jeſu, omnium jubilo ſpirituali primus lapis tanti operis jactus
,, fuit: tuncque publice auditum eſt. Hic eſt locus & hoc eſt Monaſterium,
,, a pio Chriſti Servo inter prædicandum olim aperte prædictum.
,, II. Pontifex illuſtri viro Nicolao de Chavonis pro Fratribus Regu- *Indic. ex Vatic.*
,, laris Obſervantiæ in ſuo Dominio Conventum conſtruere: *Sinceræ devo-*
,, *tionis &c.* VIII. Nonas Octobris, conſimilemque gratiam excitandi
,, Cœnobium, ſub titulo beatæ Mariæ de Miſericordia, Eleonoræ Reginæ
,, Navarræ fecit: *Pia conſideratione &c.* XVIII. Kalend. Decembris. Plu- *Harold. ad hunc annum n. 8.*
,, ra domicilia pro Amadeitis hoc anno fundata referunt Annales, ſed iis
,, addendum illud Parmenſe ſanctæ Mariæ Annunciatæ, cujus conſtruendi
,, facultas hoc anno IV. Kalend. Decembris emanavit: *Apoſtolicæ ſervitu-*
,, *tis &c.* Inter autem Ingolſtadienſes Tertii Ordinis ſancti Patris Franci- Sorores Tertii Ordinis Ingolſtadii vovent clauſuram.
,, ſci Sorores in *Gnadental*, ſeu in Valle Gratiarum, collectæ decem &
,, novem abhinc annis utcumque a noſtris Fratribus reformatæ, tamdem
,, ad plenam Ordinis obedientiam, hoc anno redactæ, in feſto ſancti Pa- *Chron. MSS. Provin. Bavar. reform. de eo Monaſt. ad annum 1468. & ad ann. 1493.*
,, tris noſtri Franciſci earum ſeptem a R. Patre *Altpart* Provinciæ Vicario
,, nigrum velum acceperunt, ac proinde ſeſe perpetuæ Clauſuræ devove-
,, runt: indultum eſt illis in propria Eccleſia ſanctis Joanni Baptiſtæ, & al-
,, teri Evangeliſtæ dedicata, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſer-

„ vare, & publicæ adorationi exponere: ita in dies mirabiliter proficientes de virtute in virtutem, Ingolſtadienſibus Chriſti bonus odor erant.

Beatus Nicolaus Epiſcopus. „ III. Bythumnenſis Cœnobii ſancti Nicolai Epiſcopi in Sileſia ad confinia Poloniæ gloriam magnificat hoc anno beati viri Patris Nicolai obitus, qui nonaginta octo & amplius miraculis certa & evidenti relatione compertis, in vita & poſt obitum, maxime fuit illuſtris: ſuos dies innocens & impollutus ſanctiſſime vixit, deſiitque eſſe inter mortuos viventes hoc anno, ut prædiximus, vitam beatam cum Cœlicis perennaturus in æternum. Ejus cadaver ibidem in ſacello ſanctæ Crucis ſepulturam accepit. Apud Siculos Panormi venerabilis Pater frater Joannes Butta florebat humilitate & oratione, tantæque ſanctitatis extitit, ut etiam poſt mortem miraculis clarere meruerit, diemque ultimum ibidem ſanctiſſime clauſit hoc anno. Frater Antonius in Religione cognomento a Cruce, qui filius Alphonſi a Cruce, & frater Ludovici ſimiliter a Cruce, nepos erat beati Joannis a Popula, hiſpanice *de la Puebla*; omnes enim erant Comites Bellalcazaris, cognominabanturque a Soto Majore, & Franciſcani effecti profeſſione, a Cruce, quique vitæ ſanctimonia celebres inter alios fuere: hic inquam Antonius de Zuniga, vel a Soto Majore, ſeu a Cruce, tantam ſui ipſius præbuit opinionem, ut a cunctis pro Sancto haberetur. Adoleſcens ſpiritum Deo reddidit anno ætatis ſuæ vigeſimo tertio, cum Diaconus eſſet, anno Domini MCCCCLXXXIX. XVII. Kalend. Julii, ſepultuſque eſt Bellalcazarii Territorii Cordubenſis, in Conventu ſanctorum Martyrum Berardi &c. ſecundo Provinciæ Angelorum: Tempore ſui obitus quidam Religioſus orationi vacans, animam illius vidit in cœlum conſcendere, palmam Virginitatis in manibus ferentem, infinitaque Angelorum phalange ſtipatam.

Monumen. MSS. Provin. Boemiæ P. Sannig. ad an. 1594.

Joannes Butta.

Dac. Chron. p. 4. l. pr. cap. 42.

Soror Urſula Auſnaga floret. „ IV. Venerabilis pariter ſoror Urſula Auſnaga Virgo, nobili genere Venetiis orta, in Monaſterio ſancti Sepulcri eximia ſanctitate florebat hoc anno MCCCCLXXXIX. ibique in communi Sororum ſarcophago ſepulta eſt: in vita plura miracula edidit, languidos infirmoſque curavit, ac germanum fratrem Dominum Hieronymum Auſnagum e mortis faucibus eripuit, ad quam ob recuperatam ſalutem, gratitudinis ergo, ſequentes verſus lingua vernacula tranſmiſit.

„ *L'Amor di Carità vero, e perfetto,*
„ *Dolce Sorella a replicar non lece,*
„ *Qual m'hai moſtrato in la tua ſanta prece,*
„ *Che per me hai fatta inonzi al gran coſpetto*
„ *Di quel, che per ſalvarci aperſe il petto*
„ *In Croce, & fu ſepolto, e l'huom' rifece,*
„ *Ch' era perito: hor eſſo per te fece*
„ *Me tornar vivo, ch'ero morto in letto.*
„ *Io no ſo da qual parte a tanto dono,*
„ *Che à Di mi volti, e à te non renda grazia,*
„ *Si come peccator, che indegno ſono:*
„ *Ma ſi perdoni alla mia contumacia,*
„ *Prego poſt mortem nel ſuo ſanto Trono*
„ *Riceva l'Alma tua contenta, e ſazia.*

Andr. Bonf. in ſua tab. Sanctorum Tert Ordinis. „ V. Hujus ſacræ Virginis Urſulæ vitam deſcripſit frater Franciſcus Georgius Venetus, vir eruditionis variæ, Miniſter Provincialis provinciæ

„ ciæ ſancti Antonii in ſua hiſtoria. Commemorat etiam Andreas Bonſanti
„ Bernardinam Roſam, Virginem integerrimam, quod peculiari abſtinen-
„ tia, oratione, humilitate altaque contemplatione prædita eſſet: floruit
„ hoc anno MCCCCLXXXIX. pridie Nonas Junii.

ARGUMENTUM.

Diem obeunt Petrus Molianenſis, & plerique Fratres & Sorores virtute illuſtres. Controverſiæ inter Ceſanos & Interamnenſes dirimendæ judices conſtituuntur Iſidorus & Evangeliſta Peruſini. Bernardinus Feltrenſis apud Ligures & Inſubres multa bona operatur. Sultanus Ægypti Legatum mittit Antonium Guardianum Hieroſolymitanum ad Ferdinandum Regem Catholicum. Inſtituuntur Epiſcopi. Multiplicantur domicilia.

I. PLERIQUE viri & fœminæ Inſtituti Franciſcani pietate illuſtres, hoc anno vitam cum morte commutarunt. Benedictus Valentinus, Regi Catholico Ferdinando a ſacris concionibus, provinciæ Aragoniæ Miniſter, inſignis Eccleſiaſtes, cujus tantus erat in prædicando fervor, ut ab æſtuanti pectore fumare illi caput ſæpe viderint auditores. Mortui veſtes & cingulum, ingens populus ad funus concurrens, in reliquias diſcerpſit. Sepultus eſt reverenter in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Jeſu extra Barcinonem. Bernandus ſocius ſudariolo Viri Dei a dæmone poſſeſſum liberavit: Anno ſuperiore apud Alicantum eo præſente, & verba ad populum faciente, aliqua miranda contigere. Ad pluviam in ingenti ſiccitate impetrandam, Rector Parochiæ ſancti Joannis a ſuo Templo ad aliud beatæ Mariæ Virginis Gratiarum, curæ Minoritarum creditum, proceſſionem inſtituerat, & exundantem vim aquarum obtinuerat. Eo beneficio populos recreatos, octavo poſt die, gratiis Deo agendis, in proceſſionem coegerat, & devotioni excitandæ imaginem vultus Chriſti, ex Romano prototypo, quod *Veronicam* dicunt, delineatam, Romaque delatam die XVII. Martii in ſupplicatione detulerat. Diſtractus poſt, cum ad arcendam multitudinem tumultuoſe irruentem rejeciſſet, & imaginem duobus Minoritis præferendam dediſſet, viſa eſt manus eorum, pondere per miraculum creſcente, ita gravari ut ſuſtinendæ illi opus habuerint alios advocare. Paululum deinde cum in quodam loco ſubſtitiſſent, & imaginem altius ad venerandum extuliſſent, viſa eſt illa dextro oculo guttam liquidiſſimam, cryſtallo puriorem, ſereniſſimo cœlo ſtillare. Quare populi attoniti, imaginem ad Monaſterium beatæ Mariæ Virginis detulerunt, indidemque Benedictum pro concione, ſed ſub dio audierunt, miranda hæc dilaudantem.

Moritur Benedictus Valentinus. Marc. l. 7. c. 16. Gonz. in Provin. Valent. Conv. 6.

Ejus miracula.

II. Altero die qui Veneris erat, ad concionem invitati, ſereno pariter cœlo, nubibus ſubitaneis denſiſſimis cooperti, elevatum in aera Benedictum, ac duas in aere imagines priori aſſimiles, necnon abſoluta concione, nubes in formam crucis, in quatuor partes dividi conſpexerunt; unde copioſiſſimus imber agros omnes inundavit. Alia die prolata, Benedicto concionante, eadem imagine, viſum eſt cœlum quaſi aperiri, & ſignum crucis variis coloribus inſtar iridis diſtinctum apparere: unde creſcente populorum devotione, eo loci, ubi primum imago guttam elicuit, Cœnobium Clariſſis extructum, & miracula, terra marique ab eadem imagine patrata, quorum anniverſariam ibidem die XVII. Martii recolunt memoriam.

Monaſt. Veronicæ Alicanti.

To. 16. an. 1518.

riam . Iterum de eo ſermo redibit, cum de Monaſterio Veronicæ Alicanti, ejus cauſa fundato dicendum fuerit.

Moritur Petrus de Moliano. *Marc. citat. Monum. MSS.*

III. Deceſſit etiam apud Camertes Petrus de Moliano, Camerinæ diœceſis oppido, Vicarius Provinciæ Picenæ. Poſtquam Peruſii annis tribus Juri Cæſareo operam dediſſet, Minoribus nomen dedit allectus prædicationibus Dominici de Leoniſſa, a quo etiam veſtem ſuſcepit. Socius datus beato Jacobo Piceno, virtute fulſit & doctrina, munuſque ſuſcepit prædicandi. Efficaciſſime dicebat, videbanturque ejus ſermones facti ad pacificandos diſcordes, & emollienda corda obdurata peccatorum. Bis Provinciam rexit Picenam, ſemel Romanam ſumma prudentia omniumque applauſu. Solo crucis ſigno multos ſanavit infirmos, atque inter hos adoleſcentem ad ſe caballo adductum, dum Fabrianenſibus prædicaret, annis quinque attractum, viribus deſtitutum, puellam Camertem, quemdam cæcum, Juvenem Urbinatem toto corpore ulceratum. Regulo Camerti multa prædixit, quorum exitus dicentis veritatem comprobarunt.

IV. Die Veneris & Viſitationis beatæ Virginis Mariæ Camerinum appropinquans, ante Cœnobium pauliſper ſubſiſtens, oculos in cœlum levavit, viſuſque eſt quidpiam inde lætus percipere. Dominica ſequenti correptus ardenti febre, ſtomachi & capitis dolore per tres hebdomadas decubuit, lætanter tamen & hilariter omnes excipiens, etſi omnibus ſuum prædiceret diſceſſum. Camertum Princeps eum paulo ante mortem inviſens, lætitiam mox morituri admiratus eſt. Ille vocato beati Jacobi Piceni nepoti quædam ſecreta revelavit, & per dies tres confeſſione generali conſcientiam aperuit. Sanctiſſimum recepturus Euchariſtiæ ſacramentum, ad Eccleſiam inter Fratrum brachia deferri voluit, ubi multis lacrymis, ſingultibus & ſuſpiriis præmiſſis, rogans Dominum ut ab ergaſtulo carnis ad ſuum vellet evocare conſortium, devotiſſime ſuum ſuſcepit Creatorem.

V. Mortis diem non ſemel prædixit, & in agone poſitus, totis duobus diebus Satanam tentatorem varias formas induentem, & qua terrorem incutientem, qua a fide Chriſtiana abducere conantem, aſpexit, audivit, & per gratiam Divinam vicit profligavitque, maxime quando Fratribus aſtantibus inſinuavit, ut paſſionis Dominicæ hiſtoriam ſecundum Matthæum perlegerent. Ex ejus enim fere ſingulis ſententiis, Incarnationis, vitæ, mortis & reſurrectionis Chriſti myſteria, de quibus tentabatur, veteratori demonſtravit, eoque effugato, ſacro unctus Oleo, lætus ad cœlum migravit die XXV. Julii, ſancti Jacobi Apoſtoli natalitiis ſacro, eo tempore, quo Fratres in matutinis precibus hymnum, *Te Deum laudamus*, concinebant. Sepultus in antiquo Obſervantum Cœnobio, cum eo loco fortalitium, ſive arx conſtrueretur, & Fratres transferrentur ad ædes Conventualium, integer & incorruptus poſt annos ab obitu duodecim translatus eſt, & honorifico loco ſimul cum corpore beati Joannis Parmenſis conſtitutus, inde demum ad Aram majorem eſt tranſportatus. Ferunt, in prima translatione illud accidiſſe mirandum, quod cum Magiſtratus Camertinus laicorum humeris corpus transferre vellet, non potuit, nec aliorum permiſerit manibus vir ſanctus feretrum, quam ſuorum Conſodalium moveri.

Obiit Michael a Mediolano. *Vinea Bergom. par. 2. c. 92. fol. 36.*

VI. Obiit hoc anno in Conventu ſancti Angeli Mediolani beatus Michael de Mediolano, alius a Michaele de Carcano, ea Civitate oriundus, de quo Bartholomæus de Peregrinis ita habet in ſua vinea Bergomenſi: *In hac vinea laboravit digniſſime beatus Michael Mediolanenſis, Ordinis Minorum de Obſervantia, multos annos in diverſis temporibus bonis exemplis, concionibus aſſiduis, confeſſionibus audiendis, miraculis multis. Qui tamdem*

præ-

præfato anno ſalutis humani generis mccccxc. *in Chriſto obdormivit Mediolani, magnis prodigiis & miraculis coruſcans. Aliqui dicunt creatum fuiſſe Epiſcopum Bergomenſem.*

VII. Deceſſit etiam Guillelmus a Speluncato Corſicus, quem Epiſcopum diximus Sagonenſem, ob vitæ integritatem & profundam doctrinam ab omnibus honorifice habitus, præſertim a Sixto IV. qui Vicarium etiam inſtituit Baſilicæ ſanctæ Mariæ Majoris de Urbe. Indulgentiam plenariam, quam impetravit in favorem ſacræ ædis ſanctæ Mariæ de Laureto, oppidi Caſnichæ, coram centum & quindecim millibus Corſorum publicavit. Quod factioni Joannis Pauli a Leca potentiſſimi Comitis adhæſerit, inſimulatus, univerſa Corſica exulare compulſus eſt. Tædio itaque ſecularium rerum affectus, Romam venit, renunciataque infula Pontificia, Monaſticam vitam, & quietem repetiit. Spiritu prophetico & miraculis clarus obdormivit in Domino, ſepultus ad Aram-cœli. Mirum quidem illud, quod de eo his verbis reſert Gonzaga: *Agebat forte Saſſaris, quæ inſulæ Sardiniæ civitas eſt, Eccleſiaſten præfatus Pater Guillelmus, dum nobilis matrona, alba tamen, ex conjuge quoque albo nigrum, Æthyopique ſimillimum filium pareret, ſibique commiſſum cum ſervo Æthyope adulterium falſo imponeretur. Quapropter de rei veritate certior effectus (conceperat ſiquidem præfata matrona ex proprio legitimoque viro, ſed inter concipiendum intentos mentis oculos in quemdam Æthyopem, domeſticumque ſervum habuerat, & ex vehementi illa imaginatione nigrum concepit) utrumque conjugem, infantulum, ac Æthyopem in media totius populi Saſſarenſis corona ſtare juſſit. Tuncque de ſuggeſtu infantulo in nomine Jeſu Chriſti præcepit, ut ſe ipſo abſque alicujus adjutorio proprium patrem peteret. Vixque verba compleverat, quando puerulus, alias ad ambulandum ineptus (vix enim menſem compleverat) relicto Æthyope, ad matronæ maritum cum maximo omnium ſtupore perrexit. Quo facto viri ſuſpicio evanuit, mulierque a tanto crimine immunis evaſit, & Viro Dei maxima laus acceſſit.*

ItemGuillelmus a Speluncato. *An. 1489. n. 24. Marc. 3. p. lib. 6. c. 40. Gonz. in Provin. Corſica Conv. 17.*

Mirabiliter fœminam a ſuſpicione adulterii liberat.

VIII. Circa hoc tempus deſiit eſſe in humanis, ſepultuſque eſt in Eccleſia ſancti Bernardini urbis Aquilanæ Philippus a Carponeto laicus juvenis, de quo ita ſcribit beatus Bernardinus de Foſſa: *Vitæ notabilis fuit, & aſpectu Angelicus. Hujus mores, vitæ honeſtas & religio, omnium intuentium animos ad devotionem trahebant. Erat ſiquidem tantæ ſollicitudinis, quod numquam ullam temporis morulam perdere viſus eſt, ſed ſemper aliquid boni faciens, dies ſuos in Dei ſervitio laudabiliter expendebat: in oratione fervens, multis lacrymis ſuum Deo pandebat affectum, ut quandoque Fratribus dicere ſolitus ſim: numquam virum irreprehenſibilem niſi hunc me vidiſſe confiteor. Raro loquebatur, verbaque ſua erant lima diſcretionis ornata: numquam turbatus, numquam accidioſus, ſed ſemper modeſta religione jucundus. Hujus nullum novi miraculum, niſi quod ejus vita mirabilis Divino miraculo aſcribi poteſt. Infirmatus tamdem peſte, ita pacifice, quaſi agnus manſuetiſſimus ſpiritum Deo reddidit, corpuſque ſuum pulchrius mortuum, quam vivum videbatur, quod omnes videntes in laudem ſummi Creatoris, & lacrymas ejus convertebat aſpectus.*

Necnon Philippus a Carponeto. *Bernard. de Foſſa in hiſt. Prov. S. Bernardini.*

IX. Moritur hoc anno Romæ in Palatio Urſinorum, Petrus de Fuxo ſanctorum Coſmæ & Damiani Diaconus. Diem mortis præſcribit Rochus Pyrrus xvi. Kal. Auguſti, Ciaconus, & Petrus Frizon iv. Idus Auguſti, & poſtremus hic ſepultum ait in Eccleſia ſancti Auguſtini, quod mihi dubium ſuperius propoſitum auget circa Monachatum Franciſcanum, quem omnes ferme, qui de Cardinalibus ſcribunt, ei attribuunt. Si enim aliquan-

Moritur Petrus de Fuxo Cardinalis. *Pyrrus in not. Eccleſ. Panormit. Ciacon. in Innoc. VIII. Frizon de Card. Gallis. lib. 4.*

do

Vide anno 1476. n. 5.

An. 1475. n. 29.

Quot rexit Eccleſias?

do Minoritam profeſſus fuiſſet, apud alterius Inſtituti viros non adeo facile ſepulturam delegiſſet, templis ſui Ordinis contemptis. Præter eas, quas dixi rexiſſe Eccleſias Venatenſem, Adurenſem, Panormitanam, adminiſtraſſe etiam Melitenſem prope Siciliam, & Bajonenſem in Gallia, mihi conſtat ex libris Conſiſtorialibus, in quibus ſub annum ſequentem die XXVIII. Februarii illa conſertur Paulo de la Cavaleria Ordinis ſancti Benedicti, per obitum, inquiunt, Reverendiſſimi D. Petri Cardinalis de Fuxo, & iſta, die IX. Junii Philippo de Levis, per obitum ejuſdem.

Moritur Beatrix Ruſca.

Bellarin. in hiſt. Comen par. 3. fol. 166.

To. 10. an. 1418. n. 17.

X. Hoc anno die XVI. Martii obiit Mediolani in regione ſeu contrata Breræ, & ædibus ſui mariti Franchi, Comitis ſecundi de Locarno, Beatrix Ruſca vidua, de qua alias locuti ſumus. Viro amiſſo anno MCCCCLXV. permanſit in ſancta viduitate, nolens quantumvis rogaretur, ad ſecundas nuptias tranſire. Inſtituto & habitu ſuſcepto Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ea vixit pietate & virtute, ut ſub mortem viſa ſit angelico miniſterio & concentu in cœlum perduci. In Eccleſia ſancti Angeli Fratrum Obſervantum ſepultæ nobile poſuit ſepulcrum marmoreum Antonia filia, inciſa ejus effigie, adjectoque metrico epitaphio, quod nos in hiſtoria illius Eccleſiæ tranſcripſimus. In templo ſanctæ Crucis Comenſis, in ſacello Petri Ruſcæ, ejus conſpicitur imago, radiis circumdata, ſubſcriptis his verbis: *Beata Beatrix Comitiſſa de Ruſconibus Tertii Ordinis, quæ circa miſericordiæ opera intenta fuit*. In Eccleſia Annunciatæ, & in arce Locarni ſimiliter depicta eſt, diademate coronata, adjectis his verbis: *Beata Beatrix*.

Obit Victoria Gonzaga.

Doneſm. in hiſt. Mant. lib. 6. fol. 71.

Et Angelina Antonii.

Jacobil. de SS. Fulgin. fol. 252.

XI. Moritur hoc anno Mantuæ in religioſiſſimo Monaſterio Victoria Gonzaga nobiliſſima progenie, virtute & ſanctitate non ſolum Conſodalibus, verum etiam univerſis civibus gratiſſima, ſummiſque honoribus digniſſima. Hoc item anno vel circiter, vitam hanc meliori commutavit Angelina Antonii Spoletana, in Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginate annis multis vita ſanctiſſime traducta. Paucis horis dormiebat, reliquas in oratione peragebat. Pro defunctis perpetim orans, animas multas a pœnis liberavit Purgatorii, quæ in ejus tranſitu illi obviam venerunt, in cœlum ductæ. Prophetiæ dono illuſtris, multas graveſque pertulit Satanæ perſecutiones. A ſancta Clara in viſione edocta qualiter Sorores ſcapulare, capitiſque peplum geſtare deberent, dixit Cæciliæ Coppoli Abbatiſſæ, atque hæc reliquis Sororibus ita ferre præſcripſit. Graviter ægrotanti, acceptiſque in die ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſacramentis, morti propinquæ apparuit diva prædicta, Chriſti Genitrix, ſancta Clara, & ſanctus Joannes Evangeliſta, morboque excuſſo, perfecte ſanarunt. Annis & meritis plena migravit ad Dominum.

Judices gravis controverſię Iſidorus & Evangeliſta Peruſini.

XII. Magnis ortis inter Interamnenſes, & Ceſanos in Umbria controverſiis, deſignati ſunt judices Iſidorus & Evangeliſta Peruſini Minoritæ, a quibus prolatam ſententiam dum Pontifex coram vult audire, eos ad ſuam vocat præſentiam.

Dilectis filiis Fratribus Iſidoro & Evangeliſtæ Peruſinis Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex autographo.

QUia expedit pro tranquillitate dilectorum filiorum Interamnenſium & Ceſanorum, inter quos ſuper eorum differentiis proximis diebus pronuntiaſtis, nonnulla a vobis exquirere & intelligere, quorum ſine præſentia veſtra plenam notitiam habere non poſſumus. Ideirco devotionem veſtram requirimus, vobis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes,

tes, ut intra quindecim dies a præſentatione bujus mandati noſtri computandos, huc veniatis, & vos nobis repræſentetis, & omnium coram vobis in cauſa differentiarum hujuſmodi productorum, & actorum proceſſum vobiſcum deferatis, ut vobis auditis, pronunciationis veſtræ, prout juris fuerit, rationem habere, & prædictorum populorum quieti, ſicuti certe optamus, conſulere valeamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIX. *Auguſti* MCCCCXC. *Pontificatus noſtri anno* VI.

XIII. Bernardinum Feltrenſem diximus ſub finem anni præcedentis Genuæ hærentem plurima pie prudenterque illic feciſſe. Sed cum ubique ejus fama diffuſa, a plurimis Civitatibus & populis expeteretur, & apud Pontificem ſuas preces exponerent pleræque, ut ad ſe mitteretur, nec ille tantæ importunitati poſſet reſiſtere, vel omnibus vellet complacere, tribus vel quatuor urbibus anno præcedenti deſtinavit pro futura Quadrageſima hunc Prædicatorem, opinatus vel populos inter ſe conventuros, vel temporis aut rerum circumſtantias, aut ipſius Prædicatoris propenſionem controverſiam dirempturos. Conſiderans autem timoratæ conſcientiæ viro tam varia præcepta graves ſcrupulos genitura; ne hujuſmodi ſtimulis pungeretur, aut importunis variorum concuteretur poſtulationibus, has ei litteras ſub finem præcedentis anni direxit.

Legen. MSS. Cimarel. lib. 6. c. 43. & ſeqq.

Bernardinus Feltrenſis a multis populis expetitur.

Relinquitur ejus arbitrio electio loci hoc anno.

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro.

XIV. *Cum ad inſtantiam plurium ſcripſerimus ad te, ut diverſis in locis prædicares, ne ob hoc aliqua ambiguitate detinearis, ſi te forſan varii peterent, tenore præſentium tibi permittimus, & tuo relinquimus arbitrio, ut in eo loco, abſque alia tuorum Superiorum licentia hoc ſequenti anno prædices, ubi majorem animarum fructum facere te poſſe confidis, ad hoc ut uberiores ex bono ſermone & opere tuo fructus in vinea Sabaoth proveniant: Brevibus ad te deſuper ſcriptis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ultima Novembris* MCCCCLXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Ex originali.

XV. Alias inſuper adjunxit litteras ineunte hoc anno, multorum precibus pulſatus, quibus dum non potuit ſingulis ſatisfacere, optionem ipſi Bernardino commiſit ita ſcribens: *Cum multi te petant pro Quadrageſima futura pro hoc anno, vade quo Spiritus te ducit, & majorem fructum animarum facere credis, & ſine alia Prælatorum tuorum licentia*. Verum ille noluit quidquam abſque Superioris ſui venia decernere, aut concionandi locum præfigere. Scriptis itaque ad Vicarium Generalem litteris, reſponſum accepit, ut Genuenſibus obnixe poſtulantibus, apud quos etiam tunc hærebat, obſequeretur. Vocatus tamen a Savonenſibus, donec conciones Quadrageſimales erant auſpicandæ, Montis Pietatis illic erecti pondus & regulas examinavit, comperitque omnia recte habere, piique operis ſubſtantiam ad duodeviginti millia Florenorum auri aſcendiſſe. Apud Patres Conventuales commoratus, decem habuit conciones, audiente, & ſummopere hominis doctrinam, fervorem & Chriſtianam eloquentiam commendante Miniſtro Generali Franciſco Samſone.

Genua profectus prædicat Savonæ.

XVI. Genuam reverſus, cœpit prædicare Dominica Septuageſimæ, etſi plerique Bacchanalium inſanis oblectamentis ultra modum dediti, repugnaverint, dicentes; non concionibus, ſed ludis & ſpectaculis tempus illud eſſe deſignatum. Mirum in modum hominum mores reformavit, multam Mo-

Genuam revertitur & proficue operatur.

Monialium licentiam coarctavit, ludos ablegavit, taxillos, chartas, aliaque ludorum inſtrumenta combuſſit, nova fieri prohibuit; abuſum apothecariorum ſolemniſſimæ Nativitatis Dominicæ die Feſto, bellaria, vinumque conditum ementium & vendentium tolli communi publicoque Senatusconſulto impetravit; Corporis Chriſti Sodalitium inſtituit, aliaque hujus generis effecit animabus ſalutaria, Reipublicæ proficua. Mediolanenſes e propinquo audientes quanta bona Genuenſibus præſtiterit, Vicarium Generalem rogaverunt, ut ſibi poſt Paſcha tanti hominis liceret frui doctrina. Annuit; ſed abire volentem Bernardinum detinuerunt Genuenſes, feceruntque Vicarii revocari præceptum. Ille vero Dominica in Albis, dimiſſo ſuggeſto Eccleſiæ Cathedralis, apud ſuos Conſodales miniſterium verbi Dei proſecutus, eo concurſu & fructu prædicavit plerumque in publica platea, quod prius fecerat in Quadrageſima.

XVII. Rogatus ut in ædibus Senatoriis Magiſtratui, Prioribus, urbiſque Miniſtris ſeparatim prædicaret, juſtitiam colere, odia ponere, factiones extinguere, æmulationes mitigare, Chriſti cultum & reverentiam augere, miro perſuaſit fervore: *An non*, inquit, *graves in Deum offenſæ florentiſſimam olim Rempublicam, ultra Europæ terminos per Aſiæ fines longe lateque dominantem, mari Ægeo & Pontico feliciter imperantem, ad anguſti dominii limites reduxerunt? Nonne tot cædibus enervatæ veſtræ vires, perpetuis diſſidiis res veſtræ dilabuntur? & quaſi proſpere omnia ſuccederent, magnoque Civitas creſceret incremento, ita apud vos regnant libido, luxus, ſuperbia, alienæ felicitatis invidia, ut timendum ſit poſt tantas clades gravius adhuc imminere ſupplicium. Reſipiſcite cives; proſpicite urbi viri Conſulares; procul facite tot Divinæ vindictæ irritamenta. Novi optime, tot inveteratæ corruptelæ ſemina difficile expurgari: agite vos imperio, ego rauca & debili voce, languenti ſpiritu his meis ſudoribus, perpetuis auxiliabor conatibus.* Eo ſpiritus fervore & tenero dixit affectu, ut omnem moverit conſeſſum, lacrymas expreſſerit, multiſque malis per leges, a Senatu perutiliter latas, advexerit remedium. Montem Pietatis ab Angelo Clavaſio, ex pecuniis a Conſiliariis ſancti Georgii collatis erectum, amplius ſtabilivit.

Genua pergit Patavium.

XVIII. Venerat Genuam a Patavinis miſſus, Antonius germanus frater, ejuſdem Inſtituti vir, ut Patavium duceret, per quem populus a recto devians corrigi, & Monti Pietatis adverſantes poſſent compeſci. Secreto Genua dilapſus, pervenit Seravallem pridie Viſitationis beatæ Virginis Mariæ, ſermonemque habuit poſtridie. Profectus Vogheram, ibique concionatus, abiit Ticinum, nihilque hic moratus, tranſiit Mediolanum, hæſit tamen per dies aliquot Binaſci, donec Vicarii Generalis litteras, per quas conſtaret, ubi, quo tempore, quot diebus prædicandum erat, accepit; omnia etenim iſta per Superioris voluntatem cupiebat regulari. Mediolanum ſub Julii medium appulit, cœpitque per Monialium Cœnobia ſacræ doctrinæ pabulum miniſtrare, abſentibus ſcilicet primoribus urbis, cunctiſque nobilibus, qui graves æſtus per ſuas villas ruri declinabant. In natalitiis beatæ Mariæ Magdalenæ apud ſuos commilitones concionatus, gravi cruciatus herniæ dolore, ſermonem complere non potuit, neque ſuis greſſibus ad cubiculum redire. Superato dolore, poſtridie de ſufferendis pro Chriſto doloribus & morbis diſertiſſime prædicavit, multiſque lenimen attulit gravium dolorum. Quotidie magis creſcebat auditorium, & quo frequentius prædicabat, eo magis populi frequentia ab ultimis urbis angulis excita creſcebat. In ſancti Ambroſii operibus probe verſatus, quidquid ponderoſum dice-

Per obvia prædicat loca.

Hæret Mediolani.

Digitized by Google

dicebat, ejus auctoritate confirmabat, quod illi genti, huic ſuo patrono addictiſſimæ, ſummopere placebat.

Laudæ & Placentiæ concionatur.

XIX. Mediolanenſibus inſtructis, Laudam perrexit, biſque in foro concionatus, abiit Placentiam, ubi tamquam Angelus e cœlo dilapſus, a civibus obviam procedentibus exceptus, conciones a Kalendis Auguſti exorſus, uſurarios cœpit increpare, erant enim illic plerique, qui quadragenos nummos ex ſingulis centenis in fœnus capiebant, & Pietatis Montem prædicare, quem feliciter, oblatrantibus quibuſdam, inſtituit. In factiones & odia, tot malorum fomenta graviter invectus, cum illinc corporum ſtrages, animæ languorem, fortunæ decrementum manifeſte prodire, & ex data venia civiumque concordia corporis robur, cordis lætitiam, rerumque incrementum doceret oriri; quidam ſutor, qui per totius concionis ſeriem ſuam vitam manifeſte putabat deſcribi, ferale odium, quod per decennium gerebat, firmiter depoſuit, præmiumque ſtatim accepit, manum toto illo tempore contractam, laxatis nervis omnino inutilem, ſenſit priſtino vigori reſtitui, domumque reverſus ſuere cœpit & operari. Ad Bernardinum illico profectus: *Gratias*, inquit, *ago Deo, tuæque prædicationi, quæ me meamque fortunam deſcripſit. Sanus eram, & deerat nihil: odio mox in quemdam exardeſcens, manum perdidi, ſemper anxius livore contabui, inde res mea quotidie decreſcens, demum ſum factus egenus. Nunc autem infortunii cauſa per te cognita, ex toto corde odium abjeci, & ecce coram te lætus & ſanus aſſiſto. Tota me Civitas manu captum, neque acum tenere valentem annis multis agnovit, nihil occultum aut falſum vendito; interroga cives univerſos, ecce jam ſuere poſſum, & laborare miro quidem Dei beneficio.* Obſtupeſcentibus qui aderant, Vir Dei hominem monuit, ne Dei gratiam in vanum ſe accepiſſe putaret, ſed ad ſuam aliorumque inſtructionem, ut depoſitis odiis, a peccatis abſtinerent.

Placentiæ Montem erigit Pietatis, & diſſenſiones componit.

XX. Per Xenodochia diſcurrens, ægrotos, præſertim leproſos inviſebat, obſequiis fovebat, piis monitis inſtruebat, idque aliquando inculcabat, ut a carnis tentationibus & ſpurcitie caverent. Interrogatus a ſociis, cur id hominibus languentibus, corpore proſtratis tam anxie ſuaderet? reſpoodit lepram importunum ingenerare carnis pruritum. Singulis poſtremum munuſcula diſtribuebat, ſive pia donariola, ſive bellaria, aliaque edulii genera, quæ in hujuſmodi uiſitationis dies præparabat, & ſuis ceſtulis diſpoſita ſocii comportabant. Dilabente Septembri, Cremonam profectus, magno fructu per aliquot dies in maximo urbis foro prædicavit. Inde navigans Toreſellas, die uno hæſit, & prædicavit. Poſtridie Parmam pervenit, omnibus adventui gratulantibus, ubi diebus duodecim continuo prædicavit, Montemque Pietatis, quem utiliſſimum cives probarunt, magiſque in dies approbabant, novis auxit incrementis.

Per Cremonam & alia loca tranſiens verbũ Dei diſſeminat.

XXI. Per Hoſtiliam & Lignacum tamdem Patavinos inviſit, primumque habuit ſermonem Dominica xx. poſt Pentecoſten, & integra hebdomada ſequenti apud ſuos Conſodales domus ſanctæ Urſulæ, ubi nomen dedit huic Inſtituto. Pauci dicentem audiebant, nulli domi hærentem inviſebant: quod dum ægre ferrent ſocii, bono animo eſſe juſſit, affuturum ſuo tempore populum, Epiſcopum abſentem rediturum, ſe ſimplicibus viris, clauſiſque Sororibus interim prædicaturum, certoque ſcirent, frigida hæc initia futuri fructus eſſe argumenta, quem diabolus præpedire conabatur. Vocato porro Viro Dei poſt ſecundam aut tertiam hebdomadam, ut in Eccleſia Cathedrali prædicaret, regreſſoque Petro Baroccio Epiſcopo, caro Bernardini amico, turmatim omnes affluebant, præter quoſdam delicatulos,

Patavii hæret & prædicat.

los, qui propter intenſum frigus domi latebant. Atqui hos ille reprehendebat, quibuſdam minitatus eos vernum & placidum ſequentis Paſchatis tempus non viſuros. Ita porro contigit; aliquot enim ex primoribus illo temporis intervallo fatis ceſſerunt. In die Conceptionis beatæ Virginis, audiente Epiſcopo, cœpit opus pii Montis commendare, nec hortari deſtitit per ſingulos dies, donec tamdem obtinuit, incaſſum frementibus Judæis Patavinis & Venetis, qui nullum non moverunt lapidem, ne cogitatio hæc a Senatu probaretur. Stabilitum eſt opus anno ſequenti, in quem reliqua, quæ hic geſſit differemus.

Montem Pietatis inſtituit.

XXII. Hoc anno cum Ferdinandus Rex Catholicus Mauros Granatenſes, pleriſque victoriis contritos amplius premeret, univerſoque regno pellere conſtitueret, Ægypti Sultanus potentiſſimus, niſi incœpto deſiſteret Ferdinandus gentis Mauricæ impugnandæ, cæde vindicaturum ſe omnium, quicumque ex Chriſtianis in Ægypto atque Syria reliqui erant, minabatur, neque a ſacris quidem & Templis temperaturum. Legatus in eam rem Antonius Mediolanenſis, Minorum Hieroſolymæ Præfectus; eademque illi eo itinere tranſeunti inculcavit Neapolitanus Rex, Sultano conſœderatus, quem fama ferebat Mauricæ genti æquiorem, quam honeſtum eſſet, & fas Principi Chriſtiano. Neque Barbari minis, neque Neapolitani ſuadelis Ferdinandus quidquam commotus, conatum remiſit, donec Granatam in ſuam poteſtatem redegit. Nominis ſanctitas non modo tutum a periculo, in dignitateque Antonium Legatum præſtitit, ſed etiam effecit, ut reverentiſſime officioſiſſimeque haberetur, & dimitteretur, adjuncto ei ſocio Petro martyre de Angleria, qui Sultano facti rationem redderet, & Neapolitano cauſas explicaret, cur jure Chriſtiano imperium injuria conſtitutum ab antiquo, & unde multæ recentes provocarant, fas honeſtumque eſſet evertere. Salutem vero Chriſtianorum in Oriente ſibi cordi eſſe, ſed temperaturos dolori barbaros cognita veritate, neque commiſſuros vindictæ ſtudio vectigalia amitterent, quæ genti graviſſima imperabant.

Sultanus Ægypti mittit ad Hiſpaniæ Regem Legatum Minoritá.

Marian. de reb. Hiſpan. lib. 25. cap. 15.
Zurita to. 4. lib. 20. cap. 83.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Regum Luſitanorum ſtudium propagandæ Fidei.

Oſor. de rebus Eman. l. 3.
Reſend. in hiſt. Joan. 2. c. 154.
Barr. dec. 1. l. 3. cap 9.
Maff. Hiſt. Indic. lib. 1.

„ XXIII. Ad illam Ægypti partem, quæ Æthiopes comprehendit occiduos, & latiſſimam regionem vulgo Luſitanico Guineam, ab urbe celeberrima Genne nuncupatam, ſub hoc tempus notitiam penetraſſe fidei Chriſtianæ ſcribunt Luſitani Auctores. Joannes I. illius gentis Rex, cœpit Mauros in Africa ſubjugare: ſecutus eſt Henricus filius, nobiliſſimorum Equitum ſub Chriſti nomine militantium ordini Præfectus, patris defuncti generoſos auſus, relicta tamen expeditione Africana Eduardo fratri, regni hæredi: alia ſecum, non minus præclara facinora cogitavit, incognita ſcrutari maria, novas in Oceanum claſſes mittere, & rectam Religionem, quantum liceret, in omnes partes extendere. Aliquot ab eo detectas occupataſque inſulas & terras alibi retulimus, per quas ad Heſperios Æthiopes fidei Chriſtianæ aditum aperuit. Poſtquam ille plenus gloria, & recte factis migravit in cœlum, Alphonſus V. Eduardi filius, in eamdem laudem acerrime incumbens, per ſtrenuos Duces longe lateque crucis Chriſti trophæum, & arma protulit Luſitana.

„ XXIV. Mortuo Alphonſo, regni ſuſcepit gubernacula Joannes II. qui peritiſſimis adhibitis Mathematicis, ſtatuit ab Atlantico Oceano ad Eoum progredi, & ad beatas Arabiæ gazas, atque Indici Littoris opulenta commercia aſpirare. Datis itaque navibus Jacobo Cano, conſtanti virtute viro, juſſit anno MCCCCLXXXIV. ultra metas Alphonſi procedere, Nomenque Chriſti barbaris gentibus inferre. Pervenit ille ad ingen-

Joannes II. ad Congenſes mittit exploratores.

„ gentem Zairis fluvium, qui ab ipſis Nili fontibus prodiens, magno aqua-
„ rum incremento & impetu per ſalſas Oceani undas dulces latices per
„ LXXX. M. P. immittit, quod grato hauſtu navigantes perſentiunt. Su-
„ perato adverſo flumine, errantes vidit greges Æthiopum atro colore,
„ moribus genioque mites, quos munuſculis, hilarique vultu ad naves
„ allexit: ſecure & ſine ullo metu agentes, bene habuit, a quibus per nu-
„ tus & ſigna concepit præpotentem ſibi imperare Regem, introrſum per
„ fluvium Regia urbe longe commorantem. Miſſis ad eum aliquot Luſi-
„ tanis cum muneribus, exploratiſque ſolo & gente, retentos bonæ in-
„ dolis Æthiopes quatuor, in Luſitaniam aſportat, ſancte pollicitus illos
„ ſeſe incolumes reducturum.

Æthiopes in Luſitaniam tranſportant.

„ XXV. Cani reditu, Æthiopumque aſpectu Rex Joannes mire de-
„ lectatus, nihil prætermiſit, quo Ducis animum in hujuſmodi expeditio-
„ ne proſequenda confirmaret, & novos hoſpites ad fidei Chriſtianæ amo-
„ rem alliceret. Ne vero ex longiori mora quidquid incommodi hoſpiti-
„ bus Luſitanis apud Regem Æthiopem proveniret, remandat Canum,
„ ut quos advexit revehat jam veræ Religioni adſcriptos, & ſummæ Regis
„ humanitati devinctos; eorumque Principi perſuadeat, ut ſpretis inani-
„ bus Diis, unum Deum cœli terræque conditorem agnoſceret. Ille Con-
„ gum regreſſus, revectos Æthiopes cum obſidibus Luſitanis bona fide per-
„ mutat, & ultra id regnum Leucas ducentas provectus, alias terras lu-
„ ſtraturus, in reditu ad Congi Regem ipſe mira gentis gratulatione cum
„ amplis muneribus, & egregio comitatu contendit. Rex ſumma Luſita-
„ ni Principis munificentia & comitate, variis Chriſtianorum officiis,
„ Cani gratiſſima urbanitate, & frequenti Chriſtianæ fidei ſuadela illectus,
„ ad ſtudium veræ pietatis adeo exarſit, ut nihil magis placeret, quam de
„ illa dicentem audire, & tacentem interrogare, ſuoſque tum proceres
„ tum familiares in eumdem ſenſum pertrahere. Occultis demum moti-
„ bus auræ cœleſtis permotus, mentem Chriſtiana ſacra ſuſcipiendi, eaque
„ per univerſum regnum promovendi Cano diſceſſuro aperuit. Miſſis in-
„ ſuper ad Luſitanum reciprocis muneribus, & nobilibus pueris, Præfecto
„ Zacuta, uno ex iis, qui nuper in Luſitania fuerant, rogavit ut adole-
„ ſcentulos probe in fide inſtitutos, cum aliquot Dei ſacerdotibus popu-
„ lum univerſum docturis, quamprimum remitteret.

Fide imbutos reportant.

Congi Regem ad eamdē alliciunt.

Eam ſuſcipiendi ſtudium Regi Luſitanorum notū facit.

„ XXVI. Joannes hac legatione ingenti gaudio perfuſus, videns
„ Chriſtianæ diſciplinæ propagandæ latiſſimum aperiri oſtium; feſto ornatu
„ & ſolemni pompa miſſos excipi curavit, opportuno tempore aquis luſtra-
„ libus admoveri; zacutæ quidem Joannis, ceteris vero ſponſoris cuique
„ ſui nomen poni, & idoneis tradi præceptoribus, qui toto biennio Chri-
„ ſtianis moribus, & myſteriis diligenter imbuerunt. Decreta deinde
„ honorifica legatione, remiſit Neophytos cum regalibus muneribus, &
„ ſacrorum apparatu magnifico, deſtinatis multis Franciſcani Inſtituti Vi-
„ ris, qui convertendæ gentis curam ſubirent, inter quos aliqui præter
„ vitæ probitatem haud vulgari eminebant doctrina: ut rite omnia fierent,
„ neque inordinatum quid in tanti Regis & Regni converſione, procul a
„ remedio, in longinqua regione ſacrum opus corrumperet, adhibito gravi
„ Theologorum conſilio, præſcripti ſunt Canones per inopinatos eventus
„ agendorum.

Id Luſitano gratiſſimum.

Mittit ad Congenſem Legatum & Franciſcanos.

„ XXVII. Legationi Præfectus Gonſalvus a Soſa vir nobilis, cui in-
„ ter navigandum peſte ſublato, ſucceſſit Rodericus ex fratre nepos
„ omnium ſuffragiis. Solvit hoc anno claſſis die XIX. Decembris, & pro-

„ ſpero curſu die xxix. Martii inſequentis anni applicuit ad eam Congi
„ partem, quam Incolæ *Sonum* appellant, & Regis patruus adminiſtrabat.
Feſtive excipitur a Regis Patruo.
„ Is audito Luſitanorum adventu, ingenti comitatu, & inſtrumentorum
„ canoro ſtrepitu per duas leucas ad portum uſque lætus proceſſit. Præ-
„ ceſſerat cœleſtis ardor veræ fidei, & Baptiſmi ſuſcipiendi ingens deſide-
„ rium, idque longius protrahi ferre non valens, poſtquam epulas & offi-
„ cia quæque humanitatis præmiſit, inſtanter egit, ut ſe cum filio ad Chri-
„ ſtianorum ſacra admitterent; & ſacris aquis intingerent. Placuit piis
Ab illis baptizatur & filius.
„ votis obſecundare, extructoque temporario ex aſſeribus Templo, Aris
„ tribus ornato, ipſo die Reſurrectionis Dominicæ ſacris rite perfectis,
„ patri & filio patefacta eſt janua Sacramentorum, indito illi *Emanuelis*,
„ iſti *Antonii* nomine, in gratiam duorum patruelium Regis Luſitani.
„ Primus hic collatus eſt Baptiſmus in illo regno, cujus etiam ſuſcipiendi
„ magnus urgebat amor univerſum populum, ſed differendum judicavit
„ Princeps Emanuel, ut honor Regi prius baptizando deſerretur, & illo
„ præeunte, amplius ad ſacrum miniſterium omnes accenderentur. Inſtituta
„ deinde Eccleſiaſtica ſupplicatione, inter voces pſallentium Sacerdotum,
„ ſonorum ſtrepitum jubilantium, & applauſus Luſitanorum, novella illa
„ germina fidei, pater & filius, mirum in modum exultantes, ducti ſunt ad
„ propria habitacula.
In ſuſcepta fide illius fervor.
„ XXVIII. Nec modo vultu ac veneratione conceptam religionem &
„ fidem præſe tulit Emanuel, ſed etiam advocata concione, ipſemet e ſu-
„ periore loco in ſimulacra & nefarios ritus, quibus ad eam diem dediti
„ fuerant, adeo acerbe invectus, & præteriti temporis errata & flagitia
„ tam graviter & dolenter deteſtatus, ut animo plane immutatum ac Deo
„ plenum haud dubie judicares. Diem inſuper, quo Baptiſmum ſuſcepit,
„ & ſacrum ſolemni ritu atque organorum concentu audivit, perpetua ve-
„ neratione conſecravit. Ea autem devotione & attentione ipſe rei Divi-
„ næ interfuit, ut honorarios ephebos Principum filios, ſtrepitum ad ja-
„ nuam Templi cientes, illico mactari imperarit; & certe juvenilis leviſque
„ noxæ gravem illam pœnam luiſſent, niſi Luſitani ætatem & genus miſe-
„ rati, veniam impetraſſent.
„ XXIX. Demum miſſo nuntio, Regem omnium quæ facta erant, ad-
„ monuit. Ille porro mirum in modum lætatus, patruo congratulaturus,
„ ad ejus ditionem & fines munifice tantum agri adjecit, quantum per
„ leucas in longum triginta, in latum decem pateret; juſſitque per Ema-
„ nuelis patruelem, ut perhumaniter haberentur Luſitani, & Claſſi omnia
„ miniſtrarentur abunde. Tanto de ſe Regis judicio magis magiſque ani-
„ matus Emanuel, ad ſuperiora Chriſtiani animi documenta non minus
„ preclarum adjunxit aliud: ſiquidem gravi edicto conquiſita undique ido-
„ la, quamquam multis id ægre ferentibus, & in cumulum congeſta pu-
„ blice concremavit. Præterea Chriſti Sacerdotes, quamdiu ibi ſubſtite-
„ re, tamquam e cœlo delapſos omni officio proſequi, & caritate complecti,
„ de fidei myſteriis, deque variis virtutum generibus aſſidue percunctari.
„ Deum vero ſuppliciter obſecrare, ut quando multo maximam vitæ par-
„ tem in cacodæmonis famulatu poſuiſſet miſer, quantulumcumque ſupe-
„ rerat temporis, totum id in Chriſti Domini cultu, & in vera pietate
„ conſumere ſibi liceret.
Rex Legatũ Luſitanũ ut perveniat obteſtatur.
„ XXX. Porro Rex audito Luſitanorum adventu, nuncios confeſtim
„ miſit rogaturos Legatum, ne pervenire ultra differret ad Ambaſſæ ur-
„ bem, ubi ille patrui converſionem, Baptiſmum & nomen feſtive cele-

bra-

,, brabat, nihilque illi eſſe longius, quam ut elutis toto animo ſordibus,
,, ad filiorum Dei cœtum una cum ceteris aggregetur. Hoc nuncio acce-
,, pto, Soſæ nihil moræ interponendum eſt viſum, unde navibus modico
,, relicto præſidio, reliquos voluit itineris ſtipatores. Alios tribuit Ema-
,, nuel ducentos, itemque ad onera ſubeunda (ea quippe regione nulla
,, tunc jumentorum genera) vim hominum ingentem, quis potiſſimum
,, ſacram ſupellectilem bajularet, admirabili quadam alacritate certan-
,, tium. Ubi ad medium ferme iter ventum eſt, Præfectus regius unus,
,, ac poſtmodum alter officii cauſa Luſitanis occurrit. Ad urbem vero ap-
,, propinquantibus, turmæ populorum obviam prodiere de more gentis
,, armatæ, Luſitaniæ laudes & præclara in ſe beneficia carmine concinen-
,, tes, ita ſtructis ordinibus, & ejuſmodi gradu, ac ſymphoniæ genere,
,, ut ſupplicantium laudes apud nos pompæ ſpeciem quamdam exhiberent.
,, Modos inibant pauci, tum ceteri ſequebantur, ac ſubinde univerſi ple-
,, niſſimo ſonitu, elatis in ſpacia certa vocibus, æthera feriebant. Hi Luſi-
,, tanos ingenti gaudio in medium acceptos, eodem ordine ad Regiam *Regis majeſtas & veſtis.*
,, uſque perducunt tanto populi concurſu, ac turba ita conferta, ut Lega-
,, to & Sacerdotibus aditus ad Regem vix atque ægre patuerit. Is in
,, edito ſuggeſtu, ut ex omni parte conſpici poſſet, eburneæ ſellæ inſidebat
,, mitratus infula e palmæ foliis opere ſubtili & eleganti perfecta, a capite
,, ad pedem nudus, cetera ad pedes uſque veſtis bombycina contegebat,
,, lævum brachium armilla ex orichalco adornabat, equina cauda pende-
,, bat ex humero: id ſolis Regibus conceſſum.

,, XXXI. Denique introductus Legatus, quam hnnorificentiſſime ex- *Munera exhibent Luſitani.*
,, cipitur. Salutatione peracta, expoſitiſque ſui Regis mandatis, illico
,, per Sacerdotes adſtantes, dona, veſtem pretioſam, tabulas pictas,
,, aurea vaſa & argentea, & omne Chriſtiani ritus inſtrumentum in conſpe-
,, ctu populi totius, petente id ipſum Rege, proferri jubet. Tum Rex
,, perattente ſingula contemplari, quem quæque in uſum, quidve ſignifi-
,, cent, curioſius quærere. In iis præfulgidum erat crucis vexillum, quod
,, ſolemni precatione conſecratum, Innncentius VIII. Pontifex Maximus
,, Luſitano Regi ex urbe Roma tranſmiſerat. Eo explicando confeſtim
,, Rex, & Concio tnta venerabunda procnbuit, namque inter illam Sacro-
,, rum expnſitionem, Æthiopes adeo intentis oculis geſtus motuſque Sacer-
,, dotum obſervabant, ut eodem pene, quo Luſitani momento, capita
,, ſubmitterent, jungerent palmas, genua flecterent.

,, XXXII. Ab eo ſpectaculo Luſitani in hoſpitia benigne diviſi, tum *Agitur de Regis baptiſmate.*
,, de Regis baptiſmate ſedulo agi cœptum. Id quo majore apparatu, ac
,, cæremonia fieret, Templum Chriſtiano more prius ædificari placuit.
,, Opus erat ſane difficile, tum alias ob cauſas, tum quod lapides & cæ- *Templum conſtruitur.*
,, menta longe admodum petenda forent. Sed tantus fuit ardor, ut brevi
,, comportatis undique neceſſariis, urgente atque inſtante Rege, multis
,, ſtructoribus agi res cœpta ſit. Primus totius hujus hiſtoriæ auctor poſi- *Refend. cit. cap. 158.*
,, tum primarium lapidem Templi pridie Nonas Majas, Deoque ſacrum
,, ſub invocatione ſanctæ Mariæ, opuſque fuiſſe completum ad Kalendas
,, Julii recenſet. Alii ajunt dicatum ſanctæ Cruci, & proinde jacta prima *Barr. citat. Maff. citat.*
,, fundamenta v. Nonas ejuſdem menſis, qno die Eccleſia ſalutaris Ligni
,, inventionem anniverſaria gratulatione concelebrat.

,, XXXIII. Dum hæc maxime agitantur, & antequam inchoaretur
,, Eccleſia, trepidi accedunt nuntii ex regni finibus, Mundequetos popu-
,, los vaſtiſſimi lacus in interiore Æthiopia incolas, a Rege defeciſſe, ma-

gna-

„ gnaque manu incurſiones in regni extrema facere. Adverſus id malum, „ quoniam & celeritate & ipſiuſmet Regis præſentia opus erat, ne quid „ ſibi interim adverſi eveniret, præoccupat Rex baptiſmi Sacramento „ æternæ ſaluti conſulere. Præparatis itaque ſolemni apparatu, quæ ad „ Sacramenti majeſtatem videbantur conſerre, Eccleſiaſtico ritu Rex Al- „ tari adſtans, v. Nonas Maii ſacris Aquis intinctus eſt per fratrem Joan- „ nem Minoritarum Præfectum, qui *Joannis* indidit nomen, ipſo Rege „ petente, ad indicandum erga Luſitaniæ Regem grati animi obſequium. „ Ex proceribus multi Regis exemplo & adhortationibus incitati, baptiſ- „ mum, & nomina illuſtrium Luſitanorum ſuſceperunt. Dies ille feſtivus „ valde fuit ludorum & concentuum varietate; ſed & ſolemnior atque in- „ cultis gentibus ſpectabilior, qui proxime ſubſequutus eſt, dum magnifi- „ co apparatu & cæremoniis, quæ Regum ſunt propriæ, celebratum eſt „ ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, Cantorum & Organi ſuavi concordia „ gratiſſimum.

Rex baptizatur, & proceres plerique.

„ XXXIV. Porro poſt multos dies Regina adhuc Catechumena, mo- „ ræ impatiens, expoſtulare cœpit Regem dilati ſui baptiſmi. Nequaquam „ ſe illi tantam invidere, imo deſiderare felicitatem, ait Rex: ſed ut no- „ bilius & ſacratius eam conſequeretur, Eccleſiæ prius cupiiſſe ſtructuram, „ moramque auxiſſe fratris Joannis mortem ſub illud tempus defuncti, & „ conſodalium omnium ægritudinem. At illa moras omnes rumpens, cau- „ ſaſque rejiciens, voluit in Regia, & a fratre Antonio, Joannis in præ- „ fectura ſucceſſore, in die Sabbati, B. Mariæ Virgini ſacro, pridie No- „ nas Junii baptizari, aſſumpto Eleonoræ Reginæ Luſitaniæ nomine, ut „ quo erga illam ſtudio erat incenſa, vocabulo indicaret.

Mox Regina.

„ XXXV. Peractis his myſteriis, Rex coacto raptim exercitu, admi- „ ſtis Luſitanis aliquot, in hoſtes tendit. Abeunti Soſa Crucis vexillum de „ manu porrexit, hortatus pergeret in dimicationem alacer, ſigni ejus „ beneficio (tantum fiducia ne deeſſet) hoſtibus utique ſuperiorem futu- „ rum. Nec vana fuere promiſſa: prælata Cruce, fuſis fugatiſque rebelli- „ bus, paulo poſt victor Joannes in patriam rediit. Ovantem natu major „ filius eſt ſequutus, qui cum Chriſtianæ doctrinæ diligentem in primis „ operam dediſſet, perducto jam ad faſtigium Templo, ſumma populi ce- „ lebritate baptiſmo luſtratus eſt, *Alphonſumque* appellari ſe voluit, quo „ nomine Joannis Luſitaniæ Regis filium vocari didicerat. Ac ne quid ad „ lætitiam deeſſet, baptizati cum eodem inſignes viri permulti. Inde „ profectus in Iſundos, quibus populis jam tum ex parentis auctoritate „ imperabat, Apoſtolico apud eos munere ipſemet fungi cœpit, ac veri- „ tatis lucem admirabili ſtudio promiſcue omnibus impertire.

Rex Cruce munitus in bellum tendit.

Victor redit.

Filius baptizatur.

Subditos ad fidē convertit.

„ XXXVI. Ita inſcrutabili Dei conſilio populus qui ambulabat in te- „ nebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, „ lux orta eſt eis, Deo mirabiliter cooperante, & miniſtrorum ſuorum ſer- „ mones confirmante ſequentibus ſignis. Duo refert Reſendius: primum, „ Apparitionem beatæ Virginis paulo poſt Regis baptiſmum duobus neo- „ phytis proceribus Congeſibus Georgio & Dydaco Sylvæ, vultu venu- „ ſto, & ſpecioſa veſte una eademque nocte, ſeparatis ædibus, diu collo- „ quentis, & jubentis, ut Regem ſuæ felicitatis admoneant ſuſceptæ fidei „ Chriſtianæ, & initi cum Deo fœderis, pactæque cum Luſitano amicitiæ. „ Secundum, inventionem pulcherrimæ Crucis affabre dolatæ in ſingulari „ & pretioſo lapide, per illas regiones incognito, nihilque commune cum „ aliis lapidibus habente. Hunc ubi Didacus fortunatus Inventor in con- ſpe-

Bina prodigia Divina.

„ ſpectum reverenter attulit, Rex cum Optimatibus pronus adoravit, magniſque communis lætitiæ adhibitis indiciis, frequenti populi atque Optimatum ad modum ſupplicationis inceſſu, in nova Eccleſia, tamquam pretioſum theſaurum ingenti veneratione collocavit, unde fortaſſis præter primum ſanctæ *Mariæ* titulum, etiam alter ſanctæ *Crucis* Templo adhæſit, atque inde factum, ut duplici apud auctores vocabulo nominetur.

„ XXXVII. His feliciter peractis, tanto rei Chriſtianæ incremento, Soſa Legatus admodum lætus in Luſitaniam revertitur, relictis in Congo Sacerdotibus ad cœpta promovenda. Verum ii partim inſolitis caloribus & Cœli gravitate conſumpti, partim etiam (quæ viciſſitudo eſt rerum) ab incolis aſpera atque acerba multa, abſente præſertim Alphonſo perpeſſi ſunt. Etenim quamdiu de Eccleſiaſticis cæremoniis, & de myſteriis rectæ in Deum fidei eſt actum, ea tametſi captum hominis infinitis partibus ſuperant, tamen quia ob id ipſum Deo digna, & rationi conſentanea videbantur, haud ita repugnabatur ab Ethnicis. Aſt ubi de juſtitia, temperantia, ſubmiſſione ſerio præcipi eſt cœptum, & e Chriſtianæ diſciplinæ inſtitutis, abjicienda auguria, male parta reddenda, condonandæ injuriæ, aſpernandæ libidines, frangendæ cupiditates erant; enimvero tum quaſi ventilabro ad trituram adhibito, boni Viri illico ſecerni ab improbis, alteri vel amore virtutis capti, vel pœnæ metu perterriti, æquitate delectari, ſectari pacem, voluptates repudiare, duces & Rectores animorum ſuorum honore & benevolentia proſequi: alteri denuo dæmonum laqueis irretiti, ad ritus nefarios atque ad avaritiam ac ſuperbiam, & priſtinas turpitudines miſerandum in modum revolvi, odiſſe lucem, magiſtros averſari, & a piorum conſuetudine longe refugere. Nec vulgo tantum ſerpebat vitium; notiſſimus ac ditiſſimus quiſque arduum ac difficile iter eo magis horrebat, quo majora ſibi malorum irritamenta, & deliciarum illecebræ ſuppetebant. Hos præibat, ſtimuloſque addebat Regis filius, Alphonſo natu minor, Panſus Aquitrinus nomine; nimirum ut eſſet, qui pios poſtmodum exerceret, a nefaria ſuperſtitione, & avitis moribus nullo pacto ſe paſſus abduci.

Legatus in Luſitaniam redit.

Cõverſionis miniſtri male habent.

Populus in fide tepeſcit.

„ XXXVIII. Rex demum ipſe, qui tantum initio ardorem ac firmitatem animi præ ſe tuliſſet, ubi a lactis dulcedine ad ſolidos cibos traduci eſt cœptus, deſiderio priſtinæ vitæ paulatim adeo elanguit, ut vix in eo roboris Chriſtiani quicquam agnoſceres. Occurſabant ſcilicet ejus animo priſtina oblectamenta, ludi, compotationes, quæque ebrietatem ſequuntur; offerebant ſeſe identidem auſpicia & ſortes, quibus ad amentiam omnis ferme Barbaria dedita eſt; titillabat ſenſum effundendæ iracundiæ, & doloris puniendi ſuavitas, quibus quaſi machinis, urgente præſertim dæmone, ſenſim de ſtatu ſuo dejecta mens ita obduruit, ut cum internas Religionis & Officii recordationes obſtinate repudiaret, tum ſalutaria Sacerdotum hortamenta ac monita, non modo ad animum, ſed jam ne ad aures quidem admitteret.

Imo & ipſe Rex.

„ XXXIX. Accedebat ad res profligandas acerrimum dæmonis telum, muliebris conjuratio. Quippe ut ceteræ ferme gentes, ita etiam Æthiopes, præter eam quam juſtæ uxoris habent loco, ſinguli pellices alere conſueverant plures paucioreſve pro opibus. Hæ cum ex invectis nuper ſanctionibus pelli aut ablegari ſe a viris quotidie cernerent, ut eſt impotens iracundiæ ſexus, damnum & ignominiam non tulere, cœtibus habitis, conſenſu per ſe perque communes amicos cum Rege vehementes agere

„ re inſiſtunt, adventitias Religiones, durumque & horridum vitæ genus
„ abjiciat, præſentibus bonis, & copia rerum, quoad licet, fruatur, nec in-
„ certam ſpem futuræ felicitatis tanto pretio tantaque commodorum & vo-
„ luptatum jactura ſibi emendam exiſtimet.

Germanorum Fratrum ſtudium contrarium circa Religionem.

„ XL. Hæc & alia hujuſmodi blandimenta, cum neque Rex invitus
„ acciperet, & eadem tabe infecti permulti, ac præſertim Regis filius Pan-
„ ſus Aquitrinus adjuvaret, brevi maximum in diſcrimen adducta Chriſtia-
„ na tota res eſt. Obſtabant ſceleratis conatibus fideles ac boni, ut nume-
„ mero inferiores, ita Divino præſidio & cauſa longe ſuperiores. Egregium
„ vero ſe pietatis vindicem & aſſertorem præbebat Alphonſus, patriſque
„ miſeratus inſaniam, dictis factiſque Neophytos in fide atque in officio
„ continebat. Ad eum tollendum obicem, proceres aliquot Panſum jam in-
„ cenſum regnandi cupiditate, omni ratione fovere, Alphonſum abſen-
„ tem variis criminationibus patri ſuſpectiorem in dies reddere inſtituunt.
„ Degeneraſſe illum plane in extremos mores, nihil jam patriæ vel avitæ
„ conſuetudinis pati; Regem vero ipſum ita vel contemnere vel odiſſe, ut
„ in ejus contumeliam artibus magicis, quas a Chriſtianis nuper acceperit,
„ amnes exiccet, vitiet fruges, atque adeo Regias pellices ultro ad ſe
„ ipſe pelliciat. Ejuſmodi calumniis atque portentis cum juvenis innoxii
„ famam ex compoſito quotidie lacerarent zelotypum ſenem, & in affecto
„ jam corpore, animi quoque viribus defectum, facile perpulere, ut Al-
„ phonſum omni dignitate, honoribus, vectigalibus, per ſummam inju-
„ riam exueret: jacuiſſetque porro in ſolitudine & ſquallore circumventus
„ & proditus Dei ſervus, ni Divino inſtinctu coorti quidam ex Optimati-
„ bus, Regem aperte increpuiſſent, quod hæredem Regni deſtinatum,
„ ſtirpis maximum, eximia virtute ac pietate filium indicta cauſa damnaſ-
„ ſet. Reputaret ſecum illius in arcendis hoſtibus præclara facinora, in
„ tuenda popularium concordia ſtudium, in ipſo Rege colendo pietatem &
„ fidem: dein videret num tantæ indoli, tantiſque laudibus conſentanea
„ eſſent, quæ ab inimicis ad invidiam conficta nimium patulis auribus in
„ animum demiſiſſet. Quin per idoneos viros in filii vitam & rationes in-
„ quireret, ac perſpecta demum & cognita veritate, quod equum vide-
„ retur, & in reum, & in accuſatores, pro merito cujuſque ſtatueret.

Rex filium Chriſtianum hæreditate privat.

Sed denuo reſtituit.

„ XLI. Hiſce monitis, quaſi e veterno excitatus Rex, ac ſe ipſum le-
„ vitatis incuſans, per ſummam diſſimulationem quæſitis iis, quæ Alphon-
„ ſo objecta erant, cum prorſus vana & commentitia comperiſſet, maxima
„ bonorum gratulatione, inſontem filium in priſtinum dignitatis & honoris,
„ ac gratiæ locum extemplo reſtituit, conſceleratos calumniatores, ne
„ quid tale poſtea quiſquam auderet, perpetua notatos infamia ſecuri per-
„ cuſſit. Cujus tanti tamque inſperati beneficii magnitudinem Deo acce-
„ ptam referens, uti debebat, Alphonſus, multo etiam ardentius ac libe-
„ rius ad Chriſtianam Fidem tuendam atque amplificandam incubuit, ac
„ præter ceteras artes exterminandis gentium ritibus, ad eam diem adhibi-
„ tas, Regno toto, palam capite ſanxit, ne quis inanium Deorum effigiem
„ ullam, vel privatim vel publice coleret haberetve.

Contra illū multi conſpirant.

„ XLII. Quo edicto in rabiem efferati adverſarii, frequentes in Re-
„ giam coeunt, ac tumultu per operas excitato, credulum ac timidum Re-
„ gem in eam ſententiam adducunt, ut niſi revocetur illico edictum, in-
„ gentem ſeditionem adeſſe non dubitet. Hoc ille timore correptus, con-
„ tinuo per celeres Nuntios admonet filium, videat etiam atque etiam
„ quid agat; quo progrediatur, neu pro peregrina ac nova Religione mor-

dicus

,, dicus retinenda, ſe ſuoſque omnes in apertum capitis, ac fortunarum
,, diſcrimen objiciat. Cum ille nihilominus in incepto perſtaret, Deum-
,, que multo magis, quam homines metuendos duceret, ira percitus Rex,
,, jubet Alphonſum ad ſe quamprimum venire. At ille cum naſcentis ejus
,, Eccleſiæ ſalutem in ſuo capite verti probe intelligeret, pericula belli ex-
,, cuſando, variaſque nectendo moras, tamdiu rem diſtulit, quoad lethali
,, morbo implicitus parens, cum ægrum ſpiritum per multas curationes in
,, dies aliquot extraxiſſet, tamdem ſuperante medicamenta vi morbi, de-
,, mortuus eſt.

,, XLIII. Interea Panſus & ſua ipſe cupiditate, & improborum ſua- *Et germanus frater.*
,, ſu, non dubia ſpe regnandi concepta, ſollicitare promiſſis Æthiopes,
,, blande ſingulos appellare, vivendi licentiam & libertatem oſtendere,
,, denique ad excludendum aperta vi fratrem, arma & copias comparare.
,, Quibus de rebus, & de patris obitu, a Regina matre, quæ ab ejuſmodi
,, conſiliis abhorrebat, certior factus Alphonſus, quammaximis itineribus
,, quamoccultiſſime noctu Ambaſſem urbem ingreditur, atque, ut primum
,, diluxit, populum magna rerum novarum expectatione ſuſpenſum, ad
,, concionem vocat. Ibi orſus a primo Luſitanorum in eas regiones adven-
,, tu, commemoratiſque eorum in ſe, parentemque, ac totam nationem
,, promeritis, quod tales viros, tamque ſalutarem ſibi traditam ab iis do-
,, ctrinam grato pioque animo coleret foveretque, idcirco ſe a fratre ſe-
,, ctatoribuſque ipſius toties inſidiis appetitum, & per falſas criminatio-
,, nes ſama fortuniſque ſpoliatum fuiſſe conqueſtus eſt. Panſum, vivo &
,, ſpirante etiam tum Patre, alienam hæreditatem ſpe & cupiditate impia
,, devoraſſe; eodem vita functo, juſtum hæredem, quando per fas nequeat,
,, per vim ac neſas a patrimonio arcere: ſi quid apud eos gentium jus, ſi
,, quid vetuſtus Regni mos, ſi quid etiam æternæ ſalutis ratio valeat, ne
,, ſe majorem natu, Regem legitime deſignatum, pacis ac beatitudinis
,, omnium cupidiſſimum, juniori fratri conſiliis impiorum depravato poſt-
,, habendum exiſtiment. Caveant vero etiam atque etiam, ne a veritatis
,, oblata ſibi Divinitus luce, ad cæcas iterum tenebras delabantur, neu
,, Panſi minas, parataſque ab eodem copias pertimeſcant, Deum immor-
,, talem, cujus in eo negotio agatur cauſa, pro ſumma juſtitia & bonitate
,, recte ſentientibus affuturum.

,, XLIV. Hæc & alia ad tempus accomodata, cum ingenti ſpiritu per-
,, roraſſet, tantus repente animorum motus eſt factus, ut incredibili con-
,, ſenſu Alphonſum protinus Regem æqui pariter & iniqui conſalutaverint.
,, Quibus rebus confeſtim ad Panſum in ſuburbana Caſtra perlatis, ut quam *Qui bellum infert.*
,, minimum ſpatii Alphonſo ad exercitum comparandum relinqueret, cum
,, iis copiis, quas habebat, duplici inſtructa acie continuo infeſtus, in
,, urbem advolat: neque perterritus ea re Alphonſus, tum armatos, quos
,, circa ſe habebat pauciores, quam credi poſſit (non plus quam ſex & tri-
,, ginta fuiſſe, Rex ipſe per litteras publicas admodum religioſe teſtatur)
,, tum ceteram imbellum turbam, quæ ad Regiam perculſa metu confluxe-
,, rat, bono ac præſenti animo jubet eſſe, Deum verum, quem, ſpretis
,, falſis Diis, venerari inſtituerint, pro ipſis haud dubie pugnaturum. Nec *Sed vincitur.*
,, vana cecinit. Ubi ad teli jactum eſt ventum, Chriſtiani armati inermeſque
,, ſublato pariter clamore Jeſum Deum, & ſanctum Jacobum, ex diſcipli-
,, na Luſitanica ingeminant. Mirum dictu! ad eas voces tamquam cœleſti
,, fulmine afflata prior acies, cum aliquandiu attonitæ ſimilis fluctuaſſet,
,, terga poſtmodum vertit; cumque eamdem trepidationem pavoremque

,, ſubſidiis intuliſſet, turbatis eo impetu ordinibus, converſiſque illico ſi-
,, gnis, effuſa omnes fuga ſaltus avios, & nemora petiere.
,, XLV. Hanc tam incredibilem victoriam ac plane Divinam, alia non
,, minus admiranda ſubſecuta res eſt. Cippus erat in ſilvis captandæ cui-
,, piam feræ paratus a Venatoribus, in eum cippum curſu præcipiti cum ſe
,, Panſus per imprudentiam intuliſſet, corpore toto graviter conſauciato
,, ſic hæſit, ut explicare ſe inde nulla unquam ratione valuerit. Compre-

Et moritur.

,, henſus, & in cuſtodiam traditus, fruſtra nitente Alphonſo conſervare
,, germanum fratrem, & ad Chriſtum adjungere, in pertinaci mentis du-
,, ritie, & voluntaria cæcitate miſer animam efflavit.

Militiæ Præfectus ad fidem convertitur.

,, XLVI. Longe melius & ſaluti, & exiſtimationi ſuæ conſuluit is,
,, qui Panſi ductabat exercitum: ſiquidem e fuga retractus, cum ſibi necem
,, inſtare minime ambigeret, miſit, qui Regi demiſſe nuntiaret, non de-
,, precari ſe mortem, quam ſuæ temeritati debitam præclare noſſet, id ve-
,, ro omnibus votis expetere obteſtarique, ne ſe abſque fidei Chriſtianæ
,, myſteriis ex hac vita excedere pateretur. Ipſo ingreſſus initio, circa
,, Alphonſum apparuiſſe viros humana ſpecie auguſtiores, ipſius, quam
,, Luſitani adorarent, Crucis nota diſtinctos, clariſſima circumfuſos luce,
,, vultu acerrimo præliantes. Eo nimirum viſo Panſi milites ingenti horro-
,, re perfuſos, extemplo ſe in fugam dediſſe: itaque ſibi non eſſe jam du-
,, bium, quin præter Chriſtianorum Deum nemo vel in terris, vel in cœ-
,, lo colendus adoranduſque ſit. Neque aſpernatus eſt reſipiſcentem Al-
,, phonſus, quin potius clementer accepto, & per baptiſmum in Chriſtia-
,, nos relato, vitam & incolumitatem ea lege conceſſit, uti purgando in
,, poſterum verrendoque ſanctæ Crucis Templo, cum ſuis operam daret, &
,, in myſtici lavacri uſum, puros latices religioſe conveheret.

Alphonſus Rex ſemper fidei tenaciſſimus.

,, XLVII. Ea victoria magnum rei Chriſtianæ momentum attulit, Re-
,, gni poſſeſſione adita, & Barbaris, quotquot poſtea ſemet Evangelio op-
,, ponere ſunt auſi, perpetuo felicitatis tenore ſuperatis. Alphonſus quin-
,, quaginta ipſos annos (tot enim deinde regnavit) hominibus verbo &
,, exemplo ad omnem virtutem ac pietatem erudiendis egregium, & pa-
,, ſtorem populorum, & Vineæ Domini cultorem ad extremum uſque ſe
,, præſtitit.
,, XLVIII. In his quæ hactenus retulimus, aliqualis eſt diſcrepantia
,, inter auctores, tum circa qualitatem Sacerdotum, qui ad hanc conver-
,, ſionem miſſi ſunt, tum circa diem incepti Templi, & titulum ejuſdem,

Cujus in hac hiſtoria fides præferenda.

,, tum circa alias res leviores. Nos in referenda totius rei ſerie ſequendum
,, duximus Garciam Reſendium, qui vitam & geſta Joannis Regis Luſita-
,, niæ pleno ſcripſit Commentario, eidemque Regi ipſo tempore, quo hæc
,, expeditio facta eſt, in cubiculi miniſteriis ſerviebat, ac ſcribendis litte-

Reſend. c. 100.

,, ris, uti ipſe narrat, ſemper adſtabat, atque hiſtoriæ circumſtantias, tem-
,, porumque rationes diligenter obſervavit. Ille porro, qui primus expe-
,, ditionem hanc in Æthiopiam, & Congenſis Regni converſionem ſuo
,, tempore factas diſtricte narravit, nonniſi per Franciſcanos Chriſtiana ſa-
,, cra in Congum perlata recenſet. Joannes Barroſius, qui res Aſiæ, & ad-
,, mirandas Luſitanorum victorias præclare & docte per decadas diſtinxit,
,, nonniſi ſub Joanne, Emanuelis, qui Joanni II. ſucceſſit, filio ſuum opus
,, in lucem produxit. In epiſtola porro nuncupatoria ad eumdem Joan-
,, nem III. fatetur, ſe unum duntaxat vidiſſe Gomeſium Eanes, qui lu-
,, cem aliquam in rebus Aſiaticis præferret, atque hunc de rebus Henrici
,, Infantis, de quo ſupradiximus, duntaxat egiſſe. Cum ergo Reſendium

fidum,

„ fidum ſincerumque ſui temporis hiſtoricum poſtremo hoc ſeculo impreſ-
„ ſum, non perſpexerit, nihil mirum ſi circa primos Congenſium magi-
„ ſtros erraverit, & Patribus Dominicanis tribuerit, quæ Reſendius Fran-
„ ciſcanis adſcripſit. Barroſium ſecutus eſt Joannes Petrus Maffejus, qui
„ hiſtorias Indicas, & hanc præſertim Congenſem ex Barroſio accepit, &
„ diſerte fecit latinas. Idipſum fortaſſis fecerunt alii, neque id mirum:
„ *Sequitur enim quiſque priores male iter ingreſſos. Quidni habeant excu-* *Seneca 2. de Ira c. 8.*
„ *ſationem, cum publica via erraverint?* Ne tamen errent, vel ut minus er-
„ rent, quærendi ſunt primi Scriptores, rerum geſtarum temporibus pro-
„ quinquiores, imo æquales, qui vidiſſe, vel ab iis qui viderant audiiſſe po-
„ tuerunt. Hos requirendos ad operis facti memoriam comprobandam vo-
„ lunt Juriſconſulti; & hiſtoriam apud Græcos ſignificare cognitionem præ- *Lib. 28. de Teſtibus.*
„ ſentium, dixit Verrius Flaccus. Unde illam ſcribi debere contendit Aulus *Flacc. l. 4. de ſignif. verb.*
„ Gellius ab iis, qui rebus gerendis interfuerunt. Reſendius illius tempo- *Gell. l. 5. noct. attic.*
„ ris auctor, ea in urbe, ex qua miſſi ſunt vineæ colendæ operarii, præ-
„ ſens, Regis qui mittebat, domeſticus & miniſter, nonniſi Franciſcanos
„ eoſque plures, ex quibus aliquot vitæ probitate, alii doctrina inſignes,
„ in hoc opus transfretaſſe recenſet. Qui ex Ordine Prædicatorum aliquos
„ miſſos dicunt, & tres dumtaxat, uti habet Maffejus, unde acceperint,
„ non exarant. Hieronymus Oſorius, qui totam hiſtoriam late deſcribit,
„ Sacerdotum qui miſſi ſunt, reticet Inſtitutum. Nos nulli ſuam gloriam
„ invidemus: quod de noſtris ſcribunt alii, ſincere explicamus, neque ſo-
„ cios reſpuimus itineris, neque operis auxiliares. Ad pleraſque regiones
„ ſimul miſſi ſunt, tamquam Commilitones, Minores & Prædicatores:
„ fortaſſis etiam ad iſtam paribus votis, impari tamen numero, plures Mi-
„ nores, pauci Prædicatores ſunt profecti.

XLIX. Frater Garſias de Quexada translatus eſt ab Eccleſia Giſarcenſi, ad quam diximus promotnm anno MCCCCLXXXVI. ad Guadicenſem, ſub Archiepiſcopo Granatenſi, per obitum fratris Petri etiam Minoritæ, die v. Maii. Frater Vincentius promotus eſt ad Hierapolitanam in Phrygia, ſub Archiepiſcopo Synadorum certo modo vacantem, XIII. Kalendas Januarii. *Fr. Garſias Epiſcop. Guadicen.* *Fr. Vincentius Hierapolitan.*

L. Eboli oppidi, quod perhoneſtum & opulentum eſt in Campania prope Silarem amnem X. M. P. ab urbe Salernitana, Communitas hoc anno ex conceſſione Innocentii Minoribus Obſervantinis Cœnobium, ſanctiſſimæ Trinitati dicatum, prope mœnia conſtruxit, neque a munificentia deſtitit; quoties enim Fratres indigere videntur, neceſſaria ſubminiſtrat. In archivo ſervantur duo Julii II. & Leonis X. diplomata, quibus a quarta funerali Parochis pendenda Fratres redduntur immunes. *Conv. Ebolitanus. Gonz. in Provin. Princ. Conv. 12.*

LI. Fratres Regularis Obſervantiæ provinciæ Tuſciæ in Comitiis Florentiæ, ſub Franciſco Brandi Vicario celebratis, hoc anno ex facultate Sedis Apoſtolicæ acceptarunt Conventum, a Fivizani, in Mediterraneis Etruriæ trans amnem Laulam inter montes oppidi, accolis longiuſcule a muris, publicis ſumptibus & privatis eleemoſynis conſtructum. Eccleſiam ſub invocatione ſancti Franciſci ædificarunt oppidani, ſacellum ſancti Peregrini, cui erant addictiſſimi, adjunxerunt. Nobilis Pillorum familia Florentina operi promovendo ſuppetias tulit, uti conſtat ex inſigniis ſacello majori affixis. *Conv. Fivizani. Idem in Provinc. Tuſciæ Conv. 15.*

LII. Prope oppidum Baſinianæ, diœceſis Alexandrinæ, circa hunc annum erectus ejuſdem Inſtituti viris Conventus, ſub invocatione ſancti Pauli, conferente ſumptus Communitate. Ab oppido ſancti Martini, diœceſis Ala- *Conv. Baſinianæ. Idem in Provin. Gen. Conv. 58. Conv. oppidi S. Martini.*

Alarienſis, in Regno Neapolitano ſeſquimiliaris ſpatio, in meditullio amœni nemoris, Marianus a Rita, in gratiam ſui germani fratris Petri a ſancto Martino, religioſiſſimi Minoritæ, Conventum hoc anno ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu ex propriis facultatibus conſtruxit, ſed morte præventus non abſolvit. Opus intermiſſum proſecuti ſunt Vincentius & Ferdinandus a Capua, Termolitarum Duces, aſſentiente Jacobo de Petrutiis Alarinenſi Epiſcnpo, ex Minoritis aſſumpto. Jacent hic prædictus Petrus, cujus tanta fuit ſanctitas, ut plurimis infirmis ſalutem a Domino impetrarit; Angelus de Slavis laicus, vir humilitatis & paupertatis admirandæ; & Victoria a ſancto Severino Termolitarum Duciſſa, cujus in Chriſti pauperes miſericordia, atque in Deum pietas fuerunt incredibiles.

Fr. Jacobus Epiſcopus Alarinen. Petrus a ſancto Martino. Angelus de Slavis. Victoria a ſancto Severino.

Conv. Calvatoni. Idem in Provin. Brixiæ Conv. 22.

LIII. Uno ab oppido Calvatono, Cremonenſis diœceſis, milliari, prope Olei flumen ædicula conſiſtebat Virginis Mariæ de Piſcibus Liſſis, Præpoſituræ Calvatonianæ annexa, propter imaginem beatæ Virginis miraculis inſignem, per illam regionem celeberrima. Ut beatæ Virginis decentiori cultui oppidani proſpicerent, annuente hoc anno die xx. Julii Innocentio Pontifice, Cœnobium addiderunt Fratrum Obſervantum, & ſacellum ampliarunt.

Conv. Oſaris. Idem in Provin. Dalmat. Conv. 6.

Tom. 1. an. 1119. n. 54.

LIV. In Dalmatia inſignis olim florebat Civitas Oſaris, corpore ſancti Gaudentii martyris inſignior, nunc vero propter aeris intemperiem paucis habitatoribus inculta. Non longe ab hac urbe portus eſt tutus & opportunus in mari Adriatico, Abſoris dictus, quo perveniſſe ferunt ſanctum Franciſcum, cum in Orientem, uti ſuo loco retulimus, navigaret. Prope Portum, & ab Urbe m. p. Conventum, ſub nomine ſancti Franciſci, Matrona quædam Religioni addictiſſima, circa hunc annum ædificavit.

Conv. Arbenſis. Indid. Conv. 8.

LV. In Scardoniæ inſulæ, Illyrico adjacentis, Civitate Arbenſi, pii aliquot cives, inito conſilio decreverunt Cœnobium Fratribus Obſervantinis, ſub invocatione ſanctæ Euphemiæ conſtruere. Id præſtiterunt circa hunc annum in amœniſſimæ cujuſdam Vallis veſtibulo, ſecundo a Civitate milliari. Quidam neglecto ſanctæ Euphemiæ nomine, ſancti Bernardini compellant.

Conv. Rondæ. Idem in Provin. Bæticæ Conv. 14. & 15.

LVI. In Bætica, & Malacenſi diœceſi, Ronda oppidum eſt, opulentum & frequens, quod e Maurorum tyrannide Ferdinandus & Eliſabetha Reges Catholici ante hunc annum eripuerunt. Maurorum fanum in Cœnobium Franciſcanorum pro ſua in eos propenſione protinus commutarunt. Sed cum aeris valde offenderet intemperies, hoc anno vel paulo poſterius alio tranſlati ſunt Fratres, conſtituto Templo, Fratrum quadraginta capaci & commodo domicilio extra oppidum c. p. a mœnibus, altero, quod inhabitabant, in parochiam Spiritus ſancti converſo. Similiter fecerunt Reges in Civitate Accienſi, vulgo *Guadix*, hoc tempore a Mauris recuperata, converſo in Fratrum Cœnobium fano Mahometanorum.

Conv. Accienſis.

Conv. Bazenſis. Idem in Provin. Granaten. Conv. 8.

LVII. In eadem Bæticæ regione, in ſuburbiis Bazæ Civitatis, Henricus Henriquez, prædicti Regis domui Præfectus, Militiæ ſancti Jacobi Major Commendatarius, ejuſque conjux Maria de Luna, hoc anno die viii. Decembris domum exorſi ſunt Obſervantum, ſub titulo ſancti Franciſci, ſuiſque ſumptibus tamdem abſolverunt, triginta Fratrum capaciſſimam.

Conv. Inſulæ de Walen. Lib. 103. fol. 141.

LVIII. Maximilianus Romanorum Rex Auguſtus, Friderici Imperatoris filius, paulułum ante hoc tempus detentus eſt in oppido Brugenſi, diœceſis Tornacenſis, & cum eo Joannes Cæſaris Bontemps, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, votumque vovit, quod ſi liberaretur a vinculis, domum ſub titulo, & in honorem Dominici Sepulcri, in quadam inſula juxta ripam de Walen. prope Mechliniam, Cameracenſis diœceſis, pro Fratribus Ob-

ſervantibus oraturis pro animabus nonnullorum per Burgenſes interfectorum, ædificaret. Jam hoc anno opus exorſus, petiit facultatem ab Innocentio eos illuc introducendi, domumque ſubjciendi Vicario provinciæ Colonienſis, & IV. Nonas Julii impetravit.

LIX. Hoc anno die XXIX. Maii introducti ſunt Fratres in poſſeſſionem Conventus novi intra urbis Noviomagenſis in Geldria, relicto alio, de quo alias locuti ſumus, quem extra mœnia poſſidebant. Alium fundandi facultatem recepit hoc anno Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, eumque in oppido Brubæ ſuæ diœceſis peramœno & commodo, a Colonia per duo milliaria Germanica diſtante, anno ſequenti inchoavit, jacto primo lapide in die Aſcenſionis. Brevi tempore opus ad perfectum deduxit; etenim anno MCCCCXCIII. Eccleſiam die VII. Decembris ingenti fervore, magnaque interveniente hominum multitudine, conſecravit. Porro an. MCCCCXCIII. die XXI. Maii, feria quarta quatuor Temporum poſt Pentecoſten, Fratres maxima cum ſolemnitate illuc introduxit, etſi renitentibus Superioribus Ordinis, quia nondum obtenta erat facultas Pontificia domum admittendi, perpepetuiſque deinceps favoribus & beneficiis proſecutus eſt. Moriens in caſtro Popperſdoro, præſente iſtius Conventus Guardiano, aliiſque quinque Fratribus, juſſit cor ſuum cum interioribus apud eos ſepeliri, quæ aromatibus condita jacent in Choro ante ſummum Altare in capſa plumbea. In Eccleſia inſignes & plurimæ ſunt Sanctorum reliquiæ, quas prædictus dedit Archiepiſcopus, & optimo diſpoſuit ordine, conſecrato inſuper Altari, Joannes Epiſcopus Theophilicenſis, ſuffraganeus Colonienſis. In navi Eccleſiæ ſedilia ita diſparata & ordinata ſunt, juxta ſancti Bernardini ordinationem, quod mulieres ſua habeant loca a viris ſequeſtrata. Locum hunc plurimum juvit & auxit Ferdinandus Elector, & Archiepiſcopus Colonienſis, commodioremque reddidit tironibus educandis.

Conv. Noviomagenſis. *Monumen. MSS. Provin. Colonia. Tom. 12. anno 1455. n. 106. & anno 1456. num. 218.*

Conv. Brubæ. *Gonz. in Prov. n. Colon. Conv. 14.*

LX. Circa hoc tempus nobilis & piiſſima Domina Bibiana Dempſia, uxor Domini de Ely Maolruani Barbati Okearrubhail in Hibernia, in confinio regionis Elyanæ, & diœceſi Laonenſi, Cœnobium ædificavit Obſervantibus, ſub titulo ſancti Franciſci, tempore Domini Roderici Keal, O Cearrubhail. Extat memoria fundationis ſculpta in lapide marmoreo in clauſtri latere. Corruit totum Cœnobii tectum, durante hæreticorum ſævitia, ſuperſunt muri duntaxat. Situs eſt in regione locuplete & abundanti, facilique negotio poterit reædificari. Tempore ſuppreſſionis fugientibus Fratribus, unus ex eis Thaddæus Daly captus eſt Lymerici, oblatiſque per hæreticos cum libertate multis muneribus & præmiis, ſi ad illorum ſectam tranſiret, conſtanter omnia repulit, conſtanſque in veræ fidei confeſſione, elegit potius catholice mori, quam infamis deſertor reputari. De eo alias locuti ſumus.

Conv. Elyanus: *Monumen. MSS. Provin. Hibern.*

Fr. Thad. Daly pro fide trucidatur. *Vide Tom. 5. an. 1291. n. 51.*

LXI. Nobilis mulier Camilla de Piis de Sabaudia, Gilberti viri Principis filia, Domicella Carpenſis, impetravit hoc anno facultatem ædificandi in oppido Carpi, nullius diœceſis in Lombardia Ciſpadana, ad ripam Seciæ fluminis Monaſterium Clariſſarum Regularis Obſervantiæ, ſub regimine Fratrum ejuſdem Inſtituti: *Eximiæ devotionis.* VII. Idus Septembris. Hanc licentiam impetraſſe anno MCCCCLXXXIV. ex conſilio beati Stephani Galli Minoritæ ſcribit Gonzaga; ſed cum ex eodem auctore alias dixerimus Stephanum hunc die XXVII. Aprilis ejuſdem anni MCCCCLXXXIV. deceſſiſſe, & nonniſi anno iſto conceſſerit Innocentius facultatem, aliunde, quam a Stephano mota videtur Camilla ad opus hoc aggrediendum, vel mature ante aliquot annos id perſuaſit magna, qua pollebat inter Principes Carpen-

Monaſt. Carpenſe.

B. Stephanus Gallus. *Gonz. in Provin. Bonon. Monaſt. 15. Tom. 12. anno 1449. n. 18.*

Camilla Carpenſis.

penſes, auctoritate. Primæ Sororum inſtitutrices ſex evocatæ ſunt ex Monaſterio Corporis Chriſti Cremonenſi, quibus ipſa Camilla aſſociata eſt anno MD. eamdem Regulam profeſſa; eaque vixit ſanctitate, ut plurimis effulſerit miraculis, & obinde corpus honorifico conditum ſit ſepulcro.

Monaſt. Turonen. LXII. Carola Ludovici XI. Regis Franciæ conjux, dum viveret, Ordini ſanctæ Claræ addictiſſima, impenſe cupiebat, idem Inſtitutum per Galliam dilatari. Genitricis votis obſecundans Carolus Rex, hoc anno impetravit a Pontifice licentiam ædificandi in Civitate Turonenſi, in via *de la Sellerie* nuncupata, & ampliſſima domo a Guillelmo Bandet Regio Plumaſſerio acquiſita, Monaſterium Clariſſarum Regularis Obſervantiæ, ad inſtar Pariſienſis, *del Ave Maria* vocati, a Vicario Ultramontano ejuſdem Inſtituti gubernandum: *Sacræ Religionis*. xv. Kalend. Martii.

Monaſt. Belli-montis. LXIII. In oppido Belli-Montis, diœceſis Conchenſis in Hiſpania, Joannes Pachecus, Magiſter Militiæ ſancti Jacobi de Spata, quoddam hoſpitale pauperum conſtraxit & dotavit. Sed infra paucos annos neglectum & ferme deſtructum, volens in Monaſterium Clariſſarum Regularis Obſervantiæ commutare, Didacus Lupus Pachecus Dux Scalonæ, & Marchio Villenæ ejus filius, hoc anno ita faciendi facultatem ab Innocentio impetravit: *Sacroſanctæ Romanæ*. xi. Kal. Octobris.

Monaſt. Murciæ. *Gonzag. in Prov. Carthag. Mon. 2.* LXIV. Clariſſarum Monaſterium in urbe Murciana, diœceſis Carthaginenſis pervetuſtum eſt, quippe ab Alphonſo X. Rege Caſtellæ fabricatum, & a Petro cognomento Crudeli adjuncta propinqua regia amplificatum, unde & regium nuncupatum. Per plurimos annos a Patribus Conventualibus gubernatum, hoc anno Pontificis auctoritate translatum eſt ad Obſervantes. Multæ hic Sorores religioſiſſime vixerunt.

Monaſt. Orihuelæ. *Indid. Mon. 3.* LXV. Criſpa vidua tunc oppidi, nunc urbis Orihuelæ, Joannis Hontinienſis relicta, Tertium ſancti Franciſci Ordinem profeſſa, quædam bona Clariſſarum Monaſterio conſtruendo legavit, quod ejus filia perficere cupiens, hoc anno die XVII. Februarii Innocentii impetravit diploma, opuſque incepit ſub S. Joannis nomine, aliquantulum procul a muris in loco & ædibus, quæ prius erant Fratrum beatæ Mariæ de Mercede. Fundatrices poſt tertium aut quartum annum evocatæ ſunt ex prædicto Monaſterio Murciano. Reditus auxit ſub annum MDLXXX. Beatrix Martinez, ejuſdem urbis matrona.

Monaſt. Inſulenſe. LXVI. Margaritæ Duciſſæ Burgundiæ hoc anno Pontifex facultatem conceſſit in oppido Inſulenſi, Tornacenſis diœceſis, Monaſterium Clariſſarum Regularis Obſervantiæ ſub reformatione ſororis Coletæ conſtruendi: *Cum inter cetera*. v. Idus Maii.

Mon. de Hoechſtaten. LXVII. Piæ quædam mulieres diœceſis Cameracenſis in Belgio, empta a nobili viro Gaſpare de Culembergh quadam domo, *Corona* nuncupata, cum quibuſdam prædiis & poſſeſſionibus contiguis infra limites parochialis Eccleſiæ de Hoechſtraten, ejuſdem tunc, nunc Antuerpienſis diœceſis, conjunctis facultatibus decreverunt Monaſterium Clariſſarum ad inſtar Treverenſis ejuſdem Ordinis ædificare, & Vicario Obſervantum Provinciæ Colonienſis ſubjicere. Ut ita facerent, Pontifex hoc anno conceſſit: *Inter curas multiplices*. IV. Kalendas Maii. Vocatæ ſunt ex Monaſterio Treverenſi Eliſabetha a Franchfort, & Gertrudis a Sechinge; illa prima fuit Abbatiſſa, hæc prima Vicaria, quæ tanta pietate Virgines ſibi concreditas inſtituerunt, ut non multo poſt ex hoc Monaſterio alia tria ejuſdem Inſtituti, Lovanii, Boxteliæ, & Wameliæ non longe a Neomago ſuas cœperint origines. Vivunt hic Sorores in ſtricta clauſura, jejuniis, ſilentio, & abſti-

Digitized by Google

Fr. Nicolaus Meynardi.

abſtinentia perpetua a carnibus. Fuit in hoc Monaſterio Nicolaus Meynardi Roſch a Monfort aliquando Sororum Confeſſarius, juxta ſummam aram ad Epiſtolæ cornu ſepultus, cujus hoc legitur epitaphium..

> *Ingreſſus eſt Ordinem S. Franciſci Lovanii anno* 1511. *veſtitus a V. P. Theodorico a Monaſterio, feſto trium Regum. Eundem Ordinem profeſſus anno ſequenti* 1512. *feſto trium Regum. Miſſarum primitias obtulit Deo anno* 1513. *feſto trium Regum. Mortuus eſt in hoc Cœnobio, Monialium Confeſſarius anno* 1556. *feſto trium Regum.*

Domus Sororum Tertii Ordinis Arevali. *Gonzag. in Prov. Concept. Monaſt.* 30.

LXVIII. Nobilis quidam civis Murcianus, necis alterius nobilis viri particeps, defuncti cognatorum iram, & judicis vindictam declinaturus, Arevalum abiit, conductis filiis duobus & quatuor filiabus. Illo poſt aliquot annos defuncto, filii Franciſcanum Inſtitutum ſubiere: filiarum ſenior Aldonſa Lopetia reliquarum curam ſuſcepit, eaque polluit induſtria, & dexteritate, ut conciliatis ſibi Arevalenſium animis, eas cumularit facultates, quæ ſibi Sororibuſque conſtruendo Monaſterio ſufficerent. Hoc anno inchoatum ad finem uſque perduxit, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu, primæque omnium ipſa cum Sororibus inhabitare cœperunt, aſſumpto habitu Tertii Ordinis ſancti Franciſci. Ab Aldonſa fundatrice Monaſterium vocant Hiſpani *de las Aldonſas*: neque immerito quidem ab ea cognomen accepit, a qua exordium habuit, & inſigne virtutis ornamentum. Nihil enim illa purius, nihil fuit humilius. Prophetico ſpiritu illuſtris, & ſanctitate præclara, plurimis prærogativis meruit a Deo cumulari. Jacet in eodem Templo nobilis Virgo ſoror Eliſabetha Verdugo, quæ Chriſtum Dominum in propria forma, dum ſacra Hoſtia a Sacerdote elevaretur, meruit videre, & multas gratias ab Altiſſimo recipere.

Aldonſa Lopetia Tertii Ordinis virgo præclara.

Eliſabetha Verdugo.

To. 10. an. 1457. n. 45. Domus Ganden. & Inſulen. tranſeunt ad Clariſſas.

LXIX. Sorores Tertii Ordinis domus Gandenſis in Hollandia Auſtrali, uti alias diximus, & domus Inſulenſis in diœceſi Tornacenſi Inſtitutum mutarunt, & ad primam ſanctæ Claræ Regulam tranſierunt, illæ ſub obedientia Vicarii Provinciæ Colonienſis, iſtæ ſub Vicario Provinciæ Franciæ. Pro poſteriorum mutatione bulla extat Innocentii: *Sedis Apoſtolicæ*. XII. Kalendas Maii.

Domus Ziriczea.

LXX. In principali inſula Zelandiæ, nuncupata Schaldia, vulgo *Tlandt Van Schouwen* Civitas eſt primaria Ziriczea, diœceſis Trajectenſis, in qua ante aliquot annos Poppon Haymetus teſtamento bona legavit, ut conſtruerentur ſanctiſſimæ Trinitati ſacellum, & ſeptemdecim pauperibus hoſpitale contiguum. His autem per hæredum & Rectoris hoſpitalis incuriam ferme deſtructis, Popponis filia & nepotes rogarunt, ibidem Sororum Tertii Ordinis domum ædificari: quorum votis David Epiſcopus Trajectenſis ſubſcribens, domum prædicti Inſtituti ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Nazareth, ordinaria auctoritate erexit & inſtituit, matremque præfecit Mariam Ægidii, & confeſſarium Balduinum Petri de Cloeringi ejuſdem Inſtituti. Factum hoc anno Pontifex confirmavit: *His quæ pro Religionis*. V. Kalendas Auguſti.

Domus Haſſellen.

LXXI. Sorores domus Vallis ſanctæ Catarinæ oppidi Haſſellenſis, ejuſdem Ordinis, diœceſis Leodienſis, Sixti IV. auctoritate ſe commiſerunt regimini Vicarii & Fratrum Provinciæ Colonienſis; multis tamen modis obſtiterunt Petrus Corkbach Sigillifer Epiſcopi Leodienſis, & Matthias Fuils Tertii Ordinis, qui tunc erat Sororum confeſſarius, quos dum Arnoldus Cloever Scholaſticus Eccleſiæ ſancti Gajonis Colonien. litterarum Sixti

exe-

executor, cenſuris compeſcere non potuit, ſcribit hoc anno Pontifex Archiepiſcopo Colonienſi, & Abbatibus ſancti Martini, ac ſancti Pantaleonis Monaſteriorum Colonienſium, ut eos cogant ab hujuſmodi litibus recedere.

Domus Fratrum Tertii Ordinis Imolæ.

LXXII. Per duo milliaria diſtabat ab urbe Imolenſi in Romandiola locus quidam, Paradellum nuncupatus, in quo columna erat lapidea, in eaque depicta imago glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, cujus intuitu Deus multa operabatur miracula. Ut dignum loco adveherent cultum, nobilis mulier Catarina vidua Hieronymi de Riario, Sixti IV. nepotis, olim Imolenſis urbis Domini, genitrix & tutrix Octaviani ejuſdem etiam urbis Domini, necnon Antiani & Communitas Imolenſis, & Bernardus de Crema Viſitator Generalis per totam Italiam Fratrum Congregationis Lombardiæ Tertii Ordinis ſancti Franciſci, rogarunt Pontificem, liceret eo loco domum Fratrum ejuſdem Inſtituti conſtruere, prædictæque Congregationi aggregare. Annuit tot ſupplicantium votis Pontifex: *Ex injuncto nobis*. VI. Idus Februarii.

LXXIII. Paſchalis Diez Garlon, Comes Aliſi, ædificavit ſancti Michaelis Archangeli ſacellum in Templo Minorum ſanctæ Mariæ Novæ, & Domina Oradenm Joannis Becchetti uxor aliud ſanctæ Mariæ de Conſolatione in Eccleſia ſancti Franciſci oppidi Fabriani, diœceſis Camerinenſis: primum viſitantibus multas indulgentias Pontifex, ſecundnm Joannes de Duchis Epiſcopus Coronenſis Marchiæ Anconitanæ Locumtenens generalis, hoc anno conceſſit. Alphonſus de Quintañilla laicus, Salamantinæ diœceſis, Regum Catholicorum Ferdinandi & Eliſabethæ Conſiliarius, quædam ſacerdotia ſeu capellanias fundaverat & dotaverat in Eccleſia ſanctæ Claræ Ovetenſis, & cum Epiſcopo convenit ac pepigit, ut quotannis in vigilia ſanctæ Claræ Capitulum Ovetenſe ad dictam Eccleſiam proceſſionaliter candelas accenſas geſtans accederet, ibidem Officium defunctorum cantaret, & concionatorem, qui finito ſolemni ſacro, populum ad orandum pro animabus ejuſdem Alphonſi & ſuorum hortaretur, deputaret. Pacta & conventionem Pontifex hoc anno confirmat. Monaſteriorum ſancti Franciſci urbis Licien. Ordinis ſanctæ Claræ, & ſancti Benedicti Converſani, ejuſdem Inſtituti hoc anno incidit mentio, tranſlata a priori Manella de Urſinis, ut in ſecundo Abbatiſſæ munus ſubiret. Remotis e Monaſterio ſancti Damiani Gerundenſi Sororibus Clariſſis diſſolutam vitam agentibus, introductæ ſunt ex Monaſterio religioſiſſimo de Gandia, Valentinæ diœceſis, Sorores ſub primævis ſanctæ Claræ inſtitutis viventes, ita ſuggerentibus Miniſtro Provinciæ Aragoniæ prædictis Regibus Catholicis. Reditus, quibus priores gaudebant, & poſteriores habere nequibant, applicati ſunt domui reparandæ, & ſacrario de ſacris veſtibus providendo. Fratribus Conventus ſancti Franciſci Nannetenſis conceditur facultas annuos reditus, per regulam vetitos habendi.

Monaſt. Licienſe. Monaſt. Converſanum. Monaſt. Gerundenſe.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. LAdiſlaus Boemiæ, & Maximilianus Romanorum Reges, Hungariam ſuſpirantes, Beatricem Corvini relictam, & Ferdinandi Regis Neapolis filiam in conjugem ducere uterque affectabant, ſed ſollicitior Ladiſlaus, eam & ſceptrum obtinuit: hinc exorta bella, nihilominus ea lege compoſita, quod abſque legitima prole decedente Ladiſlao, Maximilianus ſuccederet, qui interim agebat, ut nuper defuncti Franci-

Degl. cit. ſup. fol 468.

ſci

„ ſci Britanniæ Ducis Annam filiam & hæredem, in uxorem duceret; ſed
„ Carolus VIII. Franciæ Rex, ut hæc ſubodoravit, licet Margaritam ejuſ-
„ dem Maximiliani ſororem ſibi deſponſatam, jam Pariſiis haberet, nihilo-
„ minus valido ſtipatus exercitu, Britanniam ingreſſus, vi rapuit Virgi-
„ nem, quam matrimoniali vinculo ſolemniter ſibi copulavit, & in Franciam
„ redux, Margaritam intactam ad ſuos remiſit; hinc atrox bellum enatum
„ eſt, duplicem injuriam in Sorore & Uxore prætenſa haud Maximiliano
„ ferente. Summus Pontifex expedito quodam diplomate circa confeſſio-
„ nes Tertiariorum S.P.Franciſci excipiendas in Flandria: *Ex injuncto &c.* *Indicax Vatic.*
„ Kalendis Februarii; & pridie Idus ejuſdem collato beneficio fratri Joan-
„ ni de Hita: *Religionis zelus &c.* Amadeis Fratribus domum Conven-
„ tualium Civitatis Ducalis conceſſit die xix. ejuſdem: *Exponi nobis &c.*
„ determinavitque vii. Kal. Martii, ut Monaſterium ſanctiſſimæ Annun-
„ ciationis Mediolani regeretur in poſterum a Fratribus Regularis Obſer-
„ vantiæ Minorum: *Exigit injunctum &c.*
„ II. In Inſulis Majoricenſibus erectio Cuſtodiæ e Vaticano indulge-
„ tur: *Proviſionis noſtræ &c.* Nonis Maii. Pridie Nonas Julii beneficium
„ fratri Petro de Colimbria: *Religionis zelus &c.* In Conventu ſanctæ Ma-
„ riæ de Jeſu prope oppidum ſancti Martini in territorio Lerinenſi frater Angelus de Slavis. *Arthur. in Martyrol.*
„ Angelus de Slavis profeſſione Laicus, vir humillimus, ac ſanctæ pauper-
„ tatis amantiſſimus, obiit hoc anno, vii. Idus Septembris: cui ad eam
„ diem Arthurus ex Gonzaga in Martyrologio locum fecit; ſed venerabi-
„ lem virum Patrem fratrem Laurentium de Senis, qui vulgo dicebatur, Laurentius de Senis. *Cimarella chron. p. 4. l. 1. c. 50. Idem l. 5. c. 54.*
„ *della voce groſſa*, commendat Cimarella, quod omnibus diebus vitæ ſuæ
„ in maxima paupertate, obedientia, corporis & animæ puritate, oratione,
„ devotione, caritate & abſtinentia vixerit, cum etiam optimus & zelans
„ Prædicator Evangelicæ veritatis eſſet: litteris denique, ac omnibus vir-
„ tutibus excultus, Deo & hominibus ſumme carus, huic mundo valedixit Fr. Philippus Antinorus. *Barez. par. 4. Chron. l. 3. c. 64.*
„ hoc anno Capriolæ in Tuſcia: quo tempore in eadem Provincia Philip-
„ pus Antinorus, nobili genere natus, vitæ ſanctimonia inſignis florebat,
„ ut idem Cimarella tradit.

ARGUMENTUM.

Conventuales Capitulum celebrant Generale. Multi obeunt viri pietate illuſtres. Moritur beata Euſtochium Meſſanenſis, cujus acta referuntur. Decedunt viri pii Tertium Ordinem profeſſi. Bernardinus Feltrenſis ubique fructuoſe Divini verbi ſemina diſpergit. Michael Aquenſis Veronæ laudabiliter operatur. Inſtituuntur Epiſcopi. Conduntur Cœnobia.

I. Habita ſunt hoc anno, non vero ſequenti ut perperam putavit Marcus, Comitia Generalia Patrum Conventualium in urbe Aſſiſiate, quorum Acta penitus perierunt. Præfuit Franciſcus Samſon Miniſter Generalis, & confirmatus eſt in officio. Capitulum Generale Conventualium Aſſiſii 100. *Rodul. fol. 244. Marc. l. 9. c. 10.*

II. Plerique hoc anno Minoritæ diem obierunt, alii hoc tempore Religionem ſua virtute vel doctrina illuſtrarunt. Obiit Toleti Didacus a Luminibus, vulgo *de Las Lumbres*, vir pius & prudens, Franciſci Ximenii Cardinalis optimus inſtructor. Homo erat ferventis devotionis, probatæ virtutis, miræ pœnitentiæ. Annis multis in quadam ſpelunca Conventui Caſtaneti propinqua, pane tantum, aqua & herbulis contentus, in maxima Moritur Didacus a Luminibus. *Marc. cit. c. 17.*

vitæ aſperitate Deo inſervivit. Ea erat morum ſuavitate, & loquelæ dulcedine, ut quo vellet peccatores flecteret, & quantumvis obſtinatos ad pœnitentiam emolliret. Mortis diem certo prædixit, expirantiſque anima viſa eſt Angelorum miniſterio in Cœlum aſportari. Toletani, audito tranſitu, turmatim confluxerunt, funus veneraturi, & reliquias diſcerpturi. Magna fuit ejus apud domeſticos & exteros opinio. Jacet in Templo ſancti Joannis Regum, Toleti.

Et Gabriel Æſinus. *Bernardus Mandelus.* *To. 10. an. 1418. n. 19.* *Antonius Elvenſis.* *Gondiſalvus Ulyſſiponenſis.*

III. Deceſſit in Cœnobio Amandulæ Marchiæ Anconitanæ Gabriel Æſinus, aliis de Cæſiis, virtutibus & miraculis multis illuſtris. In monte Alvernæ Bernardus ex nobili familia Mandelorum Mediolanenſis, de quo diximus alias. Sub hunc annum e vivis exceſſit in Luſitania Antonius Elvenſis, Regis Joannis II. confeſſarius, pacis caduceator inter Caſtellæ & Luſitaniæ Reges, qui Portugalliæ Provinciam non ſemel gubernavit. Eamdem etiam terque quaterque rexit Gundiſalvus Ulyſſiponenſis, paulo poſt Antonium defunctus; uterque religioſis moribus & virtutibus emicuit.

Chriſtophorus de Variſio. *Monum. MSS. Prov. Polon.*

IV. In Conventu ſancti Angeli Mediolani Chriſtophorus de Variſio hoc anno deceſſit, olim Joannis Capiſtrani fideliſſimus ſocius, cujus vitam præter alia opera conſcripſit. Plurimum laboravit pro ſtabiliendis & inſtruendis Auſtriæ, Boemiæ & Poloniæ Provinciis a Capiſtrano incoatis. Anno præterito, jubente Vicario Generali conſtitutiones ſcripſit pro Provincia Poloniæ, etſi infirmitate langueret, eamque propter locorum diſtantiam regioniſque amplitudinem, & ad tollendos inutiles Fratrum diſcurſus, in tres partes diſtribuit, a tribus Commiſſariis Guardianis, ſcilicet Cracovienſi, Poſnanienſi, & Vilnenſi, Miniſtro per omnia ſubjectis, gubernandas. Nihil non lubentiſſime pro hac Provincia faciebat, pro qua tot labores ſubivit, vireſque omnes exhauſit. Illinc extenuatis viribus, fractoque dorſo receſſit; cum enim Provinciæ loca viſitaſſet, prope Varſaviam equo decidit, dorſique ſpina graviter offenſa, gibboſus deinceps inceſſit. Interrogatus ab amico, unde gibboſum dorſum, & curvatum corpus? reſpondit: *Poloniam humeris porto*. Ad Comitia Generalia, quæ diximus ante biennium celebrata Urbini, profectus, dixit prædictarum Provinciarum Fratribus, qui illuc convenerant, ſe illos viſurum veniſſe, iiſque valedicturum, tempuſque reſolutionis ita prope inſtare, ut amplius videre non liceret. At ſi ſupplerent vires, & vita ſupereſſet, nihil ſe libentius facturum, quam in illas regiones proficiſci, in quibus potiorem ſuæ vitæ partem inſumpſit, innumeroſque Chriſto filios generavit. Audiens plurima narrari miracula Simonis Lipnicenſis, & Joannis Duklenſis, præ nimio gaudio non poterat ſe a lacrymis continere, Deumque benedicebat, qui Capiſtrani diſcipulos, ſuoſque olim ſubditos tot gratiis dignatus eſt honorare.

V. Vir erat doctus, & in ſacra Scriptura verſatiſſimus, ſed multo magis in utroque jure, doctoratus lauream ante ingreſſum Religionis aſſecutus. Magiſter Pinjevius tunc adminiſtrator Cracovienſis, de eo dicere ſolebat: ſi omnia juris volumina perirent, meliora poſſe per Variſium componi. Admirabantur omnes, dum Viennæ, Uratislaviæ & Cracoviæ prædicaret, quam appoſite & copioſe utriuſque legis textus ad ſingula citabat, & ſacris Bibliis adaptabat. Interrogatus, cur in ſenectute prælaturas Ordinis nolebat admittere? dicebat; obduraſſe jam & fruiguiſſe tenellum illum virtutis affectum, qui in Obſervantiæ exordiis efferveſcebat; & Fratres habere cellas rebus plenas, & capita proprio ſenſu, difficilem proinde & periculoſam evaſiſſe prælaturam. Ex quatuor malis addebat Religioni certam imminere ruinam: Ex indifferenti & indiſcreta Novitiorum receptione, & retentione

Quatuor capitalia mala Religionis.

mi-

minus idoneorum in fine probationis: Ex magiſtrorum imperitia, qui tirones educare neſciunt in ſimplicitate, puritate & humilitate: Ex paupertatis contemptu & curioſis ſtructuris, dum refectoria Eccleſiis, & Cœnobia palatiis poſſunt comparari: Demum ex remiſſo rigore juſtitiæ & diſciplinæ.

VI. Rogatus quid de frequenti confeſſione generali ſentiret? ediſſereret, dixit: *Sæpius repetita confeſſio generalis, niſi prudenter & cum magna cautela fiat, frequens eſt animæ illaqueatio, ſordidarum cogitationum ad mentem, ut plurimum infirmam, revocatio.* Prudenti itaque & timorato viro ſufficere dicebat, bis aut ter in vita peccata bene præmeditata generaliter confiteri. Ejus obitum hoc anno contigiſſe, his verbis provinciæ Poloniæ referunt Annales apud me MSS. docti viri Hieronymi Katousby: *Deceſſit poſt Cardinalem fratrem Gabrielem de Verona (bujus provinciæ præcipuum promotorem, & quarto Vicarium, quem Sixtus IV. Cardinalem creavit, & cum quinque millibus ſtipendiariorum contra Turcas in Apuliam deſtinavit) frater Chriſtopborus de Variſio, lumen & columen Ordinis, eminentiſſimus Tbeologus, & Canoniſta doctiſſimus, qui ſimilem ſibi illo ſeculo non videbatur babere. In fine vitæ conſtitutus, provinciis Auſtriæ, Boemiæ & Poloniæ, quas paterne dilexit, ſepe viſitavit, plurima doctrina, & pietatis exemplis inſtruxit, tamquam alter Jacob multa bona imprecatus eſt. Mediolani in loco ſancti Angeli ſepultus eſt.*

An utilis ſit frequens confeſſio generalis.

VII. Samboriæ in Polonia celebris eſt memoria cujuſdam fratris Seraphini viri piiſſimi, Evangelici concionatoris, puritatis immaculatæ. Vilnæ hoc anno vel præcedenti appoſitus eſt ad Conſodales ſuos Marianus de Jeſorbo, vir gravis & doctus, geſtu & verbis venerandus. Sub Vicariatu Bernardini de Ingolſtad, antequam fieret diviſio provinciarum Auſtriæ, Poloniæ & Boemie, ex Baccalaureo Univerſitatis Cracoviæ factus eſt Minorita. Religioſiſſime per annos multos in Ordine vixit, omnibus gratus; demum ad regendam provinciam ter evocatus, profectum religioſum maxime zelavit. In officio non tam reliquis præeſſe, quam prodeſſe curavit. Aſper erat & rigidus indomitorum domitor, ſummaque ſapientia benignitati permixta, eorum cervices ad obediendum flectebat. Tribulatos miris modis conſolabatur, nec quiſquam erat, qui calorem caritatis ejus non ſentiret. Conſcientiarum ſubtiliſſimus indagator, ſubditorum ad ſe recurrentium mentes ſerenabat, ſuæ ſaluti aut quieti minime parcens, ut Confratres ſolaretur. Conſcientiis ſerenandis methodum ſtylo plano, & ſimplicium captui competenti conſcripſit. Ad eum tamquam ad prudentiſſimum conſiliarium mœſti quique & tribulati, ſed & Principes & Magnates recurrebant, maxime ex Lithuanis & Ruthenis. A Sixto IV. bis miſſus eſt hæreticis & ſchiſmaticis reconciliandis. Provinciæ Poloniæ hos adjunxit Conventus, Vartenſem, Lovicenſem, Caunenſem, Ticocinenſem & Bithgothenſem. Tandem plenus virtutibus, diuturnis quaſſatus infirmitatibus, phtyſis præſertim & dyſenteriæ, die ſanctæ Mariæ ad Nives feliciter in Domino obdormivit.

Frat. Seraphinus Polonus. *Monum. MSS. Prov. Polon.*

VIII. Tertiodecimo Kalendas Aprilis hoc anno Brunæ in Moravia ex humanis abiit Paulus Moravus, qui Vicarius provinciæ Boemiæ eodem loco electus, & indefeſſus acerrimuſque ſemper fuit hæreticorum Huſſitarum, Beccardorumque inſectator. Libellos quatuor a ſciolo quodam Georgio Medico hæreſibus refertos confutavit, & per Viennenſis Univerſitatis Theologos anno MCCCCLXXXVI. condemnari curavit. Hac de cauſa, & quia diſertiſſimus ac doctiſſimus erat concionator, ab Innocentio Pontifice Apo-

Paulus Moravus. *Gonz. in Provin. Boemiæ Conv. 2.*

Digitized by Google

ſtolicus Boemorum Prædicator inſtitutus eſt. Corpus ejus prægrandi tegitur lapide apud ſuos Conſodales.

Franciſc. e Plebe S. Stephani.

Idem in Provin. Tuſc. Conv.6. Cimarel. 4.p. lib. 6. cap.27.

IX. Octavo Idus Februarii in Conventu ſancti Lucheſii, prope Podium Bonitium, vitam hanc miſeram meliori commutavit Franciſcus e Plebe ſeu vico ſancti Stephani, in juventute multis cruciatus doloribus & infirmitatibus, quas ſumma tolerabat patientia. Lenimen habuit ægræ valetudinis a cœleſtibus viſionibus frequenter immiſſis: inter quas illa maxime commemoratur, quod cum Bernardinus Feltrenſis in urbe Lucenſi Montis Pietatis erectionem meditaretur, graveſque pateretur difficultates, per quas de aſſequendo negotio deſperaret, Franciſcus in Cœnobiolo S. Cerbonis prope Lucam, viderit Chriſtum Dominum urbem protegentem, Magiſtri Mariani Eremitæ Auguſtiniani aliorumque impugnationes, populum in diverſa ſtudia abeuntem, & tamdem difficultatibus omnibus ſuperatis, ſolemnem ſactam cleri & populi ſupplicationem, locum ædificio deſignatum, totius domus architecturam, cellas oppignoratitias, depoſitorum varia genera, eaque omnia quæ poſtea ſacta ſunt, re ad integrum perducta. Viſionis ſeriem, ter juſſus a Chriſto Domino, Bernardino circa hæc anhelanti, aperuit, animumque indidit opus proſequendi & perficiendi.

Diſcrepantia auctorum circa res B. Euſtochii.

X. Circa annum, quo beata Euſtochium Clariſſa Meſſanenſis ex hoc ſeculo deceſſit, circa patriam, & vitæ conditionem mire diſcrepant auctores. Ego illius vitam ab ipſius familiæ auſpicatus ſplendore, ad mortem uſque ex ſelectis deducam auctoribus, quæ minus vera ſunt, obiter refellens; ejuſque obitum non in alium, quam in hunc annum reducendum eſſe monſtrabo. Genere nobilis, proavum habuit tempore Martini Regis conſpirationis cum Artale Alagona, Regi adverſo, reum, exilio mulctatum, ceteris ejuſdem familiæ partim ſuga dilapſis, partim cæde peremptis. Ex natis infantulus unus clam ſervatus eſt opera conſanguineæ, qui mox, ut adolevit, Regi reconciliatus, aliquot navibus præfectus eſt. Hic Meſſanæ genuit Bernardum Calaſatum, Virginis genitorem, qui uxorem duxit ex Romanorum, & Columna ſamilia, quibuſdam Mayam, aliis verius Mathaudam nuncupatam, Meſſanæ ortam, etſi progenies olim Roma prodierit. Hinc exploduntur, qui Virginem dicunt Catanenſem, patrem ſortitam Orientalem, matrem appellatam Euſtochium.

Familiæ ſplendor.

Matris pietas. Tom. 12. anno 1451. n.40.

XI. Tenera adhuc ſponſa, annum agens duodevigeſimum, concionantem audivit Mattheum Agrigentinum, virum, quem alias deſcripſimus, ſanctiſſimum, eaque exarſit pietate, ut ſi per jura liceret conjugii, mundo relicto, ſolitariam vitam ſectaretur. Quod tamen potuit, ardentiſſime aggreſſa, ſe totam Divino cultui dedicavit, corpus vigiliis, inedia & flagellis afflixit, languentibus & egenis modis omnibus opitulata. Vir, qui domo quinquennium abſuerat, reverſus, hanc uxoris mutationem inique ferens, vultu præſertim macie deturpato, non ſolum verbis, ſed & verberibus conatus eſt a propoſito deterrere. Illa interim in inſtituto perſeverans, marito magis placitura, orat inſtanter beatam Virginem Mariam, ut prolem, mutui amoris incentivum, impetraret. Fœtu concepto, peſtis Meſſanam invaſit, abieruntque conjuges cum univerſa ſamilia in vicum Annunciatæ ab urbe P. M. diſtantem; ubi, cum parturiens periclitaretur, cujuſdam prætereuntis monitu ad ſtabulum deducta, feria quinta in Cœna Domini in meridie ſemellam peperit, cui nomen inditum *Smaragda*, maniſeſto præſagio futuri ſplendoris, quaſi gemmarum pretioſiſſima, egregia ſanctimonia inter ſacras Virgines deberet effulgere.

Naſcitur in ſtabulo Euſtochiū.

Nomen accipit Smaragda.

XII. Parentes, uti eſt hominum ſutura prænoſcendi deſiderium, Philoſo-

loſophos Aſtrologoſque advocarunt, qui de infantulæ futuris eventibus prædicerent, dixeruntque variis encomiis, familiæ ornamentum, virtutis ſpeculum, & religionis fore ſplendorem. Iſta a longe proſpiciens virtutum omnium inimicus, ab ipſo vitæ exordio inſidiari cœpit; unde in cunis relictam, ſæpe ſub lecto, aut infimis ædibus nutrix reperiebat, ſemelque ab uſque tertio domus ſolario in humum delapſam, Virgine pulcherrima opem ferente, minime læſam invenit. Puella ſub religioſæ matris inſtitutis, pietatis ſtudiis exculta, ſanctiſſimis aſſueta operibus, corporis ornatum & ſeculi ſolatia contempſit, & ſub pretioſis veſtibus, quas pater filiæ unice dilectæ, etſi nolenti, conferebat, cilitii celabat aſperitatem. Genitori, & Fratribus de ſponſalitiis aliquando ſerio, ſæpe jocoſe loquentibus, indignabunda reſpondebat; ſe nullum præter Chriſtum velle, fletuque puellari mœſtitiam, nuptiarumque horrorem teſtata, numquam duci potuit, ut conſentiret. Attamen undecimum agenti annum, fratres, patre abſente, locupletem ſpecioſumque, quamtumvis reniteuti, deſponſarunt juvenem; cumque nuptiarum ſolemnia pararentur, & illa de illatæ vis injuria apud conſanguineas & amicas inceſſanter quereretur, ita ſors tulit, ut ſponſum gravibus de cauſis, urbe oporteret excedere.

Variæ de infantula prædictiones.

Et Satanæ inſidia.

Invita deſponſatur.

XIII. Elapſo ferme abſentiæ biennio, cum annum Virgo ageret tredecimum, ſorte cum Fratribus in rus natale ſolatii cauſa profecta, ædem divi Nicolai, vico propinquam ingreſſa, ſupplexque orans, ut vitæ omnem rationem ad ſuum obſequium Deus dirigere dignaretur, circumfuſa quadam caligine, humanarum rerum inconſtantiæ admonita, deinceps terrena omnia vilipendit, venuſtatemque vultus vere concupiſcibilem, offuſcare cœpit ſolis ardore, aliiſque ſuæ pulchritudinis injuriis. Tum vero depoſito ornatu, ſumptoque cultu aſperrimo, in cellam domi conſtructam ſe recepit, ubi non ſolum ab externorum, ſed a Fratrum quoque frequentia ſemota, die noctuque Divorum ſupplicationibus, ac cœleſtium rerum meditationibus inſtabat. Regreſſus interim ſponſus, dum Euſtochium pallore ac macie confectam, vultu denigratam, & ab ea, quam lætus ſibi deſponſaverat, longe alienam intuetur, intra dies ſeptem dolore abſumptus interiit. Nec propterea deinceps deſuere, qui ejus peterent connubium, nunc conſanguineorum, nunc religioſorum interventu adnitentes, quibus Euſtochium congruis reſponſionibus ſatagebat obviare, promptis argumentis ſeſe tutari, & quaſi moles inter undas immobilis perſiſtere. At vix tamdem impetratum eſt, ut domi cum matre pietatis officiis intenta permaneret.

Mirabiliter monita inconſtantię rerum humanarum.

Se habet contemptui.

Sponſus moritur

XIV. Contigit, ut aliquando intenſius ſolito Chriſti paſſioni meditandæ intenta, tanto ejus incenderetur amore, inſpecta ejus in cruce pendentis imagine, ut ingenti lumine circumfuſa, repente extra ſe fieret, & caderet moribunda. Fratris brachiis excepta, cum reviviſceret, in nobilius tranſlata propoſitum, Chriſtum cœpit ardentius amare, pane ſolo veſci, aquam potare, ſolitudinem amare, eremiticam, ſi ſexus conditio permitteret, vitam diligere. Quod foris in montium cavernis, deſertique ſpeluncis non licuit, ſtatuit domi experiri, delecto intra domum ſolitario angulo, ubi etiam domeſticorum vitabat conſortia. Atqui Satan tantæ impatiens virtutis, crebras inferre moleſtias, ſtruere inſidias non deſtitit, modo per terram violenter trahere, modo verberare, aliquando ſcalarum præcipitiis exponere, ſed ſuis matriſque precibus & vigilantia fraudes ſuperabat inimici.

Ardentius Chriſtum amat, vitamque ſibi proponit pœnitenté.

Dæmon multas infert moleſtias.

XV. Major his ſupervenit afflictio, ſtudium ſcilicet Patris, ut nuberet

Pater ſecundum vult ſponſum obtrudere.

ret tentantis, minis & gladio aſſenſum extorquentis, quod non potuit, illa conſtantiſſime in propoſito caſtitatis permanente. Dum res hæc controvertitur, & in longum protrahit Virgo conſenſum, ecce ſecundus etiam hic deſignatus ſponſus e vita diſcedit, & illa ne moleſtiſſimos nuptiarum congreſſus, & violenta deinceps experiretur ſponſalitia, decrevit in Clariſſarum Baſicani Monaſterii conſortio parentum tentamenta, & mundi fraudes declinare. Id ubi cognati reſcivere, mala quæque, & incendium Cœnobio minitantes, egerunt ne reciperetur. Sed poſtquam immutabilem Virginis conſtantiam Pater perſpexit, quam minis non poterat, vincere tentavit blanditiis; vixque tamdem impetravit, ut domo paterna contenta, pietati ſtuderet, donec ille ex Sardinia, quo properabat, reverſus, Monaſterium, quod promiſerat, illi plenoque Virginum Collegio fabricaret. Eo vero itinere in Sardinia Patre defuncto, cogitare cœpit Euſtochium qualiter duriores Fratrum impetus poſſet prævenire, mox ipſa ſibi comam incidit, habitumque obduxit Franciſcanum, inique ferentibus conſanguineis.

Cogitat illa ſtatum religioſum. Impeditur.

XVI. Neque hic perſiſtens, Baſicani Cœnobii Abbatiſſam rurſum interpellat, ut admittat, quod illa non audet, Fratrum & cognatorum vehementer adverſantium verita potentiam. Dum Virgo in generoſo hoc certamine verſatur, mater piis intenta officiis, in magna annonæ penuria pauperibus affatim ſubveniebat: quod ubi ſervi indicio filius reſcivit, indignabundus cum matre expoſtulabat rem domeſticam diſſipari, ſed Dei nutu factum eſt, ut intactum penu, & horrea plena viſerentur, quod pia genitrix filiæ meritis attribuit. Etſi vero Fratres a perſequenda ceſſarint, ſuas nocendi artes Dæmon non remiſit, ſed variis modis adauxit. Præter alias offenſas hanc ordinavit. Solebat pia Virgo antequam dies illuceſceret, cum materteris ad propinquum Templum proficiſci, ſacrum auditura. Prævenit quodam die cognatas callidus inimicus, pulſatoque oſtio, efficta fœminea voce, Virginem evocat. Rata materteram eſſe, protinus deſcendit. At ille, qua pollet arte deluſam, procul duxit in loca aſpera & ſenticoſa, tertio ab urbe lapide remota. Irridente Virginem hoſte, ubi fraudes ejus retexit, implorato Dei Genitricis auxilio, ad ædem ejuſdem *a Scalis* cognominatam, loco propinquam velociter properavit. Hoſpitio a vicina muliere excepta, fratres accivit, & cum illis in urbem redivit.

Miraculoſum eventum mater attribuit filiæ.

Satan adverſatur.

XVII. Iter erat per delubrum ſancti Nicolai, in qua caligine circumfuſam primos diximus induiſſe fervores, quo ingreſſa, dum humi proſtrata coram Chriſti & Genitricis imagine precatur, miro audito tonitru, Divino ſpiritu & amore amplius incaleſcit. Aucto itaque pietatis ſtudio, Religionis accenſa fervore, cœpit multo durius cubare, aſperius vivere, corpus amplius macerare, Chriſti cruciatus profundius meditari, in cruce paſſo concrucifigi. Poſthæc, inſtante matre, ſuppliciis votiſque diu quæſitum, quid ſibi voluiſſent illæ dæmonum technæ, aut cur permiſſum, ut in loca illa peregrina filiam innocuam, Deo deditam, ſexus & ſtatus conditione pavitantem, fraudulenter abducerent. Demum Viri Deo cari oraculo cognitum, idcirco hoc factum, quia puellæ conſanguinei impedimento erant, ne ſanctum vitæ inſtitutum ſequeretur. Ne proinde amplius Divinæ voluntati obviarent, decreverunt, ne domi deinceps invita Virgo retineretur, ſed in Baſicano, quod optarat, Monaſterio Deo conſecraretur.

Majori accenditur Virgo fervore.

Fit Clariſſa.

XVIII. Statuta die, ſextoque poſt Satanæ fraudes menſe, ſacris inſtructa cæremoniis, in Virginum adſcitur conſortium, nomenque inditur Euphroſina, quod confeſſoris arbitrio commutatum eſt in Euſtochii. In ſa-

ſacrarum Virginum contubernium tranſplantata, non ſolum e domo paterna, verum e tota cognatione exivit, protinus cognatorum oblita, contemptis divitiis, calcatis voluptatibus. Magiſtræ peritiſſimæ diſciplina adeo brevi profecit, ut Conſodalibus ſanctimoniæ fuerit exemplum. Inter Divos hos ſibi delegit tutelares, Franciſcum, Paulum, Hieronymum, Jacobum, ſive Jacoponum Tudertinum. Horum multa pro Chriſto paſſorum veſtigia ſequens, ſe multifariam macerare, ſetoſis & ſenticoſis carnem exulcerare flagris, verberibus, vinclis & catenis ſeſe affligere. Molliſſimum, quo utebatur, veſtimentum, erat ex lana craſſiſſima; cella ſeu cubiculum, locus ſub ſcalis infimus; lectus nuda plerumque humus; lapis aut lignum cervical. Irrepentem ſomnum, ut amplius oraret, mali Arabici, ſive olei acredine perunctis oculis, arcebat; faciei venuſtatem, quam aliquando laudabant aſpicientes, ſummo ſtudio admoto igne, herbarumve ſuccis dehoneſtabat. *Aſpera illius pœnitentia.*

XIX. Interim contemplationi dedita, ut Chriſti vitam, mores, tolerantiam in tormentis invictam, tenaciori mente recoleret, ſua ſeorſim loca angulis adſcripta geſtis, quaſi Hieroſolymis eſſet, ex induſtria ſimularat. Intra Cœnobii clauſtra, uſque ſatis ampla, confixerat Chriſti natalitium præſepium: ibi divæ Matris ædes, ibi Templum Salomonis, ibi Olivetum montem, ibi hortum, in quo Salvator captus, ibi cœnaculum, ibi Annæ & Caiphæ domos, ibi Pilati prætorium, ibi Calvarium montem, juxtaque ſepulcrum: quibus quotidie frequentatis, tamquam veris locis intereſſet, ſponſi ſui manſuetudinem, reſque ſingulas ex ordine geſtas lacrymabunda contemplabatur. Ita profunde his meditandis immergebatur, ut cruciatus ſentire, compati Mariæ Genitrici, Cruci adſtare, Apoſtolorum mœſtitiam participare videretur. Silentium ſervabat diuturnum & quaſi Pythagoricum; præcipuis quibuſvis feſtis ad aram flexis genibus a Veſperis uſque ad ſolis occaſum, deinde tota ferme nocte in oratione pernoctare, ſub auroram in clauſtra Cœnobii progreſſa, Sodalibus cooperari, pſalmos hymnoſque in choro modulari. Tum igne Divini amoris ſuccenſa, Chriſtum ſpem ſuam, & unicum ſummumque bonum, ſuum Creatorem, benemerentiſſimum Redemptorem, ac Ducem appellare, ſe indignam, nullis exgentibus meritis, ad rectius iter, optimumque Inſtitutum vocatam, poſtulare interim robur & conſtantiam, quo ſibi in laudatiſſimis cœptis perſeverare liceret. Deſiderabat in primis ſibi dolores imprimi, amaritudines paſſionis Chriſti ſentire, ſemper proteſtata, ſe cauſam illius ſupplicii fuiſſe, eumque alienæ culpæ pœnas pendiſſe. *Singulis Chriſti paſſionibus meditandis peculiaria ſibi loca confingit.* *Pia ejus exercitia.*

XX. Præter panem & aquam, raro eſculentum, idque vile admittebat mixto etiam abſynthio. Nullam in ſtratis, ſi quando lecto cubabat, mollitiem, nullum ſupellectilis cultum habebat, in humile grabatum dejectæ tegmen erat gauſape viliſſimum. Interim nullis parcere laboribus; ſive aqua eſſet, ſive ignis ſubminiſtrandus, ſive ceres ſubigenda, ſive aliud quidquam faciendum, ſe officioſiſſimam omnibus Sororibus præſtabat. Genitrix & cognatæ abunde neceſſaria mittebant, ſed infirmis aut egentibus diſtribuebat, aut in communem uſum vertebat, ipſa frigus, ediam, languorem & alia incommoda ſponte perferente. Per ſemeſtre ſpatium ægrotanti, moleſta fuerat nimia parentum circa eam ſollicitudo, ſed iis ſupervenientem fugientibus peſtem, ſubventum eſt Virginis & ſociarum inopiæ, unde minime ſperabatur, ab Euſtochii ſcilicet conſanguinea, longe abſente. Paulo poſt lues Monaſterium invaſit, & Euſtochium etſi proſtratis viribus ſe miniſtraturam infirmis offerebat; vetuit tamen Præfecta propter *Humilitas.*

ejus

Patientia.

ejus debilitatem. Patientiam multis argumentis probavit, eoque non leviſſimo, ut alapam ab imprudenti Monacha incuſſam non modo patienter, ſed etiam libentiſſime ſupportarit, & æquiſſimo tulerit animo trium Fratrum germanorum, multorumque cognatorum ex peſtilentia deceſſum.

Monaſterii cupit reformationem.

XXI. Terrenis exuta ſollicitudinibus, & parentum moleſto liberata affectu, curam omnem ſtudiumque in ſuum tranſtulerat Creatorem. Dolebat, Sorores laxiorem, quam par erat, vitam agere, longiuſque a ſuæ Regulæ inſtitutis recedere. Tentavit itaque primum occulte, deinde inito cum ſanioribus Virginibus conſilio, Monaſterium ad priſtinam Regulæ Obſervantiam redigere; & ſi id fieri non poſſet, liceret ſibi in aliud migrare Cœnobium, ubi primæva ſanctorum Franciſci & Claræ Inſtituta ſectaretur. Implorata ſuper hoc ſummi Pontificis auctoritas: quod ubi Abbatiſſa reſcivit, ægre tulit, omnemque movit lapidem, ut Euſtochium & propoſiti conſcias ab intenta mutatione revocaret. Erat Euſtochio ſoror natu minor, Mita nomine, poſtea nuncupata Franciſca, quæ iſtius hortatibus ad Religionem eamdem aſpirabat. Hujus impenſis novi Monaſterii jacta fundamenta, deſperabatur tamen ab ea poſſe perfici, quod tot nobiliſſimæ Virgines, quæ in hoc votum conſpiraverant, opibus cognatorum adjutæ nequibant. Re cum matre communicata, in ejuſdem ſtructuræ traait auxilium & communis vitæ cupidinem. Jam illa Tertii Ordinis ſancti Franciſci habitum ſumpſerat, ſed filiabus convictura, ſubiit etiam vitæ arctioris deſiderium.

Curat novum condi Monaſterium.

In ſtabiliēdā reformatione difficultates experitur.

XXII. Antequam pium hunc & laudabilem ſanctioris vitæ ſtatum poſſet Euſtochium ſtabilire, multas paſſa moleſtias & animi perturbationes, epiſtolam miſit ad Minoritam, Obſervantiæ Regularis pium profeſſorem, ſuum olim & genitricis confeſſarium, circa hæc, quæ meditabatur, plura continentem. Intercepta ab æmulis, quæ omnes Euſtochii actiones obſervabant, & ad Abbatiſſam perlata, nec ſtatim lecta, ſed in ſcrinio repoſita, oportuniori tempore diſcutienda, Euſtochii precibus evanuit, nec quantumvis diligentiſſime conquiſita, potuit inveniri. Hinc conſtantior in propoſito Euſtochium, ſocias quotidie hortabatur, ut ardentius in votis procederent. Videns porro eas aliquando fluctuare, ut oſtenderet, Dei auxilio, quod propoſuerat, perficiendum, ad ſigna tranſiit cœleſtia. Illis adſtantibus, lampades extinctæ non ſemel mirabiliter accenſæ, & vitis arida ab ea plantata, intra unius noctis ſpatium, fœcunde germinavit. Tum vero Euſtochium multo ferventius inſtare caritatis officiis, precibuſque continuis, ac languentium miniſterio. Sed dum nocte quadam ad Altare precatur, dæmonum ſenſit turbam, equitum, armorumque ſtrepitus ſimulantem, ut ab oratione recederet: probe novit illa, cujus erant hæ artes, & tamquam inanes contempſit.

Proſequendam miraculis oſtendit.

Male habet ab Abbatiſſa.

XXIII. Matris confeſſario conſulto, Romam mittitur ſacerdos Pontificem ſupplicatum, ut liceret novum jam inchoatum Monaſterium perficere, & Clariſſis Obſervantibus deputare, & Euſtochio cum quatuor Sororibus ad illud tranſmigrare. Contigit autem, neſcio quo caſu, ut Sacerdos pecuniam negotio neceſſariam, quam a Virginis genitrice acceptarat, amitteret, ac ob id, rebus infectis rediret. Id vero cum perſentiſceret Antiſtita, non deſtitit Euſtochium ambitionis inſimulare, atque una cum Monachis eidem convitia ingerere. At illa non ſolum patienter toleravit illatam contumeliam, verum etiam coram Præfecta cum Virginibus ad cœnam recumbente, genuflexa & in terram proſtrata, in ſe culpam rejiciens, veniam quamquam innocens petiit, tantumque abſuit a vindicta cupienda, ut potius de jactatis gratias egerit opprobriis: ſic earum animi, quos contentio

Digitized by Google

tio non expugnaſſet, manſuetudine perfracti cecidere, nec auſi ſunt amplius tantam contriſtare modeſtiam.

XXIV. Interea Sacerdos Romam redit, commiſſa circa facultatem conſtruendi Cœnobii impetrandam perfuncturus, fuitque primum ejus petitioni ab Ordinis Minorum Protectore obſtitum, dicente, opus non eſſe ſecundo ejuſdem Inſtituti in eadem urbe Monaſterio. At cum ille inſtaret, in primo obſelatam ſacri Inſtituti Obſervantiam, & facilius in novum poſſe introduci, quam in veteri reſtaurari, Pontifex Calixtus III. poſtulata conceſſit. Interim cum mater Euſtochium inviſeret, multa dixit ſancti operis pullulare impedimenta; adverſari Monachas & Franciſcanos Conventuales, filium iratum, quod ſoror altera, contemptis jam nuptiis, ad cœlibatum aſpiraret. Euſtochium reſpondit, ſe ſpem omnem in Deum referre; porro eſſe quemdam Bartholomæum cognomento *Anſalonem*, virum Patritium, qui libenter eam ſuſcepturus eſſet provinciam. Hinc poſt aliquot dies templum ſancti Franciſci ingredienti pia mulier occurrit, factoque probavit verum eſſe, quod nata prædixit, ſponte illo ad Cœnobii fabricam auxilium ſuum operamque pollicente.

Alia boni operis impedimenta.

XXV. Allatis Pontificis litteris, Mita ſoror, in Religione poſthæc *Franciſcæ* nomen ſortita, divenditis bonis, fabricæ proſequendæ expenſas neceſſarias præparabat. Frater ob id indignatus, objurgare ſororem, non a conviciis, non a verberibus abſtinere, clamitans eam ſtulte agere, patrimonium inaniter diſſipari; tum ruptis ſcriniis, aurum omne, argentum, & pretioſa quæque in fabricæ ſumptus collecta, in domum ſuam tranſportavit. Soror quamquam triſtis, iis quæ ſuperfuerant, venundatis, pecuniam operi dicavit. Erat tunc juxta ædem D. Dominici, atque eo in loco ubi poſtea divo Nicolao templum conſtructum fuit, pervetuſtum Xenodochium Aſcenſionis, cum ſacello Divæ Mariæ, quam vulgo dicunt *Commendatam*, in quibus hoſpitium pauperum a fundatore decretum, jam eſſe defierat, atque id Virginum uſui, conſtruendoque Cœnobio conceſſum eſt. In litteris Pontificiis tota re Archiepiſcopo commiſſa, permittebat ille Euſtochio, ut in diplomate continebatur, ut cum quatuor pro arbitrio deligendis, ad novum Cœnobium tranſmigraret. Antiſtita id moleſte ferens, querebatur ſe deſtitui, ſuumque collegium ad ruinam impelli, ſi quatuor, quas Euſtochium poſtulaſſet, Virgines concederentur. Cui Euſtochium, pudendum eſſe dixit in Monaſterio venerabiliſſimo id affirmari, tantique cœtus ſpem in quatuor dumtaxat eſſe repoſitam. Admiratus Præſul cum adſtantibus prudentiſſimam Euſtochii reſponſionem, auxiliari non deſivit.

Soror Monaſterii perficere intantat.

Frater repugnat.

Vide tom. 13. an. 1457. n. 81.

Abbatiſſa tranſituoi negat ad novum Monaſterium.

XXVI. Novæ hinc in Euſtochium inſurgunt tempeſtates: Antiſtita cum ſequacibus improbare Virginis propoſitum, quaſi turpe eſſet vetus Inſtitutum deſerere, ac Virgines antea liberas, Monachorum parere præceptis, & gubernationi virorum ſeverioris vitæ ſubjugari. Euſtochium nihil his commota, Deo parendum eſſe dicebat; ea deinceps precibus ferventius inſtare, annum integrum in re hac deprecanda perſeveravit, rariſſima, ac ſuper rigidum ſtipitem captata quiete. Id eam gravius habuit, quod conjuratæ tranſmigrationis ſociæ, tribulationibus abſterritæ, una excepta, defecerint. Aliud affligebat, quod Magiſtra & liber deeſſet, quo modus reſtaurandæ ſanctæ Claræ diſciplinæ doceretur, eſſetque dogma longe aliunde petendum; ſed libellus fortuito miroque caſu, a puerulo ad ripam fluminis inventus, viam patefecit.

XXVII. Paratis omnibus tranſmigrationi neceſſariis, duas in ſuam ſententiam & ſocietatem Euſtochium allexit, Eliſam Ricciam & Jacobam Pul-

Cum duabus ſociis tranſit ad novum Monaſterium.

Pullicinam, quæ clam noctu, patefactis Divina ope portis, & in tenebris lumine cœleſti viam monſtrante, ad novum habitaculum tranſierunt. Furens Abbatiſſa, parentes monuit de filiarum fuga, ſi ea fuga dicenda eſt; & illi novitate turbati, accito urbis Magiſtratu, collectaque amicorum manu locum circumdant, ut fugitivas ad priſtinam ſedem retraherent. Eliſa patrem iratum peneque furentem ſuſtinere non valens, facile rediit unde diſceſſerat. Jacoba fortior ad reſiſtendum, minas omnes contempſit, & Canonicum conſanguineum probra multa in Euſtochium jactantem, viriliter compreſſit: & quidem indigne loquentem Euſtochii frater interficeret, niſi illa Chriſtiane prohiberet.

XXVIII. Tandem Euſtochium annum tunc agens vigeſimum quartum cum Jacoba ſocia, Franciſca ſorore, ac nepte Paula undenni tantarum contentionum victrices, & voti compotes remanſerunt. Attamen ſupererat aliud adhuc Virginibus prælium ſuperandum; etenim Minoritæ Obſervantes, quibus Monaſterii cura a Pontifice commiſſa eſt, eam protinus reſpuebant. Dolore conſternata Euſtochium in languorem incidit, cœpitque graviter conqueri, ſe ab iis, per quos juvari ſperabat, omnino deſtitui. Placuit tamdem Deo ancillam ſuam multis afflictionibus probatam conſolari. Acceptis a Pontifice litteris, Archiepiſcopus Meſſanenſis, indicta anathematis pœna, Fratres induxit, ut inſtante Dominica Palmarum piarum Virginum Collegio ſacramenta miniſtrarent. Paulo poſt pervenit Vicarius Generalis, modumque regimini poſiturus, Collegii Præfectam voluit Euſtochium. Illa ſubeſſe malens, ſummis precibus obtinuit, ut cura hæc in Jacobam transferretur. Sed ecce malis artibus infenſiſſimi hoſtis teneræ & inexpertæ Virgines multis dæmonum ſub variis figuris apparentium ſpectris agitantur, & Monaſterium jurgiis ac contentionibus quorumdam nobilium filias aut Sorores domum retrahere volentium conturbatur.

Inſtituitur Abbatiſſa.

XXIX. Creſcente ad numerum duodecimum cœtu Virgineo, Euſtochium trigeſimum jam agens annum, ad Abbatiſſæ munus expoſcitur, quod illa tanto vitabat odio, quanto ſolet ab aliis peti deſiderio; miniſque & præceptis agendum erat, ut tamdem præfecturam admitteret. Peractis annis tribus cum dimidio, cum ædes eſſet incommoda, anguſta, Patribus Dominicanis vicina, ad hæc collapſo ædis tecto, & creſcente inſuper Virginum numero, alio tranſinigrare oportebat. Cum deeſſet fabricæ locus, & Virginum audiret afflictionem Bartholomæus Anſalonus, ſuas dedit coaptavitque ædes ſub arce Mamertina, emptis aliis contiguis. Rurſum externorum tumultu conturbatur Monaſterium, irrumpentibus in clauſtrum, conſcenſo muro, conſanguineis Bernardinæ Joannæ, qui renitentem in capite percuſſam, domum abduxerunt, ſed pœnitentia ducti, Archiepiſcopo item urgente, poſtridie reduxerunt. His moleſtiis afflicta Euſtochium, in diuturnum ſtomachi languorem, & febrem hecticam incidit, medicis de ejus ſalute deſperantibus. Viſa tum ſibi in ſomnis a quatuor medicis præſtantiſſimis, tacto ſtomacho, cruciſque impreſſo ſigno, ſpem recuperaſſe ſanandi. Nec decepit eam viſio, reſtituta infra paucos dies ſanitate. Mox rediit ad ſolitam vitæ duritiem, & quantumvis Vicaria eſſet, tam animi, quam corporis exercitiis vacabat, nullis ſervitiis die noctuve abſtinebat.

Mutatur Sedes Monaſterii. Vide anno 1478. n. 65.

Languet Euſtochium.

Sanatur mirabiliter.

XXX. Per annos duodecim inaudita quadam & moleſta ægritudine prorſus incurabili laboravit: tum quoque cellam habuit ſub ſcalis, quibus ad Oratorium aſcendebatur, ut aſcendentium & deſcendentium ſtrepitu ad patientiam exerceretur. Secundo & tertio Præſulatum admittere coacta, cum morbo impedita officium exercere non poſſet, precibus convaleſcentiam

Ter Monaſterio præfecta qualiter regebat.

tiam impetravit. Vir quidam religioſus vidiſſe ſe in ſomniis retulit Euſtochium ſub crucis pondere defeſſam & inclinatam, & Virginum multitudinem hilariter inſequentem. Inde in ſubditis ad obediendum promptitudo, quod illa quoties Collegio præfuit, tantum abfuit, ne imperioſe præciperet, ut ne quidem neceſſaria nominatim juberet, ſed pro imperativo loquendi modo, uteretur interrogativo, dicens: *Quænam ex vobis obſequium hoc Deo vel Monaſterio vellet præſtare?* Hinc ad parendum Virgines promptiores, utpote quas Antiſtitæ veneranda modeſtia multo vehementius, quam imperium excitaret. Ea fuit humilitate, ut omnium ſe judicio ſubmitteret: ſuper quam, tamquam virtutum omnium baſim & fundamentum, reliquarum ædificium extruxit. Patientiam, manſuetudinem, pietatem, paupertatem diligentiſſime coluit; in horariis precibus, in vigiliis tanti fuit fervoris, ut omnibus admirandum eſſet exemplum.

Quam intenſe Chriſti recolebat paſſionem.

XXXI. Redeunte quotannis recolendæ paſſionis Chriſti tempore, vultu, geſtu, ſuſpiriis, jugi tremore, teſtabatur intimum lancea vulnerati alias a Chriſto in oratione cordis affectum; nec ſolum ipſa dum ſanctæ paſſionis hiſtoria, dum lectiones & vaticinia id ipſum ſonantia legerentur, acerrimo in manibus, pedibus, latere, dolore moveri, & mentis amaritudine concuti, verumetiam Virgines ceteræ ipſius imitatione eadem mœſtitia, eademque tangi pietate conſpiciebantur. Porro ipſa Chriſti vitam ſacraſque repetens actiones, ſingulas ſocias commonefacere, commemorare pios beatiſſimæ Mariæ labores, inopiam, exilium, perſecutiones, ærumnas. Sepe deinde dicebat, Dei ancillas non metu pœnarum, non ſpe præmiorum compulſas, ſed ſolo Chriſti amore allectas, honeſtis operibus incumbere, laborem, inopiam, inediam, algorem, vigilias, & cetera incommoda debere tolerare, atque etiamſi nulli eſſent inferorum cruciatus, nulla meritis propoſita præmia, eadem nihilominus propter ipſam Dei bonitatem, & ad majorem ejus gloriam eſſe facienda. Ad hæc libellum quemdam pro majori Virginum inſtructione ſcribere propoſuit, ſed inter ſcribendum plures moleſtias Satan intulit, morſuque digitum intorſit.

Diſcipulas ad benefaciendum excitat.

XXXII. Difficile ſane foret enarrare, quanta fuerit Euſtochii ſanctimonia, quanta erga diſcipulas & ſocias benevolentia, quanta in converſatione ſuavitas, quanta loquentis auctoritas; quam melliflua facundia, quam placidi mores, quam rectitudinis & honeſtatis circumſpectio. Virtutibus & ſanctitati comprobandis non defuere miracula, etſi illa etiam ego pro magnis habeam miraculis, laſciviam ſubjugatam, primatum, connubia repulſa, opes ampliſſimas contemptas, venerabile Virginum collegium ab ea mirabiliter inchoatum, & ſanctiſſimis regulis firmiter inſtitutum. At præter hæc memoratur, linteoli quo lacrymas tergebat, ablutione hydropicam, deinde leproſam alteram, tertio hectica ſebri laborantem ſanatas, alioſque curatos. Dæmoniacam ad ſe allatam liberavit; arcam ingentem ne madefieret aquæ ſtillicidio, juſſam removeri, quod multæ Sorores non poterant, una manu abſque ulla præſtitit difficultate. Monacham lapſu in parietem illiſo capite obtuſam, ſigno crucis erexit, aliam lethali pleuryſi laborantem liberavit, nec ſecus aliam caſu tabula in capite percuſſam. Aliud adjungo miraculum non tam ab ipſa, quam in ipſa patratum. Puſtulæ in manu exortæ, quam a chyrurgo ſecari oportuit, trimeſtri dolore vexata, a ſancto Franciſco ſibi in oratione comparente, repente ſanata eſt.

Multa patrat miracula.

XXXIII. Pluribus præſagiis ac viſionibus futura quædam prænunciavit. Vidit in ſomnis vineam a ſe plantatam, virentem, & in ea vitem frondium expertem fructificaſſe. Id præſagium fuit rei poſtea ſecutæ, nam mulier quædam

Futura prænunciat.

dam *Gratia* nomine, ex familia Spatafororum, Cœnobium ingreſſa illud Inſtitutum ſuſceptura, paulo poſt animam Deo ſanctiſſime reddidit. Sororis Veneræ a pleriſque commendatæ, ſimulatam vidit in ſpiritu pietatem, & reprehendit. Cum peſtis univerſa urbis Cœnobia occupaſſet, Euſtochio pro ſuis oranti, & in extaſi poſitæ Chriſtus dixiſſe viſus eſt, ne Virgines ad veram patriam tranſire prohiberet: Inde mors ſagittis onuſta ei aſtare viſa, quas cum jacularetur, ab ea pleræque retinebantur, ne ferirent. Viſionis ſignificatum eventus aperuit; nam ſervente per urbem totam peſtilentia, hujus Collegii ſexagenarii, ſexdecim dumtaxat ſunt deſideratæ.

Erga ſacram Euchariſtiam reverentia.

XXXIV. Ad ipſam etiam Euſtochium contagio iſta pervenit: nam uno fabrorum Cœnobium conſtruentium, epidemia quæ urbem alias invaſerat, ſecreto infecto, ad Euſtochium, quæ fabricæ præerat, malum tranſmiſit, ſed glandula in gutture nata, certiſſimo lethalis morbi ſigno, illa rogavit protinus ſacram ſibi afferri Euchariſtiam, qua ſumpta, evanuit glandula, ſubitoque convaluit. Et quidem erga ſacratiſſimum hunc panem Angelorum mirando ferebatur affectu; eum crebro, ſed digne & reverenter ſuſcipiebat, numquam tamen ſine lacrymis, eoque fervore & animæ ſalutari lætitia, ut ex vultu flammei prodirent radii, & ex veſtibus odor prodiret ſuaviſſimus. Semel morbo laboranti, cœleſti manu ſacra porrecta eſt Euchariſtia. Quoties ægrotabat, hoc ſumebat ſalutis pharmachum, atque hoc ſolo multoties morbum fugabat. Franciſcæ ſororis mortem prævidiſſe ſuperius diximus, ſed & Petronillam ex Familia Saccanorum multa circa vitæ aſperitatem vires ſuperantia, ferre pollicentem, atque ut ferret, licentiam expoſtulantem, fallaciæ arguit, viſa dæmonum turba, qui per cœnaculi feneſtras capitis manumque geſtu eam deridebant. Virginem crebro Euchariſtiam ſumere cupientem monuit, ut potius abſtineret: alteram quæ ſe indignam putabat, viſa beatiſſima Virgine Maria, candidam illam veſtem parante, uti dignam commendavit.

Anno 1484. n. 43.

XXXV. Mirum illud ſane miraculum. Barbara Virgo hydropica animam agens, paratis ad funus neceſſariis, tacta Euſtochii veſte, velut altera Hemorroiſſa, protinus a morbo convaluit. Neque illud contemnendum prodigium, quod panes quinque, ut ſatis eſſent quadraginta Virginibus, effecit. Per locum obſcurum tranſiens, duabus videntibus Sororibus, totum reddidit luminoſum. Anno antequam e vita diſcederet, dum ægrotaret, dæmonem vidit flammas evomentem, id ipſa Virginibus, cur ſe crebro cruce ſignaret, mirantibus teſtata. Cum ambigeret, utrum magnæ illæ veniæ, ſeu Indulgentiæ in feſto beatæ Mariæ Angelorum, vulgo *Portiunculæ* apud Aſſiſium, a Deo ſancti Franciſci interceſſione conceſſæ, defunctis prodeſſent, viſione animarum inter ciſternas, fornaces, feneſtrataque habitacula flebili voce auxilium implorantium certior effecta eſt, ex vivornm ſuffragiis eas poſſe juvari. Scire deſideranti, acceptus ne eſſet labor ejus conditi Monaſterii, Angelus apparuit, qui defunctas & viventes in conſpectu poſuit, & merita ſingularum, Deoque ſummopere opus placuiſſe, teſtatus eſt.

Illius mortis præſagia.

XXXVI. Multa porro vidit, quæ mortem ſuam, quaſi præſagia præceſſerunt. Matrem cum ſorore, multamque ſibi adſtare turbam, ipſa conſpexit, ſeque in earum numerum receptam, & mox a Virginum collegio ſe excepiſſe. Item lampadem fulgidam, coram crucifixi Salvatoris imagine pendentem, ſubito ac tremulento motu concuſſam, cecidiſſe. Nocte quadam cellam ſuam ſolari ſplendore plenam; beatæ Mariæ imaginem ſibi occurrentem & blandientem; figuram Angeli in pariete pictam, aquam ſudaſſe.

Cla-

Clara ex Familia de Pacti Angelum vidit, funale accenſum Euſtochio præferentem. Paula ipſius neptis, ſacerdotem venerandum & pium narraſſe, ſe Euſtochium inter duos Minoritas ſpinis coronatam, cum ad Euchariſtiam ſuſcipiendam aſtaret, conſpexiſſe. Salutationem, quam Andreas Apoſtolus, dum ad Crucem duceretur, protuliſſe fertur, quotidie quoad vixit, repetere conſueverat: quæ verba dum inter cœnandum legi audiret, tremore ſubito ac pallore defecit, multoque deinde vomitu vexata, cum quinque dies orando abſumpſiſſet, collectis ſonitu nolæ in concionem Virginibus, commendare cœpit vigilantiam, manſuetudinem, religionem, monere nt eſſent paratæ, eaque ultima eſſe præcepta, quæ a ſe, tamquam morientis teſtamentum, ſperarent; ſuas ſe res deinceps acturam. Poſthæc ſigno crucis proſpera imprecata, triſtem cœtum dimiſit. Solebat diebus feſtivis Salutationem Angelicam millies repetere, quam etiam conſuetudinem infirma retinuit; cumque ſemel numerum non expleſſet, viſione ſemiconſumpti cerei monita, deinceps etiam decumbens cœpit explere.

Moritura inſtruit Sorores.

XXXVII. Cum precibus inſtaret coram Euchariſtia, ſubito tremore correpta, in lectum moribunda rediit. Ubi in extremis laborans, viſa eſt ſibi ab ornata muliere annulum accipere, gemma adeo relucente, ut illuſtraret inde Monaſterium: mox gemma pariter cum ſulgore, ſuperveniente caligine, ab omnium conſpectu ſubtrahitur. Certa propinqui jam obitus ſigna cum aſſidentibus ei Virginibus apparerent, Jacoba Pollicina, quæ collegio præerat, cur ſe desereret, quæſivit: nihil prælocuta Euſtochium, omnia, quæ opus eſſent, ſe jam dixiſſe reſpondit, ac rurſum Chriſti paſſionis myſteria meditanda, Chriſti mores imitandos, Chriſtum crucifixum patrem Magiſtrumque illis propoſuit; ab eo ſe inſtructam, ab eo ſe miſericordiam & ſolamen conſecutam; eo duce numquam errari poſſe, miro ſpiritus fervore per horam integram edocuit.

Infirmatur ad mortem.

XXXVIII. Poſtridie gravius ægrotavit, deinde a ſecunda ad quintam uſque noctis horam ſupplicans, gratias agere Chriſto Jeſu, ac Virgini Mariæ, uti quotidie conſueverat, quibus in nominibus proferendis, capitis quo poterat nutu, reverentiam teſtabatur. Ad horam octavam aliquanto melius cœpit habere. Subſequenti die, ingraveſcente languore, loquelam amiſit. Virgines circumſtantes animam ſolito more Deo commendare, thus adolere, Euchariſtiam afferre: illa motis tantum citra vocem labiis aliquamdiu ſteterat; deide ſermone recuperato, reviviſcens, Sacramentum ſumpſit, mox per aliqnot dies aliquantum convaluit, Medicis ei cibum dare jubentibus. Supra jacentis lectum viſa ſtella ſplendidiſſima, quæ ipſam languentem coloratiorem roſeo vultu, oculiſque reddidit ſplendentibus. Erat dies Januarii undecimus, qui Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani Martyrum præcedit feſtum, & Euſtochium Divæ Mariæ laudes ſibi juſſit decantari. Ea nocte cum tota ferme friguiſſet, fomentis calefieri noluit. Cum a circumſtantibus de gloria ſibi parata moneretur, nihil gloriæ a peccatrice ſperandum, reſpondit. Illuceſcente die, Davidicos cœpit verſiculos canere: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo: Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me feſtina*, & alios ſimiles ſubinde repetebat. Inſtante meridie cum revaluiſſet, formoſior viſa eſt: tunc ſocias reſpiciens, quaſi valedicens, inter brachia Petronillæ Virginis, nullo ſtrepitu, nulloque motu, ac ſi leniter obdormiſſet, hoc anno animam ſuo reddit Creatori, die Jovis, quo etiam nata eſt, ætatis anno quarto ſupra quinquageſimum.

Placide moritur.

XXXIX. In ejus morte hæc referuntur ſuæ ſanctitatis argumenta; quod candela bipalmaris ad caput agonizantis accenſa, horis ardens duodecim

Sanctitatis argumenta.

cim, in nihilo ſit imminuta, propterea reverenter aſſervata. Quod ſuper ædem illam ruralem D. Nicolai, in qua adoleſcens primam illam viderat caliginem, & ſpiritum imbuit pietatis, columbarum pennis deargentatis & inauratis, mira multitudo viſa eſt longo circuitu volitare; quod avicula ſuper Monaſterii culmina tota obitus die cecinerit. Corpus autem ad ferreas crates Eccleſiæ expoſitum, populis conſpiciendum uſque ad Veſperam diei ſequentis, confluentibus innumeris ad ejus venerationem, tertio die, jubente Confeſſore, arcæ ligneæ incluſum eſt, ſuavem odorem emittens, colore immutato. Exactis ab obitu diebus quinque, auditus eſt ſonitus bis, ter, ſepulcrales tabulas pulſantis, idque ſemel atque iterum, deinde reſerato tumulo, qualis condita fuerat, inventa eſt rivos cruoris e naribus miſiſſe, deinde dies decem ſudaſſe, mox in aliud ſepulcrum translatum rurſum maduiſſe. Ea mirabilis ſudoris vis, ut linteola eo madefacta plerique valetudinarii ſibi ſenſerint ſalutaria. Paula ejus neptis aliquando ab ea vocata, ad ejus ſepulcrum accurrit, ſonitumque audivit intra tabulas ſepulcrales, ſæpe etiam ſuaviſſimum ex arca odorem ſenſit emanare, quem & in hunc diem multi percipiunt, præſertim in odæo. Succedentibus annis, pluries exſudaſſe corpus compertum eſt ea quantitate, ut multæ ex ea ampullæ, atque aliæ ex ſanguine e naribus profluente fuerint repletæ. Crinium reliquiæ, unguium ſegmenta, & veſtium particulæ multis ſanitatem contulerunt. Lethales morbi oleo effugati, ſudoris guttis leproſi mundati, narium cruore viſus puellæ reſtitutus, a pleriſque expulſa dæmonia.

Cadaveris mirabiles operationes.

XL. Longum quidem eſſet recenſere miracula, quibus Euſtochii ſanctitas poſt mortem innotuit. Qui plura diſtincte & largius recenſita legere voluerit, conſulat Euſtochii vitam a Cæſare Lanza, Equite Meſſanenſi ſcriptam, ea in urbe anno MDCXX. excuſam. Perpetua quidem bina illa reputo miracula; quod integro, pulchro, odorifero, molli, aſpectui gratiſſimo, in diem hunc perſiſtat corpore; & quod pulſata ſenſibiliter arca, in qua jacet, perpetuo præmoneat aliquam ex Sororibus deceſſuram. Exploratum eſt, nullam eo loco obiiſſe, quin ſonitum hunc admirandum omnes præſentirent. Hujus prodigioſæ præmonitionis experimentum, quod nollet, in ſe probavit Leonora Oſoria, Siciliæ Pro-Regina, Joannis de Vega conthoralis, quæ Monaſterium ingreſſa anno MDL. ad loculum orans, pulſari interius audivit & expavit; paulo poſt Panormum profecta, ex hac vita deceſſit. Poſtremo loco ingens ſuo Monaſterio præſtitum refero beneficium. Cum enim anno MDLXXX. noctu in lignorum reconditorio ortum eſſet incendium, ex quo facile ad univerſum transfundi poſſet Cœnobium, Euſtochium manifeſte apparuit Virgini Catarinæ a Scala, & a ſomno exſuſcitatam juſſit, ut tanto malo mederetur.

Corpus pulchrũ & integrum.

Pulſata area præmonet ſororum deceſſum.

XLI. Hæc habui, quæ de mirandæ quidem Virginis vita & geſtis enarrarem. Multi ejus vitam ſcripſerunt. Ejus individua comes Jacoba Pollicina, Monaſterii Euſtochiani Abbatiſſa, de qua ſupra diximus, per Epiſtolam, & inconditam diffuſamque opellam, Cæciliam Peruſinam Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginatis Abbatiſſam admonuit vitæ & mortis Euſtochii. Opellam nunc beatæ Euſtochii legendam appellant. Eam exſcripſit Felicitas Peruſina, Monialis Monaſterii Montis Lucis prope Peruſium, ubi hæc monumenta, inde ad me tranſmiſſa, conſervantur. Latine primus vitam ſcripſit Marianus Florentinus; ſecundus, ſed omnium potiſſimus, Franciſcus Maurolicus, Abbas Meſſanenſis, vir in omni ſcientiarum genere præclarus, anno MDXLIII. rogatus ab Antonella Marchiſia Monaſterii Euſtochiani Abbatiſſa, & ſanctitatis Virgineæ fama excitatus. Marianum ſecuti ſunt Marcus

Quinam ejus vitam ſcripſerunt?

Hoc anno n.17.

cus Ulyſſiponenſis, Petrus Rodulphus; iſtos Abrahamus Bzovius, Bartholomæus Cimarella. Maurolicum exſcripſit & Italice interpretatus eſt Lanza citatus, in quibuſdam Maurolico diffuſior. Placuit præ reliquis Maurolicum ſeligere, quippe qui Meſſanæ a fide dignis auctoribus vel ſcripta, vel relata, *ambagibus*, inquit, *omiſſis*, docte conſcripſit, reliqui craſſos habent errores. Maurolius, Bonſilius & Lanza ejus mortem hoc anno conſtituunt. Anno MCCCCLXXXIV. obiiſſe Euſtochium ſcribunt Marcus & Cimarella; anno MCCCCLXXXVI. Marianus & Rodulphus; idque indicant probabilius legenda & Epiſtola ſociæ Jacobæ, etſi illa neutri annum ſubſcripſerit. Acta filiæ & genitricis, ſed & ipſa nomina confundit Rodulphus. Circa patriam & parentes alii deſipiunt. Ex anno hoc, quem ſtatuit Mauroliçus ejus deceſſus & ætatis, deducimus natam fuiſſe anno MCCCCXXXVI. Monaſterium Baſicanum ingreſſam anno MCCCCXLIX. quippe quæ tunc ad tertium decimum pervenit ætatis; bullam primam fundandi Monaſterium reſtitutæ diſciplinæ matri & ſorori a Calixto III. non a Pio II. ut conjiciebat Maurolicus, conceſſam anno MCCCCLVII. ſecundam anno ſequenti; ad iſtud tranſmigraſſe Euſtochium anno MCCCCLX. anno ætatis XXIV. poſtquam in Baſicano Monaſterio annos undecim tranſegit. Anno MCCCCLXIV. ex novello & incommodo habitaculo tranſmigratum eſt ad ædes Bartholomæi Anſalonis, quæ tamdem anno MCCCCLXXVIII. in commodum & amplum Monaſterium ſub titulo Montis Virginum adaptatæ ſunt. Ædificium auxit, uti ſuperius narravimus, Henricus Enriquius Hiſpaniæ Architalaſſus.

Quo anno mortua?

Vide Maurol. lib. 6. rer. Sicanic. in fine. Ann. 1478. n. 65.

XLII. Moritur hoc anno Vitalis a Baſtiæ inſula, prope Aſſiſium, Tertii Ordinis, vir auſteræ vitæ & miræ pœnitentiæ. Paupertatis rigidus ſectator, tunicam & habitum geſtabat ſegmentitium, nudis pedibus ſemper incedens. Ad eremitorium beatæ Mariæ de Viola P. M. ab Aſſiſio ſecedens, vitam agebat ſolitariam, jejuniis, orationibus, vigiliis intentus. Ne vinceretur a ſomno, ſolebat cæſariem prominentem ſupraposito ligno intexere, aliiſque modis ſoporem repellere. Populo venerandus, miraculis clarus, ibidem lapideo conditus eſt ſepulcro. Propter crebra quæ præſtabat ſupplicibus beneficia, magna ſolemnitate translatum eſt corpus ejus anno MDXCIX. Aſſiſium, & honorifice conditum in Eccleſia Cathedrali.

Moritur Vitalis a Baſtia. *Marc. lib. 7. cap. 17.*

XLIII. Ejuſdem Inſtituti Demetrius Albanus vixit in MonteLuco prope Spoletum annis quinquaginta, frequenter & importune afflictatus a dæmone, præſertim tempore nocturno. A. B. Maria Virgine conſolatus aliquando & viſitatus, multa patravit miracula. Circa hunc annum defunctus, ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Pauli Fratrum Obſervantum haud longe a Montis radice.

Et Fr. Demetrius Albanus.

XLIV. Ad Bernardinum Feltrenſem, quem Patavii anno præterito reliquimus, libenter redimus, mirabiles ejus diſcurſus & peregrinationes proſecuturi. Illic prædicavit aſsidue & fructuoſe uſque ad Septuageſimam, quo tempore Bononiam oportebat proficiſci. Patavini nihil non fecerunt, ut apud ſe retinerent. Pontificem, Vicarium Generalem, Cardinalem Protectorem rogarunt, ut Quadrageſimales conciones apud ſe habere liceret, demum ad ipſos Bononienſes, quibus a Pontifice deſtinatus erat pro illo tempore concionator, converſi, id ipſum precati impetrare non potuerunt. Cimba igitur Ferrariam vectus, inde abiit Francolinum, hinc rigido cœlo, itinere moleſto Bononiam pervenit. In Epiſcopio hoſpitatus, juſſu Juliani ſupradicti Cardinalis Oſtienſis Bononienſis Epiſcopi, reverenter habitus eſt, toto accurrente populo, ut concionantem audiret. Sæpe accedebat urbis Primicerius Joannes Bentivolus, ſemperque audiebat in pedes ere-

Legenda MSS. Cimarel. lib. 6. cap. 47.

Bernard. Feltren. Patavio Bononiam proficiſcitur.

erectus. Aliquando corde compunctus recogitabat, quot mala pleriſque intulerit, quam tyrannice ipſe & progenitores nobilem populum depreſſerint, quam miſere pater avuſque perierint, ſibique proinde merito timendum a Divina vindicta. Hæc aliquando Gineuræ conjugi, Bernardini virtutis & doctrinæ admiratrici ſæpe mœſtus explicabat; illa porro nullum præteribat ſermonem, cui non attentiſsime intereſſet.

Invehitur in Judæorum uſuras & fautores.

XLV. Illud vero Bernardino maxime in Bentivolo diſplicebat, quod Hebræorum ſuſceperit patrocinium, eorumque opera familiariter uteretur. Contra hos, uti ſolebat, ubique invectus, uſuris modum poni, eorum converſationem vitari, fraudes & injurias Chriſtianis illatas vindicari rogabat, ſed fruſtra, ſuperante quorumdam potentia, quos de mammona iniquitatis illi adſciverunt patronos. Contra meretricium, blaſphemiam, vitia capitalia, filiorum erga parentes ingratitudinem potenter ratiocinatus, mirum in modum depravatos mores correxit, multamque induxit erga ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum reverentiam, cujus publicum cultum ſtatutis legibus, inſtitutis Miniſtris, Cherubinus Spoletanus jam pridem ſtabilivit. Sub Quadrageſimæ finem Vulcano tradidit innumera & varia peccandi inſtrumenta & incentiva, atque inter hæc, imagines & picturas pulcherrimas, ſed laſcivas, quæ pudicos oculos offendebant. Ultima concione ad ſancti Petronii Templum habita, juſtitiam, quibus potuit laudibus extulit, ejuſque corruptores acriter reprehendit, dicens nullum aliud eſſe Reipublicæ fulcimentum.

Mutinæ concionatur.

XLVI. Juſſus Placentiam proficiſci, Mutinæ in tranſitu prædicavit in publica ſupplicatione totius populi & cleri pluviam deprecantis, perſuaſitque, ſi imbrem vellent, ut pœniterent. Ut abſolvit concionem, omnes Dei miſericordiam cum lacrymis invocarunt, & nocte illa abundantiſſime deſcendit aqua de cœlo, beneficium hoc attribuente populo meritis Bernardini.

Carpi, Regii, Parmæ.

Carpienſibus, rogante Principe Alberto Pio, ſemel, & Reginis bis prædicavit. Parmæ moram traxit diebus novem, fraudeſque retexit quorumdam impoſtorum, qui Bullas falſas oſtentantes, criminum omnium remiſſionem pecunia venditabant. Pecunias itaque in pios uſus convertit, nebuloneſque fecit in rem malam abire. Rogatus a Comite Jacobo Sanvitale, abiit in oppidum Fontanellæ, ubi bis concionatus, inde etiam profligavit prædictorum ſimulatorum reliquias.

Fontanellæ. Placentiæ.

Prope Placentiam Xenodochium ſancti Lazari ingreſſus, infirmos ſingulos inviſit, piiſque hortationibus ad morbi tolerantiam excitavit. In eam urbem omnium jubilo exceptus, Montem Pietatis, quem ſuperius diximus erexiſſe, amplius ſtabilivit, multiſque auxit donariis, quæ illius ſuaſu ſtatutis diebus afferebant ſinguli ordines artificum, mercatorum, doctorum, nobilium & Eccleſiaſticorum.

An. 1490. n. 19.

Reverii.

Per flumen dilapſus Reverium, in feſto ſolemnitatis Corporis Chriſti ſermonem habuit doctiſſimum de admirabili Divini amoris inventione, qua ſe in cœlos aſcenſurum, hominibus perſonaliter fruendum reliquit.

Patavii.

XLVII. Patavii Dominica ſecunda poſt Pentecoſten prædicavit in domo Conſulari, & ſequentibus diebus in Eccleſia Cathedrali. Die ſancti Antonii, Patavinis ſolemniſſimo, concionatus eſt in ampliſſima platea multis hominum millibus, qui ad ſanctiſſimi urbis Patroni cultum convenerant. Toto æſtivo tempore miniſterium hoc proſecutus, undique confluebant auditores, multique ex Vincentina Civitate domos illic conduxerant, quamdiu Bernardino illic placeret concionari. Illud ſane mirum, quod quo magis audiebatur, eo magis magiſque placebat, & Divinus ſpiritus ampliori chariſmate per os ejus quotidie loqui videretur. Eouſque ejus crevit illic opi-

opinio ſanctitatis, ut cum ad ſancti Franciſci ædem, magno comprimente populo, rediret, pars ampla veſtis ejus abſciſſa ſit, & ipſe furtim dilapſus ſit ad ſanctæ Urſulæ Cœnobiolum, ut domus illa tamdem tanto populo liberaretur. Illic demum Montem Pietatis prius a Senatu Veneto approbatum & admiſſum, impenſius, favente Petro Barocio Epiſcopo, erexit magna ex oblationibus congregata pecunia.

Ubi Monté Pietatis inſtituit.

XLVIII. Hujus in ſe collati beneficii, perpetuam retinent Patavini memoriam, idque non immerito per ſuas celebrant hiſtorias. Angelus Portinarius, & Bernardinus Scardeonius illius gentis hiſtorici diffuſe rem iſtam proſequuntur. Primus ſcripſit Italice, Scardeonius latine, ex quo hiſtoriam tranſcribo. In illa perſpicere licebit Montis originem, qualitatem, publicum commodum, & admirabile incrementum: *Mons Piecatis erectus eſt anno* MCCCCXCI. *ſuadente beato Bernardino Tomitano Feltrenſi, ex ſacra familia Minoritarum, eximio concionatore, & viro nominis celebritate, doctrinæ præſtantia, ac vitæ ſanctitate cunctis probato, fovore & ope Petri Barocii Veneti, Epiſcopi Patavini, haud minoris ſanctitatis ac pietatis viri. Qui quidem Mons ad hunc diem auſpiciis populi Patavini, adeo cumulate adauctus eſt, ut triginta octo aureorum millium nummum ſummam tranſcendat, præter magnam pecuniarum quantitatem, quæ ibi vel ſponte a civibus, vel in ſequeſtris a privatis hominibus quotidie reponuntur. Hujuſmodi autem pecuniæ dantur mutuo indigentibus, ſub quocumque pignore. Verum pro fœnore, quod Judæi pro unoquoque centenario viginti annuatim exigebant, Mons Pietatis quinque tantummodo exigit, & id pro ſolvenda miniſtris & operariis mercede, & pro expenſis aliis, quæ annuatim in ea re fiunt, ne quando ex ea impenſa peculii ſumma, quæ reperitur in ſorte, paulatim ex ea mercede deficiat. Hæc autem merces non exigitur niſi pro pignoribus ultra* XXX. *ſolidos: nam citra* XXX. *datur mutuum poſcentibus gratis. Id vero reſidui, quod præter operariorum impenſam ultra ſortem ſupereſt, totum in pauperes & in pias cauſas erogatur. Partim vero pro locandis in matrimonium virginibus Civitatis, inter ſodalitia artificum quotannis ſorte ductis: partim orphanis, & Monaſteriis Mendicantium, quatenus ex eo lucro fœneratitio, ſi ſic debet dici, nihil prorſus succreſcit ſorti. Creſcit autem in dies ſors ex oblationibus piis, quæ ſingulis annis, collatione facta per nobiles cives, & per omnia ſodalitia tam ſpiritualia, quam ſecularia in Paſchate publice fiunt. Quod ſane augmentum fere quotannis ad* CCCC. *aureorum ſummam conſcendit. Summa autem expenſarum in cuſtodibus, notariis, aſſidentibus, cenſoribus, magiſtris, & aliis ejuſdem negotiorum miniſtris, ter mille & quingentos aureos complet. Relegatæ ac penitus rejectæ ob id pie factum Patavio* XXII. *menſæ fœneratoriæ Judæorum; quæ eiſdem ex uſuris illicitis annuatim auferebant pluſquam viginti aureorum millia. Indicta eſt inſuper gravis mulcta, ſi quis eorum amplius ſub uſuris cuipiam fœneretur: quod decretum uſque in hodiernum diem feliciter ſtetit, & in poſterum, ut ſpero, ſtabit. Ærarium autem univerſale habetur ſub maxima cuſtodia in loco tutiſſimo juxta Prætorium. Ædes vero ſeptem ſporſæ ſunt in media urbe, ubi erogantur ubique pecuniæ, & pignora ſervantur: quas ſingulas, ſinguli nobiles annuatim cum ſua familia inhabitant. In eo tamen cavetur diligenter, ne quis ad id muneris aſſumatur, niſi idoneos prius fidejuſſores præbuerit, in omnem eventum malum reddendæ per eos omnimodæ talionis.*

Portin. l. 5. c. 12. Scardeon. lib. 2. claſſe 5. fol. 99.

XLIX. Illic etiam ab eo inſtitutam Confraternitatem diſciplinantium alba veſte incedentium, a nomine Jeſu nuncupatam, aſſerit Portinarius, ſed dum annum aſſignat MCCCCXXIII. vel fatendum eſt errorem in numeros

Portin. l. 9. c. 44.

irrepſiſſe, vel Bernardini Senenſis potius partum hunc eſſe; neque enim Tomitanus adhuc ſub illum annum prodierat in lucem. Sive hujus ſive illius fuerit opus, Feltrenſem pro viro vere Apoſtolico venerati, quocumque ibat, turmatim ſequebantur Patavini, ſed diſceſſurum majori conatu & multitudine. Ille importunam & moleſtiſſimam turbam retinendi excogitatus eſt modus, ut egreſſo illo per portam Pontis Corvi, pons ſublicius elevaretur, atque ita deluſa eſt pietas tam numeroſæ ſequelæ. Apud Plebem Sacei diebus quindecim hærens & prædicans, infinitos habuit ex villis & oppidis vicinis auditores, quorum etiam collatis eleemoſynis, ibidem Mons alter erectus eſt. Illuc pervenit miſſus a Senatoribus Venetis Guardianus ædis ſancti Jobi, rogatum ut ſequenti Quadrageſima apud eos prædicaret, eoque ſtatim vellet proficiſci clariſſimos viros ſalutaturus, a quorum conſpectu tot annis abſuerat. Non tantum ſibi licere, neque audere dixit, ad nobiliſſimam accedere Civitatem abſque Superiorum licentia, maxime ubi timeri poſſit, ne permitteretur regreſſus.

Ad Plebem aliũ inſtituit.

Invitatur a Venetis.

Jubetur Patavinis prædicare.

L. Paulo poſt diploma recepit Pontificium ab Epiſcopo Tarviſino, Sedis Apoſtolicæ Legato, a Patavinis impetratum, ut ſibi beneficium iſtud præſtaret. Supervenit etiam Vicarii Generalis, necnon Juliani Cardinalis præceptum, ut Patavinorum votis ſatisfaceret. Tot præceptis repugnare non licebat; decrevit tamen iter quod ſibi propoſuerat in Romandiolam proſequi, atque ibi, quod pleriſque Ravennatibus promiſerat, Dei verbum diſſeminare. Ea urbe, quæ vulgo Italo *Chiozza* vocatur, diebus quatuor in publico foro frequenti prædicavit auditorio; ſed frequentiori Ravennæ, ubi mirabili fructu aperto in campo plerumque prædicabat. Montem Pietatis cœpit commendare, & Hebræorum condemnare uſuras, tamdemque, etſi frementibus Judæis, multaſque ſpargentibus calumnias, obtentoque in ſuum favorem Senatusconſulto Veneto, quaſi Bernardinus univerſam commoveret & turbaret Civitatem, Archiepiſcopo, qui primus pinguem dedit oblationem, Gubernatore & Conſulibus aſſentientibus, Montem inſtituit.

Ravennæ Montem erigit Pietatis.

Rub. lib. 7. ad hunc annum.

LI. Hujus beneficii meminit Hieronymus Rubeus in ſua hiſtoria Ravennati, cujus verba huc transcribo: *Per id tempus*, inquit, *Bernardinus Feltrenſis Franciſcanus per omnem Italiam agendo & docendo, tum myſteria ſapientiæ Divinæ ſumma eloquentia pateſaciens, tum homines ad impuritatem animorum ſuorum vere cognoſcendam, illamque ex animo deteſtandam, & cultum & venerationem Dei ampleƈtendam adducens, Ravennæ ſæpius id prædicavit: cumque ob populi frequentiam templa minus ſufficerent, in foro, ſumma vocis, quæ ad aures omnium integra pertingebat, felicitate concionabatur; e concione autem per occultos vicos, homines vitans, qui ex ejus, perinde ac viri ſanƈti, veſtimentis aliquid abſtrahere ſemper conſueverant, domum redibat. Ejus impulſu & concionibus Judæi fœneratores urbe Ravenna haud ita diu poſt ejiciuntur, & interea certæ pecuniæ & fundi, hominum piorum erogationibus, & Phyliaſii præſertim Rovarellæ Archiepiſcopi, qui multam numeravit pecuniam, coaƈti ſunt, ex quorum proventibus, oppigneratis egentium bonis, pecunia traderetur. Montem Pietatis appellant, quem adhuc non abſque pauperum civium utilitate, ægre licet, extare conſpicimus. Fuit is annus* MCCCCXCI. *Proximo anno ineunte, Ravennates concionibus incitati D. Bernardini Feltrini, ita uti ſupra diƈtum eſt, cum e Monte Pietatis jam excitato, magna ad egentes manaret utilitas, per Joannem Baptiſtam Spretum Juriſconſultum, & Ghelſum Tizonum Medicum, omnes a Patribus Venetis petiere, ut Ravenna ejicerentur Judæi, aut ſaltem ne fœnerari pecuniam amplius illis fas eſſet. Veneti auditis etiam,*

qui

qui accurrerant Judæis, decrevere ne fœnerarentur, & eorum ſynagoga, quæ loco celebri, & prope maximam ædem erat, deſtrueretur, quod per litteras Marco Bragadino VI. Kal. Aprilis ſcriptas, Auguſtinus Barbadicus Dux, conficiendum mandavit.

LII. Alia præſtitit Ravennatibus beneficia;majorem induxit venerabilis Euchariſtiæ reverentiam, teneriorem erga pauperes commiſerationem,frequentiorem ad Eccleſias acceſſum, ampliorem per omnia pietatem. Meretrices a privatis ædibus, ab occultis diverticulis, in publicum cogi lupanar, juvenibus comptam & promiſſam interdici cæſariem, pernicioſos profuſoſque ludos, libros laſcivos & impios prohiberi,ingenti dicendi virtute impetravit. Id enim familiare erat, ut cum in vitia diceret, non dicere, ſed tonare, non concionari, ſed fulminare videretur. Dabat quidem Deus voci ejus vocem virtutis, neque verbum ejus ad eum vacuum redibat. Diſceſſurus, ingentem ſtruem coacervavit tabularum, cartarum, alearum, mundorum muliebrium, aliorumque peccati fomentorum, magnoque populi tripudio, ſubjectis flammis incendit. Eoſdem ipſos fructus pietatis,& reſtsuratæ rei pecuniariæ perceperunt Faventini ex Bernardini adventu & doctrina, impiumque Medicum Hebræum Lazarum, toti urbi auctoritate, pecunia & doctrina dominantem, ut expellerent, effecit. Compertum eſt, eum ſolum Hebræum plures facultates ex pauperum ſanguine domi condidiſſe, quam omnes totius urbis repoſuerunt mercatores. Pauperibus, quos majori captandæ benevolentiæ gratis curabat, Chriſti Domini Genitriciſque Mariæ nomina invocare prohibebat, et ſi cujuſquam præter Dei ſolius opem implorabant, medicari nolebat.

Multa Ravennatibus præſtat beneficia.

Alia Faventinis.

LIII. Urbe in armigeras diviſa factiones, quotidie adverſus inimicitias dicebat, & occulto numine duriſſima corda molliebat. Quamplures, qui per annos multos ferales erant hoſtes, ut depoſitis odiis, dimiſſiſque injuriis pacificarentur, induxit, adeo ut in aliorum exemplum in concionis medio exurgerent, & mutuo complexu oſculoque conjungerentur. Atque hinc tantum ſedandarum diſcordiarum ſtudium optimates cepit, ut quærerent, qui in rixis & factionibus eſſent? quibus ſi perſuadere non poterant, ad Patrem Bernardinum ſaltem ut altera pars accederet, inde alteram compellebant, ex quo, & Prædicatoris verbis ſeparatim utraque compoſita, ex intima inimicitia in veram amicitiam colligabantur. Erat autem ſenex, qui per annos multos induci non poterat, ut unici, bene inſtituti,ſibi obſequentiſſimi filii occiſori parcere voluiſſet, tametſi multi primarii cives illum obſecraverint. Demum Papinianus quidam J. U. D. eum aggreſſus, id tantum obtinuit, ut ſecum ad Prædicatorem accederet, qui licet ſemel & iterum reſtitiſſet, tamdem ſequenti die rationibus & precibus Bernardini, ſe illi in demortui filii locum offerentis, libere & cum lacrymis publice pepercit, accepta etiam filiationis commutatione. Qui adſtabant, cives hominemque odii tenaciſſimum cognoverant, flebant cum flente, & miræ congratulabantur mutationi. Ex fero inimico factus deinceps homo pacis, quoſcumque videbat vel audiebat diſcordes, concordare ſatagebat, vel ad Bernardinum ſimul cum Papiniano, ſuæ pacis auctore ducebat.

Inimicitias extinguit.

LIV. Inter alia,duo capita factionum de Valle Lamonis adduxit, quorum diſſidia, rixæ, cædes per annos multos omnibus erant manifeſta. Unum altero ſeverius, rigidæque naturæ ſe in æternum non parciturum ruſtice aſpereque dicebat,& Bernardino pacem ſuadenti reſpondebat: *Non poſſum: annis centum odia aſpera exercemus,multum ſanguinis mei hoſtes effuderunt, conſanguineos occiderunt, contendis ut parcam? non faciam, tempus inaniter*

conſumis. At Bernardino multa inimicitiæ & diſcordiæ damna, amicitiæ & pacis commoda enumerante, & pacis illo caduceatore dicente: *Ego etſi unicum, eumque obſequentiſſimum proditorie perdidi filium, tamen hujus piiſſimi viri, & pro Dei amore occiſori peperci, omnemque iram depoſui: tu propter cæſos conſanguineos id facere detrectas?* Tamdem cooperante Spiritu ſancto, ſenſit ſe intus commoveri, & cor emolliri. Permiſit ſe itaque ſancti Viri judicio, deinde non ſolum ipſe offenſas dimiſit, ſed & omnes cognatos, & ſuæ ſectæ viros, ut idipſum facerent, induxit. Irruentibus protinus utriuſque factionis viris in mutuos amplexus, mirabantur, qui adſtabant, & dicebant: *Dominus Angelum ſuum ad nos miſit, qui urbi pacem, toti regioni concordiam reſtituit*.

Judæorum fautores Dei ſentiunt vindictam.

LV. Verum ne abſque Dei digito hæc peracta putarentur, placuit illi miraculis ſui ſervi doctrinam comprobare. Illis etenim, qui Montis erectioni obſtarent, Judæo faverent, aut cum illo commercium haberent, damna, paupertatem, mortem, iramque Divinam comminatus, ſenſit nihilominus duram cujuſdam militis contradictionem in Montis erectione, ſed & ille ſenſit Divinam ultionem, paulo poſt crudeliter interemptus. Mercator alias locuples, qui pecunias a Judæo in fœnus & uſuram accipiebat, brevi ad ſummam inopiam redactus eſt. Agricola magnam copiam frumenti, ut ſereret, ab eodem extraxit, tempore frugum fœneraturus; dum vero pulchras metit ſpicas, granum rarum comperit, & minutum.

Pio artificio detinetur per octiduum Faventiæ.

LVI. Tempus advenerat Mediolanum juxta præceptum Vicarii Generalis abeundi, quod ubi cives intellexerunt, ſummis precibus rogarunt, ut diutius apud ipſos hæreret. Cum id impetrare non poſſent, pio uſus conſilio ſenex ille, quem diximus Bernardinum aſſumpſiſſe in patrem, ut filii occiſori veniam daret, animoſe acceſſit, dicens: *Tu mihi te tradidiſti in filium, ut filii interempti vindictam deponerem: talem te admiſi, & tu me in patrem coram univerſo populo ſuſcepiſti: patris ergo poteſtate tibi impero, ut ſaltem per octo dies hic permaneas, & populo tibi addictiſſimo benefacere non deſiſtas*. Videns Bernardinus boni ſenis cor ſincerum piamque fiduciam, ſubridens dixit ſe Patri ſuo obſecuturum. Triginta quatuor hic habuit conciones, plurimumque in populo gravi & turbulento, virtutis & pacis fructum produxit.

Mantuæ Montem Pietatis confirmat.

LVII. Tamdem itineri Mediolanenſi accinctus, e via Mantuam flectere oportuit, ut Montem Pietatis ante annos quatuor a ſe erectum, aliquorum incuria & inſcitia nutantem reſtabiliret. Acceptis porro multis oblationibus a matrona præſertim familiæ Fantinæ, Marchione & Senatu annuentibus, Montem in priſtinum ſtatum reductum in duplum adauxit. Sub

Franciſcus ſocius infirmatur.

diſceſſum incidit in febrem individuus peregrinationis ſocius Franciſcus, vir valde bonus, cui potiſſima pars hujus debetur narrationis, quem etſi ægre dimittebat, tamen iter a Superiore injunctum noluit amplius ſuſpendere. Fratri itaque germano Antonio, aliiſque impenſe commendatum reliquit,

Cremonæ prædicat. Et Mediolani.

& Cremonam profectus, concionibus duabus populum audire cupientem recreavit. Dominica vigeſima quarta poſt Pentecoſten cœpit Mediolani prædicare, ſalutato prius reverenter Archiepiſcopo, quem humili & religioſo obſequio ſuis Fratribus reconciliavit, alias iratum propter motam litem canonicæ portionis. In die Conceptionis Virgineæ multa præclare & ſolide de hoc dixit myſterio, ſedavitque turbas inde exortas, quod fidei Quæſitor quemdam doctrinæ piæ promotorem, ſed imprudentem ad ſuos carceres reduxerit. Ducem etiam induxit, ut Virgini poſſibilem licitumque omnem honorem in ſuo tuendo Conceptu Immaculato tribueret, gravique mul-

mulcta afficeret tantæ Virginis, cælitumque, ac ſummi Dei nomen blaſphemantes. Habito deinde ſermone de nominis Jeſu excellentia & virtute, oſtenſoque vexillo pulcherrima pictura hoc nomen exprimente, cum devotionem populi quidam religioſi viri impedire ſatagerent, amplius auxerunt; indignatus enim populus, privatim & publice ſacratiſſimum nomen depinxit.

LVIII. Paſſus eſt nihilominus aliquas calumnias, immerito traductus apud Ludovicum Sfortiam Ducem, quod populos turbaverit, ad inauditas res obducta pietatis larva excitaverit, eamque doctrinam inſtillaverit, quæ celeri indigebat remedio. Ludovicus hoc commotus ſuſurro, Viglevano ſcripſit, ut protinus eo ſe conferret. Male habuit nobiles & populum malignantium iniqua ſuggeſtio, & Principis importunum præceptum. Miſſis itaque litteris & nunciis impetrarunt, ne a concionibus impediretur uſque ad Epiphaniam. Severe contra Aſtrologos judiciarios cum inveheretur, quidam hujus profeſſionis vir, Ludovico Duci ſumme carus & familiaris, eum expoſtulavit injuriæ. Satisfecit ille productis ex Auguſtino, Gregorio, Ambroſio, aliiſque Doctoribus, apertis manifeſtiſque ſententiis, artis hujus condemnatoriis. Ad hæc cum Aſtrologus ſanctos fuiſſe fateretur, ſed ſublimis hujus ſcientiæ ignaros, continere ſe non potuit Bernardinus, quin iraſceretur, oſtenderetque, profundius & certius ſcientiam hanc iſtos penetraſſe, quam illos, qui inſulſe blatterantes, multa circa futurorum eventus temere prædicunt. Fallacem inſuper artem oſtendit ex ipſis, qui docuerunt Principibus, Albumaſario, Ptolomæo, & Alfarabio patenter oſtendit. Reliqua proſequemur anno ſequenti.

Traducitur apud Ducem.

LIX. Michael Aquenſis Provinciæ Januenſis, vir doctus, & Prædicator Apoſtolicus, inſtitutus Aſſiſii in Comitiis Generalibus an. MCCCCLXXXVIII. cujus ſæpe occurrit mentio in regeſto Ordinis, prædicavit anno præterito per totam Quadrageſimam in urbe Brixienſi, & tempore æſtivo in Veronenſi, ubi inter alios concionum fructus, illum pauperibus ſumme proficuum aſſecutus eſt, ut Mons Pietatis erigeretur eliminandis Hebræorum uſuris, quæ eouſque creverant, ut corraſis Chriſtianorum facultatibus, poſt paucos annos Judæos omnes toto dominio Veronenſi oportuerit ejicere. Pio huic Inſtituto egenis ſubveniendi per Italiam propagando, communi ſtudio, & indefeſſa cura Minoritæ, maxime qui de Obſervantia dicuntur, eo tempore intendebant, paucaſque invenire nunc licet Civitates, in quibus hujuſmodi pium ærarium ab illis excogitatum & fundatum non inveniatur. Porro Michael menſe Auguſti, impetrato aſſenſu Rectorum & Conſulum, inſtitutaque ſolemni ſupplicatione, die Dominica menſis XXIX. congregata ex oblationibus numeroſa pecunia, electis Miniſtris, pium opus complevit. Deinde inſtituta ſancti Bernardini religioſa Societate, cui nomina infra paucos dies dederunt pluſquam duodeviginti millia, & ante annum decurſum ultra ſeptuaginta millia Confratrum, inter alia pietatis opera illud injunxit, ut Montis in pauperum ſubſidium peculiarem curam ſubirent. Propter hæc & alia recepta ab optimo Viro beneficia, Veronenſes civem adſcripſerunt. Montis opus, & Confratrum ſtudium Pontifex hoc anno conceſſis indulgentiis confirmavit. Diploma hic exhibeo, diffuſiorem inſtituti Montis hiſtoriam dabunt Annales Veronenſes Hieronymi Corteſii.

Michael Aquenſis Montem Pietatis Veronæ inſtituit.

Corteſ. lib. 16.

Ad perpetuam rei memoriam.

LX. I*Ntenta ſalutis operibus Apoſtolicæ Sedis benignitas, de his continua ſollicitudine recogitat, per quæ ſuæ propitiationis auxilio, ſalus ipſa*

Ex lib. 126. regeſti Innoc. VIII. fol. 123.

ipſa mentis fidelibus deſiderata, ipſis facilius valeat provenire. Sane accepimus, quod in Civitate Veronenſi, de conſenſu dilectorum filiorum populi Civitatis ejuſdem, ac ſuadente dilecto filio Michaele de Aquis, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſore, ſuis verbi Dei prædicationibus, in dicta Civitate quidam Mons Pietatis nuncupatus, nuper extitit ordinatus, necnon quædam Confraternitas utriuſque ſexus fidelium Clericorum & Religioſorum & Laicorum, pro conſervatione ejuſdem Montis fuit laudabiliter inſtituta. Nos igitur cupientes, ut Confratres ipſius Confraternitatis conſervationi dicti Montis, ex cujus pecuniis pauperibus in eorum neceſſitatibus ſubvenitur, eo magis intendant, & ad illius manutentionem Chriſtifideles manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc animarum ſuarum ſalutem facilius valeant adipiſci, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, ut quilibet ipſorum Confratrum nunc exiſtentium, aliquem idoneum Presbyterum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis religioſum in ſuum poſſint eligere confeſſorem, qui vita ſibi comite, in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, præterquam offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, criminum hæreſis, rebellionis aut conſpirationis in perſonam vel ſtatum Romani Pontificis, ſeu Sedem Apoſtolicam, falſitatis litterarum Apoſtolicarum, ſupplicationum & commiſſionum, invaſionis, deprædationis vel occupationis, aut devaſtationis terrarum, & Maris Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectarum, offenſæ perſonalis in Epiſcopum vel alium Prælatum, prohibitionis devolutionis cauſarum ad Romanam Curiam, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ſemel dumtaxat in vita; in aliis vero quoties opportunum fuerit, confeſſione ſingulorum eorumdem diligenter audita, pro commiſſis ſibi debitam abſolutionem impendat, & injungat pœnitentiam ſalutarem, necnon vota quæcumque peregrinationis ultra Mare, liminum Apoſtolorum, ſancti Jacobi in Compoſtella, & caſtitatis & Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeat: Quodque confeſſor, quem quilibet ipſorum Confratrum duxerit eligendum, omnium peccatorum, de quibus corde contritus, & ore confeſſus fuerit, ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam remiſſionem eidem in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtenti, auctoritate Apoſtolica, concedere valeat: ſic tamen quod idem confeſſor, de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam taliter confitenti, per eum, ſi ſupervixerit, vel per alios, ſi forte tranſierit, faciendam injungat, quam confitens vel alii hujuſmodi facere teneantur in poſterum: quodque ſinguli Confratres prædicti, qui uniti ſunt, ſingulis diebus Quadrageſimæ viſitando duo vel tria Altaria Eccleſiarum locorum, in quibus eos morari contigerit, omnes & ſingulas indulgentias conſequantur, quas conſequerentur aut conſequi poſſent, ſi certas Eccleſias Urbis, pro Stationibus deputatis, diebus Quadrageſimæ hujuſmodi perſonaliter viſitarent: & ſi contingat eoſdem Confratres, aut eorum aliquem in locis Eccleſiæ interdictis ordinaria auctoritate ſuppoſitis, ab hac luce decedere, eorum corpora Eccleſiaſticæ ſepulturæ, abſque tamen aliqua ſolemnitate Eccleſiaſtica, tradi poſſint. Et ne, quod abſit, propter gratiam & remiſſionem prædictam præfati Confratres reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi a ſinceritate fidei, unitate Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, deficerent, aut ex confidentia ejuſdem conceſſionis vel remiſſionis, aliqua forſan committerent, præſentes litteræ, quoad remiſſionem hujuſmodi dumtaxat, eis nullatenus ſuffragentur. Non ob-

Illius erectioné Pontifex confirmat.

Et Confratribus Montis multas largitur indulgentias & gratias.

Digitized by Google

obſtantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. VIII. *Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno* VII.

Tom. 6. an. 1308. n. 75.

Monaſt ſanctæ Crucis Montisfalconis non ſemel mutavit inſtitutum.

Vide Piergil. in vita beatæ Claræ a Montef. par. 2. c.....

LXI. Spopondi alias me hoc anno acturum de controverſiis exortis in Monaſterio ſanctæ Crucis oppidi Montisfalconis, Ordinis ſancti Auguſtini, circa mutationem habitus, tranſeuntibus ferme omnibus Monialibus ad Inſtitutum ſanctæ Claræ Aſſiſiatis: id nunc perficiam. Varias paſſum eſt prædictum Monaſterium circa Regularem Obſervantiam, & diſciplinam Monaſticam viciſſitudines. Triginta annis poſt Claræ mortem, defunctis potioribus ejus diſcipulis, anno MCCCXXXVIII. eo uſque diſſoluta fuit diſciplina, ut Joannæ Ægidii Abbatiſſæ bona quæque ſuadenti, & abuſus prohibenti pauciſſimæ obſequerentur, variiſque proinde cenſuris fuerint irretitæ. Poſtea circa annum MCCCCXI. reductis ad parvulum numerum Sororibus, unitæ ſunt auctoritate Nicolai Epiſcopi Spoletani Moniales Benedictinæ Monaſterii ſanctorum Benedicti & Agnetis, ſiti prope villam Camiani, non longe a mœnibus oppidi Montisfalci, eo tamen pacto, ut Sorores ſanctæ Crucis, relicta Regula ſancti Auguſtini, profiterentur Benedictinam, quod nullo præſtiterunt negotio, allectæ ſuæ paupertatis ſubſidio annui proventus non contemnendi, quem novæ hoſpites advehebant. Orta tamen lite circa bona derelicti Monaſterii ſancti Benedicti, adjudicatiſque portionibus Eccleſiæ Cathedrali Spoletanæ, cœperunt Sorores ſanctæ Crucis pœnitere deſertæ Regulæ ſancti Auguſtini, & derelictum habitum reſumere. Inde producta contentione, elanguit rigor diſciplinæ, diminutoque numero ſub annum MCCCCLX. remanſerunt dumtaxat quinque Sorores.

Ex Auguſtiniano fit Benedictinum.

LXII. Berardus Herulus Epiſcopus Spoletanus, dolens ad eas anguſtias redactum Monaſterium, inſtituta Abbatiſſa Catarina Spoletana ſanctimoniale Monaſterii Spoletani, a Stella nuncupati, cui quodammodo Monaſterium univerat Montisfalcenſe, diſciplinam decoremque reſtituit ſub Regula & habitu ſancti Auguſtini. Receptis conſecutive ex Monaſterio Stellæ quinque Abbatiſſis, Montisfalcenſes excuſſo externarum jugo, nulla habita ratione legum ab Epiſcopo præſcriptarum, ex ſuo Collegio ſibi præfectam conſtituerunt Luciam Antonelli. Inde nova jurgia & turbæ continuæ, ac fluctuabundæ cogitationes circa aliud eligendum Inſtitutum, ſub quo religioſius & firmiori unione converſarentur. Tamdem itum eſt in Clariſſarum Regulam, exhortantibus vel ſaltem approbantibus Franciſcanis Regularis Obſervantiæ, qui earum confeſſiones excipiebant. Male hoc habuit Conſtantinum Herulum Epiſcopum Spoletanum, prædicti Berardi nepotem, accedenſque perſonaliter ad Monaſterium ſub ann. MCCCCLXXX. in menſe Novembris, poſt varias increpationes, frequenteſque congreſſus, invenit ex viginti tribus Sororibus novemdecim cum Abbatiſſa Lucia conſpiraſſe in Regulam ſanctæ Claræ Aſiſiatis, perſiſtentibus tribus dumtaxat Clara, Conſtantia, & Bartholomæa ſub Auguſtiniana; abſolutaque Lucia Abbatiſſa die XXVI. Novembris, ſubſtituit Vicario nomine Cæciliam Joannis, facta reliquis Sororibus facultate, quo vellent abeundi ad ſtrictiora Inſtituta. Soror Hilaria Hieronymi, nulla interpoſita mora, profecta Fulgineum, in Monaſterio ſanctæ Luciæ ſtrictiorem normam vivendi Clariſſarum ſubivit, major pars reliquarum ad paternas ædes redivit, præſtolatura opportunitatem ſe Clariſsis aggregandi. At conjuctis votis & viribus conſanguinei, eas ſuo Collegio reſtituerunt, adhibitis ſatellitibus, qui aditum Epiſcopi Miniſtris quidquam intentaturis præcluderent. Interim illæ, explicatis ſupplici libello, Abbatiſſæ & omnium, præter tres ſupradictas, deſideriis,

Ex Benedictino Auguſtinianum.

Ex Auguſtiniano Franciſcanum.

Proceſſ. ex tabulario Innoc. Lori Notar. Spoletani.

riis, obtinuerunt ab Innocentio VIII. facultatem ad hujuſmodi nova vota tranſeundi.

Dividuntur Sorores. LXIII Occulte rem peractam ubi Epiſcopus reſcivit, fulminatis cenſuris, objectiſque diplomati Apoſtolico ſurreptionis obreptioniſque vitiis, ad forum contentioſum negotium perduxit. Tamdem poſt multorum annorum controverſiam, plureſque variorum Judicum ſententias, interpoſitaſque appellationes, opera Anſelmi e Monteſalco Prioris Generalis Eremimitarum ſancti Auguſtini, & auctoritate utriuſque Cardinalis Protectoris Ordinis Minorum & Eremitarum, a quibus iſtud prodiit inſtrumentum, cujus originale penes me reſervatur, terminatum eſt diſſidium, deſtinato Sororibus Clariſſis per Ardicinum della Porta Cardinalem, Umbriæ Legatum, qui ad ipſum ſe tranſtulit oppidum, hoſpitale ſancti Leonardi, ubi commodum extructum eſt Monaſterium Clariſſarum, ſub regimine Minorum Obſervantum.

Ex originali. LXIV. *Julianus Epiſcopus Oſtien. ſancti Petri ad Vincula nuncupatus, Domini noſtri Papæ major Pœnitentiarius, & Raphael ſancti Georgii ad Velum aureum Diaconus S. R. E., miſeratione Divina Cardinales, Ordinum ſancti Franciſci, & ſancti Auguſtini Protectores, Judices, & Executores ad infraſcripta ſpecialiter deputati. Univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Locatenentibus earumdem, Plebanis, Viceplebanis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, Vicariis perpetuis, Altariſtis, ceteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis quibuſcumque per Civitatem & Diœceſim Spoletan. ac alias ubilibet conſtitutis, ſalutem in Domino, & præſentibus fidem indubiam adhibere, noſtriſque hujuſmodi, imo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis quod nuper ſanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus Innocentius Divina providentia Papa VIII. quamdam mandati ſeu commiſſionis papiri cedulam per certos ſuos curſores nobis præſentari fecit, quam nos cum ea, qua decuit reverentia recepimus, hujuſmodi ſub tenore:* Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia. Quia in cauſa, quæ inter venerabilem fratrem noſtrum Conſtantinum Epiſcopum Spoletan. ac dilectum filium Generalem Ordinis S. Auguſtini, & quaſdam Claram, Conſtantiam, & Bartholomæam pro Monialibus Monaſterii Ordinis S. Claræ de Monteſalcone dictæ diœceſis ſe gerentes, agentes ex una, & dilectas filias Abbatiſſam & ceteras Moniales Monaſterii antedicti Conventus, de & ſuper prætenſis ſurreptione & obreptione quarumdam litterarum mutationis habitus per nos eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus conceſſarum, ac pretenſo ſpolio, & rebus aliis in actis expreſſis, & illorum actione coram diverſis Judicibus, & ultimo coram dilecto filio Guillelmo de Perrenis, Palatii noſtri cauſarum Auditore verſa fuit, & in illa tres prætenſæ definitivæ ſententiæ in favorem Epiſcopi, & litis conſortium latæ dicuntur, litteris executorialibus, & cenſuris in illis contentis uſque ad interdictum dicti oppidi, & brachium ſeculare decretum incluſive proceſſum, ad noſtras aures pervenit ſuper prædictis tractatum concordiæ inter partes prædictas exiſtere, deſiderantes pacem & concordiam, & maxime inter religioſos eſſe, ne materia aliqua ſcandali oriri poſſit: Idcirco tenore præſentium in cauſa & cauſis, & executionum prædictarum ad ſex menſes ſuperſederi mandamus, Abbatiſſamque & Moniales prædictas alioſque ab omnibus cenſuris, quibus hujuſmodi de cauſa innodatæ dicuntur, ad idem tempus motu & ſcientia ſimilibus

bus abſolvimus, interdictum dicta de cauſa poſitum relaxamus, ipſamque Abbatiſſam & Moniales prædictas in perſonis & rebus non moleſtari mandamus, cum reincidentia tamen dictarum cenſurarum elapſo dicto tempore, ſi tractatus prædictus non ſortiatur effectum, decernendo irritum & inane ſi ſecus per dictum Guillelmum, & alios quoſcumque, ad quos ſpectaret, ſuper præmiſſis contigerit attentari, habentes ſtatum cauſæ & cauſarum prædictarum, præmiſſorumque vim, tenorem & compendia, & alia hic exprimenda pro ſufficienter expreſſis. *In fine vero dicti mandati, ſive commiſſionis papiri cedulæ ſcripta erant de alterius manus littera ſuperiori litteræ ipſius cedulæ penitus & omnino diſſimili & diverſa, hæc verba.* Placet uſque ad feſtum Nativitatis, & interea committimus Protectoribus cauſam ipſam componendam. *Quæ omnia & ſingula ſupradicta & præmiſſa, tam commiſſionem ſive mandatum, ac omnia & ſingula in eo contenta vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, omnibuſque aliis & ſingulis quorum intereſt, intererit, ſeu intereſſet, quoſque ſupraſcriptum tangit negotium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum, intimamus, inſinuamus & notificamus, ac ad veſtrum & ipſorum, cujuslibet veſtrum & eorum notitiam deducimus & deduci volumus per præſentes. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes litteras exinde fieri, & per Notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi mandamus, & noſtrorum ſigillorum juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum Romæ in domibus noſtrarum ſolitarum reſidentiarum, ſub anno a Nativitate Domini* MCCCCXCI. *Indictione* IX. *die vero* XIV. *menſis Decembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Innocentii Divina providentia Papæ VIII. anno* VIII.

LXV. Hoc tempore multiſque annis conſequentibus in eo Monaſterio corpus beatæ Claræ Montisfalci habitu Franciſcano obductum conſpiciebatur, eaque veſte Virginem ſibi apparuiſſe, & a morbo, quo vehementer affligebatur, mirabiliter liberaſſe teſtata eſt nobilis heroina, Maria Emanuel Comitis ſancti Stephani filia, Alvari de Baſſano Marchionis ſanctæ Crucis lectiſſima conjux. Quare beneficium aliqualiter compenſatura, ad Montemfalcum profecta, pretioſam thecam chriſtallinam, repagulis vectibuſque argenteis compaginatam, corpori condendo, habitumque ſericum cineritii coloris eidem operiendo anno MDLXXVII. die X. Aprilis donavit. At dum habitus hic removeri tentatur juſſu Fulvii Urſini Epiſcopi Spoletani, magnæ oriuntur contentiones inter Franciſcanos, & Eremitas Auguſtinianos, contendentibus utriſque non alia, quam ſua veſte contegi debere; eodemque anno die XVII. Octobris prodiit decretum ſacræ Congregationis interpretum Concilii Tridentini ſtatuentis, uti alias dixi, reddi debere ſancto corpori habitum Auguſtinianum. A quo tempore oblevatum fuerit habitu Franciſcano, nemo eſt qui referat. Certum eſt nonniſi tantorum Principum auctoritate potuiſſe auferri. Quid in ſuæ cauſæ tutelam tunc produxerint Franciſcani, neſcio; ſcio certo certius, quod licet Regulæ profeſſione virgo fuerit Auguſtiniana, eam Franciſcanis fuiſſe multis vinculis adſtrictam.

Corpus beatæ Claræ contectū habitu S. Franciſci.

Ortæ hinc controverſiæ.

Tom. 6. anno 1308. n. 73.

LXVI. In primo recluſorio ſanctæ Illuminatæ ſub habitu & converſatione Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſemper vixit, donec in Monaſterio ſanctæ Crucis ab Epiſcopo Spoletano Regulam accepit ſancti Auguſtini, quod & ipſe Baptiſta Piergilius illius Monaſterii pridem confeſſarius, & oppidi Montis-falci Vicarius foraneus, qui nuper ſanctiſſimæ Virginis vitam diffuſe ſcripſit, ſummoque ſtudio Auguſtinianam deſcripſit, ex proceſſu actiſque Virginis a ſe lectis liberrime concedit. Ille idem confeſſarios in Monaſterio

Plurimum adſtricta eſt beata Virgo Franciſcanis.

Piergil. cit. 1. part. c. 15.

ſanctæ Crucis ſub Regula ſancti Auguſtini eam habuiſſe Franciſcanos, quorum pleroſque enumerat, lubens fatetur; morienti non alios quam duos adſtitiſſe Franciſcanos, Thomam confeſſarium, quem perperam Thomas de Herrera noſter amicus, in ſuo Alphabeto Auguſtiniano ſui conjicit eſſe Inſtituti, & Franciſcum fratrem germanum enarrat. Laudes ejus in funere pro concione celebravit Jacobus Gontius Lector Franciſcanus; explorandis myſteriis, inſtrumentiſque Dominicæ paſſionis in corde repertis, adſciſcitur frater Maſſæus Guardianus Fulginas. Proceſſui de vitæ ſanctimonia, & miraculis auctoritate Apoſtolica formando datur initium anno MCCCXVIII. in Eccleſia Minorum, aſſeſſoribus Franciſco Damiani Cuſtode Tudertino, Virginis fratre, & Franciſco Mevantulo Mevanienſi, Guardiano Montisfalci. Proceſſui Avenionem perducto aperiendo & examinando, ſucceſſive tres fuere deſignati Cardinales Franciſcani, Vitalis de Furno, tituli ſancti Martini in Montibus, Reginaldus Epiſcopus Oſtienſis, Bertrandus alter, Epiſcopus Tuſculanus: præcipui in actuum Codicibus ſeu proceſſibus, qui virtutes & miracula teſtificantur, compellantur Franciſcani, nullus per omnes libros aut proceſſus nominatur Auguſtinianus. Sub mortem appariuſſe illi ſanctum Franciſcum, cujus amore ſemper flagrabat, eamque dixiſſe: *ecce ſanctus Pater Franciſcus*, habetur in proceſſu apud Moniales ſui Monaſterii conſervato, licet recenti charactere, nimiumque manifeſta mutatione conſpiciatur ſancti Franciſci nomen in Auguſtini mutatum; unde Piergilius, ut vetuſtæ ſcriptioni, & recenti correctioni ſive corruptioni calamum accomodaret, dixiſſe narrat: *ecce Pater ſanctus Auguſtinus*, *ecce ſanctus Franciſcus*: at multum hoc diſcrepat a contentis in proceſſu. Sincerius & fidelius cecinit Virginis compatriota Achylles Ægydius, nobilis Montis-falcenſis, qui viſis proceſſibus, carmine heroico totam Virginis vitam compoſuit, impoſito titulo Clareidos. Ita porro viſionem expreſſit.

Ibidem. | Ibid. p. 1. c. 5. | Ibid. c. 7. | Ibib. c. 5. | Ibid. c. 17. | Ibib. c. 1. | Ægid. l. 3.

Sanctorumque Dei cœleſti lumine fulgens
Viſus adeſſe chorus, quos inter ſignifer ille,
Stigmata ſacra ferens, aderat, cui talia virgo:
Mi Franciſce Pater, celſo delapſus Olympo,
Quam mihi pulcher ades! famulam ne deſere vilem,
Aſpice me famulam ſuprema in morte natantem:
Atque tuo ſub præſidio patrocinioque tuere &c.

LXVII. Nihil ergo mirum, ſi per vallem Spoletanam paſſim conſpiciantur ejus imagines habitu Franciſcano, ſed & in ipſa, in qua jacet Eccleſia, uti alias monui, ab anno MCCCXXXIII. ita omnibus ejus proſtat imago. Eam ſub iſto habitu tunc ibidem prope ſuggeſtum curavit depingi nobilis vir Joannes de Amelio, Rector Ducatus Spoletani: at maleferiatus aliquis tentavit cultro vel ferro chordam ſive funiculum nodoſum eradere; quod tamen non ita obtinuit, ut in hodiernum diem, & præcincta chorda, & intenta fraus aperte non dignoſcantur. In Eccleſia Franciſcanorum Conventualium illius oppidi circa annum MCCCCL. celebris pictor Bennotus Florentinus ſuo penicillo ſub hac veſte illam effigiavit, multique alii alibi ſimiliter expreſſerunt.

Tom 6. an. 1308. n. 78.

LXVIII. Fortius adhuc adjicio argumentum ex magno Codice proceſſus (ſunt enim & alii minores Codices) actorum ſanctiſſimæ Virginis, in quo bis inſtituto ſermone de ſacræ Virginis pœnitentia, & tenui corporis operimento, utrobique ita habetur: *Sana exiſtens, unam ſolam tunicam, & eam rudem de Gattinello portabat*: quid autem per Gattinelli verbum in illa regione

gione ſignificetur, habemus ex litteris Franciſci Miniſtri provinciæ ſancti Franciſci datis anno MCCCXVII. in quibus, ut pareret Conſtitutioni: *Quorumdam exigit*. Joannis XXII. & litteris Miniſtri Generalis Michaelis de Cæſena, eo anno præcipientibus, ut ſinguli Provinciales in ſuis Provinciis determinarent qualitatem & menſuram habitus, tunicæ & chlamydis Fratrum ſibi ſubditorum, ita ait: *Determino & aſſigno, quod pannus congruus, & vilis in pretio pariter & colore, quo Fratres exterius induantur, eſt* Gattinellus, *pecorinus, vel lazzus*. Paulo poſt. *Pannus autem pro mantellis congruus, & vilis eſt* Gattinellus, *pecorinus, vel lazzus*. Et in conſtitutionibus antiquis ejuſdem Provinciæ anno præcedenti MCCCXVI. editis cap. 2. cui titulus: *De qualitate*, ita determinatur. *Cum Regula dicat, quod Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur; ſtatuimus, quod tunicæ ſuperiores fiant tantum de Gattinello, tunicæ vero inferiores non fiant nec habeantur niſi de ſimplici Florentino, vel panno alio æque vili &c.* Non itaque abſque omni prorſus fundamento Franciſcani aliquam ſibi vendicarunt partem in præclariſſima iſta Virgine; dum a pueritia, & in ipſo virtutis exordio ſub illorum veſte & magiſterio inſtructa ſit; dum etiam ſub inſtituto ſancti Auguſtini conſiliarios & confeſſores habuerit Franciſcanos; dum item præcipuos ſuæ famæ & gloriæ promotores ſenſerit eoſdem. Habeant pacifice pretioſum hunc theſaurum, exultent merito tanto ſui Inſtituti ornamento Patres Auguſtiniani: at liceat & aliis exultationis eſſe participes, qui fuerunt & inſtructionis; liceat etiam Franciſcanis aliquando ſuam dicere, quibus tot ſuppetunt tituli quoquo modo eam ſibi vendicandi. Concedunt qui exactius de illa ſcripſerunt, ſaltem donec in Monaſterio ſanctæ Crucis Regulam ſuſcepit Auguſtinianam, Franciſcanam habitu fuiſſe & converſatione; nec poſt ſuſceptam illam Regulam affectum depoſuit erga Franciſcanos, aut eorum abhorruit inſtructionem. Ut quid ergo non poſſint illi aliqualiter dicere ſuam, aut ſub ſuo habitu depingere, quæ illum portavit, non ſecus ac Canonici Regulares ſancti Auguſtini ſanctum Antonium Ulyſſiponenſem Auguſtinianum depingunt, etſi poſtea evaſerit Franciſcanus? Hæc habes, quæ ex fidis tabulis, & certis monumentis poſt editum tertium Tomum * ubi de ſanctiſsima hac Virgine ſermonem inſtitui, mihi ſubminiſtratis, lectoris exponerem judicio: ſuſpicor, deinceps dicturum non adeo inanes fuiſſe hactenus Minorum conatus circa jus aliquod in tanta Virginis gloria ſibi vendicandum.

Extr. de verb. ſignif.

* *De tertio Tomo veteris editionis.*

LXIX. Epiſcopos reperio hoc anno Minoritas. Alphonſum de Spina (auctorem conjicio *Fortalitii fidei*, de quo ſæpe alias) aſſumptum ad Eccleſiam Thermopylenſem ſub Archiepiſcop. Athenienſi, per obitum Joannis, IV. Nonas Decembris. Martinum ad Ebronen. ſub Patriarcha Hieroſolymitano, per obitum N. III. Idus Junii. Joannem de Aloyſio, ſacræ Theologiæ Magiſtrum ad Capritanam, ſub Archiepiſcopo Amalphitano, per obitum Marci, die XV. Julii. Hoc anno Bilſcius hiſtoricus Polonus meminit cujuſdam Petri * Tomerii Minoritæ Archiepiſcopi Colocenſis, Viceregis in Hungaria inferiori, tempore Solimani Turcarum Imperatoris, & Ludovici Regis Hungariæ.

Fr. Alphonſus Epiſcop. Thermopylen.
Fr. Martinus Ebronen.
Fr. Ioannes Capritan.
Petrus Archiep. Colocenſis.
Bilſc. lib. 6. ad hunc annum.
* *Paulus, non Petrus huic Epiſcopo nomen erat ut Annaliſta citatum Bilſcium corrigendo, ad ann. 1521. advertit.*

LXX. Apud Senogalliæ urbem ad littus Adriaticum in Piceno duo Cœnobia Fratres hoc anno receperunt; Obſervantes unum a ſancta Maria de Gratiis nuncupatum in media ſilva, lapide uno ab urbe, a Joanne Ruvereo Sixti IV. nepote, Romæ Prefecto, Senogalliæ Domino, Sorano Duce, propter obtentam cœlitus prolem integre conditum; Conventuales alterum in ſuburbio, ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ. Præerat Eccleſia Priora-

Conv. Senogalliæ ſanctæ Mariæ de Gratiis.
Gonz. in Provin. Marchiæ Con. 42.
Alter Senogalliæ S. Mariæ Magdalenæ.

Monum. MSS. hujus Conventus.

tus honore decorata, quam Innocentius ad preces Marci Viguerii, Epiſcopi Senogalliæ, Minoritæ, Fratribus conceſſit. Diploma exſcripſit Petrus Rodulphus ejuſdem Inſtituti, & Civitatis Epiſcopus, in magno volumine privilegiorum & monumentorum ad Civitatem illam ſpectantium, quod urbis Rectoribus in archivo deponendum libere donavit.

Conv. Mevaniæ. *Rodul. fol. 253.*

LXXI. In Umbria ad radices collis Montis Falci, oppidum eſt Mevania, multis nominibus apud veteres Poetas celeberrimum; in quo hoc anno die IV. Auguſti ſedem fixerunt Patres Conventuales, accepta Eccleſia ſub nomine ſancti Joannis a Conſtantino Epiſcopo Spoletano, & Commendatario ſancti Angeli de Mevania. Floruit in ea vir ſimplex & timens Deum, Nicolaus cognomento *Pater noſter*.

Fr Nicolaus Pater noſter.
Conv. Monopolis.
Gonzag. in Prov. S. Nicol. Con. 28.
Conv. Belgioſi.
Idem in Provin. Genuen. Con. 51.

LXXII. Monopolis urbs eſt elegans & locuples in Apulia Peucetia, cujus Senatus, obtento Innocentii diplomate, hoc anno XVI. Kal. Januarii Conventum fabricavit Obſervantinis ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Gratiis. Carolus de Barbianis, Belgioſi, quod in Lombardia Tranſpadana caſtrum eſt opulentum & lautum, Dominus, erga Minorum Inſtitutum addictiſſimus, hoc anno ædiculam a caſtro aliquanto remotam, divo Georgio ſacram, in Conventum Fratrum Obſervantum commutavit, a ſancta Maria de Gratiis nuncupavit, & Paulo a Vigono Provinciæ Genuenſis Vicario reliquis tradidit adnumerandum.

Conv. Methymnæ Rivi Sicci.

LXXIII. Ab urbe Palentina in Hiſpania per leucas octo, & a Valliſoletana per ſeptem diſtat oppidum frequens & opulentum Methymnæ Rivi Sicci, vulgo *Rioſecco*, ita a fluviolo in æſtate ut plurimum arente & ſicco nuncupatum. Bis mille paſſibus diſtabat olim Conventus Minorum ab hoc oppido, conſtructus, uti conjicio, ante plures annos ab Admiratis Caſtellæ, oppidi Principibus. Etenim Fridericus Enriquez de Cabrera, qui hoc anno impetravit facultatem illum transferendi ad locum opportunum, oppido propinquum, teſtatur illic ſepultos fuiſſe avum ſuum & progenitores. Do in regeſto diploma conceſſæ Pontificiæ facultatis ut transferretur, ex quo conſtabit, non hoc anno inchoatum Conventum hunc a vulgari quodam viro Andrea, in ſitu a ſe empto, uti habet Gonzaga: *Piis fidelium*. pridie Idus Auguſti. Eccleſiam novi Cœnobii elegantiſſime conſtructam, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Spe, ſub quo etiam prior Eccleſia conſtructa eſt, primum conſecravit Alphonſus a Spina Minorita, de quo paulo antea locuti ſumus, Epiſcopus Thermopylenſis; ſecundo Antonius de Garay ejuſdem Inſtituti vir, Epiſcopus N. anno MDX. die XXIX. Junii *. Admirati Caſtellæ Cœnobii patroni, erectis in ſacello majori pulchris Mauſoleis, illic delegerunt ſepeliri. Sacrarium nobili ſupellectile auri & argenti, pulchriſque paramentis locupletarunt. Qui nunc eſt familiæ Princeps, & Siciliæ præerat inſulæ, nunc vero regno Neapolitano præſidet, Alphonſus Enriquez, de Cabrera, pulcherrimum dedit anno MDCXVIII. ſacerdotale ornamentum integrum cum Dalmaticis valoris ſeptem millium aureorum.

Gonz. in Provin. Concept. Con. 31.

** Pro anno 1520. ſignavimus ann. 1510. ſicque mendum in veteri editione ex Gonzaga commiſſum, juxta Auctoris monitum ad annum 1514 correctum habes.*

Conv. Villæ-novæ Infantium.
Idem in Provin. Carthag. Con. 15.

LXXIV. Joannes Morenus vir pius, erga Franciſcanos addictiſſimus, prope muros oppidi Villæ-novæ Infantium, obtenta prius facultate ab Alphonſo de Cardenis magno militiæ ſancti Jacobi Magiſtro, cui tunc oppidum parebat, in ſuo prædio hoc anno domum conſtruxit. Poſtea creſcente oppido laxatiſque muris, accinctus eſt Conventus. Thomas a Villanova Archiepiſcopus Valentinus, in Beatorum numerum relatus, hoc oriundus oppido, majorem præcipui ſacelli partem conſtruxit, qua de cauſa ejus conſanguineorum ſepulturæ deſervit. Hic deceſſit Didacus Ximenius, vir religioſiſſimus, qui integras noctes in oratione & Divinorum contemplatione conſumebat.

Fr. Didacus Ximenes.

LXXV. An-

Anno Christi 1491.	Innocentii VIII. an. 7. & 8.	Friderici III. Imp. anno 52.	Religionis Minorum anno 284.

LXXV. Antonius de Burgundia, Comes ſancti Minechaldis, obtenta ſub finem anni præcedentis licentia Innocentii Pontificis, conſtruere cœpit hoc anno Conventum ſancti Antonii de Padua intra mœnia ſui Caſtri muniтiſſimi, a Theodorico nuncupati, ad radices Fortalitii. Coadjutores complendi ædificii habuit Petrum Floretum, & Joannem Balhamum, qui neceſſariis omnibus inſtruxerunt, & perenni fonte exhilararunt. Eccleſiam conſecravit anno MCCCCXCVI. Joannes Miletus Minorita Epiſcopus Sueſſonenſis.

Conv. Caſtri S.Theodorici. *Idem in Provin. Franc. Pariſien.* Conv.18.

Joan. Epiſcopus Suaſſonen.

LXXVI. Thomam Burdegalenſem, & Joannam Begenſem conjuges, incolas oppidi Viriæ, diœceſis Bajocenſis in Normandia inferiori, contuliſſe Fratribus Obſervantibus fundum, & pinguem eleemoſynam pro conſtruendo Conventu, idque anno MCCCCLXXXI. eorumque auſpiciis, & Caroli Regis Gallorum, Virienſiumque quorumdam liberalitate, annuente Innocentio Pontifice, hoc ipſo anno, decennio ſcilicet poſt fundi collationem, Conventum omnibus ſuis numeris abſolutum fuiſſe narrat Gonzaga. Sed diploma Pontificis aliter ex petitione Vicarii Provinciæ Franciæ, & aliquorum notabilium virorum prædicti oppidi commemorat. Nulla enim facta fundi mentione, neque prædictorum conjugum, petunt præfati Vicarius & oppidani licentiam fundandi Conventum in loco opportuno, ſive intra ipſum oppidum, ſive in ſuburbiis, quorum una pars ad Bajocenſem, altera ad Conſtantienſem diœceſim ſpectabat. Annuit porro Pontifex, commiſſo rei examine Epiſcopo Cenomanenſi. Tantum itaque abeſt, ut ante decennium donatus ſit fundus, & hoc anno abſolutus ſit Conventus, ut hoc ſitu & fundo adhuc incerto, inchoandi operis licentia ſit petita: *Ad uberes, quos Ordinis.* XIV. Kalendas Junii. Poſt hunc itaque annum exordium habuit hoc Cœnobium ſub invocatione ſancti Michaelis Archangeli. Eccleſiam conſecravit anno MD. die XX. Maii Guillelmus Porphyrienſis Epiſcopus, ex conſenſu Renati de Pria, tunc Epiſcopi Bajocenſis.

Conv. Virien. *Gonz. ibid.* Conv. 19.

LXXVII. Multos peperit hæc domus viros religione, virtute & fidei conſtantia conſpicuos: atque hi quidem pro fidei Catholicæ confeſſione ſua corpora tradiderunt, & meruerunt habere coronas perpetuas; Petrus Goſſetus Virienſis concionator, ab hæreticis ſuſpenſus; Julianus Maignenſis nobilis ſacerdos, primum injuriis plurimis graviſſimiſque tormentis exagitatus, tamdem ſuffocatus anno Domini MDLXVIII. die III. Septembris; Joannes Mecenſis Diaconus eodem anno & die poſt plurima perpeſſa ludibria plumbea glande trajectus; Joannes Buni ſacerdos gladiis eodem etiam die confoſſus; Guillelmus de Monte-magno ſacerdos naribus & auribus abſciſſis, repetitis ſclopetarum ictibus occiſus. Præmemorato inſuper anno, Montis Gomerii Comes, peſtilentiſſimus hæreticus, cum pleriſque militibus Viriam dolo ingreſſus, poſt maximam Catholicorum cædem, Cœnobium incendit, & funditus evertit, ea duntaxat de cauſa, quod Cœnobitæ in Calviniſtas ex ſuggeſtu invecti eſſent, & Catholicis ſuggeſſiſſent, ut a Satanæ Miniſtris, eorumque peſtifera doctrina ſibi diligenter caverent. Sanctorum etiam reliquias igni injecit, eorumque thecas aureas & argenteas in profanos uſus convertit. Non tamen impune fecerunt; etenim ad unum omnes fame, gladio vel ſuſpendio perierunt. Fratrum porro diligentia reſtauratus eſt Conventus in commodum triginta religioſorum habitaculum.

Multi illic pro Chriſto Fratres occiſi.

LXXVIII. Dionyſius Epiſcopus Tutellenſis in Aquitania, & civium Communitas ſtatuit Fratribus Obſervantibus domum in loco opportuno, intra vel extra urbem ædificare. Vicarius Generalis, & Provinciæ Aquitaniæ Vicarius ut id eis liceret, hoc anno a Pontifice impetrarunt: *Sacræ Re-*

Conv. Tutellenſis. *Idem in Provin. Aquit. antiquio.* Conv. 22.

Digitized by Google

Religionis. Non. Novembris. Fundationem hanc tribuit Gonzaga cuidam Baroni ſancti Amantii, annuente Carolo Francorum Rege. Inter tot bellorum turbines, & hæreticorum deprædationes & incendia, remanſit hic Conventus integer & illæſus, & commodum præſtat viginti Fratribus habitaculum.

Conv. Recſedorfii. *Idem in Provin. Boem. Conv. 24. 25. 26. 27.*

LXXIX. In Sileſiæ oppido Recſedorfio ex communibus facultatibus ædificatus eſt hoc anno pro Fratribus Obſervantibus Conventus ſanctæ Mariæ de Deſerto. Poſſeſſionem illius accepit nomine Vicarii Provincialis frater Alexander Jovarenſis. Poſt aliquot annos ab hæreticis deſtructus eſt. Idem paſſus eſt infortunium Conventus ſancti Wenceslai oppidi Rattiboriæ in eadem Sileſiæ Provincia ab oppidanis conſtructus, & in Comitiis Raedichii hoc anno celebratis admiſſus; necnon Cœnobium alterum Aſſumptionis beatæ Mariæ in urbe Bechinæ Regni Boemiæ, communibus ſumptibus extructum, & hoc anno completum. Raedichii in Moravia domum alteram ſub titulo beatæ Mariæ ædificavit hoc etiam anno Epiſcopus Olomucenſis, adjutus oppidanorum liberalitate. At horum pietatem exoſi hæretici, Fratres opprobriis ſaturatos inde expulerunt, & Conventum profanis uſibus manciparunt.

Conv. Rattiboriæ. Conv. Bechinæ. Con. Raedichii.

LXXX. Hujus etiam temporis partus dicitur, ſed apud Gonzagam ab anno MCCCCLXXV. conſtructus refertur Conventus ſanctiſſimæ Trinitatis Ligenictii in Boemia, publicis civium facultatibus. Hic habita ſunt Provinciæ Boemiæ Comitia anno MO. in quibus frater Jacobus Gruppianus electus eſt in Vicarium Provincialem. Hoc etiam Cœnobium deſtruxerunt hæretici, & in cavernam maceriæ redegerunt.

Con. Ligenictii. *Ibid. Conv. 10.*

LXXXI. Bernardinus de Caymis Vicarius Provinciæ Mediolani commiſſam ſibi a Pontifice curam Monaſterii ſanctæ Mariæ Annunciatæ de Mole, Ordinis ſancti Ambroſii ad nemus, ſub Regula ſancti Auguſtini, Mediolanenſis diœceſis, quam eo uſque Gaſparinus de Porris Archipresbyter Eccleſiæ beatæ Mariæ ad Molem, juxta locum Burgi Variſii, dictæ diœceſis, exercuerat, hoc anno ſuſcepit.

Monaſt. S. Mariæ Annunciatæ de Mole.

LXXXII. Fridericus Henriquez de Cabrera, de quo ſupra dictum eſt, Caſtellæ Admiratus, etiam hoc anno impetravit facultatem conſtruendi Monaſterium Clariſſarum prope oppidum Methymnæ Rivi-ſicci, ſuæ ditionis, & Palentinæ diœceſis, ſub titulo Conceptionis beatæ Virginis Mariæ: *Eximiæ devotionis*. VI. Kal. Septembris. Id præſtitiſſe ſub annum MDXVIII. refert Gonzaga, illuc translatis quatuordecim Sororibus Tertii Ordinis, quæ ad religioſam ædiculam ſancti Sebaſtiani cohabitabant, & ad ſanctæ Claræ Inſtitutum aſpirabant. Ad annum MDCXVII. pulcherrimum ædificarunt Moniales Templum, inſumptis in opere ferme duodecim millibus aureorum, ædificatis ſuper vetuſtam Eccleſiam Monialium cubiculis. Quinquaginta Sororum commodum illic conſtructum eſt habitaculum, in quo multæ ſumma vixerunt pietate.

Mon. Methymnæ Rivi S.cci. *Supra n. 73.* *Gonz. in Provin. Concept. Monaſt. 14.*

LXXXIII. Vir nobilis Emanuel Dux Begiæ, perpetuus Adminiſtrator militiæ Jeſu Chriſti, per Sedem Apoſtolicam deputatus, obtinuit hoc anno facultatem ædificandi Clariſſarum Monaſterium in inſula Lignorum, vulgo *de Madeira*, Luſitanis Regibus ſubjecta: *Eximiæ devotionis*. Kal. Februarii. Quid autem fecerit, incompertum. De uno hujus Inſtituti Monaſterio in prædicta inſula conſiſtente ſupra egimus, aliumque ſcripſimus fundatorem.

Monaſt. Inſulæ Lignorum. *An. 1476. n. 65.*

LXXXIV. Urraca Rodriguez Bezerra piiſſima fœmina, oppido Ulmeto, diœceſis Abulenſis, oriunda, divitiis a conjuge relictis affluens, in Eccleſia quadam die audiens illud Evangelicum recitari: *Si vis perfectus eſſe*, *vade*

Domus Soror. 3. Ordinis Ulmeti. *Indid. Mon. 33.*

vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; tamquam hæc ſibi dicta eſſent, protinus obſequendum judicavit. Itaque magna hæreditatis parte Patribus Ordinis ſancti Hieronymi, Cœnobii de Mexorada donata, & ſufficientibus reditibus pro curandis ſex infirmis in Xenodochio Ulmetenſi ſtabilitis, re familiari divendita, & pecunia in pauperes diſtributa, domum propriam ſub titulo ſanctæ Crucis in Monaſterium Sororum Tertii Ordinis hoc anno convertit, in quo ipſa cum quinque ex fratre & ſorore neptibus, aliiſque tribus pediſſequis ſub eodem Inſtituto vixit ſanctiſſime. Nihil illa continentius, nihil erat vigilantius. Patientia, manſuetudine, humilitate, aliiſque virtutibus omnibus prælucebat, & ad ejus normam reliquæ Sorores ſuas moderabantur actiones. Multis modis illarum virtutem concutere, & conſtantiam labefactare diabolus tentavit; ſed illæ in oratione & jejunio omnes illius nocendi artes ſuperabant. Præ reliquis pietate claris illic deceſſerunt Catarina de Quadia anno MDXCIV. pœnitentia, variiſque cruciandi corporis modis admirabilis, & Agnes Bizerra anno MDCVI. orationibus, lacrymis & caritatis operibus jugiter intendens.

Catarina de Quadia.
Agnes Bizerra

Domus Xereſii Equitum.

LXXXV. In urbe Xereſii Equitum, Hiſpanice Xerez *de los cavalleros*, diœceſis Pacenſis, juriſdictionis tamen Militiæ ſancti Jacobi de Spata, cohabitabant Catarinæ Pinel aliæ quædam piæ mulieres, quæ hoc anno impetrarunt a Pontifice facultatem adaptandi domum, quam incolebant, in Monaſterium Tertii Ordinis, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Gratia, vel aliud condecenti loco conſtruendi. Aſſenſit Pontifex, ſcriptis litteris Epiſcopo Abulenſi: *Pia Deo & Eccleſiæ*. III. Kalend. Junii. Non numeratur domus hæc inter reliquas Provinciæ ſancti Michaelis, intra cujus diſtrictum comprehenditur; fuiſſe tamen ædificatam, & Sorores tranſiiſſe ad Inſtitutum ſanctæ Claræ, mihi conſtat ex iis, quæ ſcribuntur de Monaſterio Matris Dei ejuſdem Civitatis, illuc translatis ex iſto Sororibus quatuordecim, & de Monaſterio Dominæ noſtræ Lucis, cujus fundatrix ex iſta domo proceſſit.

Domus Beſſelich.
Tom. 11. anno 1471. n. 42.

LXXXVI. Domus Sororum in Beſſelich, Treverenſis diœceſis, de qua alias diximus, hoc anno ſubjicitur curæ & regimini Vicarii Provincialis Colonienſis, qui duos deputare debebat Fratres earum Miniſterio, alendos ex reditibus quorumdam ſacerdotiorum, quæ Pontifex Monaſterio uniebat: *Merita piæ vitæ*. Idibus Auguſti. Similiter Catarina de Wetzflaria Miniſtra, & reliquæ Sorores domus de Iberſtein, ejuſdem diœceſis, ſe ſubdiderunt regimini præfati Vicarii, acceptavitque hujuſmodi deditionem, ſeu ſubjectionem Joannes Eller Guardianus Limpurgenſis hoc anno die XIII. Junii, de quo publicum extat inſtrumentum. Idque ipſum fecerunt Sorores domus in Ringen Civitatis Monaſterienſis, domus ſanctæ Annæ in Cosfeldia, Moguntinæ diœceſis, domus ſanctæ Mariæ in parva Tremonia, Colonienſis diœceſis; acceptante Joanne de Lippia prædicti Vicarii Commiſſario. De ſingularum domorum ſubjectione ſingula habentur inſtrumenta. E contrario Sorores domus ſanctæ Catarinæ oppidi de Haſſelt, Leodien. diœceſis, per quondam Joannem Epiſcopum Leodienſem ea lege fundatæ, ut ſibi & ſucceſſoribus ſuis jus viſitandi reſervaretur, eximuntur a viſitatione & juriſdictione Vicarii Colonienſis, cui ſe ſubjecerant.

Domus de Iberſtein.
Domus Ringenſis.
Domus parvæ Tremoniæ.
Domus Haſſeltenſis.

Conventus Daciæ reformantur.

LXXXVII. Fratres Conventuales Provinciæ Daciæ hoc tempore varias exhibebant quærelas contra Obſervantes, præſertim, quod illorum Conventus occupabant, Miniſtro ſubeſſe, & Capitulis provincialibus intereſſe nollent. Judices deputati controverſiarum Archiepiſcopus Lundenſis, & Epiſcopus Aruſienſis, qui Obſervantibus demum faverunt. Fratribus

Digitized by Google

bus ſanctæ Mariæ Angelorum ſive de Portiuncula prope Aſſiſium, conceſſit emolumenta ſingula, quæ ex diſtributione locorum pro Apothecis mercatorum, temporibus ſolemnium indulgentiarum illuc confluentium, quoquo modo poſſent obvenire: *Inhibuimus ſuperioribus annis*. die XXII. Septembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. IN Carolum VIII. Franciæ Maximilianus Auſtriæ ſumme excan-
„ deſcens ob cauſas ante relatas, bella gerebat, & ex utraque parte
„ plurimus ſanguis effundebatur. Apud Ebolum Picentinorum oppidum
„ in Principatu citeriore Salerno proximum apud Silarem amnem, pluri-
„ bus urbibus etiam præferendum, Regularis Obſervantiæ Minorum Fra-
„ tres, ſub titulo Sanctiſſimæ Trinitatis domicilium excitabant: Etenim
„ quidam Andreas de Familia Florentiæ Ebolitanus in extremis conſtitu-
„ tus, Religioni maxime addictus, in eum finem omnia ſua bona legaverat:
„ quod ut novit Damianus a Jojade Vicarius Provinciæ Terræ Laboris, ab
„ Excellentiſſima Catarina ab Aragonia de Veſtis Comitiſſa Caſertæ, &
„ Eboli Domina, epiſtolam Univerſitati Ebolenſi directam, qua Oppida-
„ nos hortabatur, ut piæ petitioni Fratrum condeſcenderent, obtinuit.
„ Antiquæ pietati & devotioni in Ordinem Seraphicum eorum Oppidano-
„ rum, ut excitaretur, ſatis fuit Comitiſſæ folium: etenim eo audito com-
„ moti, anno MCCCCLXXXVII. quamdam Parochialem Eccleſiam tituli
„ Sanctiſſimæ Trinitatis, cum ſuis attiguis Caſalibus Fratribus conceſſe-
„ runt, ut per publicum inſtrumentum ab Alphonſo de Clario ejuſdem
„ Oppidi Notario, eodem anno rogatum, conſtat; ſed ea cum Eccleſia
„ juris eſſet cujuſdam Abbatis Domini Andreæ de Grillo, & in Parœcia
„ cujuſdam Petri Emanuelis de Murſio Curati, his reſilientibus ſuas ob
„ cauſas, in vanum laboratum fuit; nihilominus alia Fratribus ſancti Eu-
„ ſtochii nuncupata, ſub quibuſdam conditionibus conceſſa, ab Innocen-
„ tio VIII. ſub die x. Julii MCCCCLXXXVII. erigendi Cœnobium faculta-
„ tem obtinuere, cui ſubinde Octariani Bentivolii Bononienſis, Archie-
„ piſcopi Salernitani, per ſuum Vicarium Evangeliſtam Scaccum de
„ Fundis, die VII. Januarii anno MCCCCXCI. cum acceſſiſſet, ſub eodem
„ titulo Sanctiſſimæ Trinitatis, in plano colliculi, octoginta paſſus ab Op-
„ pido diſtantis, piis fidelium eleemoſynis confluentibus, Fratres Cœno-
„ bium conſtruxerunt.
„ II. Quarto Idus Januarii permiſſo tranſitu ad Benedictinas Joannæ
„ de Fulgario Moniali Toloſanæ: *Apoſtolicæ Sedis &c.* Idibus ejuſdem
„ fratri Vincentio de Neapoli Pontifex beneficium contulit: *Religionis*
„ *zelus &c.* & XVII. Kalend. Februarii, aliud fratri Petro *Ramirez*, qui
„ Caſtra Ferdinandi Regis Caſtellæ contra Mauros Regni Granatæ magno
„ zelo ſequebatur, ut idem Pontifex in expedito Brevi: *Religionis ze-*
„ *lus &c.* enarrat; conſtitutis vero beneficiis in Eccleſiis Monaſteriorum
„ ſanctæ Claræ Majoricenſis, XIV. Kalend. præfati, & Agrigenti V. Idus
„ ejuſdem: *Apoſtolicæ Sedis &c.* Fratri Renato Robello beneficium eve-
„ nit X. Kalend. Martii: *Religionis zelus &c.* Delphis Betavorum in Hol-
„ landia Civitate ob viarum rectitudinem, & ædificiorum pulchritudinem
„ elegantiſſima, apud Hayam Pagum maximum, in quo Principes degere
„ ſolebant, eo tempore Clariſſarum Monaſterium de Nazareth nuncu-
„ patum erat, pro quo Apoſtolicæ proviſiones XVIII. & VIII. Kalend.

Maii

Digitized by Google

„ Maii prodierunt: *Humilibus &c.* & *Exhibita ſiquidem &c.* Fratri autem
„ Franciſco de Monte Salutis conceſſo beneficio: *Religionis zelus &c.*
„ II. Kalend. Maii; habilitato ad beneficia fratre Paulo de Pantanis,
„ v. Idus ejuſdem: *Religionis zelus &c.*
„ III. Ad reprimendos autem Hæreticos Valdenſes in locis tempora-
„ lis dominii Caroli Sabaudiæ Ducis, citra & ultra Montes commorantes,
„ ad Epiſcopum Maurianenſem & fratrem Angelum a Clavaſio, Pontifex
„ ſubſequentis tenoris diploma tranſmiſit, IV. Nonas Septembris.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Venerabili fratri Epiſcopo Maurianenſi, ac dilecto filio Angelo de Clavaſio Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſori, ad Dominia dilecti filii nobilis Viri Caroli Ducis Sabaudiæ, citra & ultra Montes, noſtri & Apoſtolicæ Sedis Nunciis & Commiſſariis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ *Noſtri cordis præcipue vota depoſcunt, ut pro quibus ſuperis adſeri-* Ex Archivo Civitatis Clavaſii.
„ *bendis, ceterum ipſe omnium Divinus rerum Opifex humanos lan-*
„ *guores perpeti voluit, Nos, quibus gregis ſui curam regimenque commiſit,*
„ *illos ab errorum præcipitiis vigilanti curemus eripere ſtudio, & eorum ſa-*
„ *luti, Divina nobis propitiante gratia, jugiter intendamus. Ad noſtrum*
„ *ſiquidem, qui indeſicienter in votis gerimus, ut Fides Catholica noſtris*
„ *proſperetur temporibus, & hæreſis de finibus Fidelium extirpetur, non*
„ *ſine diſplicentia grandi pervenit auditum, quod nonnulli iniquitatis filii,*
„ *in locis temporalis Dominii dilecti filii nobilis Viri Caroli Ducis Sabau-*
„ *diæ, citra & ultra Montes commorantes, ſectatores illius pernicioſiſſimæ*
„ *& abominabilis ſectæ hominum malignorum, Pauperum de Lugduno ſeu*
„ *Valdenſium nuncupatorum, qui dudum in partibus Pedemontium, & aliis*
„ *locis circumvicinis, procurante Satana, qui per ſtudioſa diverticula &*
„ *præcipitia latebroſa, oves Deo dicatas illaqueare, & demum ad perditio-*
„ *nem animarum perducere mortifera ſagacitate conatur, damnabiliter*
„ *inſurexerunt, ſub quadam ſimulata ſanctitatis ſpecie, in reprobum ſen-*
„ *ſum ducti, a via veritatis aberrantes, & ſuperſtitioſas hæreticas cære-*
„ *monias ſectantes, quam plurima Orthodoxæ fidei contraria, & oculos Di-*
„ *vinæ Majeſtatis offendentia, ac grave in ſe animarum periculum conti-*
„ *nentia, dicunt, faciunt & committunt.*
„ *Nos hujuſmodi ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos*
„ *errores, ne propagentur ulterius, neve per eos corda Fidelium damnabi-*
„ *lem corruptionem hauriant, ab Eccleſia Catholica, prout ex debito pa-*
„ *ſtoralis Officii tenemur, evellere & radicitus extirpare, ac hujuſmodi te-*
„ *merariorum auſum reprimere cupientes, omnes conatus noſtros ad id adhi-*
„ *bere, omnemque ſollicitudinem impendere decernimus: ac ſumentes de ve-*
„ *ſtris litterarum ſcientia, conſilii maturitate, Fidei zelo, & in agendis*
„ *experientia, in Domino fiduciam ſpecialem: pariter ſperantes, quod quæ*
„ *vobis pro hujuſmodi extirpandis erroribus committenda duxerimus, probe*
„ *& laudabiliter exequemini; vos noſtros & Apoſtolicæ Sedis Nuncios &*
„ *Commiſſarios ad Dominia prædicta, & illis adjacentia, Provincias &*
„ *Civitates, Terras & Loca quæcumque, pro honore Dei & Fidei cauſa, vi*
„ *præſentiarum duximus deſtinandos, ut ſectatores ipſos, & alios hæreticæ*

„ *pravitatis cujuſlibet labe pollutos, ad abjurandum eorum errores, & pa-*
„ *rendum mandatis Eccleſiæ, veſtris opportunis remediis inducatis: dan-*
„ *tes vobis plenam & liberam facultatem inquirendi & puniendi & corri-*
„ *gendi, & etiam abſque Ordinariorum conſenſu judicandi, & ſeculari*
„ *Curiæ tradendi, & vos, qui ad unitatem ſanctæ Matris Eccleſiæ redire*
„ *voluerint, abſolvendi: Et ut id tanto facilius efficere valeatis, quanto*
„ *major fuerit vobis per nos data facultas & auctoritas attributa, per vos*
„ *vel per alium, ſeu alios monendi, & inſtantiſſime requirendi univerſos*
„ *Archiepiſcopos & Epiſcopos, alioſque Eccleſiarum Prælatos in dicti Domi-*
„ *nii, & aliis adjacentibus locis prædictis conſtitutos, quos in partem ſol-*
„ *licitudinis vobiſcum evocavit Altiſſimus, eiſque in virtute ſanctæ Obedien-*
„ *tiæ mandandi, ut una cum venerabilibus Fratribus veſtris locorum Ordi-*
„ *nariis, vel eorum Vicariis ſeu Officialibus generalibus, in quorum*
„ *diœceſibus & Civitatibus duxeritis, ad præmiſſa procedendi, & injunctum*
„ *vobis officium exequendi una vobiſcum, ad eorum executionem procedere*
„ *potuerint vel voluerint, vel etiam ſine ipſis adverſus Valdenſes prædictos*
„ *& alios quoſcumque Hæreticos inſurgant, eoſque veluti aſpides veneno-*
„ *ſas, conjugatis invicem proceſſibus, conculcent, & ut populi eorum eis*
„ *crediti in confeſſione veræ fidei perſiſtant & roborentur, diligenter procu-*
„ *rent, & ad eorum Hæreticorum tam ſanctam tamque perneceſſariam ex-*
„ *terminationem & diſſipationem adhibeant omnes conatus, omnemque ſol-*
„ *licitudinem impendant promptis animis, ut tenentur, nilque ex his, quæ*
„ *ad id conferre poſſint, omittant, requirendi &c. Datum Romæ apud ſan-*
„ *ctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXCI. IV. *Nonas Se-*
„ *ptembris, Pontificatus noſtri anno* VII.

RE-

REGESTUM
PONTIFICIUM.

Digitized by Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

SIXTUS IV.

ANNO CHRISTI 1472. PONTIFICATUS ANNO 1. & 2.

BULLA I.

Confirmat privilegium Alexandri IV. conceſſum Monaſterio Clariſſarum Tudertino. Ex lib.5. bullarum. fol. 170.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.I. EX Apoſtolicæ Sedis proviſione &c. Hinc eſt quod nos dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſancti Franciſci Tudertin. Ordinis ſanctæ Claræ, alias ſancti Damiani, quod olim, ut ipſæ Abbatiſſa & Conventus aſſerunt, de Monaſterio Montis Sancti, qui tunc Mons Maſcaranus vocabatur, Aſſiſinaten. diœc. ad Civitatem noſtram Tudertin. translatum extitit, in hac parte ſupplicationibus inclinati, quaſdam fel. record. Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri litteras, eis conceſſas, quas in Cancellaria Apoſtolica diligenter inſpici & examinari fecimus, de verbo ad verbum, ſignis, ſubſcriptionibus, & characteribus dumtaxat præſentibus annotari, ipſas quoque litteras pro eo, quod incipiunt vetuſtate conſumi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod ſit, tantummodo conſervari. Tenor vero dictarum litterarum talis eſt.

§. II. *Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ de Monte Sancto, qui olim Mons Maſcarannus nominabatur, ejuſque Sororibus tam præſentibus, quam futuris, Regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus, aut eas a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis enervet: eapropter dilectæ in Domino filiæ veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſanctæ Mariæ de Monte Sancto Tudertin. qui olim Mons Maſcaranus nominabatur, in quo Divino eſtis obſequio mancipatæ, ad inſtar fel. record. Gregorii & Innocentii prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti Regulam, atque inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinaten. & formulam vitæ veſtræ, ab eodem Gregorio prædeceſſore noſtro, Ordini veſtro traditam, cum adhuc in minori officio conſtitutus eſſet, in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium impræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum, conceſſione Pontificum, largitione*

Re-

Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, & iis quæ vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, in diœceſi Tudertin. Sancti Joannis in Plano, ſancti Laurentii in Laureto, ſanctæ Mariæ de Collis Cantonis, & ſanctæ Mariæ de Gradellis Eccleſias cum pertinentiis earumdem: ſancti Hilarii de Riparola, ſancti Martini & ſancti Laurentii de Pulian. ſancti Xiſti, ſancti Jacobi de Sculea, ſancti Joannis de Lamctato, ſancti Angeli de Eremo, ſancti Salvatoris de Motione, ſancti Xzenonis, ſancti Chriſtophori & ſancti Laurentii de Poleran. capellas cum omnibus pertinentiis ſuis: hoſpitale ſancti Cataldi juxta Arnatham fluvium cum omnibus pertinentiis ſuis: capellam ſancti Benedicti de Camucia, Tudertin. cum omnibus pertinentiis ſuis: vineam quam habetis prope Civitatem Tudertin. terras, vineas & poſſeſſiones, quas habetis in Plano Tyberis, quad dicitur Planum de Pilo ſanctæ Crucis: quidquid habetis in Aſcio de Tufoli, terras, vineas, ſylvas & poſeſſiones, ac molendina, quæ habetis in locis, qui Aſcia Naje ſancti Xiſti Porelan. Aſpruli, & Foſſati de Kiman. vulgariter nominantur: Inſulam, quam habetis in flumine Tyberis, terras, vineas & poſſeſſiones, quas habetis lu locis, qui Planum Naje, Flore, Aſcia, Fracte, in Zangare, & de Salvatiſeli, vulgariter appellantur; terras, quas habetis in Aſcia Eccleſiæ ſancti Joannis in Plano: quidquid habetis in Aſcia de Caſalino, in loco, qui dicitur Collalone; terras, ſylvas & poſſeſſiones, quas habetis in locis, qui Riparol, Canuan, Clovanum, & campus Domucus, vulgariter nuncupantur: quidquid habetis a Rigo ſancti Gordiani, extra terras, vineas & poſſeſſiones, quas habetis in ſancti Joannis de Lamentato, de Gezalmis, Strata, & ſancti Laurentii de Pulian, Locariis; Gradum Molendini, quem habetis apud pontem Cutis, cum omnibus pertinentiis ſuis; quidquid habetis in territorio Montis Caſtelli, Manzan. & villæ de Speltariis, Molendinum, quod habetis in Plano ſanctæ Crucis, Caſalina, ſive domus, quas habetis in regione Collis, civitatis Tudertin. terras, vineas, ſylvas & poſſeſſiones, quas habetis in locis, qui Petralonga, Aſcium ſancti Terentiani, Criſpianum, Collis Sicus, Monſinger, Locare ſancti Angeli de Plebe, & Aſcium Pilioti, vulgariter nominantur: terras, vineas, ſylvas, domos & poſſeſſiones omnes Eccleſiæ ſancti Leucii Tudertin. quas habetis ex donatione noſtra in Civitate & diœceſi Tudertin. cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis & paſcuis in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas, e ſeculo fugientes, ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio veſtra profeſſionem, fas ſit de eodem diſcedere, diſcedentem vero nullus audeat retinere. Pro conſecrationibus vero Altarium vel Eccleſiæ veſtræ, ſive pro Oleo ſancto, vel alio Eccleſiaſtico Sacramento, nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere: ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus diœceſanus impendat, alioquin liceat vobis hoc auctoritate veſtra recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ obtinente: quod ſi Sedes diœceſani Epiſcopi forte vacaverit, interim omnia Eccleſiaſtica Sacramenta a vicinis Epiſcopis accipere libere & abſque contradictione poſſitis; ſic tamen, ut ex hoc proprio Epiſcopo ſuper his in poſterum nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum, Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos transſi-

re

Digitized by Google

re contigerit, ab eo benedictiones Monialium, vaſorum, & vini, & conſecrationes Altarium recipere valeatis. Cum autem generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clauſis januis, excommunicatis & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, Divina officia celebrare, dummodo cauſam non dederitis interdicto. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes, ſuſpenſionis, excommunicationis & interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam, tamquam contra Apoſtolicæ Sedis indulta prolatam, decernimus non tenere. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa, vel earum aliqua, quæ tibi ſucceſſerit, nulla ibi, qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia, præponatur, niſi quam Sorores communi conſenſu, vel earum major pars conſilii ſanioris, ſecundum Deum, & Beati Benedicti Regulam, providerint eligendam. Paci quoque, ac tranquillitati veſtræ, paterna in poſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum veſtrorum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates, quas Monaſterio veſtro bon. mem. Tudertin. Epiſcopus, Capituli ſui accedente conſenſu, indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in publico inſtrumento inde confecto melius continetur, ad inſtar dictorum Prædeceſſorum noſtrorum auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem autem inſtrumenti prædicti ad cautelam duximus præſenti privilegio annotandum, qui talis eſt. In nomine Domini. Anno MCCXXXVI. die tertio, intrante menſe Januarii, temporibus Domini Gregorii Papæ IX. regnante Fe. Rom. Imper. Indictione nona. Nos quidem Bonifacius Epiſcopus, & Capitulum Tuderſin. Divino, & beatæ Mariæ intuitu, & religionis obtentu, non vi vel dolo inducti, ſed libera & ſpontanea voluntate donamus, concedimus & largimur Eccleſiæ Romanæ, matri noſtræ, ac vobis Magiſtro Joanni de ſancto Germano, Domini Papæ Capellano, vice ac nomine ipſius Eccleſiæ recipienti, locum, qui dicitur Mons Maſcaranus, cum omnibus rebus, juribus, actionibus & pertinentiis ſuis habitis & habendis, poſitum, ſive ſitum prope Civitatem Tudertin. ad Monaſterium ibidem in honorem Virginis conſtruendam, juxta vitam pauperum Monialium recluſarum, de Ordine ſancti Damiani Aſſiſinaten. ut in eo virgines devotæ Deo, & aliæ ancillæ Chriſti, viventes juxta vitam, & Ordinem pauperum prædictarum, libere & honeſte Domino famulentur, & ipſis Dominabus, & eis ſuccedentibus, & omnibus aliis perſonis in perpetuum immunitatem plenam concedimus & libertatem: volentes ut dictus locus, Abbatiſſa, Moniales, & aliæ perſonæ inibi conſtitutæ, & quæ poſt eas illac futuris temporibus ſunt venturæ, plena & perpetua gaudeant libertate, qua gaudent Monaſteria, quæ pleno jure noſcuntur ad Romanam Eccleſiam pertinere: & ipſum locum, Abbatiſſam, Sorores, & perſonas commorantes in ipſo, ab omni Epiſcopali jure, & cujuslibet alterius conditionis obligatione, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus prorſus eximimus pleno jure; nihil nobis & noſtris ſucceſſoribus in iis omnibus reſervantes, niſi Eccleſiaſticorum Sacramentorum collationem, dedicationem Eccleſiæ, conſecrationes Altarium, benedictionem Monialium, cum ab Abbatiſſa & Sororibus fuerimus requiſiti, dum tamen ea gratis, & ſine pravitate qualibet ipſis exhibere velimus, & unam libram ceræ, quæ nobis & ſucceſſoribus noſtris annuatim in feſto Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, cenſus nomine perſolvetur. Præmiſſa, quæque nos dicti Epiſcopus & Capitulum pro nobis, noſtriſque ſucceſſoribus, vobis Magiſtro Joanni de ſancto Germano, Domini Papæ Capellano, pro ipſo recipienti, Monaſterio, & omnibus, quæ ad præſens ibidem Domino famulantur, & quæ ipſis ſucceſſerint

in

in perpetuum promittimus, ſtipulatione legitima ſervaturos. Quæ omnia fecimus abſolute, libere & præciſe nullius conventionis ſive pactionis aut conditionis tacitæ vel expreſſæ, generalis vel ſpecialis nobis commodo reſervato, ſed ſalvo nobis & ſucceſſoribus noſtris tantummodo, quod de Sacramentis, & libra ceræ ſuperius eſt expreſſum. Renuntiamus etiam in præmiſſis omnibus, inquiſitioni, viſitationi, correctioni, procurationi, impoſitioni ſervitutis, tempore conſecrationis, univerſis chartis, & quibuſcumque rationibus vel conditionibus, ſi quæ in hoc contrariæ apparent; quas ſi contigerit inveniri, nolumus in aliquo prodeſſe nobis, noſtriſque ſucceſſoribus ullo modo, ſed eas omnino caſſus eſſe volumus & inanes. Et nos dicti Epiſcopus & Prior, præſente & volente Capitulo, dictum Magiſtrum Joannem inveſtimus de loco, & omnibus ſupradictis. In cujus rei teſtimonium & cautelam, ſupradicta manu publica conſcribi fecimus, & ſigillorum noſtrorum, ac ſubſcriptionis propriæ munimine roborari. Actum in Camera Domini Prioris Epiſcopatus, in præſentia iſtorum teſtium, ſcilicet D. Ægidii Prioris ſancti Petri de Maſſa, D. Berardi Urbani, D. Debòt, D. Ger. Boban Canonicorum S. Joannis & Pauli, Joannis Clerici S. Rom. Begnobert, D. Benedicti S. Hilarii, & Malamantis ſervientis Epiſcopo, Andreæ, & Palmerii Not. Ego Joannes auctoritate Imperiali Notarius omnibus ſupradictis interfui, & rogatus ſcribere, ſcripſi & publicavi: Nos D. G. Bonifacius Tudertin. Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Ruſticus Prior Tudertin. ſubſcripſi. Ego D. Bonifacius Canonicus ſubſcripſi. Ego Angelus Canonicus ſubſcripſi. Ego Hugolinus Canonicus Tudertin. ſubſcripſi. Ego Spatianus Canonicus ſubſcripſi. Ego Paulus Canonicus ſubſcripſi. Ego Bonafides Canonicus ſubſcripſi. Ego D. Albericus Canonicus ſubſcripſi. Ego Hugolinus presbyter Canonicus ſubſcripſi. Ad indictum autem hujus perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis, unam libram ceræ nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur earum, pro quarum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate: ſi quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine, diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Guillelmi Magiſtri ſcholarum Parmen. S. Rom. Eccleſiæ Vicecancellarii VI. *Kal. Januarii, Indictione* XIII. *Incar. Dom. anno* MCCLV. *Pont. vero D. Alexandri Papæ IV. anno* II.

Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dom. MCCCCLXXI. XV. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno I.

II. *Quod*

Digitized by Google

II.

Quod Superiores inſtituere poſſint Syndicos, quorum explicat auctoritatem.
Ex ſpeculo tract. 2. fol. 65.

Ad perpetuam rei memoriam.

Martinus IV. Fratrum neceſſitatibus Syndicorum deputatione curavit provideri.

§. I. DUm fructus uberes &c. Dudum ſiquidem fel. record. Martinus Papa IV. prædeceſſor noſter, cupiens honeſta adhibere remedia, quibus dicti Ordinis pura obſervantia in ſuo vigore ſervaretur, & ut Fratres ejuſdem Ordinis, excluſis quibuslibet ſollicitudinibus, liberius & quietius Divinis vacarent obſequiis, ac offerentium & donantium, aut in ultima voluntate relinquentium dicto Ordini, ſeu illius Fratribus aliquid propter Deum, pia intentio non fraudaretur: Romana quoque Eccleſia, ad quam omnium rerum mobilium & immobilium, quibus Fratres ipſi uti poſſunt, jus proprietatis, & dominium nullo medio pertinet, & ad quam Fratres ipſi, quoties neceſſitas ingruebat, vel utilitas perſuadebat, recurrere ſoliti erant, ut a cura & ſollicitudine providendi eorumdem Fratrum neceſſitatibus relevaret, necnon hæredum & executorum piarum voluntatum defunctorum etiam negligentiis obviaretur, ipſique Fratres ſecundum modos permiſſos & licitos, relictis ſibi eleemoſynis gaudere valerent, per quaſdam litteras ſuas, Apoſtolica auctoritate, & de poteſtatis plenitudine, voluit, ſtatuit & decrevit, quod ſpeciales perſonæ per Generalem, ac Provinciales Miniſtros, ac Cuſtodes dicti Ordinis nominandæ, in præmiſſis adminiſtrationem legitimam, generalem & liberam gererent, & veri legitimique Adminiſtratores, Œconomi, Syndici, & Actores eſſent, ac res ipſas, & earum pretium, prædictaſque eleemoſynas, nomine ipſius Romanæ Eccleſiæ reciperent, & in ipſorum Fratrum utilitates, prout eis liceret ex Regula vel ejus declaratione, ſicut & quando ab eiſdem Generali, & aliquo ex Provincialibus Miniſtris, Cuſtodibus in Provincia, vel Cuſtodia ſibi decreta, vel ab eiſdem Fratribus de ipſorum Generalis vel Provincialis Miniſtri ac Cuſtodis aſſenſu, forent requiſiti, convertere poſſent & deberent, cum plena, generali & libera poteſtate petendi, exigendi, recipiendi, alienandi, tranſigendi, paciſcendi, convertendi, compromittendi, renunciandi, refutandi, quietationem faciendi, comparendi, agendi, defendendi, ac in animam eorum de calumnia vitanda, & de veritate dicenda jurandi, & cujuslibet alterius generis juramentum præſtandi cum illis, & contra illos, qui hujuſmodi res mobiles & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemoſynas Fratribus in teſtamentis occuparent, vel violenter auferrent, ſive contra voluntatem Fratrum quomodolibet detinerent, & generaliter in omnibus cauſis pro rebus & locis hujuſmodi, ad ipſam Romanam Eccleſiam ſpectantibus, ipſorum Fratrum uſui conceſſis, necnon pro immunitatibus, libertatibus, juribus, privilegiis & indulgentiis eorum, ſine cujuslibet dationis, aut cautionis onere, præfata auctoritate in judicio & extra, plenam, generalem & liberam poteſtatem haberent.

Veri ii Syndici cenſendi, qui a Miniſtris Generali, vel Provincialibus deputantur.

Eorum facultates, & munus.

§. II. Conceſſit quoque eiſdem Generali & Provincialibus Miniſtris, necnon Cuſtodibus plenam, generalem & liberam poteſtatem perſonas hujuſmodi, quæ non eſſent de dicto Ordine, pro ſingulorum locorum indigentia nominandi, & perſonas eaſdem, ac earum quamlibet revocandi, & earum loco alias ſubrogandi vel nominandi, per ſupradictum modum nominationis, quoties opportunum foret, qui eamdem in prædictis, vel ſimilem haberent poteſtatem.

Poſſunt Miniſtri alios in eorum loco ſubrogare.

Digitized by Google

Syndici poſſunt bona relicta recipere, & ad Fratrum uſum convertere.

§. III. Et deinde piæ memoriæ Martinus Papa V. etiam prædeceſſor noſter per alias litteras ſuas conceſſit præfato Generali, donec aliud per Sedem Apoſtolicam foret ordinatum, facultatem concedendi Procuratoribus domorum & locorum dicti Ordinis, pro tempore exiſtentibus, ut poſſeſſiones & bona quæcumque mobilia & immobilia, ac annuos proventus hactenus præfato Ordini, & ejus Conventibus relicta, & in poſterum relinquenda, aut aliis nominibus acquiſita, ut vice & nomine Romanæ Eccleſiæ recipere, tenere & poſſidere, ac ipſorum fructus, reditns & proventus petere, exigere & percipere, ipſoſque in commodum & utilitatem ipſorum Fratrum, Conventuum & locorum eorumdem, & alias in uſus eorum, quibus relicta & deputata forent dumtaxat, & de ipſorum Fratrum conſilio, requiſitione & aſſenſu, convertere & exponere poſſent & deberent, prout in ſingulis dictorum prædeceſſorum litteris hujuſmodi plenius continetur.

Generalis Miniſtri Pontifici nova facta petitio.

§. IV. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Zaneti de Utino, dicti Ordinis Generalis Miniſtri, & Theologiæ profeſſoris, petitio continebat, noſque etiam dum in minoribus conſtituti, ipſius Ordinis Generalis Miniſtri fungeremur officio, experientia comprobavimus, quod dicti Ordinis Fratres, Domino benedicente, ita pullulaverint, quod propter eorum multiplicationem, frigeſcente nonnumquam erga eos in nonnullis mundi partibus fidelium caritate, ex incerta mendicitate, & minutis eleemoſynis ſe ſuſtentare, & illis, qui ſacræ Theologiæ ſtudiis, ut eorum ingenia rore ſapientiæ illuſtrata,multos ac fertiles actus dirigere poſſint, operam præbent, neceſſaria miniſtrare, ſtructuras & ædificia domorum dicti Ordinis conſervare non poſſunt, illaque plurimum ad ruinam tendere dignoſcantur, & a nonnullis revocetur in dubium, an perſonæ per eoſdem Generalem & Provinciales Miniſtros, ac Cuſtodes juxta litteras præfati Martini IV. prædeceſſoris noſtri pro tempore nominatæ, hæreditates, in quibus domus ſeu Fratres dicti Ordinis, aut domorum eorumdem, Eccleſiæ vel capellæ, aut picturæ, ſeu fabricæ inſtituuntur, vel ſubſtituuntur, & quæ ad eos, ſi capaces forent, alias devolverentur, petere, conſequi & habere poſſint nomine præfatæ Romanæ Eccleſiæ, & bona hæreditatum earumdem vendere, & in uſus licitos eorumdem Fratrum convertere valeant, juxta prædictarum litterarum continentiam: fueritque propterea, pro parte dicti Zaneti de Utino nobis humiliter ſupplicatum, ut voluntatem, ſtatutum, decretum, conceſſiones, ac quaſcumque alias litteras a Sede Apoſtolica circa præmiſſa dicto Ordini conceſſas, ac in illis contenta dicta prædeceſſorum, pro illorum ſubſiſtentia firmiori noſtræ approbationis munimine roborare, ac alias prædictorum Fratrum neceſſitatibus opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Ordinis elogiū.

§. V. Nos igitur præfati Ordinis, qui omnium Conditori gratiſſimus eſt, & piæ devotioni fidelium acceptus, ut illius perſonarum, quarum prædicationibus verbi, & Evangelicæ veritatis, ſacrorumque eloquiorum explanatione, conſiliis & caritativis admonitionibus fideles ipſi circa animarum ſuarum ſalutem magna commoda conſequuntur, ſtatum proſperum & felicem intenſis deſideriis affectantes, necnon pias decedentium, quorum amplius non redit arbitrium, voluntates executioni mandari, & ex eis, quæ Divinæ propitiationis intuitu, pia largitione fidelium conceduntur, ſtructuras & ædificia domorum dicti Ordinis, ac ſtudium ſacræ Theologiæ in Ordine prædicto manuteneri, & ejuſdem Ordinis profeſſoribus hujuſmodi ſtudio vacare volentibus, ut id commode facere poſſint, ſubveniri: Chriſtianæ Reipublicæ permaxime utile ac neceſſarium fore, ac inter ſumme meritoria, & Deo grata opera non immerito connumerari poſſe & debere putari; hujuſmo-

modi ſupplicationibus inclinati, prædictas, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim recol. mem. Eugenii Papæ IV. circa præmiſſa dicto Ordini ſimiliter conceſſas litteras Apoſtolicas, atque in eis contenta, dicta auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis ſupradictæ, præſentium tenore approbamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere, & obſervari debere decernimus.

Litteras Eugenii IV. Sixtus confirmat.

§. VI. Et nihilominus volumus, ac eiſdem auctoritate, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, inſtitutiones & ſubſtitutiones, relicta, legata, donationes inter vivos, & cauſa mortis, aliæque piæ & non piæ diſpoſitiones quæcumque, quocumque nomine nuncupentur, tam ſimplices & puræ, quam conditionales & modales, Fratres & domos dicti Ordinis, ipſarumque domorum Eccleſias, capellas, picturas & fabricas, ſeu illorum commodum & ſavorem quomodolibet concernentes, hactenus factæ, & in poſterum perpetuis futuris temporibus faciendæ, etiamſi in tempore inſtitutionum, ſubſtitutionum, relictorum, fideicommiſſorum, legatorum, donationum, aliarumque diſpoſitionum hujuſmodi, Fratres ipſi, in quorum ſavorem emanarent, nondum Ordinem prædictum ingreſſi forent, eidem Romanæ Eccleſiæ, & de illa Ordini & Fratribus, ac locis eorumdem factæ eſſe intelligantur, ut eumdem plenarium ſortiantur effectum, quæ ſortirentur, ſi nominatim & expreſſe præfatæ Romanæ Eccleſiæ, & de illa ac in ejus ſavorem factæ ſorent, nec poſſint prætextu incapacitatis eorumdem Fratrum, quovis modo de invaliditate notari.

Legata piorum pro Fratribus de invaliditate notari non poſſunt.

§. VII. Hæreditates vero, quæ eiſdem Fratribus, ſi in ſeculo ſorent, ab inteſtato deferentur, praſatæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ipſorum Fratrum locum quoad hoc tenet: ipſa quoque Romana Eccleſia, quoad hæreditates & bona, quæ Ordinem ipſum ingredientes ſub conditione mortis eorum ſine filiis, reſtituere gravati ſunt, filiorum locum teneat, ſicut tenent Monaſteria proprium habentia in communi, ſi tales gravati illum ingreſſi forent. Quodque eadem Romana Eccleſia, & pro ea illius Syndici juxta prædictarum litterarum Martini IV. prædeceſſoris noſtri præſati tenorem pro tempore nominati, in ſubſtitutionibus, relictis, legatis, donationibus, aliiſque piis & non piis diſpoſitionibus prædictis, necnon ex illis, quæ ab inteſtato profeſſoribus dicti Ordinis, ſi capaces ſorent, deſerrentur, hæreditatibus, & bonis, quæ ingredientes Ordinem ipſum ſub conditione mortis eorum ſine filiis reſtituere gravati ſunt; id totum petere, conſequi, & habere poſſint, ac ſi inſtitutiones, ſubſtitutiones, relicta, legata, donationes, aliæque diſpoſitiones hujuſmodi in ipſius Romanæ Eccleſiæ utilitatem nominatim emanaſſent vel emanarent, ipſæque ab inteſtato hæreditates ipſi Romanæ Eccleſiæ, ſive ipſius Fiſco delatæ forent, & quod retinerent filii talium, de reſtituendo ſub conditione mortis ſine filiis gravatorum, ſi extarent.

Circa hæreditates proviſio.

§. VIII. Habeant quoque Syndici præfati circa præmiſſa parem, quam idem Martinus IV. prædeceſſor eos habere voluit, circa in eiſdem litteris ſuis contenta, facultatem. Volumus tamen, quod bona, quæ eos nomine ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, præmiſſarum & præſentium litterarum tenoris vigore conſequi contigerit, juxta earumdem tenorem alienare, & in uſus licitos eorumdem Fratrum, præſertim in fabricam & reſtaurationem ſtructurarum & ædificiorum domorum Fratrum eorumdem, necnon manutentionem ſtud ii ſacræ Theologiæ, & ſtudentium, in illa ſuſtentatione convertere de beant & teneantur, de conſilio & aſſenſu Fratrum & Capituli Conventus vel loci, cui talia relicta & legata ſunt, auctoritate dicti Genera-

Alia Syndicorū facultas.

lis, vel Miniſtri Provincialis etiam accedente. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXI. pridie Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno 1.

III.

Ut admittere poſſint Conventum in oppido Baren. Ex lib. 6. bullarum Sixti. fol. 213.

Dilectis filiis Fabiano de Igal Miniſtro Provinciali totius Regni Hungariæ, & Gregorio de Zarnaſt Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus &c.

§. I. Sacræ Religionis &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Mathias Rex Hungariæ illuſtris pie conſiderans, quod vos veſtris prædicationibus & bonis operibus, mediante gratia Altiſſimi, certas gentes Filicſtros nuncupatas, in regno Hungariæ cohabitantes, & a fide Catholica alienas, ad gremium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ad cognitionem veræ fidei perduxeratis, præfatus Rex Filicſtris prædictis ſuper hoc ſibi ſupplicantibus, quod unam Eccleſiam in oppido de Baren. Agrien. diœceſis cum domo, cœmeterio, dormitorio, clauſtro, campana, campanili, hortis, hortalitiis, ac aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione tam veſtra, quam aliorum Fratrum dicti Ordinis ædificare poſſent, quantum in eo fuit, licentiam conceſſit; quodque Filicſtri prædicti domum hujuſmodi, ſub vocabulo beatæ Mariæ poſtmodum ædificarint. Quare pro parte tam dicti Regis, quam veſtra, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis recipiendi domum prædictam, & in ea cum aliis Fratribus dicti Ordinis perpetuo habitandi, licentiam concedere & indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur præfati Regis, ac veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod domum prædictam recipere, & una cum aliis Fratribus Ordinis hujuſmodi perpetuo cohabitare libere & licite valeatis, licentiam concedimus per præſentes. Volumus inſuper, quod vos & Fratres, quos in dicta domo pro tempore reſidere contigerit, omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, gratiis, exemptionibus, aliis domibus & Fratribus Ordinis ejuſdem in genere conceſſis & concedendis, uti & gaudere libere & licite valeatis, in omnibus & per omnia, prout aliæ domus Ordinis prædicti utuntur & gaudent: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Paulum extra muros Urbis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. XV. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno 1.

IV. *Ut*

IV.

Ut poſſint ædificare Conventum in oppido Kreutzenach. Ex lib. 24. bullar. fol. 142.

Dilecto filio nobili viro Friderico Duci Bavariæ.

§. I. EXimiæ devotionis affectus, quem tu qui Romani Imperii Elector, & Comes Palatini Rheni exiſtis, & dilectus filius nobilis vir Fridericus Dux Bavariæ, qui & Palatini Rheni Spanheim Comes eſt, ad nos & Rom. geritis Eccleſiam, non indigne promeretur, ut votis veſtris, illis præſertim, quæ Divini cultus augmentum, & ſacræ Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos zelo devotionis accenſi, ad laudem Divini nominis, & ob ſingularem, quem ad Ordinem Minorum geritis devotionis affectum, quamdam domum pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in oppido veſtro Kreutzenach, Moguntin. diœc. in quo, aut alio loco ibidem vicino, nulla domus ejuſdem Regularis Obſervantiæ exiſtit, ad laudem Omnipotentis Dei, ipſiuſque Religionis propagationem de novo conſtrui & ædificari facere affectatis. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis hujuſmodi domum, ut præfertur, conſtrui & ædificari faciendi, licentiam concedere, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos itaque, qui Divinum cultum noſtris adaugeri temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ſine alicujus præjudicio, domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prædictis, pro uſu & habitatione Fratrum eorumdem conſtrui & ædificari faciendi, necnon dilecto filio Vicario dicti Ordinis Provinciæ Argentinen. ſecundum morem ejuſdem Ordinis, ac Fratribus prædictis domum ipſam cum eiſdem Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo retinendi plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, & eadem auctoritate concedimus eiſdem Fratribus, qui in eadem domo pro tempore morabuntur, quod omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, conceſſionibus & indulgentiis, aliis domibus vel Fratribus ejuſdem Ordinis per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, uti, gaudere libere & licite valeant: Jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. III. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno I.

V. *Con-*

V.

Concedit eis Monaſterium ſancti Petri in Monte aureo Romæ. Ex bulla originali.

Dilectis filiis Amadeo Hiſpano Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, & Fratribus ejuſdem Amadei ſociis &c.

§. I. SAcræ zelus religionis &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Monaſterium ſancti Petri in Montorio de Urbe in Tranſtyberi, ubi dicitur ſanctum Petrum Principem Apoſtolorum martyrium in cruce ſuſcepiſſe, vacet ad præſens, ac tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Laterani ſtatuta Concilii eſt ad Sedem prædictam legitime devoluta, licet per aliquas Moniales Ordinis ſancti Benedicti, quæ omnes ſunt defunctæ, per aliquos annos proxime præteritos fuerit habitatum.

§. II. Nos cupientes dicto Monaſterio ſalubriter providere, ad vos ſub regulari Obſervantia viventes, & de religionis zelo, vitæ ſanctimonia, apud nos laudabiliter commendatos, oculos noſtros dirigentes, ac Ordinem, cujuſcumque Ordinis ſit, in eo ſupprimentes, ac penitus extinguentes, motu proprio, non ad veſtram, vel alterius pro vobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, Monaſterium prædictum, cujus fructus, reditus & proventus nulli vel modici ſunt, quocumque modo vacet, quem nos hic haberi volumus pro expreſſo, ac a quocumque Monaſterio dependeat, cum Eccleſia, & ædificiis, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, vobis pro uſu & habitatione veſtra, & per vos præſentes, ac alios pro tempore exiſtentes perpetuo tenendum & inhabitandum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, pariter & aſſignamus, ita quod ex nunc liceat vobis per vos, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem Monaſterii, Eccleſiæ, ædificiorum juriumque, & pertinentiarum prædictorum, propria auctoritate apprehendere, & in illo campanile accampanam habere, necnon illud, & Eccleſiam ac ædificia ſua prædicta reficere & ampliare, ſeu refici & ampliari facere, & perpetuo inibi reſidere, ac dicti Monaſterii fructus, reditus & proventus hujuſmodi in veſtros, & prædictæ Eccleſiæ uſus, & eleemoſynam convertere libere & licite, cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri & quibusvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. XIV. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno I.

VI.

Prohibet Obſervantum tranſitum ad Conventuales. Ex ſpeculo Min. tract. 2. fol. 43.

Dilecto filio Vicario Generali omnium Fratrum Minorum de Obſervantia Ultramontanorum &c.

§. I. FEciſti nobis humiliter ſupplicari, ut dignaremur paterna benignitate, opportuno tibi adeſſe remedio, ad continendum in obedientia Fratres tuæ curæ ſubjectos, quorum aliqui plerumque vagantur, ex eo

eo quod nonnulli dicti Ordinis Fratres tuæ curæ non ſubjecti, litteras & indulta a nobis ſe habere aſſerunt recipiendi Fratres de Obſervantia, contra & præter formam litterarum fel. rec. Pauli Papæ II. noſtri prædeceſſoris ſuper concordia Obſervantium & Conventualium Fratrum dicti Ordinis editarum.

§. II. Quocirca recolentes, quod nos, dum in minoribus ageremus, ſuaſores ipſi Paulo prædeceſſori fuerimus edendi hujuſmodi litteras, quodque nec fuit, nec eſt noſtræ intentionis prædictis litteris concordiæ, quas utiles & perneceſſarias eſſe cognoſcimus, in aliquo quoad hoc derogare, volumus, & tenore præſentium declaramus, quod quicumque Frater tuæ curæ ſubjectus, abſque licentia tua, vel ſui provincialis Vicarii præſumeret recedere, ipſo facto excommunicationis pœna ligatus ſit, quam pœnam ultra illas in litteris dicti Prædeceſſoris contentas, receptores quoque illorum incurrant: quibuſcumque privilegiis, litteris & indultis in genere vel in ſpecie locis vel perſonis quibuslibet, per nos vel per Sedem Apoſtolicam conceſſis & in poſterum concedendis, etiam ſi talia forent, quod de eis, eorumque totis tenoribus præſentibus habenda eſſet expreſſa & ſpecifica, ac de verbo ad verbum mentio ſpecialis, quæ omnia harum ſerie revocamus, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

§. III. Cum autem pro faciliori manutentione hujuſmodi concordiæ, nobis ſupplicare feceris, ut præfatas litteras confirmare dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac mutuæ inter Religioſos omnes caritati conſulere cupientes, quo ſemotis diſcordiis virtutum Domino quietius famulari poſſint, illas Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Octobris, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. Pontificatus noſtri anno II.

VII.

Ne fiant intra triennium pluſquam duo capitula provincialia. Ex Spec. Min. tract. 2. fol. 50.

Dilecto filio Vicario Generali Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, familiæ Ultramontanæ &c.

§. I. FUit nobis pro parte tua expoſitum, quod a ſanctæ recordationis Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro bulla quædam, quæ incipit: *Ut ſacra Ordinis*, emanavit, per quam Fratres de tua familia Ultramontana aſtringi & obligari videntur ad tenendum ſingulis annis provinciale capitulum, quod quidem, cum, ut aſſeris, abſque magnis dictorum Fratrum incommodis, diſpendiis & inconvenientiis obſervari non poſſit, ſupplicaſti nobis humiliter, ut in præmiſſis benigne & gratioſe providere dignaremur.

§. II. Nos autem, qui pacem & commodum omnium, & præſertim Religioſorum pie affectamus, per præſentes, quantum expoſitio tua vera eſſe dignoſcitur, concedimus & ordinamus, ut deinceps Fratres prædicti, ſine conſcientiarum ſcrupulo, aut alicujus cenſuræ vel pœnæ incurſu, non niſi duo tantum provincialia capitula de triennio in triennium, ubi expedire videbitur, tenere & celebrare obligentur: dicta prædeceſſoris noſtri bulla in ea parte, ceteriſque contrariis quibuſcumque, non obſtantibus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Decembris, anno Domini MCCCCLXXII. Pontificatus noſtri anno II.

VIII.

Approbat reformationem trium Conventuum in Dacia. Ex lib. 28. fol. 60.

Venerabili fratri Epiſcopo Ottonien. &c.

§. I. INter curas multiplices &c. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Criſtierni, Daciæ & Gothorum Regis illuſtris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius Zanetus de Utino, ſacræ Theologiæ profeſſor, Ordinis Minorum Generalis Miniſter, cupiens Fratres ſibi ſubditos, regulariter vitam ducentes & religioſe Domino famulantes, in omni ſanctitate conſervari, & opportunis favoribus, pro eorum ſtatu conſervando proſequi; & conſiderans, quod Conventus Ottanien. dicti Ordinis reformatus & ad religioſam vitam reductus erat, reformationem ipſam, ad præfati Regis & tuam ſupplicationem approbavit, ratificavit & confirmavit: & quia in Swinebergen. & Nyeſtetden. prædicti Ordinis Conventibus, Ottonien. diœceſis, præter Ordinis morem & inſtituta, Fratres a regulari vita relaxati vivebant, & in eis penitus vita religioſa extincta erat, ut ad regularem vitam reducerentur, ad ſimilem ſupplicationem Fratribus dicti Conventus Ottonien. reformationem dictorum Swinebergen. & Nyeſtetden. Conventuum ad inſtar Conventus eorum per eos, & dilectum filium Laurentium Branderii Fratrem ejuſdem Ordinis profeſſorem, tám Apoſtolica, quam dicti Miniſtri auctoritatibus reformari commiſit, ac eis mandavit, ut præfatum Conventum Ottonien. ſub ea reformatione, ſub qua erat, & alios duos reformandos ſuſciperent, & ſuſceptos retinerent & conſervarent, plenam eis tribuens auctoritatem & facultatem; & alia fecit, indulſit atque mandavit, prout in litteris ipſius Generalis ejus ſigillo ſignatis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, reformationi & commiſſioni, ac aliis præmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam tibi de conceſſione, reformatione & commiſſione præmiſſis legitime conſtiterit, illas, ac ea concernentia omnia & ſingula in dictis litteris contenta, auctoritate noſtra approbes & confirmes, ſuppleaſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus ſi confirmationem, approbationem & ſuppletionem hujuſmodi per te vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, facias eadem auctoritate conceſſionem, reformationem & commiſſionem hujuſmodi inviolabiliter obſervari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. pridie Nonas Februarii, Pontificatus noſtri anno II.

IX. *Ut*

Digitized by Google

IX.

Ut Conventus Agrigentinus reſtituatur Fratribus Obſervantibus. Ex libro 57. bullar. fol. 49.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Agrigentin. in ſpiritualibus generali &c.

§. I. PIis ſupplicum votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis & hominum Civitatis Agrigentin. petitio continebat, quod licet alias bon. mem. Matthæus Epiſcopus, tunc Electus Agrigentin. & Ordinis Minorum profeſſor, ob reverentiam beati Franciſci unam domum ſive Conventum ſancti Nicolai in diœceſi Agrigentina, pro uſu & habitatione Fratrum præfati Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, de licentia Sedis Apoſtolicæ conſtrui & ædificari fecerit, ac poſtquam in eadem domo ſive Conventu Fratres ejuſdem Ordinis, de Obſervantia nuncupati per XL. annos & ultra moram traxerunt, & ibidem in ſpiritu humilitatis vota ſua Altiſſimo perſolverunt, adeo quod plures ex nobilibus & civibus præfatæ Civitatis, ob magnam devotionem, quam ad domum ſive Conventum hujuſmodi gerebant, in Eccleſia domus ſive Conventus hujuſmodi eorum ſepulturam eligerent, ipſorumque corpora in eadem Eccleſia ſepulta fuerunt, & magnus ipſius Civitatis ac aliarum partium vicinarum populus ad eamdem Eccleſiam, devotionis cauſa tunc confluerent; quia tamen Fratres prædicti in domo ſive Conventu hujuſmodi tunc commorantes, illum dereliquerunt, bon. etiam mem. Dominicus Epiſcopus Agrigentin. a quatuor annis citra, domum ſive Conventum hujuſmodi nonnullis Fratribus Ordinis beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, abſque præfatæ Sedis licentia conceſſit, ac nonnullos ex præfatis Fratribus ipſius Ordinis beatæ Mariæ domum ſive Conventum hujuſmodi inhabitare permiſit, quod eorum negligentia domum ſive Conventum hujuſmodi corruere permiſerunt, prout corruit de præſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfati Communitas & homines cupiant domum ſeu Conventum hujuſmodi prædicto Ordini Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum reſtitui, ac inibi aliquos ex Fratribus prædictis ipſius Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum reſtitui, ac inibi aliquos ex Fratribus prædictis ipſius Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum collocari; pro parte Communitatis & hominum prædictorum aſſerentium, quod in domo ſeu Conventu hujuſmodi dumtaxat unus Frater præfati Ordinis beatæ Mariæ moram trahit de præſenti, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus domum ſeu Conventum hujuſmodi dicto Ordini Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, pro uſu & habitatione ipſorum Fratrum dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum reſtituere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divinum cultum ubique vigere & augeri noſtris potiſſime temporibus exoptamus, ipſorum Communitatis & hominum pium & laudabile propoſitum in hoc plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi vocatis dicto Fratre, qui domum ſive Conventum hujuſmodi inhabitat, & aliis qui fuerint evocandi, de præmiſſis tibi legitime conſtiterit, Generali & Provinciali Miniſtris dicti Ordinis Fratrum Minorum, domum ſeu Conventum hujuſmodi, pro uſu & habitatione ipſorum Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, de novo recipiendi

& inhabitandi plenam & liberam licentiam & facultatem auctoritate noſtra concedas. Nos enim Fratribus dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in domo ſeu Conventu hujuſmodi pro tempore moraturis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, conceſſionibus, indulgentiis, gratiis & indultis, quibus aliæ domus, Conventus & Fratres Ordinis prædicti utuntur & gaudent, uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIII. Kalendis Junii, Pontificatus noſtri anno II.

Anno Christi 1474. Sixti IV. anno 3. & 4.

X.

Jubet obſervari conſtitutionem a ſe editam de non ſolvendo per Fratres Mendicantes quartam funeralem, in qua etiam confirmavit eorum privilegia.
Ex brevi originali.

Venerabilibus Fratribus univerſis Epiſcopis, ac eorum Vicariis ceteriſque Eccleſiarum Rectoribus &c.

§. I. DUdum ad removenda ſcandala & diſſenſiones, quæ exoriri videbantur, certa privilegia, per fel. record. Calixtum Papam III. prædeceſſorem noſtrum conceſſa, videlicet, ut Fratres Mendicantes quartam partem legatorum ſibi factorum parochianis, ſub quibus ipſi legatarii eſſent, tradere tenerentur, per noſtras plumbatas litteras: *Ad futuram rei memoriam*, revocavimus, & eorum privilegia omnia confirmavimus, voluimuſque ut quartam partem hujuſmodi Fratres ipſi pro ſe retinerent, neque de illa cuiquam reſpondere tenerentur, prout latius in eiſdem litteris continetur.

§. II. Nunc autem accepimus, quod quamvis dilecti filii Fratres Minores Regularis Obſervantiæ dictas litteras noſtras diverſis Eccleſiæ Prælatis præſentaverint, quidam tamen ex ipſis illas admittere noluiſſe dicuntur, in ipſorum Fratrum præjudicium, ac noſtrum, & hujus ſanctæ Sedis contemptum, quod valde miramur; quinimo ipſorum aliqui contra eorumdem Fratrum privilegia, ſepulturam impedire & moleſtare præſumunt, cogentes mortuorum hæredes per Eccleſiaſticas cenſuras, ut corpora defunctorum ad parochiales Eccleſias deferantur, & ibidem officium decantetur, ſub velamine cujuſdam *ultimi vale*, quod minime fieri conſuevit, ac diverſimode litteris non attentis, contra dictorum Fratrum privilegia venire non ceſſant. Nos autem, quorum eſt omnium jura ſervare, vos & veſtrum quemlibet hortamur, & ſub pœnis in ipſis noſtris litteris contentis adſtringimus, quatenus in his & aliis ſimilibus dictos Fratres amplius moleſtare contra eorum privilegia non præſumatis, ſed juxta litterarum noſtrarum tenorem, illa ad unguem obſervetis, prout obſervari volumus & mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus Viennen. & aliis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Januarii MCCCCLXXIV. Pontificatus noſtri anno III.

XI.

Ut poſſit ædificare domum Obſervantum prope oppidum de Belalcazar,
Ex lib. 52. bullar. fol. 191.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Elviræ de Stuniga Dominæ loci de Belalcazar, Corduben. diœceſis &c.

§. I. Sinceræ devotionis affectus &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu fervore devotionis, quam ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum geris, ſummopere deſideras unam domum prope oppidum tuum de Belalcazar, Corduben. diœceſis, in loco ad hoc idoneo, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, cum Eccleſia, dormitorio, campanili, campana, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis de novo ædificare & erigere, ſeu ædificari & erigi facere, dummodo ſuper hoc ejuſdem Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi unam domum prope dictum oppidum, in loco ad hoc idoneo, cum Eccleſia, dormitorio, campanili, campana, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, de novo ædificandi & erigendi, ipſiſque Fratribus domum ipſam pro eorum uſu & habitatione recipiendi & inhabitandi licentiam concedere, ac alias opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur,

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum ubique vigere noſtris potiſſime temporibus affectamus, tuum pium & laudabile propoſitum in hac parte in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi unam domum prope præfatum oppidum, in loco ad hoc idoneo, cum Eccleſia, dormitorio, campanili, campana, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, de novo ædificandi & erigendi, ipſiſque Fratribus domum ipſam, pro eorum uſu & habitatione recipiendi & inhabitandi plenam & liberam licentiam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Ac Fratribus in eadem domo pro tempore commorantibus, quod omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus & indultis, quibus alii Fratres ejuſdem Ordinis & Regularis Obſervantiæ in genere utuntur & gaudent, uti & gaudere valeant, concedimus per præſentes. Et nihilominus eadem auctoritate perpetuo ſtatuimus & ordinamus, quod domus ipſa, poſtquam erecta fuerit, domus *de la Columna* nuncupetur, ac tu eamdem ſic erectam domum illi Cuſtodiæ, cui tibi ſecundum Deum & conſcientiam magis videbitur expedire, ſubmittere & incorporare poſſis, & Cuſtos, ſub cujus Cuſtodia domum ipſam ſubmittere volueris, per te requiſitus, ſub ſua Cuſtodia & obedientia recipere teneatur; Prælatique ordinarii dicti Ordinis liberam habeant poteſtatem ponendi & amovendi in eadem domo, ſecundum Deum & conſcientias ſuas Prælatos & Religioſos, de quibus eis ad ſervitium Dei videbitur expedire, & in hoc nec Clerici, nec alii quicumque, ſub interdicti, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis ſe intromittere poſſint; quodque etiam Guardianus ejuſdem domus quoſcumque Religioſos cujuſvis Cuſtodiæ ad prædictam domum accedentes, uſque ad numerum triginta recipere, & in eadem domo retinere pro prima vice tantum, abſque Prælatorum ſuorum licentia, ipſique Religioſi ſic recepti, per dictum Guardianum ad alias do-

mos, ſeu alia loca dicti Ordinis, niſi de licentia Cuſtodis, ſub cujus Cuſtodia domus ipſa erit, ſe transferre non poſſint; & Guardianus & Fratres dictæ domus, per ipſum Guardianum pro tempore deputati, omnes & ſingulos Chriſtifideles pro eorum confeſſionibus audiendis, ad eos recurrentes, hujuſmodi confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis, dummodo talia non ſint, propter quæ Sedes prædicta merito fuerit conſulenda, debitam abſolutionem impendere, & eis pœnitentiam ſalutarem injungere poſſint: quodque in omnibus ſupradictis Prælatus quiſpiam, niſi de licentia ſummi Pontificis diſpenſare non poſſit. Non obſtantibus tam fel. record. Bonifacii Papæ VIII. quam aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIV. III. Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno III.

Anno Christi 1475. Sixti IV. anno 4. & 5.

XII.

Confirmat conceſſa per Pium II. Sororibus Tertii Ordinis oppidi Haſſelen. circa domus conſtructionem, & privilegia eis conceſſa. Ex lib. 105. fol. 50.

Dilectis filiis ſancti Jacobi Leodien. & ſancti Adalberti Egmonden. Trajecten. diœceſis Monaſteriorum Abbatibus &c.

§. I. Circumſpecta Apoſtolicæ Sedis benignitas &c. Dudum ſiquidem fel. record. Pio Papæ II. prædeceſſori noſtro, pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Magiſtræ & Sororum domus Vallis ſanctæ Catarinæ oppidi Haſſelen. Leodien. diœceſ. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati expoſito, quod bonæ memoriæ Joannes olim Epiſcopus Leodien. ipſis Magiſtræ & Sororibus prædictam domum cum certo numero Sororum, ac duorum Sacerdotum, & trium Fratrum ejuſdem Ordinis, cum acceptione cujuſdam capellæ tunc fundatæ in eadem domo, pro ipſarum utilitate fundandi, tria vota emittendi, habitum ſecundum conſuetudinem aliarum Sororum ejuſdem Ordinis geſtandi, ac vivendi ſub perpetua clauſura, retinendique unum confeſſorem, qui earum curam haberet, licentiam, aliaque indulta & gratias auctoritate ordinaria conceſſerat: quodque ipſa Magiſtra & Sorores domum prædictam vigore conceſſionis hujuſmodi, ut præfertur, fundaverant, idem prædeceſſor fundationem, indulta & gratias auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmavit & approbavit, ſupplens omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, ac ipſis Magiſtræ & Sororibus, ut dictæ capellæ per aliquem dicti Ordinis, vel alium Sacerdotem, poſt obitum Rectoris dictæ capellæ tunc exiſtentis, deſerviri facere, ac viſitatorem de Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub Vicario Provinciali provinciæ Colonien. ſecundum morem ejuſdem Ordinis Minorum, qui ſtatuta ordinaret, & delinquentes corrigeret, eligere poſſent; quodque confeſſor idoneus, confeſſionibus ſuis diligenter auditis, eas ſemel in vita in reſervatis, in aliis vero caſibus toties, quoties opus foret, abſolvere & eis pœnitentiam ſalutarem injungere, ac plenariam remiſſionem in mortis articulo concedere valeret, ſub certis modo & forma per ſuas litteras, in quibus quod

quod venerabilis frater noſter Ludovicus Epiſcopus Leodien. indulta & gratias hujuſmodi dicti Joannis Epiſcopi confirmaverat, expreſſum fuit, gratioſe conceſſit: quas quidem litteras idem prædeceſſor per alias ſuas litteras perinde valere voluit, ac ſi dictis prioribus litteris de confirmatione ipſius Ludovici Epiſcopi mentio ſpecialis facta non fuiſſet, & quod Magiſtra dictæ domus pro tempore exiſtens, juxta conſuetudinem aliarum Sororum dicti Ordinis, ſub tribus votis Altiſſimo famulantium, Sorores ad clauſuram & profeſſionem trium votorum hujuſmodi recipere poſſet, per eaſdem poſteriores litteras declaravit, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur.

§. II. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Magiſtræ dictæ domus Vallis ſanctæ Catarinæ, & illius ac in Dummel, in Brede, in Lira, in Harlem, in Delft, in Alemaria, in Aelzem, in Ogencloeſter, in Zutphania, & prope Veris, dictæ Leodien. & Trajecten. diœceſ. & aliarum domorum partium earumdem dicti Tertii Ordinis Sororum, & dilectorum filiorum Fratrum ipſarum domorum petitio continebat, præmiſſis bo. mem. Honufrio Epiſcopo Tricariceu. tunc in partibus illis cum plena poteſtate Legati de latere, Legato expoſitis, idem Honufrius Epiſcopus Officiali Leodien. ejus proprio nomine non expreſſo, ſuis dedit litteris in mandatis, ut ſi præmiſſa fore vera reperiret, gratias & indulta hujuſmodi aliis domibus prædictis, quibus illa per dictum Pium prædeceſſorem conceſſa non fuerant concederet, & Vicario dictæ Provinciæ pro tempore exiſtenti cum illius Capitulo Provinciali ſtatuta pro regularis vitæ manutentione condendi, & condita mutandi, eiſque addendi, & illa minuendi ac caſſandi, necnon ſcapulare cum chorda Fratribus & Sororibus prædictis, qui illa hactenus non detulerunt, ſicuti in eadem Provincia multi ejuſdem Tertii Ordinis deferebant, deferendi, licentiam dandi per ſuas litteras conceſſit facultatem: quarum quidem litterarum Honufrii Epiſcopi vigore, Officialis Leodien. tunc exiſtens, gratias & indulta hujuſmodi dictis Fratribus & Sororibus, juxta tenorem litterarum Honufrii Epiſcopi hujuſmodi, per ſuas litteras conceſſit, prout in ipſis Honufrii Epiſcopi & Officialis prædictorum litteris inde confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Magiſtræ, Fratrum & Sororum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictis conceſſionibus Honufrii Epiſcopi & Officialis, ac omnibus & ſingulis in dictis illorum litteris contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, vocatis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis, auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereritis, dictas Honufrii Epiſcopi & Officialis conceſſiones, ac, prout illas concernunt, omnia & ſingula in dictis eorum litteris contenta, eadem auctoritate approbetis & confirmetis, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan in conceſſis per ipſum Honufrium Epiſcopum intervenerint. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIV. VI. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno IV.

XIII. *Pro-*

XIII.

Prohibet tranſitum Obſervantum ad Conventuales, illorumque ad Obſervantes abſque certis conditionibus. Ex Speculo Minor. tract. 2. fol. 72.

Dilecto filio Juliano tituli ſancti Petri ad Vincula Presbytero Cardinali &c.

§. I. Romanus Pontifex cunctorum &c. Dudum ſiquidem fel. record. Paulus Papa II. prædeceſſor noſter, de noſtro, qui tunc Generalis Miniſtri Ordinis Minorum fungebamur officio, ac dilectorum filiorum Marci de Bononia Generalis Vicarii Ciſmontani, ac Generalis Procuratoris Conventualium, & Commiſſariorum de Obſervantia nuncupatorum tam citra, quam Ultramontanorum dicti Ordinis in Romana Curia expreſſo conſenſu, inter alia per ſuas litteras inhibuit, ne dicti Ordinis profeſſores Conventuales, & de Obſervantia nuncupati, Generali dumtaxat, ſeu etiam Provincialibus Miniſtris dicti Ordinis ſubditi, eorumque Prælati, Fratres de Obſervantia nuncupatos ſub Vicariis vivere ſolitos, transfugas, ſeu ad eos fugientes acceptare præſumerent, niſi oſtenderent litteras ſuæ licentiæ, a Prælato ſuo per eos obtentas, in quibus contineretur nomen domus, a qua receſſiſſent, & illius ad quam remiſſi eſſent, etiam prætextu cujuſcumque licentiæ ſuper hoc ipſis Fratribus Conventualibus, & aliis dictis Vicariis non ſubditis, eorumque Prælatis ab Apoſtolica Sede conceſſæ, quam idem Paulus prædeceſſor quoad hoc penitus revocavit, ſed illos ad ſuos Prælatos, juxta quarumdam aliarum litterarum piæ mem. Pii Papæ II. etiam prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editarum continentiam, remittere tenerentur; & ne ejuſdem Ordinis profeſſores, de Obſervantia nuncupati, ſcandaloſos & criminoſos Fratres Conventuales nuncupare, diſciplinam Ordinis ſubterfugientes recipere, ſed ſimiliter ad Prælatos ſuos remittere deberent, ſervata tamen fel. record. Eugenii Papæ IV. & dicti Pii prædeceſſorum noſtrorum aliarum litterarum quoad hoc editarum forma, ſub excommunicationis pœna, quam tranſgreſſores dictarum inhibitionum ipſo facto incurrerent, ſimili modo prohibuit, prout in dictis litteris ultimis continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis, & Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum Ultramontanorum petitio continebat, obſervantia litterarum Pauli prædeceſſoris hujuſmodi, quas etiam nos, dicto Paulo prædeceſſore, ſicut Deo placuit, rebus humanis exempto, ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, auctoritate Apoſtolica approbavimus, experientia teſte ad magnam conferat pacem, ac per eam contentionibus & jurgiis obvietur. Pro parte ejuſdem Vicarii Ultramontani, & ſuorum Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras Pauli prædeceſſoris hujuſmodi obſervari mandare, & alias ſibi opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui inter quoſvis Religioſos contentionibus & jurgiis obviare ſummopere optamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuæ, qui Protector dicti Ordinis exiſtis, & illius Protectori pro tempore exiſtenti, ſeu tuo, aut illius Locum-tenenti, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tu, & Protector ipſe pro tempore exiſtens, ac locum tenens, qui ſuper hoc pro parte Vicarii Ultramontani, & ſuorum Fratrum prædictorum fueris ſeu fuerit requiſitus, litteras Pauli prædeceſſoris hujuſmodi obſervari, & tam prædictos Fratres Conventuales, quam de

de Obſervantia, contra litterarum Pauli prædeceſſoris hujuſmodi tenorem & formam, prætextu quarumcumque litterarum, etiam per nos forſan conceſſarum, in quibuſvis domibus receptos, & etiam extra illas ſtantes, ad Superiores remitti facias ſeu faciat, & non permittas ſeu permittat eoſdem Vicarium & Fratres ſuos, contra tenorem litterarum Pauli prædeceſſoris hujuſmodi, ſuper præmiſſis quomodolibet moleſtari; moleſtatores & contradictores quoslibet per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ac omnibus, quæ idem Paulus prædeceſſor in dictis litteris ſuis voluit non obſtare, contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXV. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno IV.

XIV.

Dat eis amplam facultatem confeſſiones recipiendi, & Euchariſtiam adminiſtrandi. Ex Specul. Minor. tract. 2. fol. 36.

Dilectis filiis Vicario Generali, ac Provincialibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ac quibuſcumque veſtri Ordinis Obſerv. per vos deputatis & deputandis Confeſſoribus &c.

Veſtris in hac parte devotis & humilibus ſupplicationibus annuentes, felicisque record. Nicolai V. prædeceſſoris noſtri in hac parte veſtigiis inhærentes, harum ſerie vobis auctoritate Apoſtolica concedimus facultatem audiendi in confeſſionibus omnes & ſingulos quarumcumque diœceſum, & in illis extraneos & forenſes abſolvendi, etiam in caſibus, quos diœceſani locorum, in quibus ad audiendum deputati eſtis, duxerint concedendos, & omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, Sacramentum Euchariſtiæ licite miniſtrandi. Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXV. die XI. Junii, Pontificatus noſtri anno IV.

XV.

Ut concedat Fratribus Obſervantibus Eccleſiam ſancti Baſilii ſive Fratrum Armenorum. Ex originali.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Proculi & Præceptori domus ſancti Antonii Bononien. ac Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Bononien. in ſpiritualibus Generali.

§. I. Promptum & benevolum ſemper illis favorem impendimus, in quorum habetur deſideriis, ut ſub Religionis habitu & voluntaria paupertate, virtutum Domino famulantes, mereantur gloriam perpetuæ claritatis.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii Provincialis & Fratrum provinciæ Bonon. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi attendentes, quod propter diſtantiam eorum domus ſan-

ſancti Pauli in Monte, extra muros Bononien. a Civitate Bononien. eleemoſynæ & alia caritativa ſuffragia, quæ a Chiſtifidelibus dictæ Civitatis eis pro tempore erogantur, ad domum ipſam, præſertim tempore hiemali, in ea qua neceſſe eſſet quantitate ad decentem ſuſtentationem Fratrum, qui reſidere conſueverunt ibidem, deferri, & Fratribus pro tempore infirmis de medico & medicinis provideri, & per cives & incolas Bonon. domus ipſa & illius Eccleſia frequentari, & ad Fratres ipſos in illa degentes pro conſiliis & confeſſionibus in his, quæ ſalutem & periculum animarum ipſorum concernunt, recurri commode nequit, prout fieret, ſi Fratres ipſi aliam domum Civitati propinquiorem haberent; cupiunt & intendunt quamdam domum pro perpetuis uſibus & habitatione ipſorum, extra & prope muros Civitatis prædictæ, juxta portam ſancti Mammæ, & viam per quam itur ad prædictam domum ſancti Pauli in Monte, in quodam loco, pia Chriſtifidelium largitione eis oblato, de novo ex eorumdem fidelium eleemoſynis conſtrui facere, ſi eis ſuper hoc licentia concedatur, pro cujus novæ domus conſtructione, expedit infra illius ambitum includere Eccleſiam quamdam, ſub invocatione ſancti Baſilii, cum illi contigua domo & horto ejuſdem. Quare pro parte Vicarii & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut oblatum eis locum hujuſmodi, ſeu de pecuniis relictis dictæ domui ſancti Pauli, ad finem conſtruendi ibidem domum hujuſmodi emptum, recipiendi, & in illo unam domum cum Eccleſia, ſub invocatione de qua eis videbitur, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac de conſenſu moderni Rectoris ſeu Commendatarii dictæ Eccleſiæ ſancti Baſilii, vel ſi conſentire noluerit, data ei propterea debita recompenſa, in Eccleſia ipſa ſancti Baſilii nomen & titulum beneficii Eccleſiaſtici, etſi, ut ab aliquibus aſſeritur, Prioratus Fratrum Armenorum, Ordinis ſancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prædicatorum, vel Ordinis ſancti Baſilii foret, & ab alio Monaſterio vel religioſo loco dependeret, Ordinem & dependentiam hujuſmodi, ſi qui ſint, penitus & omnino ſupprimere & extinguere, dictamque Eccleſiam, & illi contiguam domum, & hortum ſeu territorium ad illam pertinentem, dictæ domui conſtruendæ applicare & appropriare, ac ipſis Vicario & Fratribus, ut Eccleſiam ipſam demoliri, & infra ambitum horti vel clauſtri conſtruendæ domus, aut alibi ubi commode & honeſtius fieri poterit, includere, & illius loco parvulam capellam ad quam ex ipſa domo & non aliunde aditus pateat, ſub invocatione prædicta ſancti Baſilii ordinare, reliquam vero partem ad uſum horti, clauſtri, vel officinarum aliarum redigere poſſint, concedere, ac reliqua bona ejuſdem Eccleſiæ ſancti Baſilii, alicui alteri beneficio Eccleſiaſtico, per eumdem modernum ipſius Eccleſiæ ſancti Baſilii Rectorem ſeu Commendatarium obtento, applicare, aliaſque eis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, teneantur exprimere verum valorem tam beneficii uniendi, quam illius cui unio fieri petitur, alioquin unio non valeret, & dictorum Fratrum, quos, eorum exigentibus meritis, ſpeciali dilectione proſequimur & gerimus in viſceribus caritatis, commoditatibus & animarum ſaluti libenter conſulimus, fructuum, redituum & proventuum dictæ Eccleſiæ S. Baſilii, & beneficii Eccleſiaſtici, cui bona ejus applicari contigerit, veros annuos valores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, vocatis Rectore prædicto & aliis,

Digitized by Google

aliis, quorum intereſt, de præmiſſis vos diligenter informetis, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereritis, Vicario & Fratribus dictum locum recipiendi, & in illo unam domum cum Eccleſia ſub invocatione de qua eis videbitur, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis; & aliis neceſſariis officinis prædictis conſtrui & ædificari faciendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini, jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, ac de conſenſu moderni Rectoris ſeu Commendatarii dictæ Eccleſiæ ſancti Baſilii, vel ſi conſentire noluerit, data ei propterea debita recompenſa, in Eccleſia prædicta nomen & titulum beneficii Eccleſiaſtici prædicti, ac alterum ex ſancti Baſilii & Armenorum Ordinibus, necnon dependentias, ſi quæ ſint, penitus & omnino eadem auctoritate ſupprimatis & extinguatis, dictamque Eccleſiam, & illi contiguam domum, & hortum, ſeu territorium ad illam pertinentia, dictæ domui conſtruendæ dicta auctoritate applicetis & approprietis, necnon Vicario & Fratribus præfatis ut Eccleſiam ipſam demoliri, & infra ambitum horti vel clauſtri conſtruendæ domus, aut alibi ubi commode & honeſtius fieri poterit, includere, & illius loco parvam capellam, ad quam ex ipſa domo & non aliunde aditus pateat, ſub invocatione prædicta ſancti Baſilii ordinare, Eccleſiamque ipſam ſancti Baſilii, ſeu ejus partem, cadaveribus & oſſibus defunctorum, ſi quæ ſint, inde exhumatis, & illis ac ejus Altaribus & cæmentis ad Eccleſiam ſive cœmeterium dictæ novæ domus, aut capellam hujuſmodi translatis, ad uſum horti, clauſtri, vel officinarum aliarum redigere poſſint, præfata auctoritate concedatis, ac reliqua ejuſdem Eccleſiæ ſancti Baſilii bona alteri beneficio Eccleſiaſtico, per modernum ipſius Eccleſiæ Rectorem ſeu Commendatarium prædictum obtento in Civitate prædicta, vel diœceſi Bonon. aut alibi, ſimili auctoritate applicetis: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & alterius Religioſi loci, a quo forſan dicta Eccleſia ſancti Baſilii dependet, & illius ac prædicti Fratrum Minorum Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis ac conſuetudinibus ceteriſque contrariis quibuſcumque. Proviſo quod in dicta conſtruenda capella ſancti Baſilii aliquando Miſſæ, prout decens fuerit, celebrentur. Nos enim ſi licentiam concedi & ſuppreſſionem ac conſtructionem prædictas per vos, vigore præſentium fieri contigerit, dictæ domui conſtruendæ, & illius pro tempore Guardiano & Fratribus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, indultis, gratiis & exemptionibus per Sedem Apoſtolicam aliis domibus & Fratribus dicti Ordinis Fratrum Minorum in genere conceſſis & concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, dicta auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXV. V. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XVI.

Ut poſſint admittere duos Conventus in Ruſſia, & totidem in Pruſſia. Ex lib. 77. bullar. fol. 121.

Dilectis filiis Cuſtodi & Fratribus Cuſtodiæ Livoniæ, Ordinis Fratrum Minorum &c.

§. I. UBeres fructus &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod poſtquam fel. rec. Pius II. & Paulus etiam II. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri facultatem recipiendi

aliqua loca in Cuſtodia Livoniæ, ut illius populum, cum plures ex eii arbores adorarent, prout & hodie aliqui adorant, in fide Catholica plenius inſtrueretis, ſucceſſive facultatem conceſſerant, vos per prædicationes veſtras apud multos profeciſtis, veſterque odor bonæ famæ uſque in Ruſſiam, cujus incolæ & habitatores obedientiam Sedi Apoſtolicæ, proh dolor! non exhibent, Altiſſimo favente, reſperſus dignoſcitur, voſque illic fructum multum, videlicet gentem partium earumdem, ad obedientiam veram pro viribus reducere ſperatis, ſi recipiendi inibi aliqua loca vobis concedatur facultas. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos Vicario Provinciæ Saxoniæ obeditis, & propterea ſaltem ſemel in quolibet triennio Capitulum Fratrum dicti Ordinis ejuſdem Provinciæ Saxoniæ...... ac iter veſtrum per Pruſſiam eſt, quando per octingenta, aliquando vero per nongenta, interdum per mille milliaria agendo, viſitare tenemini, in quo quidem itinere nullus locus ejuſdem Ordinis de Obſervantia nuncupatus exiſtit, in quo parumper reſpirare, & vos recolligere valeatis. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis duo in Ruſſia, ac unum vel duo loca in Pruſſia erigendi licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui fidei Chriſtianæ, & ſacræ Religionis augmentum noſtris potiſſime temporibus affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis duo in Ruſſia, & unum vel duo loca in Pruſſia, ſi vobis talia ad Ordinem veſtrum idonea donari contigerit, una cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, dormitoriis, refectoriis, cœmeteriis, clauſtris, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, dummodo dilectorum filiorum Generalis Ultramontani & Provinciæ Saxoniæ Vicariorum ſuperiorum veſtrorum expreſſus accedat conſenſus, voſque, & in eiſdem erigendis pro tempore degentes Fratres, Provinciæ Saxoniæ hujuſmodi Vicariis ſubſitis antedictis, prout & vos ſubeſtis de præſenti, ſine cujuſquam præjudicio, ac jure cujuslibet ſemper ſalvo, cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, recipiendi, erigendi & conſtruendi, ſeu erigi & conſtrui faciendi, piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & quod ſecundum morem ejuſdem Ordinis Ruſſia per ſe olim fuit Vicaria, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica licentiam elargimur. Et inſuper vobis & in dictis erigendis locis pro tempore degentibus Fratribus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, aliis Fratribus ejuſdem Ordinis conceſſis, uti & gaudere valeatis indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXV. XII. Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XVII.

Quod Clariſſæ non teneantur ſolvere decimas, primitias, aut alia onera de bonis ſuis. Ex Speculo Min. tract. 2. fol. 40.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. UT internæ beatitudinis amatrices &c. Dudum ſiquidem fel. rec. Eugenio Papæ IV. prædeceſſori noſtro, pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſarum & Conventuum univerſorum Monaſteriorum ſancti Damiani, ac Minoriſſarum S. Claræ, Ordinis ejuſdem Sanctæ, ſub Generalis Miniſtri, aliorumque Officialium Ordinis Fratrum Minorum cura ubilibet conſtitutorum, expoſito, quod ob varias decimarum & caritativorum

ſubſidiorum, aliorumque onerum impoſitiones, tam pro Romanæ Ecclæ, eorumque Legatorum & Miniſtrorum incumbentia, quam pro hoandis Regibus & Principibus, ac Communitatum ſubventionibus, Apolica auctoritate tunc ordinatas, conſtitutas atque decretas, necnon oellas, pedagia & gravamina realia, per poteſtates, Rectores ac regina ſecularia factas, impoſitas & illatas, petitioneſque & exactiones, æ ratione fructuum, qui in eorumdem Monaſteriorum ac locorum agris poſſeſſionibus infra nonnullarum cum cura & ſine cura Eccleſiarum limites nſiſtentes, colligebantur, a nonnullis illarum Rectoribus & Beneficiatis ctæ fuerant, tunc Abbatiſſæ, Moniales, Conventus, Monaſteria ac loca jjuſmodi in tantum paupertatem inopiamque venerant, quod pia eorum ota perſolvere non valentes, in Monaſteriis ac locis ipſis Divinus cultus deo erat diminutus, quod niſi provideretur celeriter, veriſimiliter formidaatur in eis extinctio Obſervantiæ regularis: Idem Eugenius prædeceſſor, ɔſarum Abbatiſſarum & Monialium ſupplicationibus inclinatus, eas & Conentus, Monaſteria & loca hujuſmodi cum omnibus juribus & pertinentiis, c bonis eorumdem mobilibus & immobilibus quibuſcumque, tam exiſtentibus quam futuris, ab omni juriſdictione, dominio & poteſtate quoumcumque Legatorum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Nunciorum, & aliorum quorumcumque ordinariorum Judicum, adinſtar privilegiorum conceſſorum eis per piæ memoriæ Nicolaum IV. Bonifacium VIII. & Joannem XXII. Clementem VI. Alexandrum V. & Benedictum XI. Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros, exemit, & perpetuo liberavit, & ſub beati Petri ac Sedis Apoſtolicæ protectione & ſua ſuſcepit, illaque ſibi & Succeſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, ac dictæ Sedi dumtaxat ſubjacere voluit: ita quod Legati, & Nuncii ejuſdem Sedis, ac judices præfati, & quævis alia perſona ſecularis vel regularis, Eccleſiaſtica vel mundana, quacumque præfulgeat dignitate, nullas in Abbatiſſas, Conventus, Monaſteria, Moniales, ſeu loca hujuſmodi excommunicationis ſententias promulgare, vel juriſdictionem, dominium aut poteſtatem exercere poſſet, prout in litteris dictorum Prædeceſſorum plenius continetur. Quare pro parte dictarum, tam ſanctæ Mariæ Regalis de Tordeſillas, quam aliorum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ, præſertim in regno Caſtellæ conſtitutorum, Abbatiſſarum & Monialium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut exemptioni, liberationi, & ſubjectioni præmiſſis, omnibuſque aliis & ſingulis in dictis litteris contentis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis providere opportune, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, exemptionem, liberationem, ſubjectionem prædictas, &, prout illas concernunt, omnia & ſingula in dictis litteris contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus confirmamuſque, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: & inſuper perpetuo ſtatuimus & ordinamus, ipſiſque Abbatiſſis & Conventibus ac Monialibus, auctoritate & tenore præfatis concedimus, quod ipſæ etiam de quibuſcumque terrarum & poſſeſſionum ad eas legitime pertinentibus & ſpectantibus, quas etiam per alios quam eorumdem Monaſteriorum ſervitores & ſubditos excoli & cultivari faciunt, & pro tempore facient, decimas, primitias, & cenſus, auctoritate tamen Apoſtolica non impoſitas, quibuſvis perſonis, cujuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, Ordinis vel conditionis fuerint, ſolvere minime teneantur, nec ipſæ, aut ipſarum terrarum aut poſſeſſionum coloni ſeu cultores, ob ſolutionem decimarum, primitiarum aut cenſus hujuſmodi per

quempiam moleſtari poſſint, aut propterea contra eos procedi & pœnas a quas promulgari: decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoqua quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingat attentari. Non o ſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contr riis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Domini cæ MCCCCLXXV. pridie Non. Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XVIII.

Declarat Fratres Obſervantes non poſſe in hereditate ſuccedere. Ex Spec Min. tract. 2. fol. 29.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Licet Nos dudum ad importunam nonnullorum inſtantiam conceſſerimus per certas litteras noſtras, etiam quarumdam aliarum Prædeceſſorum noſtrorum confirmatorias, ut generaliter Fratres Ordinis Minorum poſſint in hæreditate ſuccedere parentibus & conſanguineis ſuis mortuis & morituris ab inteſtato, hæreditateſque eorum adire & tenere, prout in eiſdem litteris noſtris, quarum tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

§. II. Nihilominus cum deſideremus familiam, & Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos, ſub cura Vicarii Generalis viventes, quos paterno proſequimur affectu, in ſua Regulari Obſervantia conſervare, nec dari eis materiam alicujus ſcandali, vel inquietudinis, cum id expreſſe adverſetur eorum emiſſæ profeſſioni & promiſſæ paupertati, tenore præſentium, ex certa noſtra ſcientia decernimus pariter, & declaramus, mentis ac intentionis noſtræ fuiſſe & eſſe, ut prædictæ noſtræ & aliæ ſimiles litteræ circa ſucceſſionem hæreditatum hujuſmodi ad Fratres familiæ de Obſervantia ſe nullatenus extendant, nec eis aut eorum alicui in judicio vel extra quoquomodo ſuffragentur, neque vim aliquam habeant ſeu habere cenſeantur: mandantes in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus Fratribus ejuſdem familiæ de Obſervantia, ne quis eorum conceſſione hujuſmodi uti velle præſumat, quovis prætextu vel colore, quinimo in puritate ſuæ Regulæ, ſicut decet eos, permaneant, perinde ac ſi litteræ prædictæ numquam emanaſſent: in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Ceterum quia difficile foret præſens Breve ad omnia, in quibus opus eſt, loca deferri; volumus ut illius tranſumpto, manu publici alicujus Notarii ſcripto, & ſigillo Vicarii Generalis prædicti munito, ea prorſus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi idem Breve originaliter produceretur vel oſtenderetur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. Auguſti, anno Incarnationis Dom. MCCCCLXXV. Pontificatus noſtri anno IV.

XIX.

Quod Conventuales non poſſint recipere Obſervantes ſine ſuorum Prælatorum licentia. Ex Reg. Ordin. fol. 55.

Dilecto filio Petro Neapolitan. Vicario Generali Ciſmontano familiæ de Obſervantia Ordinis Minorum &c.

Conſiderantes quod a fel. record. Paulo II. noſtro immediato prædeceſſore, nobis, tunc in minoribus agentibus procurantibus, matura fuit de-

deliberatione ſancitum pro quiete & concordia Ordinis beati Franciſci, ut nulli Miniſtro, aut alii liceret Fratres familiæ de Obſervantia ſine ſuorum Prælatorum licentia ad ſe recipere: unde admodum & neceſſarium eſſe putamus ordinationi & decreto ipſius Prædeceſſoris pro bujuſmodi concordia inhærere, & illa in ſuo robore conſervare; quocirca tenore præſentium declaramus, quod nec dilectus filius frater Petrus de Campolis nunc Miniſter Provinciæ Mediolani, nec quivis alius Miniſter, aut frater Ordinis antedicti, aliquem de familia Obſervantiæ Fratrem, ſine ſuorum Prælatorum licentia, ut præſertur, recipere valeat, aut poſſit: decernentes eos, qui ſecus fecerint, cenſuras & pœnas in litteris dicti Prædeceſſoris contentas incurrere ipſo facto. Volumus inſuper & ſimiliter declaramus, quod, elapſo hoc ſacro Jubilæi anno, Fratres cujuslibet familiæ in caſibus reſervatis Miniſtris, non poſſint nec a te, aut Vicario Provinciali abſolvi. Litteris noſtris ſub quacumque verborum forma eiſdem Miniſtris & Fratribus conceſſis, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Octobris MCCCCLXXV. Pontificatus noſtri anno V.

Anno Christi 1476. Sixti IV. anno 5. & 6.

XX.

Ut abdicatis bonis immobilibus vivere poſſint ſecundum primæva ſui Ordinis Inſtituta. Ex originali bulla.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginaten. Ordinis ſanctæ Claræ.

SAcræ Religionis, ſub qua ſpretis mundi oblectamentis &c. Veſtris itaque devotis ſupplicationibus inclinati, ut liceat vobis, quæ Ordinem ſanctæ Claræ profiteri, & bona immobilia in communi habere, ac ſub perpetua clauſura & cura Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum, de Obſervantia nuncupatorum, in Monaſterio veſtro vivere hactenus conſueviſtis, prout vivitis etiam de præſenti, omnia bona immobilia, quæ habetis, alienare, & illorum pretium in perfectionem & ampliationem ſtructurarum & ædificiorum Monaſterii veſtri prædicti, ac alias in ipſius Monaſterii utilitatem, veſtraſque opportunitates, prout vobis videbitur, convertere, & abdicatis a vobis bonis hujuſmodi, ſub ejuſdem Ordinis primævis Regularibus inſtitutis, nil immobile, præter Monaſterium ipſum ac domos & hortos Monaſterii ejuſdem, & duo animalia apta ad vehendum ſalmas, & eleemoſynas, pro Monaſterii antedicti uſu & commoditate, etiam in communi habendo, & ex incerta mendicitate, ac labore manuum veſtrarum victum quærendo, ad inſtar aliarum Monialium Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſub hujuſmodi primævis Inſtitutis Regularibus viventium, Altiſſimo famulari, ac gratiis, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, Monialibus dicti Ordinis, ſub primævis Regularibus Inſtitutis viventibus, & illarum Monaſteriis, per Sedem Apoſtolicam, vel alias in genere conceſſis & concedendis, uti, potiri & gaudere poſſitis & debeatis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium indulgemus. Vobis nihilominus non negantes, quin quæſita per vos pro tempore ex hujuſmodi laboribus & eleemoſynis, ac pia Chriſtifidelium largitione pecunias, fructus & alia mobilia bona quæcumque, pro veſtris victu & veſtitu ac ſuſtentatione, ſtructurarum quoque & ædificiorum prædictorum manutentione, prout vobis obvenerint, in communi habere & conſervare, abſque conſcientiæ ſcru-

pu-

pulo valeatis ad tempus, de quo vobis placuerit infra annum ad finem illa ſucceſſivis temporibus in hujuſmodi opportunitates veſtras convertendi; ac mandantes dicti Fratribus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam ſinguli ex eis, qui contrafecerint, eo ipſo incurrant, & a qua, præterquam in mortis articulo conſtituti, ab alio, quam Romano Pontifice nequeant abſolutionis beneficium obtinere, ne ob proprii abdicationem hujuſmodi, aut alias, ſine noſtra & Apoſtolicæ Sedis licentia, a cura, quam hactenus de vobis & veſtro Monaſterio habuerunt, deſiſtere & abſtinere, ſeu alios Capellanos niſi ejuſdem Ordinis Minorum, in dicto Monaſterio conſtituere quoquomodo præſumant; ſed vos, ut hactenus facere ſoliti ſunt, regant, dirigant & informent, prout ſecundum Deum, animarum veſtrarum ſaluti viderint expedire: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus, ſeu litteris Apoſtolicis, necnon dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Fulginei, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVI. IV. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno VI.

XXI.

Ut novum votum emittant de obſervanda prima Regula S. Claræ, quam potierunt ſibi concedi. Ex brevi originali.

Eisdem.

§. I. Dudum cum eſſemus in iſta noſtra Civitate Fulginei, ad veſtras inſtantiſſimas & humillimas preces moti, conceſſimus vobis vivæ vocis oraculo facultatem vivendi ſub primævis beatæ Claræ Inſtitutis, ſicut in noſtris exinde motu proprio confectis litteris, latius continetur: credidimuſque vos, habitis litteris, ut congruum videbatur & opportunum, de ſervanda vobis conceſſa nova vivendi forma, immediate novum votum emittere & novam facere profeſſionem: quod quia a vobis nondum factum fuiſſe, cum admiratione percepimus, & cupimus ad laudem Dei, ac veſtrum profectum fieri a vobis quantocius poſſit; ideo primum tibi dilecta in Chriſto filia ejus Monaſterii Abbatiſſa, in virtute ſanctæ obedientiæ, & nihilominus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandamus, quatenus, acceptis litteris noſtris, quamprimum tu, & Conventus totus Confeſſoris & Guardiani ſancti Bartholomæi, aut eorum vices gerentium Ordinia Minorum de Obſervantia copiam habere potueritis, novum ac ſolemne votum de ſervanda ea, quam tibi & vobis ejus Monaſterii Conventui conceſſimus, vivendi forma, juxta declarationem & limitationem hujuſmodi noſtræ conceſſionis inferius annotatam, & novam profeſſionem in manu alterius eorum, quem tu duxeris eligendum, aut ejus vicem gerentis, noſtro nomine ab eo recipiendam, & noſtra auctoritate firmandam, emittas.

§. II. Deinde vobis etiam dilectis in Chriſto filiabus omnibus ejuſdem Monaſterii Sororibus, quæ vel aliquando votum de ſervanda, quam a nobis petiiſtis, ſine proprio vivendi forma, feciſtis, vel petitioni de ea coram nobis factæ, aut noſtræ conceſſioni præfatæ præbuiſtis expreſſum vel tacitum aliquando conſenſum, & quæ ad eam ſervandam inclinari vos alias, ſi humanis quibuſcumque perſonis, uni vel pluribus placere vos, illam profitendo crederetis, aut diſplicere non timeretis, ut omnis humanæ complacentiæ omiſſo reſpectu, ſolius Dei ſanctam inſpirationem & vocem ad per-

perfectiora vos vocantis audientes, eodem die ſub eiſdem pœnis inobedientiæ, ac excommunicationis latæ ſententiæ, poſt Abbatiſſam profiteri in eadem, qua ipſa profeſſa fuerit forma, unaquæque ſuo loco debeatis, ac teneamini, ſalutariter injungimus, & diſtricte præcipiendo mandamus: vos omnes & ſingulas, ac unamquamque veſtrum, quæ juxta hujus mandati vim profeſſæ fueritis, ab omni alia profeſſione & voto ſervandæ alterius cujuſcumque Regulæ, & ab omnibus aliis quibuſcumque emiſſis votis, omnibuſque litteris Apoſtolicis, conſtitutionibus & ordinationibus, obedientiis & gravaminibus quibuſcumque, quibus antea tenebamini, abſolventes auctoritate Apoſtolica, & abſolutas fore cenſentes, & ad ſervandum tantummodo illam Regulam, quam beatæ Claræ ſanctus Franciſcus dedit, ab Innocentio IV. prædeceſſore noſtro, Romanoque Pontifice modificatam, vos obligari & obligatas in poſterum eſſe decernentes. Non obſtante aliquo alio, quem his ſcriptis declaramus verborum tenore, contento noſtris præfatis vobis facto, ut præfertur, conceſſionis litteris, quas alias motu proprio in omnibus ſui partibus confirmamus, & validas haberi volumus, earum omnes & ſingulos defectus juris & facti, ſi qui forſan in eis eſſent, ſupplentes auctoritate Apoſtolica & de noſtræ plenitudine poteſtatis; ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. Octobris MCCCCLXXVI. Pontificatus noſtri anno VI.

XXII.

Ut ad profeſſionem primæ Regulæ ſanctæ Claræ admittant Abbatiſſam & Moniales Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginatenſis. Ex brevi originali.

Dilectis filiis Guardiano Conventus ſancti Bartholomæi, & Confeſſori Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginaten.

§. I. Mandavimus nuper dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginaten. Ordinis ſanctæ Claræ, ut quamprimum veſtri copiam habere potuerit, de ſervanda, quam ipſi & dilectis in Chriſto filiabus Conventui ejus Monaſterii conceſſimus vivendi forma, in alterius veſtrum manibus novum votum emittere, & novam profeſſionem facere debeat.

§. II. Ne vero tam ſanctum opus, quod prius fieri debuerat, & factum non fuiſſe dolemus, ulterius ſub prætextu aliquo differatur, vobis & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, ac nihilominus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandamus, quatenus, quamprimum præfatæ Abbatiſſæ nomine requiſiti fueritis, vos ad præfatum Monaſterium transferatis, & primum ipſius novam profeſſionem noſtro nomine alter veſtrum admittat, admiſſamque noſtra auctoritate confirmet.

§. III. Deinde paterno affectu, & omni veſtro conatu ambo ſimul, & ſeparatim unuſquiſque veſtrum ceteras omnes ad eamdem profeſſionem faciendam, & in eodem Monaſterio commorandum adhortemini, perſuadeatis & inducatis; ac ſi quæ forſitan eſſent, quæ ad eam profeſſionem faciendam induci nullo modo poſſent, infra octo dierum ſpatium a die aliarum factæ profeſſionis præfatæ, ad aliquod aliud iſtius Provinciæ Monaſterium ejuſdem Ordinis, cujus Conventus in communi bona poſſident, cum effectu auctoritate noſtra tranſmittatis. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. Octobris MCCCCLXXVI. Pontificatus noſtri anno VI.

XXIII. *Ut*

XXIII.

Ut concedat Clariſſis Monaſterii Cremenſis Monaſterium S. Martini de Abbiate graſſo Ordinis Ciſtercienſis. Ex regiſtro Vaticano Sixti IV. lib. 105. folio 70.

Dilecto filio Primicerio Eccleſiæ Mediolanen.

§. I. Regimini univerſalis Eccleſiæ &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris, Bonæ Mariæ Duciſſæ Mediolani, petitio continebat, quod cum inter Moniales Monaſterii oppidi Cremæ, Ordinis ſanctæ Claræ, Placentinæ diœceſis, quod inſigne exiſtit, graves diſcordiæ exortæ eſſent, ac aliquæ ex ipſis Monaſterii Monialibus, pro pacis & quietis amœnitate quærenda, a dicto Monaſterio recedere, & ad alia Monaſteria ipſius Ordinis, in quibus Altiſſimo vota ſua exolvere poſſent, tranſire deliberarent: hoc ſentiens quondam Galeaz Maria Dux Mediolani, dum vixit, ipſius Bonæ Mariæ maritus, eiſdem Monialibus volentibus recedere promiſit ſe daturum operam, quod in Monaſterio ſancti Martini de Abbiate graſſo, Ciſtercien. Ordinis, Mediolanen. diœceſis, in dominio ſuo conſiſtenti, & per eas reformando, auctoritate Apoſtolica collocarentur.

§. II. Et quia, certis impedimentis obſtantibus, promiſſio prædicta non potuit conſequi effectum, præfatæ Moniales, quæ a dicto Monaſterio oppidi Cremæ receſſerant, neceſſitate coactæ, in quadam domo, in oppido Viglevani, Novarien. diœceſis conſiſtente, quam dilecti filii Univerſitas hominum ipſius oppidi Viglevani eis aſſignarunt, ſub ſpe, ut inibi pro earum uſu & habitatione aliquod Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ conſtrueretur, cum magna rerum inopia ſe reduxerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, in præfato Monaſterio ſancti Martini, quod per obitum quondam Magdalenæ illius Abbatiſſæ extra Romanam Curiam defunctæ, Abbatiſſæ regimine deſtitutum extitit, a multis annis citra, nulla viguerit Obſervantia Regularis, ac tredecim Moniales vel circa in illo degentes, vitam ducant ſcandaloſam, dictaque Magdalena Abbatiſſa, propter ejus demerita, illius regimine & adminiſtratione, ordinaria auctoritate privata fuerit, licet poſtea propter nonnullos favores dicto Monaſterio ſancti Martini in illius Abbatiſſam reſtituta extiterit: pro parte tam præfatæ Bonæ Mariæ, quam dilecti filii viri Joannis Galeaz Mariæ Ducis Mediolani ejus nati, aſſerentium, quod in Monaſterio oppidi Cremæ hujuſmodi, quinquaginta quatuor Moniales vel circa degunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictum Ordinem Ciſtercien. in dicto Monaſterio ſancti Martini ſupprimere, & penitus extinguere, illiuſque Moniales ad alia Monaſteria ſive loca ipſius Ciſtercien. Ordinis transferre, necnon Monaſterium ipſum ſancti Martini præfatis Monialibus ſanctæ Claræ, pro illarum uſu & habitatione perpetuis dare, concedere & aſſignare, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac Moniales in dicta domo commorantes, a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque ſententiis Eccleſiaſticis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, qua-

quatenus ſi, vocatis Monialibus Monaſterii ſancti Martini hujuſmodi, & aliis qui fuerint evocandi, de præmiſſis tibi legitime conſtiterit, Ordinem Ciſtercien. prædictum in dicto Monaſterio ſancti Martini auctoritate noſtra ſupprimas penitus & extinguas, ipſumque Monaſterium ſancti Martini dicto Ordini ſanctæ Claræ, pro in dicta domo commorantium, & aliarum ipſius Ordinis ſanctæ Claræ Monialium uſu & habitatione perpetuis, tradas, concedas & aſſignes, ac quæ in dicta domo commorantur, in præfatô Monaſterio ſancti Martini introducas, necnon Moniales dicti Monaſterii ſancti Martini, ſi cum eiſdem Monialibus introducendis permanere, & Regularibus inſtitutis dicti Ordinis ſanctæ Claræ ſe conformare voluerint, remanere facias, alioquin ad alia Monaſteria, ſive Regularia loca dicti Ciſtercien. Ordinis, reſervata tamen eis prius per te, ſuper fructibus, reditibus & proventibus dicti Monaſterii ſancti Martini, de qua honeſte ſuſtentari poſſint, congrua portione, eadem auctoritate transferas.

§. IV. Nos enim ſi ſuppreſſionem & extinctionem, donationem, conceſſionem, aſſignationem, & translationem prædictas per te, vigore præſentium, ut præfertur, fieri contigerit, præfato Monaſterio ſancti Martini, ac prædictis introducendis, & illud pro tempore inhabitantibus Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus & favoribus, aliis Monialibus & Monaſteriis ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate noſtra prædicta per præſentes indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVI. XII. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno VI.

Anno Christi 1477. Sixti IV. anno 6. & 7.

XXIV.

Ut concedat facultatem Joanni Yconchonoyr domum Obſervantum ædificandi in provincia Hiberniæ. Ibid. lib. 110. fol. 261.

Dilectis filiis Priori Monaſterii ſancti Michaelis de Rupe per Priorem ſoliti gubernari, ac Archidiacono de Achedeo, Artferten. diœceſis, ac Decano Artferten. Eccleſiarum.

§. I. Paſtoralis officii ſollicitudo &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Joannis Yconchonoyr, Domini locorum de Areadcht, Yconchonoyr, Artferten. diœceſis, petitio continebat, quod ipſe fervore devotionis accenſus, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ſumme deſiderat unam domum Fratrum Minorum, de Obſervantia Regulari nuncupatorum, in dominio ſuo, quod amplum & magnificum exiſtit, in loco de Hilleanbecha ad hoc idoneo & honeſto, de bonis ſibi a Deo collatis, pro ſua, uxoris, & parentum ſuorum animarum ſalute fundare, & ſi quam incepit, illam perficere & conſtruere, ſeu conſtrui facere, necnon paramentis, vaſis pro cultu Divino neceſſariis, & aliis ornamentis Eccleſiaſticis munire, juxta facultates ſuas intendit. Quare pro parte dicti Joannis aſſerentis, quod in dominio ſuo nulla domus dicti vel alterius Ordinis exiſtit, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi, quod domum prædictam cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, cœmeterio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis ne-

ceſſariis officinis in loco prædicto, pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum de bonis propriis perficere & conſtruere, ſeu conſtrui facere, ac eiſdem Fratribus de Obſervantia in provincia Hiberniæ, quod domum ipſam recipere, & perpetuo inhabitare libere & licite poſſint & valeant, licentiam concedere, aliaſque ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultus Divini ampliationem noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, deſignato coram vobis loco, in quo præfatus Joannes domum ipſam ædificare incepit, & ſi ad id conveniens & honeſtus vobis videbitur, eidem Joanni, quod domum ipſam cum clauſtro, cœmeterio, Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum, ſine tamen alterius præjudicio perficere & conſtruere, ſeu conſtrui facere, necnon Eccleſiam ipſam paramentis, vaſis & aliis ornamentis Eccleſiaſticis munire & ornare, ipſiſque Fratribus de Obſervantia, quod domum ipſam cum Eccleſia, & aliis præmiſſis recipere, & inhabitare libere & licite poſſint & valeant, auctoritate noſtra licentiam elargiri curetis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos elargiri contigerit, ut præfertur, Fratribus, qui pro tempore domum ædificandam hujuſmodi inhabitaverint, quod omnibus & ſingulis immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, conceſſionibus, gratiis & indultis, aliis domibus & Fratribus Ordinis prædicti per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, uti, frui & potiri poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVII. pridie Idus Maii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXV.

Ut obſervet privilegia Mendicantium præſertim circa canonicam portionem, Ex brevi originali.

Venerabili fratri Epiſcopo Averſano.

SCripſimus diebus ſuperioribus tuæ Fraternitati, ut privilegia ab Apoſtolica Sede Religioſis Ordinis Mendicantium conceſſa, in omnibus & præſertim ſuper canonica portione obſervare deberes: Relatum nuper nobis eſt, quod id facere recuſaſti atque recuſas, in quo, ſi ita ſit, miramur, alienum eſt enim ab officio prudentis catholicique Prælati. Quare rurſus eidem Fraternitati tuæ mandamus, quatenus privilegia hujuſmodi tam in portione hujuſmodi, quam in funeralibus & legatis abſolutis, ac pro Fratrum neceſſitate, prout in his privilegiis continetur, factis, & aliis omnibus obſervare debeas, & contra illorum formam Religioſos ipſos nullo modo moleſtes: in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, quod Breve hoc, cum lectum a tua Fraternitate fuerit, illæſum præſentanti reſtituatur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIV. Octobris MCCCCLXXVII. Pontificatus noſtri anno VII.

XXVI. *Sub-*

XXVI.

Submittit curæ & regimini Obſervantum provinciæ Franciæ Monaſteria Sororum Tertii Ordinis in Belgio. Ex Regeſt. Vatic. Sixti lib. 121. fol. 125.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.I. EX Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. Dudum ſiquidem per ſel. record. Innocentium Papam V. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod tunc Miniſtri & Fratres Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in Italia & regno Siciliæ conſtituti, cupiebant ad illa devotionis augmenta procedere, per quæ felicitatis æternæ præmium eis poſſet facilius provenire, idem prædeceſſor eorumdem Miniſtrorum & Fratrum ſupplicationibus inclinatus, univerſis Miniſtris Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum, per Italiam & Regnum præfata conſtitutis, ſuis litteris dedit in mandatis, ut opportunis temporibus, per eos aut dicti Ordinis Minorum Fratres, ad hoc idoneos, Miniſtros & Fratres dicti Tertii Ordinis in Italia & Regno prædictis conſiſtentes pro tempore, viſitarent, & eos in Regularibus diſciplinis inſtruerent, corrigerentque, & reformarent ea ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio cognoſcerent indigere. Noſque poſtmodum prædictas, & quaſcumque alias litteras, per quas dilectis filiis Zaneto de Utino Generali, ac univerſis Provincialibus Miniſttis dicti Ordinis Minorum aliqua ſuperioritas, præeminentia & auctoritas in ejuſdem Tertii Ordinis Fratres & Sorores tribuebantur, per alias noſtras litteras approbavimus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevimus, & ad eoſdem MiniſtrosGeneralem & Provinciales, ac Vicarios Fratrum dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, necnon Miniſtros & Fratres dicti Tertii Ordinis, etiam extra Italiam & Regnum Siciliæ hujuſmodi, per univerſum Orbem conſiſtentes, eadem auctoritate extendimus, necnon Generali & Provincialibus Miniſtris ac Vicariis prædictis, & eorum ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus, eoſdem Miniſtros, Fratres & Sorores Tertii Ordinis, videlicet infra Provincias eis & eiſdem ſucceſſoribus commiſſas conſiſtentes, caritative in capite & in membris viſitandi, & juxta Regularia inſtituta dicti Tertii Ordinis inſtruendi, reformatione & correctione indigentia, etiam per ablationem mantelli & habitus dicti Tertii Ordinis, ſi id gravitas exigeret, corrigendi & reformandi, volentes quoque ad ipſum Tertium Ordinem, & illius vivendi modum aggregari, recipiendi, & habitum ſive mantellum, juxta morem dicti Tertii Ordinis eis exhibendi, eadem auctoritate licentiam conceſſimus, & etiam facultatem: diſtrictius inhibentes locorum Ordinariis, & aliis quibuſcumque perſonis, cujuſvis ſtatus, gradus vel conditionis exiſterent, & quacumque auctoritate fungerentur, ne prætextu quarumvis litterarum & facultatum eis forſan conceſſarum, & pro tempore concedendarum, de præmiſſis, quæ ad ipſos Generalem & Provinciales Miniſtros ac Vicarios ſpectant, ſe quomodolibet impedire præſumerent; ac decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis occaſione vel cauſa latis contigerit attentari, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

§.II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Miniſtrarum & Sororum Bruxellen. & Aluſten. ac aliarum domorum, Cameracen. & Morinen. ac Tornacen. diœceſum, dicti Tertii Ordinis petitio continebat, Miniſtra & Sorores domus Bruxellen. hujuſmodi

di per viginti ſex annos ſub cura & regimine Vicarii etiam Fratrum dicti Ordinis Minorum provinciæ Franciæ, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem ejuſdem Ordinis Minorum, extiterint, ac ipſæ & quæ ſub eadem Provincia Franciæ ſunt, aliarum domorum, ac domus Aluſten. Miniſtræ & Sorores hujuſmodi privilegiis, gratiis & immunitatibus a pluribus Romanis Pontificibus etiam prædeceſſoribus noſtris conceſſis, tamquam de dicta provincia Franciæ communiter uti conſueverint, & ab aliquibus revocetur in dubium, an Miniſtræ & Sorores ipſarum Bruxellen. & Aluſten. domorum, quæ in limitibus provinciæ Coloniæ, ſecundum dictum morem, ut aliqui aſſerunt, conſiſtunt, ſub cura & regimine Vicarii & Fratrum provinciæ Franciæ hujuſmodi vivendo, ſicut ante litteras noſtras prædictas vixerant, privilegiis, gratiis & immunitatibus prædictis gaudeant, & Miniſtræ dictarum domorum Sorores ad earum modum recipere, & eis habitum dicti Tertii Ordinis exhibere poſſint, ſine earum Regulæ, quæ id per Miniſtros ipſius Tertii Ordinis fieri præcipit, & dictarum litterarum noſtrarum tranſgreſſione: Pro parte Miniſtrarum & Sororum domorum prædictarum, quæ, ut ipſæ Miniſtræ & Sorores aſſerunt, viginti quinque numero ſunt, & quarum Sorores tria ſubſtantialia vota auctoritate Apoſtolica emittunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica prædicta, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod Bruxellen. & Aluſten. domus prædictæ, ſub cura & regimine Vicarii provinciæ Franciæ hujuſmodi permanere, necnon privilegiis, gratiis & immunitatibus prædictis gaudere debeant: & eadem auctoritate decernimus & declaramus, quod Miniſtræ domorum prædictarum, Sorores, de dicti Vicarii provinciæ Franciæ ſeu Viſitatorum ab eo deputatorum pro tempore conſenſu, ad earum modum vivendi recipere, & eis habitum dicti Tertii Ordinis exhibere poſſint, abſque Regulæ & litterarum noſtrarum prædictarum tranſgreſſione; necnon dicto Vicario provinciæ Franciæ, ut ipſarum Miniſtrarum & Sororum curam & regimen non dimittat, mandamus; ac Miniſtro Tertii Ordinis hujuſmodi, ne ſe de Sororibus domorum prædictarum intromittat, inhibemus ſub cenſura Eccleſiaſtica auctoritate prædicta. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVII. XVII. Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri anno VII.

XXVII.

Conceduntur magnæ Indulgentiæ viſitantibus Eccleſiam Conventus de Deſerto. Ibid. lib. 115. fol. 106.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

§. I. Quamvis Altiſſimus, de cujus munere venit &c. Idque eo libentius agimus in Eccleſiis, quæ in honorem ſancti Franciſci ſunt conſtructæ, quo Sanctus ipſe, quaſi ſtella matutina claris vitæ micans exemplis, ſedentes in tenebris & umbra mortis irradiatione perfulgida direxit in lucem, & tamquam arcus refulgens inter nebulas, ac ſignum Dominici fœderis, paſſionis ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti in ejus carne renovata ſacra Stigmata geſtans, pacem & ſalutem ſignificavit hominibus,

bus, exiſtens & ipſe Angelus veræ pacis, deſtinatus a Deo, ut per viam arctiſſimæ paupertatis tam verbo, quam exemplo pœnitentiam prædicaret, noſque, qui ſub Regularibus Inſtitutis Ordinis Fratrum Minorum, qui ab eodem Sancto ſumpſit initium, & illius inclito voluntariæ paupertatis vexillo a teneris enutriti, dum in Ordine ipſo Generalis Miniſtri fungeremur officio, ad Cardinalatus honorem, ac demum ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, ejuſdem Sancti meritis, interceſſione, ad æternæ felicitatis gloriam pervenire ſperamus.

§. II. Cupientes igitur, ut Eccleſia domus ejuſdem Sancti de Stigmatibus, alias de Deſerto, Torcellanen. diœceſis, ad quam populus Venetiarum libenter confluunt in numero copioſo, eo uberius congruis frequentetur honoribus, quo confluentes ad illam ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos: de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam prædictam in die feſtivitatis, qua de Stigmatibus ejuſdem Sancti ibidem fit commemoratio, a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei ejuſdem feſti devote viſitaverint annuatim, quartæ partis omnium peccatorum ſuorum, & injunctæ eis pro illis pœnitentiæ indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino elargimur: præſentibus perpetuis temporibus futuris valituris. Volumus autem, quod ſi viſitantibus præfatam Eccleſiam, aut alias inibi aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius ſint roboris vel momenti.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVII. Idibus Decembris, Pontificatus noſtri anno VII.

XXVIII.

Cuſtodia de Sanctoyo erigitur in Vicariatum. Ibid. lib. 121. fol. 29.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Super gregis Dominici &c. Sane pro parte dilectorum filiorum, Vicarii Generalis Ultramontani ac Cuſtodis & Fratrum, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Fratrum Minorum, & ſanctæ Claræ Ordinum, Cuſtodiæ de Sanctoyo, provinciæ Caſtellæ, ſecundum morem ejuſdem Ordinis Minorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod a primæva dicti Ordinis Minorum inſtitutione, Ordo ipſe per Provincias diſtinctus fuit, & fel. record. Eugenius IV. Pius II. & Paulus II. etiam prædeceſſores noſtri Romani Pontifices in favorem Obſervantiæ Regularis, Miniſtris Provinciarum earumdem Vicarios ſubſtituerunt, & inter ceteras Provincias dicti Ordinis Minorum dicta provincia Caſtellæ admodum magna, lata, ſpatioſa, ac in numero Cuſtodiarum, domorum & locorum, atque perſonarum multiplicata exiſtit, ita ut Vicarius Provincialis dictæ provinciæ Caſtellæ exiſtens pro tempore, ſuo officio durante, quod numquam triennium excedit, infra ipſum triennium, vix ſaltem utiliter & fructuoſe, ſicut ipſa Obſervantia Regularis exigit, debitam viſitationem in domibus præfatis, ac Monaſteriis dictarum Monialium ſuæ curæ commiſſarum, & perſonis earumdem perficere poſſit. Quare pro parte Vicarii Generalis, Cuſtodis, Fratrum & Monialium prædictorum aſſerentium, quod in præfata provincia Caſtellæ quinque Cuſtodiæ, & plura quam ſexaginta loca, ſub cura & regimine dicti Vicarii Provincialis exiſtunt, quodque dictæ Cuſtodiæ

diæ viginti novem loca ſubſunt, quorum Fratres Fratribus aliarum Cuſtodiarum prædictarum, ac Clero & populo exemplarem vitam præbent, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quod dicta Cuſtodia de Sanctoyo Vicariatus exiſtat, illique modernus illius Cuſtos, & pro tempore præſit Vicarius, ſtatuere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur affectantes, quod Obſervantia Regularis ubique floreat & jugiter perſeveret, cultuſque Divinus ubilibet ſuſcipiat incrementum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, perpetuo & irrefragabilis conſtitutionis edicto, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod Cuſtodia de Sanctoyo hujuſmodi, Vicariatus exiſtat, illique modernus illius Cuſtos & pro tempore præſit Vicarius, qui a Miniſtro provinciali dictæ Provinciæ Caſtellæ pro tempore exiſtente ſuæ electionis confirmationem petere, & in nomine, dignitate, duratione, officio, ſubjectione & reverentia ad Vicarium Generalem Ultramontanum pro pro tempore exiſtentem, & ceteris omnibus & ſingulis, quæ perſonas Vicariorum provincialium concernunt, ſe habere teneatur, ſicut ceteri Vicarii provinciales ipſi Vicario Generali ſubjecti, utaturque omnibus facultatibus & poteſtatibus, ipſis Vicariis provincialibus a quibuſcumque quomodolibet conceſſis, & præſertim Congregationem capitularem faciendi, volentes dicto Ordini Minorum aggregari recipiendi, officiales quoſcumque in ſua Provincia inſtituendi & deſtituendi, ad officia prædicationum & confeſſionum licentiam tribuendi, ſuamque Provinciam, quæ ſit de eiſdem limitibus de quibus erat ipſa Cuſtodia de Sanctoyo, viſitandi, & in capitibus ac in membris, etiam utriuſque ſexus delinquentes reformandi, corrigendi, carcerandi, a carceribus liberandi, excommunicandi, abſolvendi, ſuſpendendi, ad actus legitimos reſtituendi, generaliter & ſpecialiter omnia & ſingula faciendi, quæ alii Vicarii provinciales facere poſſunt de jure, privilegio, vel ex conſtitutionibus Apoſtolicis, Regula vel ſtatutis dicti Ordinis Minorum, quodque omnes & ſinguli Fratres ejuſdem Ordinis Minorum, qui forſan contravenerint in præmiſſis, privationem actuum legitimorum ipſo facto incurrant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVII. XIV. Kal. Januarii Pontificatus noſtri anno VII.

XXIX.

Conceditur facultas conſtruendi domum Sororum Tertii Ordinis in urbe Tranenſi. Ibid. lib. 114. fol. 225.

Dilectæ in Chriſto filiæ Antonellæ Pelagonæ, relictæ quondam Leonelli Falconerii, mulieri Viduæ Tranen.

§. I. Benigne petitiones illas exaudire curamus &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu diu mente revolvens humana labentia & tranſitoria fore, & nihil eſſe perpetuo duraturum, niſi quod in gazophilacio Jeſu Chriſti reconditur, expedireque plurimum homini in hac vita peregrinanti aliqua pietatis opera exercere, ut cum ab hac luce migrare contigerit, de ſua villicatione præmium conſequi valeat ſempiternum, idque fieri poſſe cenſens, ſi homo de bonis ſibi a Deo

a Deo collatis, indigentibus elargitur aut piis locis & Religioſis, qui Divinorum celebratione, diebus ac noctibus, orationibus & jejuniis pro ſalute fidelium Deum precantur, eroget, ac cupiens adimplere voluntatem cujuſdam filii tui prædefuncti, necnon pro tuæ, mariti ac aliorum attinentium tuorum animarum ſalute, pie voluiſti & ordinaſti, quod apud Capellam ſancti Joannis Tranen. conſtrueretur unum Hoſpitale pro infirmis, languidis & aliis miſerabilibus perſonis inibi recipiendis, quod hoſpitale Leonelli Falconerii nuncuparetur, & illi, licet nondum conſtructo, ac tunc Vicario bonæ memoriæ Joannis Archiepiſcopi Tranen. in ſpiritualibus Generali, pro illis recipienti, ea donatione, quæ dicitur inter vivos, certa bona mobilia, quorum fructus, reditus & proventus ſeptuaginta florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, ac juſpatronatus, quod habebas in Capella prædicta, in qua Divina celebrarentur officia, de conſenſu dilectorum filiorum Petri de Lambertinis, utriuſque juris Doctoris, & Trimizati de Boſimiro militis, civium Tranen. Munvaldorum tibi ab hoc datorum, & interveniente decreto præfati Vicarii, libere donaſti, ac proprio juramento promiſiſti, contra donationem hujuſmodi nullatenus venire, & illa inviolabiliter obſervare, prout in quodam inſtrumento deſuper confecto dicitur plenius contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, tu dubites, ne tempore procedente, contingat in hoſpitali hujuſmodi, ſi conſtruatur, hoſpitalitatem non ſervari, prout in multis aliis hoſpitalibus viſum eſt fieri & quotidie fit, & bona prædicta in alios, quam in miſerabilium perſonarum uſus converti, ac propterea cupias, quod loco hoſpitalis prædicti conſtruatur una domus Sororum Tertii Ordinis beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, quæ ſub cura & directione profeſſorum Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum regatur & gubernetur: Pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut te ab obſervatione præmiſſorum, præſtitique deſuper juramenti prædicti abſolvere & liberare, ac tibi quod bona prædicta in pium opus conſtructionis domus dictarum Sororum convertantur, ordinare, & illi prædicta bona donare valeas, perinde ac ſi illa præfato conſtruendo hoſpitali non donaſſes, & alia præmiſſa in favorem hoſpitalis hujuſmodi non ordinaſſes, concedere, aliaſque ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos donationis & deſuper confecti inſtrumenti tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, te a juramento prædicto, illiuſque obſervatione, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore abſolvimus & liberamus, ac tibi, ut de dictis bonis donatis, ut præfertur, domum prædictam conſtrui facere ſeu ut conſtruatur, aut jam conſtructa amplietur, ordinare, & illi bona prædicta largiri & donare libere & licite valeas, perinde ac ſi dicta bona præfato conſtruendo hoſpitali non donaſſes, & alia præmiſſa in illius favorem non feciſſes, licentiam concedimus, & etiam facultatem; & ordinationem quamcumque, quam per te de bonis ad commodum conſtruendæ domus prædictæ, & illius Sororum fieri continget, obſervari decernimus per præſentes. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVII. IV. Nonas Januarii, Pontificatus noſtri anno VII.

XXX. *Ut*

XXX.

Ut domum Canonicorum ſancti Georgii in Alga concedant Fratribus Amadeitis. Ibid. lib. 115. fol. 92.

Dilectis filiis ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & ſancti Bartholomæi Lauden. Eccleſiarum Præpoſitis, ac Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Lauden. in ſpiritualibus Generali.

§. I. Regimini univerſalis Eccleſiæ &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis Lauden. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod decurſis jam annis decem & octo vel circa, quondam Baſſianus Alonixius & Angelus de Richardis cives Lauden. ſperantes, quod ſi Eccleſia ſanctæ Mariæ Avenariæ burgi portæ Papien. civitatis Lauden. quæ tunc de eorum, & quondam Franciſci etiam de Richardis civis Lauden. jure patronatus erat, & cujus fructus erant tenues, ſtructuræ vero & ædificia reparatione indigere noſcebantur, Canonicis Congregationis ſancti Georgii in Alga Regni Portugalliæ, ſeu ſancti Joannis *de Villar de Frades* dicti Regni, per eos juxta eorum ritus & mores regenda & gubernanda concederetur, exinde ſtatui dictæ Eccleſiæ quoad Divinorum celebrationem, Chriſtifidelium devotionis ad illam augmentum, & ſtructurarum hujuſmodi reparationem, cum animarum ſalute opportune conſuleretur, eorum, & dicti Franciſci, pro quo iterato promiſerunt nominibus, jus patronatus, ac Eccleſiam ipſam, quantum in eis fuit, de conſenſu Baſſiani Gilberii de Populo, tunc dictæ Eccleſiæ Rectoris, quondam Laurentio de Caravagio Canonico dictæ Congregationis, pro ſe & Canonicis Congregationis prædictæ, apud Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Laude veteri, Lauden. diœceſis, commorantibus donaverunt & conceſſerunt, fructibus dictæ Eccleſiæ eidem Baſſiano Gilberii, quoad viveret, reſervatis, & tunc Vicarii, nunc Epiſcopi Lauden. in ſpiritualibus Generalis in his omnibus interveniente decreto, prout in quodam publico inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri: Et quod; licet Canonici præfati, qui conceſſionis & donationis hujuſmodi prætextu, ex tunc Eccleſiam prædictam tenuerunt & poſſident de præſenti, illi, dicto Laurentio vivente, laudabiliter deſervierunt, nihilominus poſtmodum Prior & Canonici, qui Eccleſiam ipſam pro tempore inhabitarunt & inhabitant de præſenti, minus honeſte, quam deceat, viventes, ac rixis & contentionibus inter eos vacantes, dictæ Eccleſiæ in Divinis decenter non deſerviunt, variis criminibus ſe implicantes, non ſine Divinæ Majeſtatis offenſa, ac illius cultus, & fidelium devotionis ad ipſam Eccleſiam diminutione & ſcandalo, Religionis opprobrio & pernicie animarum.

§. II. Verum ſi Eccleſia prædicta, amotis exinde dictis Canonicis, concederetur, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, dilecto filio Amadeo de Hiſpania Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſori, qui dudum, ut aſſeritur, recipiendi in partibus illis certum numerum domorum, pro eorum perpetuis uſu & habitatione ejus & aliorum Fratrum dicti Ordinis ſociorum ſuorum, licentiam a nobis obtinuit, & illius vigore recepit Eccleſiam etiam ſine cura ſancti Petri extra prædictam portam, ſibi & Fratribus dicti Ordinis ipſius Amadei ſociis ordinaria auctoritate, pro eorum uſu & habitatione perpetuis aſſignatam, ut ipſe Amadeus & ejus ſocii prædicti apud eaſdem Eccleſias, inter quas decem & octo ad prædictam Eccleſiam ſancti Petri, & duæ aut tres perticæ terræ menſuræ illarum partium ad venerabilem fratrem noſtrum Carolum Epiſcopum Lauden. pertinen-

nentes dumtaxat intermediæ exiſtunt, unam ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Gratiis domum Fratrum dicti Ordinis & ſocietatis, cum campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, cœmeterio, hortis & hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in loco, in quo eis magis expedire videbitur conſtruendis, pro perpetuis eorumdem Amadei & Fratrum dictæ ſocietatis pro tempore exiſtentium uſu & habitatione conſtruerent, ſeu jam conſtructam reformarent, & perpetuo inhabitarent, quæ ſic constructa, quamquam duas Eccleſias hujuſmodi invicem, ut præfertur, diſtantes habens, pro unica domo Fratrum dictæ ſocietatis reputaretur; exinde inibi Divini cultus & devotionis populi ad dictam Eccleſiam ſanctæ Mariæ, propter exemplarem vitam dictorum Fratrum ſuccederet incrementum, ac Chriſtifideles ad illam confluentes, eorumdem Fratrum pro tempore in illa habitantium adjuti conſiliis, monitionibus & exhortationibus ad bonum, pro ſalute animarum ſuarum non parum commodi conſequerentur. Quare pro parte Communitatis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictos Priorem & Canonicos a præfata Eccleſia ſanctæ Mariæ amovere, & illam cum dictis decem & octo perticis terræ Amadeo & ejus ſociis ſupradictis, pro eorum perpetuis uſu & habitatione concedere, aliaſque ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui religioſorum & piorum locorum propagationem & augmentum noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideramus affectibus, hujuſmodi, ac dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Bonæ Duciſſæ relictæ quondam Galeaz. Ducis Mediolanen. ac ſucceſſorum dictorum patronorum nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, vocatis Priore & Canonicis præfatis, ac aliis qui fuerint evocandi, & conſtito de aſſertis præmiſſis, eoſdem Priorem & Canonicos a dicta Eccleſia ſanctæ Mariæ auctoritate noſtra amoveatis, ipſamque Eccleſiam ſanctæ Mariæ Amadeo & Fratribus prædictis, ut apud illam vel præfatam Eccleſiam ſancti Petri, ſeu loco intermedio, ubi eis magis expedire videbitur, unam domum cum campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Gratiis conſtruant, ſeu conſtructam reforment, ut præfertur, pro eorum perpetuis uſu & habitatione, eadem auctoritate concedatis. Nos enim ſi amotionem & conceſſionem hujuſmodi per vos, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem Amadeo & Fratribus, quod dicta domus gaudeat privilegiis & immunitatibus, quibus gaudent aliæ domus eorumdem Amadei & Fratrum, etiam quoad hoc, ut poſſit apud illam fieri Confratria laicorum utriuſque ſexus, adinſtar Confratriæ domus eorumdem Fratrum Mediolanen. & cum eiſdem duabus Eccleſiis eiſdem Amadeo & Fratribus, quoad licentiam prædictam, per nos eidem Amadeo conceſſam ſuper receptione domorum, ut præfertur, pro unica domo computetur, Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus ac ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVII. VII. Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno VII.

XXXI.

Ut poſſint ædificare vel acceptare duos Conventus. Ibidem lib. 125. fol. 189.

Dilectis filiis Vicario, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Provinciæ Hiberniæ.

§. I. EX injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod inter ceteras Provincias Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, Provincia Hiberniæ ſatis ampla & longa exiſtit, multique Chriſtifideles reperiuntur in illa, qui attendentes uberes fructus, quos Fratres dicti Ordinis ſua exemplari vita & prædicationibus verbi Dei afferunt populis, cupiant de bonis eis a Deo collatis domos aliquas in locis aptis, & vobis convenientibus, pro uſu & habitatione veſtris conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis duas domos in locis, quæ uſui & habitationi hujuſmodi vobis apta & convenientia viſa fuerint in dicta Provincia, cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, clauſtris, cœmeteriis, dormitoriis, refectoriis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione hujuſmodi conſtrui & ædificari faciendi & recipiendi, ac perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divinum cultum ubique augeri ſummis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ſine alicujus præjudicio, duas domos in locis prædictis, cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, cœmeteriis, dormitoriis, refectoriis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi ædificari faciendi & recipiendi, ac perpetuo inhabitandi, cujuſcumque licentia ſuper hoc minime requiſita, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, & eadem auctoritate Fratribus, qui in eiſdem domibus pro tempore morabuntur, concedimus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis & indultis, aliis domibus & Fratribus ejuſdem Ordinis conceſſis gaudere libere & licite valeant: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVIII. VIII. Idus Aprilis, anno VII.

XXXII.

Ut concedat Sororibus Tertii Ordinis Viterbien. Prioratum ſanctorum Simonis & Judæ. Ibid. lib. 133. fol. 221.

Dilecto filio Nicolao de Malagritiis Canonico Anconitan. in Civitate Viterbien. commoranti.

§. I. REgimini univerſalis præſidentes Eccleſiæ &c. Dudum ſiquidem fel. record. Eugenio Papæ IV. prædeceſſori noſtro, pro parte dilectorum filiorum Communitatis Civitatis noſtræ Viterbien. expoſito, quod Prioratus ſine cura ſanctorum Simonis & Judæ Viterbien. Ordinis ſan-

ſancti Baſilii propter guerras & turbines, aliosque ſiniſtros eventus ibidem tunc vigentes, a decem annis tunc proxime decurſis, fructibus extiterat deſtitutus, ipſiuſque Prioratus Eccleſiæ & domus ruere cernebantur, & quod ſi dictus Prioratus, dicto Ordine inibi ſuppreſſo, dilectis filiis Societati pauperum Apoſtolorum, pauperis vitæ nuncupatorum, applicaretur & aſſignaretur, ex tunc dilecti filii Baptiſta Vannis de Firmo unus ex pauperibus prædictis, cum Communitatis, aliorumque Chriſtifidelium piis ſuffragiis, reparationi Eccleſiæ & domus hujuſmodi intendere volebat, cum non modica conſolatione incolarum Civitatis prædictæ; idem Eugenius prædeceſſor Communitatis prædictorum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, bonæ memoriæ Franciſco Epiſcopo Cornetan. in patrimonio beati Petri in Tuſcia, pro ipſo Eugenio prædeceſſore & Romana Eccleſia tunc Gubernatori, ſuis dedit litteris in mandatis, ut vocatis qui forent evocandi, ſuper præmiſſis & eorum circumſtantiis ſe diligenter informaret, & ſi per informationem eamdem ita eſſe reperiret, ſuper quo conſcientiam ſuam oneravit, Prioratum prædictum, Ordine præfato, & dependentia a quocumque Monaſterio, ſeu alio regulari, ſi forſan loco dependeret, inibi ſuppreſſis, eiſdem pauperibus per eos perpetuo tenendum aſſignaret, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

Prioratus de quo agitur pene deſtitutus.

Epiſcopo Cornetano demandatur commiſſio.

§. II. Et deinde nuper exhibita nobis pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Calidoniæ Miniſtræ & Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in quadam domo dictæ Civitatis commorantium, & in communi honeſte viventium, petitio continebat, quod dictus Epiſcopus ad dictarum litterarum executionem, earum forma ſervata procedens, Prioratum ipſum, ſuppreſſis inibi Ordine & dependentia prædictis, eiſdem pauperibus pro eorum domo & habitatione conceſſit, ipſique pauperes, poſtquam domum ipſam ſanctorum Simonis & Judæ aliquandiu poſſederant, pro derelicta habuerint, & ejus ſtructuræ & ædificia miſerabili ruinæ ſubjacent de præſenti: & quod ſi domus ipſa ſanctorum Simonis & Judæ cum Eccleſia prædicta eiſdem Miniſtræ & Sororibus pro earum domo & habitatione concederetur, Miniſtra & Sorores præfatæ domum ipſam ex piis Chriſtifidelium eleemoſynis, & alias juxta earum facultates repararent, & inibi pie & honeſte viverent. Quare pro parte Miniſtræ & Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præfatam domum ſanctorum Simonis & Judæ eiſdem Miniſtræ & Sororibus pro earum habitatione concedere, & alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Societas Pauperum cui fuerat Prioratus côceſſus, illum deſerit.

Sorores Tertii Ordinis eumdē poſtulant.

§. III. Nos igitur, qui perſonarum, & locorum regularium quorumlibet jugem profectum intenſis deſideriis affectamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi Miniſtræ & Sororum, ac pro eis nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium Communitatis prædictorum ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem eamdem ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, domum ſanctorum Simonis & Judæ hujuſmodi, cujus fructus, reditus & proventus duorum florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, ſive per deſtitutionem hujuſmodi, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ipſaque domus ſanctorum Simonis & Judæ diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exi-

Nicolao fit iterato commiſſio.

Et facultas Prioratum Sororibus reſignandi.

ſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datæ præſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quæſitum, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, Miniſtræ & Sororibus prædictis, per eas, juxta earum ritus, mores & conſuetudines tenendam, regendam & gubernandam, auctoritate noſtra concedas, inducens per te vel alium ſeu alios Miniſtram & Sorores prædictas, vel procuratorem ſuum, earum nomine in corporalem poſſeſſionem domus ſanctorum Simonis & Judæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum, & defendens inductas, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens eiſdem Miniſtræ & Sororibus de ipſius domus ſanctorum Simonis & Judæ fructibus, reditibus, proventibus, juribus & obventionibus univerſis integre reſponderi. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus præfati Eugenii prædeceſſoris litteris prædictis, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque: aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum: quibus omnibus Miniſtram & Sorores prædictas in aſſecutione dictæ domus ſanctorum Simonis & Judæ volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem domorum ſeu beneficiorum aliorum præjudicium generari: ſeu ſi venerabili fratri noſtro Epiſcopo Viterbien. vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod ad receptionem vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem &c.

Conſtitut. Eugenii, aliaque declaratur non obſtare.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVIII. XVI. Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno VIII.

Anno 1479. nulla occurrerunt recenſenda monumenta.

ANNO CHRISTI 1480. SIXTI IV. ANNO 9. & 10.

XXXIII.

Ut efficax Minoribus conferant conſervationis munimen. Ex lib. 158. fol. 100.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Turonen. & Aurelianen. ac Trecoren. Epiſcopis.

§. I. Officii nobis ex alto commiſſi debitum expoſcit &c. Nuper ſiquidem per nos ex dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum Ordinis Minorum provinciæ Turoniæ, juxta morem dicti ipſius Ordinis, conqueſtione percepto, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Prælati, & Clerici, ac Eccleſiaſticæ perſonæ tam Religioſæ, quam ſeculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, & Laici, Communia Civitatum, Univerſitates oppidorum, caſtrorum, villarum, locorum, & aliæ ſingulares perſonæ Civitatum & diœceſ. & aliarum partium diverſarum, eoſdem Miniſtros & Fratres interdum contra privilegia, libertates & indulta eis per Nos & prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices conceſſa impedire & moleſtare præſumebant, ac impediri & moleſtari faciebant, & ſuper his multiplices eis moleſtias & injurias inferebant & jactu-

ſturas. Nos tunc adverſus impedientes & moleſtatores hujuſmodi, eiſdem Miniſtro & Fratribus de opportuno remedio ſubvenire volentes, vobis per alias noſtras litteras dedimus in mandatis, ut vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios, etiamſi eſſent extra loca, in quibus deputati eratis Conſervatores & Judices, eiſdem Miniſtro & Fratribus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permitteretis eoſdem ſuper privilegiis, libertatibus, & indultis prædictis indebite moleſtari, vel eis gravamina ſeu damna vel injurias irrogari, facturi eiſdem Miniſtro & Fratribus, cum ab eis vel procuratoribus ſuis aut eorum aliquo eſſetis requiſiti, de præmiſſis & aliis perſonis quibuslibet ſuper prædictis impedimentis, injuriis, moleſtiis & jacturis tunc præſentibus & futuris, in his videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, ſummarie & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exigeret, juſtitiæ complementum, dummodo aliquis ultra duas dietas, auctoritate dictarum litterarum non traheretur, prout in illis plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum petitio continebat, multi injuriantium & moleſtantium prædictorum ſint in locis ultra duas dietas diſtantibus a locis, in quibus eſtis Conſervatores deputati, & propterea tales per Miniſtrum & Fratres prædictos coram vobis ad judicium nequeant evocari, pro parte Miniſtri & Fratrum prædictotum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis ſuper hoc de opportuno remedio providere paterna diligentia curaremus.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, etiam contra tales in præmiſſis omnibus & ſingulis procedatis, alias juxta dictarum litterarum formam & tenorem; dummodo tam prædictarum, quam præſentium litterarum auctoritate aliquis ultra dietas quatuor non protrahatur. Non obſtantibus de duabus dietis in Concilio Generali edita, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in præfatis litteris voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXX. Idibus Januarii, Pontificatus noſtri anno X.

ANNO CHRISTI 1481. SIXTI IV. ANNO 10. & 11.

XXXIV.

Confirmat donationem alias factam Monaſterii ſancti Petri in Monte Aureo Fratribus Congregationis Amadei Hiſpani. Ex Bulla originali.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EX injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. Dudum ſiquidem per nos accepto, quod Monaſterium ſancti Petri in Monte Aureo de Urbe, & regione Tranſtyberina, in quo nonnullæ Moniales, quæ omnes ab hac luce migraverant, aliquibus annis inhabitaverant, vacaverat & vacabat: Nos tunc Monaſterium prædictum, quovis modo vacaret, illius, quicumque foret, Ordine inibi ſuppreſſo, & penitus extincto, etiamſi ab alio Monaſterio dependeret, cum Eccleſia, ædificiis, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, dilectis filiis Amadeo Hiſpano, & ejus ſociis Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus, de Societate fratris Amadei Hiſpani nuncupatis, pro eorum & Fratrum dictæ Societatis, qui

Conventus Amadeitis olim conceſſus.

pro

pro tempore forent, perpetuis uſu & habitatione, motu proprio conceſſimus & aſſignavimus, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur.

Prior ſancti Clementis petit Fratres exinde expelli.

§. II. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Amadei & Fratrum prædictorum petitio continebat, Dilecti filii Prior & Conventus Monaſterii ſancti Clementis de Urbe per Priorem ſoliti gubernari, Ordinis ſancti Ambroſii ad nemus extra muros Mediolanen. aſſerentis dudum dictum Monaſterium ſancti Petri olim Monaſterio ſancti Pancratii extra muros Urbis, Ciſtercien. Ordinis, & deinde prædictum Monaſterium ſancti Pancratii cum membris, juribus & pertinentiis ſuis dicto eorum Monaſterio ſancti Clementis Apoſtolica auctoritate perpetuo unitum & incorporatum fuiſſe, ipſos Amadeum & Fratres ſuper hoc petendo Monaſterium ſancti Petri cum illis contiguis ſtructuris & ædificiis prædictis, eis & dicto eorum Monaſterio ſancti Clementis adjudicari, & ipſos Amadeum & Fratres inde amoveri, eiſque ſuper Monaſterio ſancti Petri, & illi contiguis ædificiis hujuſmodi, perpetuum ſilentium imponi, coram tunc noſtro in alma Urbe in ſpiritualibus Vicario, non ex delegatione Apoſtolica traxerunt in cauſam; ipſeque Vicarius in cauſa ipſa ad nonnullos actus, citra tamen concluſionem, dicitur proceſſiſſe; ac propterea, & quia etiam a nonnullis aſſeritur, quod etſi in ædificiis prædictis contiguis dictæ Eccleſiæ ſancti Petri habitaverunt olim nonullæ Moniales, nihilominus Eccleſia, & illi contigua ædificia hujuſmodi non fuerunt unquam Monaſterium Monialium, ſed ſimplex Eccleſia ſecularis, & quod ſive Eccleſia ſancti Petri, cum illi contiguis ædificiis hujuſmodi fuerit Eccleſia ſecularis, ut præfertur, ſive Monaſterium Monialium, attamen fuit dudum Apoſtolica auctoritate unita & incorporata dicto Monaſterio ſancti Pancratii, & quod illæ, quæ apud ipſam Eccleſiam ſancti Petri habitare viſæ fuerant Moniales, ejuſdem Monaſterii ſancti Pancratii Moniales fuerant apud dictam Eccleſiam ſancti Petri, ut in dicti Monaſterii ſancti Pancratii membro, ſeu loco eidem Monaſterio ſancti Pancratii unito & incorporato habitaverunt: ipſi Amadeus & Fratres de præmiſſis certam notitiam habere non valentes, dubitent, an cum ſana conſcientia in Eccleſia ſancti Petri, & illi contiguis ædificiis prædictis, in quibus degunt, habitare poſſint, & per dictos Priorem & Conventum Monaſterii ſancti Clementis moleſtari, & deinde amoveri poſſe tempore procedente; indigeantque pro hortis & hortalitiis ordinandis apud Eccleſiam prædictam nonnullis terris vineatis, dictæ Eccleſiæ ſancti Petri, & ædificiis contiguis, ad dictum Monaſterium ſancti Clementis quoad proprietatem pertinentibus. Quare pro parte Amadei & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam ſancti Petri cum illi contiguis ædificiis, ac eis hærentibus horticellis, ſive ſimplex Eccleſia, ſive Monaſterium Monialium vel virorum, aut locus ſecularis, vel Religioſus cujuſvis Ordinis etiam Mendicantium fuerit olim, & exiſtat, & quovis nomine nuncupetur, cum illi contiguis ædificiis & vineis, horto & hortulo, a ſancti Clementis, & ſancti Pancratii Monaſteriis prædictis, & quocumque alio Eccleſiaſtico, etiam Religioſo loco, cui Eccleſia ſancti Petri quovis modo unita & annexa & incorporata foret mediate vel immediate, ſeparare & dividere, omnemque annexionem & incorporationem hujuſmodi, quoad illam, & illi contigua ædificia, hortum, hortulum, ac vineam prædictos, revocare & diſſolvere, & quamcumque dictæ Eccleſiæ dependentiam a ſancti Clementis, & ſancti Pancratii Monaſteriis prædictis penitus & omnino ſupprimere, ipſamque Eccleſiam ſancti Petri cum ædificiis ſupradictis, in priſtinum & eum ſtatum, in quo erat, antequam uniretur, incorporaretur & annecteretur, reſtituere, repo-

Fratres inſtant apud Apoſtolicã Sedem.

po-

ponere & reintegrare, necnon titulum Monaſterii & Prioratus alterius Religioſi loci, ſi unquam Monaſterium vel Prioratus, aut alias religioſus locus extitiſſet, & adhuc hodie foret virorum vel mulierum, omnemque Abbatialem, Abbatiſſalem, Prioratus vel Præpoſitatus, aliter alio quovis nomine nuncupatam, & inibi forſitan olim erectam dignitatem Eccleſiaſticam extinguere & annullare, aliaſque eis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Commendantur a Pontifice.

§. III. Nos igitur, qui Amadeum & Fratres prædictos, illorum exigentibus exemplari vita & laudabili converſatione, ſpeciali devotione proſequimur, ac cupimus eorum quieti conſulere, ſtatum cauſæ, ac unionum & incorporationum, necnon dependentiarum hujuſmodi, ſi quæ ſunt, pro ſufficienter expreſſis habentes, dictamque cauſam ad nos harum ſerie advocantes, & litem penitus extinguentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dilecti filii noſtri Dominici, tituli ſancti Clementis presbyteri Cardinalis ad hoc expreſſo accedente conſenſu, in manibus noſtris præſtito, necnon uniones, annexiones & incorporationes Eccleſiæ ſive Monaſterii ſancti Petri, ſi quæ ſunt, quoad corpus ipſius Eccleſiæ ſancti Petri, & illi contiguam domum, ſtructuras & ædificia, ac hortum muris, arcum area clauſum, juxta ædificia prædicta ſitum, & horticellum ſeu hortulum prope ſtallas ejuſdem Eccleſiæ, & vineas hujuſmodi dumtaxat, illis quoad omnia alia in ſuis robore & firmitate remanentibus, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore diſſolvimus & ſeparamus, & Eccleſiam ſive Monaſterium ſancti Petri hujuſmodi cum ædificiis, ſtructuris, domo, & horto ac horticello & vineis prædictis, eorum denique Eccleſiæ, domus ſtructurarum & ædificiorum, horti, horticelli & vineæ juribus & pertinentiis dumtaxat, a ſancti Pancratii, & ſancti Clementis Monaſteriis prædictis dicta auctoritate dividimus, diſmembramus & ſeparamus, necnon in priſtinum & eum ſtatum, in quo erat antequam dicto Monaſterio ſancti Pancratii uniretur, annecteretur & incorporaretur, eadem auctoritate reſtituimus & reintegramus, ac volumus, & Amadeo & Fratribus prædictis præfata auctoritate concedimus, quod litteræ eis conceſſæ prædictæ, a data præſentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant: ipſeque Amadeus & Fratres Eccleſiam ſancti Petri cum ſtructuris & ædificiis, ac horto & horticello, ac vineis hujuſmodi pro ipſorum Fratrum domo & habitatione perpetuis futuris temporibus retinere poſſint in omnibus, & perinde ac ſi in eiſdem litteris de præmiſſis omnibus mentio ſpecifica habita, & ſeparatio, disjunctio, ſuppreſſio & extinctio, ac reſtitutio & reintegratio prædictæ per eaſdem litteras, cum ſuppreſſione & extinctione unionis & dependentiæ cujuslibet dignitatis & Ordinis in eadem Eccleſia ſancti Petri, & ejus ædificiis, horto & horticello, ac vineis, & inibi contenta conceſſione factæ fuiſſent, & in ipſa conceſſione dictæ vineæ eis conceſſæ forent. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus; necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Per hoc autem quoad reliqua bona & jura Eccleſiæ, ſive Monaſterii ſancti Petri hujuſmodi, & quæ illius ratione ad Monaſterium prædictum ſancti Pancratii, & ſancti Clementis pertinerent, quomodolibet unionem, annexionem & incorporationem prædictas diſſolvere, aut vim & efficaciam diminuere, ſeu juri ejuſdem Monaſterii ſancti Clementis, & ſancti Pancratii in aliquo præjudicare non intendimus; liceat tamen Amadeo & ejus ſociis prædictis acquirere ſuper ſitu arbo-

Fiſque donatio Monaſterii confirmatur.

arbores & vites plantatas in locis contiguis dictæ Eccleſiæ, & proprietate dicti Monaſterii ſancti Clementis, abſque præjudicio ipſius Monaſterii ſancti Clementis in proprietate hujuſmodi. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXI. VIII. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno x.

XXXV.

Ut poſſit in Regno Angliæ ædificare tres domos Obſervantum. Ex lib. 175. fol. 283.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Margaritæ Duciſſæ Burgundiæ.

§. I. PAſtoralis officii ſollicitudo &c. Sane pro parte tua, & nonnullorum Nobilium Regni Angliæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos zelo devotionis accenſi, ad laudem Divini nominis, & ob ſingularem, quem ad Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub dilecto filio Vicario Generali Ultramontano ejuſdem Ordinis degentium, propter ipſorum Fratrum laudabilem vitam, & populi ſalutem, ac Divini cultus augmentum, geritis devotionis affectum, tres domos in dicto Regno, in locis ad hoc congruentibus, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum, cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro qualibet domorum earumdem, de novo conſtrui & ædificari facere deſideratis. Quare pro parte tua, quæ, ut aſſeris, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ Illuſtris ſoror exiſtis, & dictorum Nobilium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis dictas tres domos, ut præfertur, conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos itaque, qui Divinum cultum ubique vigere intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ſine alicujus præjudicio, prædictas tres domos, cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, cœmeterio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prædictis pro qualibet domorum earumdem, pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum, ut præfertur, conſtrui & ædificari faciendi, necnon eiſdem Fratribus domos hujuſmodi cum Eccleſia, campanili &c. recipiendi & perpetuo retinendi, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur: Ordinariorum locorum, & cujuſcumque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volentes & eadem auctoritate ſtatuentes, quod Fratres, qui in eiſdem domibus pro tempore morabuntur, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis & indultis, quibus aliæ domus ſeu Fratres Ordinis ejuſdem in genere utuntur & gaudent, etiam uti & gaudere libere & licite valeant: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Brachiani, Sutrin. diœceſis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXI. VIII. Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno XI.

XXXVI.

Ut poſſit ædificare domum Obſervantum in Civitate Toloſ. Ex lib. 176. fol. 152.

Cariſſimo in Chriſto filio Ludovico Francorum Regi illuſtri.

§. I. Superna diſpoſitione &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu devotionis zelo accenſus, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & attente conſiderans, quam magni fructus ex monitionibus, prædicationibus, & exemplari vita profeſſorum Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in ſingulis fere locis, in quibus illi commorantur, ſubſequi ſolent, ac ſperans ad pacem & unionem inter cives & incolas, ac habitatores Civitatis Toloſanæ procurandam & conſervandam, proque tuæ ac aliorum Chriſtifidelium animarum ſalute, Divini quoque cultus augmento plurimum conducere novam conſtructionem & ædificationem unius domus, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis in diſta Civitate, vel extra muros ejuſdem, in loco ad hoc congruo & honeſto, ad uſus hujuſmodi, & laudabiles effectus, & ob ſingularem devotionem, quam geris ad glorioſiſſimum confeſſorem ſanctum Franciſcum, dicti Ordinis Fundatorem, domum hujuſmodi de novo fundari & conſtrui facere, intenſis deſideriis affectas: Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi domum hujuſmodi in prædicto loco, de quo tibi, & dilectis filiis Vicario & Fratribus dicti Ordinis provinciæ Aquitaniæ, ſecundum morem ipſius Ordinis, videbitur, cum campanili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum ſundari & conſtrui faciendi, ac eiſdem Vicario & Fratribus domum hujuſmodi pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi & perpetuo retinendi licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ad ſanctum Franciſcum, &, in quo dudum a teneris annis enutriti, profeſſionem emiſimus, & Generalis Miniſtri ſungebamur officio, dum ad Cardinalatus honorem promoti ſuimus, Ordinem prædictos, & illius profeſſores, eorum exigentibus meritis, ſpecialem gerimus devotionis affectum, ac ſalubria vota tua, ut optatum ſortiantur effectum, libenter favore benevolo conſovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ſine alicujus præjudicio, domum hujuſmodi in loco prædicto, de quo tibi, & ipſis Vicario & Fratribus videbitur, ut præfertur, cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitis, & aliis neceſſariis officinis prædictis, pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum ſundari & conſtrui faciendi, ac eiſdem Vicario & Fratribus domum hujuſmodi, pro eorum uſu & habitatione recipiendi & perpetuo retinendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur, diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia minime requiſita. Non obſtantibus felicis recordationis Boniſacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volentes, & eadem auctoritate decernentes, quod dicta domus & illius Guardianus & Fratres, qui illam inhabitabunt pro tempore, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus &c. aliis Fratribus & domibus dicti Ordinis conceſſis, gaudere libere & licite valeant: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Viterbii, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXI. III. Idus Octobris, anno XI.

Anno Chriſti 1482. *nullum occurrit recenſendum Monumentum.*

XXXVII.

Ut domum ſibi conſtruendam extra muros Narnienſes poſſint admittere. Ex Brevi originali.

§. I. SUpplicari nobis humiliter feciſtis, ut cum Communitas & homines Civitatis noſtræ Narniæ quemdam locum extra muros Narnien. ubi quædam imago beatæ Mariæ Virginis diverſis miraculis clarere cœpit, pro ſingulari devotione, quam ad Congregationem veſtram gerunt, vobis dare & aſſignare deſiderent, ut in eo domus pro habitatione Fratrum, cum Eccleſia & aliis neceſſariis manſionibus ædificari poſſit, dignaremur vobis locum hujuſmodi recipiendi licentiam concedere.

§. II. Nos, qui augmentum Religionum omnium ſummo ſtudio deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut locum hujuſmodi, ſine tamen juris alieni præjudicio, pro uſu & habitatione veſtra recipere, & in eo domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, & perpetuo inhabitare poſſitis & valeatis, tenore præſentium concedimus & indulgemus. Decernentes, ut domus prædicta & Fratres in ea degentes, omnibus & ſingulis indulgentiis, privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus gaudeant, quibus aliæ domus, & Fratres veſtri Ordinis gaudent & potiuntur, ſeu in futurum gaudebunt & potientur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti veſtri Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel alias roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xxv. Aprilis mcccclxxxiii. Pontificatus noſtri anno xii.

XXXVIII.

Ut concedant Miniſtro Provinciæ ſancti Nicolai licentiam admittendi domum Conventualium. Ex libro 195. fol. 83.

Dilectis filiis Archipresbytero Eccleſiæ Baren. ac Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Cuperſani in ſpiritualibus Generali.

§. I. PIis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Lucæ Carazoli de Licio Miniſtri ac Fratrum Ordinis Minorum Provinciæ ſancti Nicolai, ſecundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod dudum, poſtquam quondam Pelegrinus Archipresbyter Archipresbyteratus loci Rutiliani, Cuperſan. diœceſis, de bonis a Deo ſibi collatis quoddam Oratorium ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Pietate extra locum prædictum, cum uno clauſtro, & quoddam hoſpitale eidem Oratorio propinquum conſtrui & ædificari fecerat, cupiens quod apud Oratorium ipſum una domus dicti Ordinis, ad quem ſingularem gerebat devotionis affectum, cum Eccleſia ſub dicta invocatione, humili campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro eorumdem Fratrum inibi per eorum Miniſtrum ſeu alios Superiores ſuos pro tempore deputandorum, perpetuis uſu & habitatione conſtrueretur & ædificaretur, Oratorium & hoſpitale conſtructa hujuſmodi, ac nonnulla bona immobilia tunc expreſſa, ad eum legitime pertinentia, illorum tamen certa parte ſibi, quoad viveret, reſervata, nonnullis Fra-

Fratribus dicti Ordinis, nomine Romanæ Eccleſiæ accipientibus, donationis titulo inter vivos, dedit & aſſignavit, prout in quodam publico inſtrumento deſuper confecto dicitur plenius contineri, ipſeque Pelegrinus, dum in humanis egit, duos & quandoque tres Fratres dicti Ordinis, de dictorum ſuperiorum licentia ibidem tenuit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfatus Pelegrinus poſtmodum fuerit vita functus, cupiantque Lucas Miniſter & Fratres prædicti pium dicti Pelegrini deſiderium adimpleri, pro parte Lucæ & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem & Divini cultus augmentum intenſis deſideriis affectamus, pium Lucæ & Fratrum prædictorum deſiderium plurimum in Domino commendantes, ac bonorum prædictorum quantitates, qualitates, confines ac valorem præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, Lucæ & Fratribus prædictis, apud Oratorium & hoſpitale prædicta, unam domum hujuſmodi cum Eccleſia ſub dicta invocatione, humili campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro eorumdem Fratrum inibi per eorum Miniſtrum ſeu alios Superiores ſuos pro tempore deputandorum, perpetuis uſu & habitatione, abſque tamen alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, illamque cum bonis hujuſmodi, pro illorum uſu & habitatione prædictis recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos, vigore præſentium concedi contigerit, ut præfertur, dictæ domui, & illius pro tempore Guardiano & Fratribus, qui illam inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, libertatibus, aliis domibus & Fratribus ejuſdem Ordinis conceſſis & in poſterum concedendis, uti & gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIII. IX. Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno XII.

XXXIX.

Ut concedant Amadeitis licentiam admittendi domum apud Peruſinos. Ex libro 194. fol. 191.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii beatæ Mariæ Vallis-pontis, Peruſinæ diœceſis, & Angelo de Narduciis Canonico Eccleſiæ Peruſinæ, Ordinis ſancti Auguſtini.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, de Congregatione quondam Amadei de Hiſpania &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis & Priorum Artium Civitatis noſtræ Peruſinæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi provide conſiderantes fructus uberes, quos Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Congregationis quondam Amadei de Hiſpania, incolis locorum, in quibus domos habent, eorum exem-

exemplari vita, prædicationibus verbi Dei, audientia confeſſionum,& aſſidua & devota Divinorum celebratione hactenus attulerunt, & afferre non ceſſant pro fidelium ſalute animarum, ac ex certis aliis rationabilibus cauſis ſperantes, quod ſi apud locum ſanctæ Mariæ de Colmani, extra & prope portam ſancti Andreæ Peruſin. alias per nonnullos Religioſos habitatum, nunc vero ad profanos uſus reductum, vel apud locum Eccleſiæ ſancti Nicolai intra & juxta muros portæ ſancti Petri dictæ Civitatis, in quo duo in præſentiarum Eremitæ ad nutum exiſtunt, aut apud alium locum, vel extra dictam Civitatem, ubi Fratribus præfatis melius & commodius congrue videretur, una domus conſtrueretur & ædificaretur, quæ per unum Guardianum & alios Fratres Ordinis & Congregationis eorumdem regeretur & gubernaretur, profecto Communitas & Fratres præfati, ac populus dictæ Civitatis, Guardiani & Fratrum, qui domum ipſam pro tempore habitarent, directi conſiliis & exhortationibus, ferventius, quam ſoliti ſint, ſuarum animarum ſalutem quærerent, quæ proculdubio exinde facilius ſequeretur, Divinuſque cultus in dicta Civitate non modicum ſuſciperet incrementum. Quare pro parte Communitatis & Priorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis in aliquo prædictorum, vel alio loco ad id convenienti & accommodo unam domum cum Eccleſia,humili campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, clauſtro, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis unius Guardiani & nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ præfatorum conſtruendi & ædificandi, ipſiſque Fratribus domum ipſam recipiendi & inhabitandi licentiam concedere, aliaſque ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis optamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ſi eſt ita, eiſdem Communitati & Prioribus domum ipſam in aliquo prædictorum vel alio loco ad id congruo & accommodo, cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, clauſtro, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione perpetuis unius Guardiani & nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ præfatorum, abſque tamen alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ac dilecto filio Roberto vel pro tempore exiſtenti Guardiano domus ſancti Petri de Montorio de Urbe, eorumdem Ordinis & Congregationis, domum ipſam nomine ipſorum Ordinis & Congregationis recipiendi,& Fratribus prædictis illam perpetuo retinendi & inhabitandi licentiam auctoritate noſtra concedatis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi conceſſeritis, ut præfertur, eidem conſtruendæ domui, necnon Guardiano & Fratribus in illa pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, quibus aliæ domus & Fratres Ordinis prædicti in genere utuntur & gaudent, etiam uti & gaudere poſſint & valeant, Apoſtolica auctoritate concedimus per præſentes: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIII. XVI. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno XII.

XL. *Ut*

X L.

Ut dent facultatem Sororibus Tertii Ordinis admittendi & regendi Hoſpitale Ambianen. Ex lib. 199. fol. 97.

Dilectis filiis ſancti Martini ad Gemellos intra, & ſancti Joannis extra muros Ambianen. & ſancti Friſtiani, Ambianen. diœceſis Monaſteriorum Abbatibus.

§. I. Etſi locorum piorum quorumlibet &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Joannæ de Wernick Magiſtræ, & tredecim Sororum Tertii Ordinis beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in hoſpitali pauperum ſancti Nicolai, de Coqueres nuncupati, infra metas parochiæ parochialis Eccleſiæ ſancti Firmini Ambianen. petitio continebat, quod olim quondam Ægidius Rauyn civis Ambianen. & Celaya ejus uxor, de animarum ſuarum ſalute recogitantes, ac temporalia in ſpiritualia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare cupientes, ex bonis ſibi a Deo collatis dictum hoſpitale pro quadraginta pauperibus inibi recipiendis, ſi tot ad illud declinarent, quibus certæ tunc expreſſæ eleemoſynæ, juxta ipſius loci facultates erogarentur, & alia ibidem caritatis opera exercerentur, de licentia & conſenſu tunc Epiſcopi Ambianen. conſtrui & ædificari fecerunt, qui quidem Epiſcopus inter alia ordinavit, ut in dicto hoſpitali una Capella conſtrueretur, prout conſtructa fuit, pro miſſis & aliis Divinis officiis, juxta ordinationem ipſius Epiſcopi inibi celebrandis, prout in litteris authenticis ipſius Epiſcopi deſuper confectis plenius continetur. *Petitio Sororum.* *Ex piorum bonis hoſpitale conſtruitur.*

§. II. Et deinde, cum ſuperioribus annis in Regno Franciæ & Comitatu Arteſii diræ guerræ (proh dolor!) viguerunt, prout adhuc vigent, & ipſæ Joanna Magiſtra & Sorores, hoſpitalariæ nuncupatæ, ſub cura Vicarii provincialis Fratrum Provinciæ Franciæ, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis Fratrum Minorum degentes, ad Civitatem prædictam, refugii cauſa ſe contuliſſent, & a dilectis filiis Majore & Scabinis dictæ Civitatis humiliter petiiſſent, ut eis aliquem pium locum, in quo ſe receptare, & Altiſſimo in humilitatis ſpiritu deſervire, ac caritatis opera exercere poſſent, Divinæ pietatis intuitu aſſignarent, præfati Major & Scabini conſiderantes, quod Magiſtra & Sorores prædictæ in dicto hoſpitali commode habitare & Altiſſimo famulari, ac caritatis opera hujuſmodi juxta earum pium propoſitum ac loci exigentiam exercere poſſent, hoſpitale prædictum, quantum in eis fuit, eiſdem Magiſtræ & Sororibus conceſſerunt & aſſignarunt, ipſæque Magiſtra & Sorores ex tunc hoſpitale ipſum tenuerunt & poſſederunt, prout tenent & poſſident de præſenti, laudabiliter & devote ibidem vivendo, ac opera caritatis diligenter exercendo. *Et Sororibus conceditur.*

§. III. Quare pro parte Magiſtræ & Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni & aſſignationi prædictis, pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur noſtræ confirmationis adjicere, & eiſdem, quæ nunc ſunt & pro tempore erunt, Magiſtræ & Sororibus hoſpitalariis in dicto hoſpitali, ut Ordinarii loci & cujuſvis licentia ſuper his minime requiſita, presbyter idoneus ſecularis vel regularis, ipſis ad hoc per Vicarium prædictum pro tempore exiſtentem deputandus, in ipſa Capella Miſſas & alia Divina officia alta vel ſubmiſſa voce, prout expedierit, celebrare, & diebus Dominicis aquam, ut moris eſt, benedicere, & earumdem Magiſtræ & So- *Confirmatio donationis, aliaque privilegia poſtulantur.*

Sororum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis per eas pro tempore exceſſibus & peccatis quibuslibet, in ſingulis Sedi Apoſtolicæ aut Ordinario loci non reſervatis caſibus de abſolutionis beneficio providere, & pœnitentiam ſalutarem injungere, ipſæque Magiſtra & Sorores campanam inibi exiſtentem, dum opus fuerit, pulſari facere, & cum juxta ipſius Tertii Ordinis de Pœnitentia regularia inſtituta, dictæ Magiſtra & Sorores ſingulis diebus Dominicis Sacramentum Euchariſtiæ recipere conſueverunt, illud in dicta Capella in loco congruo & honeſto reponi, & cum ea, qua decet reverentia cuſtodiri facere, & illud, ac Sacramentum Extremæ Unctionis ab eodem Capellano, qui illa eis miniſtrare poſſit, recipere, necnon in dicto hoſpitali menſam cum reliquiis & Sanctuariis approbatis, ac truncum ligneum vel lapideum, prout expedierit, pro oblationibus fidelium ad reparationem hoſpitalis & capellæ prædictorum, ac ſubventione pauperum reponendis & conſervandis tenere, omnibuſque & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus & exemptionibus, aliis domibus & Sororibus Ordinis prædicti conceſſis & in poſterum concedendis, uti & gaudere libere & licite valeant, concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur qui hujuſmodi hoſpitalium ac perſonarum inibi degentium jugem profectum, quantum cum Deo poſſumus, procuramus, & de præmiſſis certam notitiam non habemus, eorumdem Majoris & Scabinorum nobis ſuper hoc pro dictis Magiſtra & Sororibus humiliter ſupplicantium, ac hujuſmodi earumdem Joannæ Magiſtræ & Sororum ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi & poſtquam, vocatis Rectore dictæ Eccleſiæ, & aliis qui fuerint evocandi, de præmiſſis vobis legitime conſtiterit, ſine præjudicio cujuſcumque, dicti hoſpitalis conceſſionem & aſſignationem prædictas, eiſdem Magiſtræ & Sororibus, ut præfertur, factas per Majorem & Scabinos prædictos, auctoritate noſtra approbetis & confirmetis, ſuppleatiſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: & ut, ſine præjudicio cujuſcumque, presbyter idoneus ſecularis vel Regularis, ipſis nunc & pro tempore exiſtentibus Magiſtræ & Sororibus præfatis, ad hoc per Vicarium prædictum pro tempore exiſtentem deputatus, earum confeſſiones diligenter audire, & in ſingulis non reſervatis caſibus de abſolutionis beneficio providere & pœnitentiam ſalutarem injungere, ac in dicta Capella miſſas & alia Divina officia alta vel ſubmiſſa voce, prout expedierit, celebrare, & diebus Dominicis aquam, ut moris eſt, benedicere, ipſæ quoque Magiſtra & Sorores campanam inibi exiſtentem, dum opus fuerit, pulſari, & Euchariſtiæ Sacramentum in loco congruo & honeſto in dicta Capella reponi, & cum ea, qua decet reverentia cuſtodiri facere, & illud, ac Sacramentum Extremæ Unctionis ab eodem Capellano, qui illa eis miniſtrare poſſit, recipere, necnon in dicto hoſpitali menſam cum reliquiis & Sanctuariis approbatis, ac truncum ligneum vel lapideum, prout expedierit, pro oblationibus fidelium ad reparationem & ſubventionem prædictas oblatis, reponendis & conſervandis tenere, cœmeterium quoque apud hoſpitale ipſum habere & benedici facere, quodque prædictæ & pro tempore exiſtentes dicti hoſpitalis Magiſtra & Sorores omnibus & ſingulis exemptionibus, privilegiis, libertatibus & indulgentiis, aliis domibus, Magiſtris & Sororibus Ordinis ejuſdem conceſſis & in poſterum concedendis uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate noſtra concedatis pariter & indulgeatis: jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo; data propterea ei debita recompenſa, veſtro arbitrio

Petitioni annuitur.

bitrio moderanda. Non obſtantibus Viennen. Concilii, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.
Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIII. Nonis Septembris, Pontificatus noſtri anno XIII.

XLI.

Subjicitur ipſe & Conventus ejus regimini Miniſtri Generalis. Ex lib. 6. Regeſt. Innocent. VIII. fol. 331.

Dilecto filio Joanni de Gotinez Ordinis Minorum profeſſori.

§. I. Ex injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu alias de licentia dilecti fili Alphonſi de Zamora Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſoris, Nuncii poſtmodum Apoſtolici ad inſulam Canariam pro converſione incolarum dictæ inſulæ ad fidem Catholicam deſtinati, habentis ad hoc, ut aſſerebat, ab eadem Sede ſpecialem per ejus litteras facultatem, quamdam domum, de ſancta Cruce nuncupatam, intra villas de Hordunia, & Motia, Calaguritanæ diœceſis, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, tam ex bonis tuis tibi, dum in ſeculo eſſes, a Deo collatis, quam piis aliorum fidelium eleemoſynis conſtruxiſti & ædificaſti; tuque & nonnulli alii profeſſores ejuſdem Ordinis eamdem domum ipſam hactenus laudabiliter, & ad odorem bonæ famæ inhabitaſtis, prout adhuc inhabitatis: Et deinde cum tu certis de cauſis, ad id animum tuum moventibus, pro tuæ & aliorum pro tempore dictam domum inhabitantium, conſcientiarum pace & quiete, deſiderares domum prædictam, & Fratres illam pro tempore inhabitantes ab obedientia dicti Alphonſi, & aliorum Prælatorum dicti Ordinis in inſula prædicta degentium liberari & eximi, ac ſub obedientia, cura & viſitatione Miniſtri Generalis dicti Ordinis pro tempore exiſtentis perpetuo ſubjici, ab eodem Alphonſo licentiam obtinuiſti, ut tu, & pro tempore domum prædictam inhabitantes, ſub obedientia & juriſdictione dicti Generalis Miniſtri perpetuo remanere poſſitis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi & aliorum Fratrum dictam domum inhabitantium pro tempore ſtatui in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui pacem & quietem perſonarum quarumlibet, præſertim ſacræ Religioni deditarum, accenſis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, te ac domum ipſam, necnon & Fratres in illa pro tempore degentes, ab obedientia & ſubjectione dicti Nuncii, ac aliorum Prælatorum dicti Ordinis in ipſa inſula degentium, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium penitus eximimus & totaliter liberamus, teque ac illos & domum ipſam ſub obedientia, cura, viſitatione & correctione dicti Miniſtri Generalis, ita tamen quod in Obſervantia Regulari dicti Ordinis, prout hactenus feciſtis, vivatis, perpetuo ſubjicimus; ac tibi ut octo, decem vel plures dicti Ordinis profeſſores ſub quacumque Obedientia exiſtentes, in dicta domo recipere & admittere, quodque tu & ipſi omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus ac indulgentiis, dicto Ordini, ac illorum Fratribus & domibus per Sedem prædictam, vel alias in genere conceſſis uti & gaudere libere & licite poſſitis & debeatis, auctoritate præfata, tenore præſentium, de ſpeciali dono gratiæ indulgemus:

non

non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiiſque & indultis per Sedem prædictam forſan eidem Ordini, ſub quibuſvis verborum formis forſan in genere conceſſis, quibus omnibus, etiamſi de illorum totis tenoribus, pro illorum ſufficienti derogatione, ſpecialis & expreſſa mentio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad hoc ſpecialiter & expreſſe hac de re dumtaxat derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIV. IX. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno XIII.

INNOCENTIUS VIII.

Electus IV. *Kalend. Septemb. coronatus pridie Idus Septembris.*

Anno Christi 1484. Innocentii VIII. anno 1.

I.

Ut concedat facultatem duabus nobilibus Sororibus germanis ædificandi Monaſterium Clariſſarum prope oppidum de Belalcazar. Ex lib. 1. regeſti Innocentii fol. 47.

Dilecto filio Priori Monaſterii beatæ Mariæ de Guadalupe per Priorem ſoliti gubernari, Toletanæ diœceſis.

§. I. INter cetera Divinæ accepta voluntati &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum nobilium mulierum Leonoræ & Eliſabethæ Manrique Sororum germanarum, domicellarum, Corduben. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ, quæ alias de ingrediendo Religionem votum emiſerunt, pro hujuſmodi earum deſiderio facilius adimplendo, cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, unum Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ, intra vel prope oppidum de Belalcazar dictæ diœceſis, de bonis a Deo eis collatis, erigere, conſtruere & ædificare, ſeu erigi, conſtrui & ædificari facere, illudque congruis reditibus dotare proponunt, dummodo ipſis ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte Leonoræ & Eliſabethæ prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis intra vel prope dictum oppidum, in loco ad id convenienti & honeſto, unum Monaſterium dicti Ordinis, cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro aliquibus Monialibus dicti Ordinis, Altiſſimo inibi perpetuo famulaturis, ſub invocatione dictæ Sanctæ, erigi ac conſtrui & ædificari faciendi, necnon in dicta Eccleſia Euchariſtiæ Sacramentum in loco decenti & honeſto habendi & cuſtodiendi licentiam concedere, aliaſque ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, Religionis propagationem noſtris potiſſime temporibus exoptamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, ipſaſque Leonoram & Eliſabetham a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, ac aliis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa

latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem Leonoræ & Eliſabethæ Monaſterium præfatum intra vel prope dictum oppidum, in loco ad id congruo & honeſto, cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro aliquibus Monialibus dicti Ordinis, Altiſſimo inibi perpetuo famulaturis, ſub invocatione dictæ Sanctæ, abſque tamen alicujus præjudicio, erigi, conſtrui & ædificari faciendi, necnon in dicta Eccleſia Euchariſtiæ Sacramentum in loco decenti & honeſto habendi & cuſtodiendi licentiam auctoritate noſtra concedas: & nihilominus eadem auctoritate ſtatuas & ordines, quod Leonora & Eliſabetha prædictæ, ac pro tempore exiſtens ipſius Monaſterii Abbatiſſa, quæcumque bona mobilia & immobilia ſibi pro tempore ex fidelibus donanda, pro ſuſtentatione Monialium dicti Monaſterii, & illius reparatione recipere, ac in ſuſtentationem & reparationem hujuſmodi convertere poſſint; quodque in dicto Monaſterio ſic tunc erecto ultra triginta Moniales recipi non valeant, ſub pœna excommunicationis, quam recipientes ipſo facto incurrant, niſi de licentia Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut Vicarii Generalis Ultramontani Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ipſiuſque Monaſterii Abbatiſſa per Moniales ejuſdem de triennio in triennium eligatur, & a Viſitatore earum confirmari poſſit.

§. III. Et inſuper quod Leonora & Eliſabetha prædictæ, conjunctim vel diviſim poſſint eligere vel vocare tot Moniales dicti Ordinis, in Religionis ſanctimonia, & modo vivendi inſtitutas, quot eis neceſſariæ videbuntur, quæ alias Moniales in dicto Monaſterio recipiendas, & inibi pro tempore moraturas inſtruant; Abbatiſſæ quoque & Prælati Monialium eligendarum & vocandarum hujuſmodi pro tempore, quamprimum pro parte Leonoræ & Eliſabethæ prædictarum, vel alterius earum requiſiti fuerint, illas ad dictum erigendum Monaſterium mittere, & ipſæ eligendæ & vocandæ Moniales ad illud accedere, & inibi reſidere, ac Vicarius Provincialis provinciæ de Sanctoyo dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem ipſius Ordinis, & Fratres ipſius Provinciæ, poſtquam per Leonoram & Eliſabetham prædictas, vel alteram ipſarum, ſeu pro earum parte requiſiti fuerint, erigendum Monaſterium hujuſmodi, illiuſque Moniales, ſub cura & regimine ſuis recipere, ac eis de idoneo confeſſore, qui earum confeſſiones audiat....... a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolvi non poſſint, teneantur & debeant: Quodque ipſe Vicarius Provincialis Guardiano & Fratribus domus ſancti Franciſci de la Columna prope dictum oppidum, Ordinis Minorum, & Obſervantiæ prædictorum, curam erigendi Monaſterii hujuſmodi, & illius Monialium committere, ipſeque Guardianus Monaſterium & Moniales hujuſmodi per ſe vel alios ad hoc idoneos, quando dictus Vicarius propter locorum diſtantiam Monaſterium ipſum non viſitaverit, viſitare, & cum conſilio Confeſſoris prædictarum Monialium, & Diſcretorum dictæ domus ſancti Franciſci, ad erigendum Monaſterium hujuſmodi accedere, aliiſque Fratribus ad illud pro neceſſaria vel utili aut rationabili cauſa accedendi licentiam concedere poſſit.

§. IV. Nos enim, ſi conceſſionem, ſtatutum & ordinationem hujuſmodi per te, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, dicto erigendo Monaſterio, ac illius Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, ut om-

omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, quibus alia Monaſteria, Abbatiſſæ & Moniales Ordinis prædicti utuntur & gaudent, uti & gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, necnon aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus dicti Ordinis ſanctæ Claræ, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIV. VI. Nonas Octobris, Pontificatus noſtri anno I.

II.

Ut hoſpitale pauperum convertant in domum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci. Ibid. fol. 122.

Dilectis filiis Decano Carthaginen. & Scholaſtico Conchen. Eccleſiarum

§. I. RAtioni congruit &c. Dudum ſiquidem fel. record. Sixto Papæ IV prædeceſſori noſtro pro parte dilecti filii Franciſci Marton. laici Terræ Murciæ, Carthaginen. diœceſ. expoſito, quod olim quondam Tereſia vidua relicta quondam Guillemi Roqueline laici militis dictæ Terræ, ſuum in ejus ultima voluntate condens teſtamentum, inter alia voluerat, quod in quadam domo dictæ Terræ ad eam pertinente, ſub invocatione ſanctæ Brigidæ inſtituta, decens hoſpitalitas pauperum ad eam confluentium ſervaretur, eſſetque domus ipſa de jure patronatus laicorum, prout in dicto teſtamento plenius continebatur: & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod bona dictæ domus pro magna parte diſſipata & deteriorata erant, & hoſpitalitas in ea commode teneri nequibat: dictuſque Franciſcus ejuſdem domus patronus, conſiderans raram & admodum parvam hoſpitalitatem ibidem teneri, ac cupiens indemnitati dictæ domus provideri, eamque piis uſibus applicari, nonnullas Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in dicta domo habitare permiſerat, prout illam tunc inhabitabant: Quodque ſi ex tunc de cetero dicta domus perpetuis uſibus prædictarum & aliarum Sororum dicti Ordinis applicaretur, profecto Mater & Sorores ipſius Ordinis, in dicta domo pro tempore habitantes, domum ipſam, illiuſque ſtructuras & ædificia, & alia bona manutenere & conſervare ac reparare curarent, necnon ex illarum inibi reſidentia, ipſarum orationibus & laudabili vita, animæ dictæ teſtatricis non minora pro ejus ſalute ſuffragia conſequeretur, quam ex hoſpitalitate prædicta, ac ipſarum Sororum exemplari vita aliæ mulieres ad vacandum Divinis beneplacitis ſub Regularibus inſtitutis dicti Ordinis allicerentur, ſuccederetque exinde incolarum dicti loci ad Ordinem prædictum devotionis incrementum, & ſalus animarum: ac pro parte ejuſdem Franciſci dicto prædeceſſori humiliter ſupplicato, ut domum ipſam perpetuis uſibus Sororum dicti Ordinis, quæ tunc inibi habitabant, & aliarum quæ per ipſas & dictum Franciſcum eligerentur & introducerentur, & quæ pro tempore eſſent, & aſſumerentur, applicare, piamque voluntatem teſtatricis prædictæ, quoad hoc dumtaxat, quod hoſpitalitas prædicta converteretur in habitationem Sororum hujuſmodi, abſque tamen præjudicio juriſpatronatus dicti Franciſci, & ſuorum ſucceſſorum commutare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur. Idem Sixtus prædeceſſor de præmiſſis certam no-

notitiam non habens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet XII. Kalend. Maii, Pontificatus ſui anno XI. voluit & conceſſit, certis Judicibus dari in mandatis, ut ipſi vel alter eorum, ſi & poſtquam de præmiſſis omnibus & ſingulis, eidem prædeceſſori expoſitis & aſſertis, eis legitime conſtitiſſet, domum ipſam perpetuis uſibus Sororum dicti Ordinis, quæ tunc inibi inhabitabant, & aliarum, quæ per ipſas eligerentur & introducerentur, & quæ pro tempore eſſent & aſſumerentur, Apoſtolica auctoritate applicarent, piamque voluntatem præfatæ teſtatricis, quoad dumtaxat, quod hoſpitalitas prædicta converteretur in habitationem Sororum prædictarum, abſque tamen præjudicio juris patronatus Franciſci & ſucceſſorum ſuorum prædictorum commutarent: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. II. Ne autem de voluntate & conceſſione dicti prædeceſſoris, pro eo quod ſuper illis ejuſdem prædeceſſoris, illius ſuperveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, volentes & dicta auctoritate decernentes quod voluntas, conceſſio & indultum Sixti prædeceſſoris hujuſmodi perinde a dicto die XII. Kalendas Maii, ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ejuſdem prædeceſſoris litteræ, ſub ipſius diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur; quodque præſentes litteræ ad probandum plene voluntatem, conceſſionem & indultum Sixti prædeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ſi & poſtquam de præmiſſis, eidem prædeceſſori expoſitis & aſſertis, vobis legitime conſtiterit, domum præfatam perpetuis uſibus Sororum dicti Ordinis, quæ a dicta die XII. Kalend. Maii, inibi inhabitabant & nunc inhabitant, & aliarum, quæ per ipſas eligentur & introducentur, & quæ pro tempore erunt & aſſumentur, auctoritate noſtra applicetis, & in hoc piam voluntatem dictæ teſtatricis, abſque tamen præjudicio juris patronatus hujuſmodi, commutetis in voluntatem & conceſſionem Sixti prædeceſſoris antedicti. Non obſtantibus omnibus ſupradictis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIV. pridie Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno I.

III.

Ut confirment permutationem quorumdam bonorum factam inter Epiſcopum, & Monaſterium Clariſſarum Palentinum. Ex lib. 32. fol. 280.

Dilectis filiis Decano Legionen. & Priori ſecularis & Collegiatæ beatæ Mariæ de Vilecleti, Palentin. diœc. Eccleſiarum.

§. I. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem a fel. record. Paulo Papa II. prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis. *Paulus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus judiciis &c.* Et deinde pro parte venerabilis Fratris noſtri Didaci Epiſcopi Palentini, & dilectarum filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Claræ Palentini, Ordinis ejuſdem Sanctæ, piæ mem. Sixto Papæ IV. etiam prædeceſſori noſtro expoſito, quod olim prædictæ Abbatiſſa & Conventus locum de Reynoſo, Palentinæ diœceſis, cum Vaſſallis, dominio & juriſdictione ſuis, & montibus, pratis, terris, vineis ſolaribus, paſcuis, & exitibus in terminis dicti loci exiſtentibus, necnon certis molendinis, *Blennas* nuncupatis, in flumine de Pinvorga prope dictum locum exiſtentibus, ac omnibus aliis juribus & pertinentiis ſuis, quæ ad dictum

Monaſterium quomodolibet pertinebant, exceptis dumtaxat certo termino in dicto loco exiſtente, *Barrio* nuncupato, olim per tunc Abbatiſſam dicti Monaſterii & eaſdem Conventum, dilectis filiis Univerſitati hominum villæ de Villa *Bindas*, dictæ diœceſis in Emphyteuſim conceſſo; ac prædictus Epiſcopus præſtimonium ſive decimas vini & aliorum fructuum Movudo, nunc oppidi de Villa Martin. dictæ diœceſis, ad menſam Epiſcopalem Palentin. legitime ſpectantia, & quadraginta menſuras grani, pondera ſive cargas nuncupatas, quas Epiſcopus Palentin. pro tempore exiſtens ex decimis primi grani, quod in dicto oppido colligitur, annis ſingulis percipere conſueverat, etiam ad eamdem menſam legitime ſpectantia, ut conditiones Monaſterii & menſæ præfatorum efficerentur meliores, de expreſſo conſenſu dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Palentin. adinvicem permutaverant, & in excambium dederant, ea conditione, ut ſi aliquando contingeret, quod propter ſterilitatem temporis, decimæ grani dicti oppidi de Villa Martin. prædicta dictas quadraginta menſuras non attingerent, ex tunc prædictus Didacus, & pro tempore exiſtens Epiſcopus Palentin. eſſet obligatus ſolvere Abbatiſſæ pro tempore exiſtenti dicti Monaſterii & eiſdem Conventui reſiduum quadraginta menſurarum hujuſmodi ex aliis reditibus dictæ menſæ, in alio loco per eas eligendo, prout in inſtrumento publico deſuper confecto dicebatur plenius contineri.

§. II. Quare pro parte Didaci Epiſcopi, & Abbatiſſæ & Conventus prædictorum, aſſerentium, quod Didacus Epiſcopus locum de Reynoſo, cum Vaſſallis, montibus, pratis, terris, vineis ſolaribus, paſcuis, exitibus, & molendinis, & aliis juribus prædictis, ac Abbatiſſa & Conventus præfatæ poſſeſſionem, ſeu quaſi, præſtimonii, ſive decimarum & grani menſurarum, ſive juris ea percipiendi aſſecuti & adepti fuerant, & quod permutatio hujuſmodi in evidentem utilitatem tam menſæ, quam Monaſterii prædictorum ceſſerant, & tunc cedebant, eidem Sixto prædeceſſori humiliter ſupplicato, ut permutationi hujuſmodi, pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur: idem Sixtus prædeceſſor, qui Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium utilitates & commoda ſtudiis, & ſinceris deſideriis affectabat, de præmiſſis certam notitiam non habens, ac loca de Reynoſo, & montium, pratorum, terrarum, vinearum, ſolarium, paſcuorum, exituum, & molendinorum, necnon decimarum hujuſmodi quantitates, qualitates, confines, & veros valores pro expreſſis haberi volens, ipſoſque Didacum Epiſcopum, & Abbatiſſam, ac ſingulares perſonas dicti Conventus, a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtebant, ad effectum infraſcriptorum dumtaxat conſequendum abſolvens & abſolutos fore cenſens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet XVII. Kalendas Aprilis, Pontificatus ſui anno XI. duobus Judicibus dari voluit & conceſſit in mandatis, ut, ſi & poſtquam deſignatis & ſpecificatis coram eis loco de Reynoſo, cum montibus, pratis, terris, vineis ſolaribus, paſcuis, exitibus, & molendinis, & decimis prædictis, eis conjunctim, præinſertarum litterarum forma diligenter obſervata, de permutatione hujuſmodi, & quod illa in evidentem utilitatem menſæ, & Monaſterii prædictorum ceſſiſſet & cederet, legitime conſtaret, illam, &, prout eam concernunt, omnia & ſingula in præfato inſtrumento contenta, Apoſtolica auctoritate approbarent & confirmarent, ſupplerentque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem.

Non

Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. III. Ne autem de abſolutione, voluntate, & conceſſione Sixti prædeceſſoris hujuſmodi, ex eo quod ſuper illis ipſius Sixti prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, dictique Epiſcopus, Abbatiſſa & Conventus illarum fruſtrentur effectu; volentes, & Apoſtolica auctoritate decernentes, quod abſolutio, conceſſio & voluntas Sixti prædeceſſoris hujuſmodi perinde a dicto die XVII. Kalendas Aprilis, ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ejuſdem Sixti prædeceſſoris litteræ, ſub dicti diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur; quodque præſentes litteræ ad probandum plene abſolutionem, conceſſionem & voluntatem Sixti prædeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam deſignatis & ſpecificatis coram vobis loco de Reynoſo, cum montibus, pratis, terris, vineis ſolaribus, paſcuis, exitibus & molendinis, ac decimis præfatis, vobis etiam conjunctim, præinſertarum litterarum Pauli prædeceſſoris forma diligenter obſervata, de permutatione hujuſmodi, & quod illa in evidentem utilitatem menſæ & Monaſterii præfatorum ceſſerit & cedat, legitime conſtiterit, illam, ac prout eam concernunt, omnia & ſingula in dicto inſtrumento contenta, auctoritate noſtra approbetis & confirmetis, ſuppleatiſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, juxta eaſdem voluntatem & conceſſionem Sixti prædeceſſoris antedicti. Non obſtantibus ſupradictis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIV. pridie Idus Septembris Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Confirmat eis ſtatutas vivendi leges. Ex lib. 14. fol. 113.

Dilectis filiis Pacien. & ſanctæ Gertrudis Lovanien. Monaſteriorum Abbatibus, ac Decano Eccleſiæ beatæ Mariæ Antuerpien. Leodien. & Cameracen. diœceſis.

ADDITIO ALIORUM.

„ §. I. IN ſuprema Apoſtolicæ dignitatis ſpecula &c. Exibita ſiquidem No-
„ bis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Margaritæ &
„ Sororum domus vallis S. Hieronymi, alias Opten Steynarth, Tertii Ordi-
„ nis ſancti Franciſci, de pœnitentia nuncupati, oppidi ſancti Trudonis, Leo-
„ dien. diœceſis, petitio continebat, quod olim quondam Hubertus de Do-
„ clingen. Rector parochialis Eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis dicti oppidi, ac
„ Margarita & Sorores dictæ domus, quæ infra limites parochiæ dictæ Eccle-
„ ſiæ exiſtit, pro majori commoditate & animarum ſalute Margaritæ & Soro-
„ rum in dicta domo pro tempore commorantium, inter ſe concordarunt,
„ quod extunc in antea dicta domus, ac illius Margarita & Sorores pro tem-
„ pore exiſtentes, de licentia & auctoritate Superioris ad hoc poteſtatem
„ habentis, ſubmitterentur domui S. Luciæ Ordinis Fratrum Eremitarum
„ S. Auguſtini extra muros dicti oppidi; ipſæque Sorores de cetero recipe-
„ rentur & inſtruerentur a Superiore ſeu Confeſſore pro tempore exiſtente
„ dictæ domus S. Luciæ, ipſis nihilominus remanentibus ſub parochia dictæ
„ Eccleſiæ beatæ Mariæ: quodque Confeſſor prædictus per ſe vel alium in di-
„ cta domo vallis S. Hieronymi Miſſam celebrare, & confeſſiones dictarum
„ Sororum audire, eiſque Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis Sacramenta

mi-

,, miniſtrare , ac eas Eccleſiaſticæ ſepulturæ tam in Vallis ſancti Hieronymi,
,, quam ſanctæ Luciæ domibus hujuſmodi tradere, prout ipſi Confeſſori viſum
,, foret , ac juxta facultatem per eumdem confeſſorem ab Epiſcopo Leodien.
,, obtinendam; necnon & inibi aquam benedicere , & verbum Dei prædicare
,, poſſit; liceretque eiſdem Sororibus habere Oratorium, cœmeterium, & non-
,, nulla alia tunc expreſſa , ac omnia eis oblata , donata & legata retinere ,
,, reſervatis certis juribus tunc expreſſis dicto Huberto , & pro tempore exi-
,, ſtenti Rectori dictæ Parochialis Eccleſiæ : Et deinde bonæ mem. Joannes
,, Epiſcopus Leodien. eiſdem Sororibus, ut capellam & cœmeterium conſtrui,
,, benedici & conſecrari facere , necnon culparum ſuarum capitulum , aliaque
,, ipſi Ordini congrua ſervare , & habitum ejuſdem Ordinis adinſtar formæ &
,, habitus Sororum incluſarum oppidi Tongeren. dictæ diœceſis, juxta ſtatuta
,, & conſuetudines Ordinis & Regulæ prædictorum , ſub perpetua clauſura
,, duodecim perſonarum , quodque plures & in ſimili numero profeſſas non in-
,, cluſas pro infirmis viſitandis , & in fide inſtruendis & confortandis , ac re-
,, bus & negotiis ſuis intus & extra earum domum expediendis , etiam quoad
,, idem dormitorium & reſectorium ſuſcipere ; inſuperque in domo , Ordine
,, & Regula hujuſmodi tria ſubſtantialia vota Religionis approbatæ , obedien-
,, tiam ſcilicet , caſtitatem & paupertatem expreſſe profiteri poſſent , ſua or-
,, dinaria auctoritate conceſſit : ac voluit & mandavit, quod dictæ Sorores poſt
,, factam profeſſionem , aliquem ex Prælatis approbati Ordinis , obſervatorem
,, diſciplinæ Regularis , in Viſitatorem & Reformatorem eligerent , quodque
,, ad Viſitatorem hujuſmodi , ſic tamen , quod in ſingulis ibidem agendis ſe-
,, cum aſſumeret aliquem de Monachis Conventualibus Monaſterii dicti op-
,, pidi ſancti Trudonis , Ordinis ſancti Benedicti, quem Abbas dicti Monaſte-
,, rii , qui pro tempore ſoret , duceret adjungendum , veſtitura , incluſio , &
,, profeſſionis receptio deberent pertinere ; idemque Viſitator, cum conſilio
,, dicti Monachi adjungendi , Sorores hujuſmodi annuatim in capite & mem-
,, bris viſitare , ac deſectus & exceſſus corrigere , rebelles punire , &, ſi nimia
,, protervitas exigeret , incarcerare , ordinationes & ſtatuta ſalubria conde-
,, re ; necnon Rectricem ſeu Matrem cum conſilio ſanioris partis Sororum in-
,, ſtituere & deſtituere , ac Confeſſorem ſeu confeſſores bonæ reputationis &
,, famæ , ſimili conſilio Sororibus prædictis deputare , & deputatos ex cauſa
,, amovere , qui Confeſſores dictarum Sororum , & ſingularum de earum fa-
,, milia perſonarum confeſſiones audire,& ipſas ab earum peccatis,etiam dicto
,, Epiſcopo reſervatis abſolvere , ac eis pœnitentiam ſalutarem injungere , ac
,, vota minora per eas emiſſa , in alia pietatis opera commutare , Miſſaſque &
,, alia Divina officia in Capella prædicta , etiam ſuper Altari portatili , &
,, adhibito ſono campanæ celebrare , ſeu per alium idoneum Sacerdotem ce-
,, lebrari ſacere , tempore etiam interdicti auctoritate ſtatutorum ſynodalium
,, Leodien. vel provincialium Colonien. poſiti , januis tamen clauſis , dictis
,, Sororibus , & ſamilia domeſtica , numerum quatuor perſonarum non exce-
,, dente , dummodo cauſam non dediſſent interdicto conjunctim vel diviſim ,
,, dumtaxat præſentibus, nec non Sororibus & perſonis domeſticis hujuſmodi
,, dumtaxat Eccleſiaſtica Sacramenta , videlicet Euchariſtiæ & Extremæ Un-
,, ctionis, cum Eccleſiaſtica ſepultura in cœmeterio prædicto miniſtrare,aquam
,, benedicere , verbum Dei ibidem publice prædicare , extra tamen horam ,
,, qua ſermo ad populum fieri conſuevit in præſato Mobaſterio , vel dicta pa-
,, rochiali Eccleſia , ſeu in domo Fratrum dicti Oppidi , niſi ſuper hoc a Su-
,, periore licentiam ſpecialem obtinerent . Voluit etiam præfatus Joannes
,, Epiſcopus , quod dictæ Sorores contentari deberent ſeptis ſive clauſuris
,, domus earum , ita quod ad ampliandum locum hujuſmodi in dicto Oppido

alias

„ alias hæreditates, vicos ſive plateas communes dicti Oppidi undique jacentes, circumeuntes acquirere non poſſent, ac ſingulis annis anniverſarium pro eodem Joanne Epiſcopo, & pro Henrico tunc Abbate dicti Monaſterii in earum Capella celebrare, eorumque nomina in libro anniverſariorum deſcribi facere, ac annuatim in die Paſchæ perpetuo Vicario dictæ Eccleſiæ B. Mariæ, pro oblationibus ſibi antiquitus competentibus, mediam unciam argenti, vel pecuniam æquivalentem ſolvere tenerentur; ipſæ etiam Joannes Epiſcopus perſonas dictarum Sororum, & locum ac bona ſub Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & ſancti Lamberti protectione ſuſcepit, ac omnibus manus porrigentibus adjutrices pro manutentione dictæ domus, quadraginta dies indulgentiarum conceſſit. Et ſucceſſive etiam bon. mem. Ludovicus Epiſcopus tunc electus Leodien. præmiſſa omnia auctoritate ordinaria approbavit & confirmavit, ac eiſdem Sororibus conceſſit quod numerus duodenarius Sororum incluſarum ſuperius expreſſus, extendi poſſet uſque ad numerum triginta perſonarum per quaſdam; & per alias eiſdem Sororibus indulſit, ut ſingulis diebus Sabbati laudes Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ decantare, ac in feſtivitatibus Nativitatis & Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, ac omnium Sanctorum, necnon Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, & Dedicationis Eccleſiæ præfati Monaſterii, ac Sanctorum Hieronymi & Franciſci, & in die profeſſionis novarum Sororum ibidem recipiendarum & includendarum, in ſummo Altari ejuſdem Eccleſiæ Miſſam ſolemnem per earum Confeſſorem celebrari facere poſſent, ſalvo jure matricis Eccleſiæ: necnon per alias ſuas litteras ſimiliter eiſdem Sororibus conceſſit, ut numerus in prædictis litteris expreſſus, augeri poſſet uſque ad numerum decem aliarum perſonarum incluſarum, & quælibet Sororum incluſarum hujuſmodi, velata cenſeretur, velumque deſerre in capite more ſolito; quodque omnes & ſingulæ prædictæ Sorores, negotiationes & mercantias ſuas, & exercitia ſecularia pro ſuſtentatione vitæ ipſarum, & lucris licitis, facere & exercere poſſent, abſque eo quod illa ſibi per Gubernatores dicti Oppidi, ſeu miniſtros mechanicos, vel Judices illius prohiberi, ſeu eædem Sorores in hoc a quoquam impediri vel moleſtari poſſent, ac ut ab onere & exercitio viſitandi extra earum domum infirmos, debiles vel impotentes infra præfatum Oppidum, liberari, ac exemptæ & immunes eſſe poſſent, prout in ſingulis litteris dicitur plenius contineri.

„ §. II. Quare pro parte Magiſtræ & Sororum præfatarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concordiæ, compoſitioni, conceſſionibus & indultis præfatis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere &c. Nos igitur de præmiſſis &c. diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi & poſtquam de concordia, compoſitione, conceſſionibus & indultis præfatis vobis legitime conſtiterit, illa, ac prout ea concernunt, omnia & ſingula in prædictis litteris contenta, ſalvis moderatione & limitatione infraſcriptis, anctoritate noſtra confirmetis & approbetis, ſupleatiſque omnes & ſingulos defectus ſi qui &c. & inſuper ut Sorores in dicta domo pro tempore degentes, quietius Altiſſimo vota ſua reddere valeant, eadem auctoritate ſtatuatis & ordinetis, quod ipſæ deinceps ſub perpetua clauſura manentes, poſſint emittere tria vota ſubſtantialia, videlicet obedientiam, caſtitatem & paupertatem, quodque quælibet incluſarum Sororum prædictarum velata cenſeatur, velumque in capite portare poſſit uſque ad numerum, de quo Matri & Sororibus, pro tempore exiſtentibus viſum fuerit, non obſtante numero determinato in litteris ſupradictis, ac facere clauſuram dictæ domus extendi & dilatari ad acquiſita & ſepta ejuſdem, & quod

nul-

nullus clauſuram prædictam abſque licentia Viſitatoris, & in ejus abſentia Confeſſoris dictarum Sororum, abſque cauſa legitima & utili intrare præſumat, & quicumque contrarium attentaverit, monitione præmiſſa, excommunicationis ſententiam incurrat: quodque Generalem Miniſtrum Fratrum ejuſdem Tertii Ordinis ſancti Franciſci, pro tempore Viſitatorem, in diœceſi Leodien. exiſtentem perpetuo habeat, nec quiſquam alius poſſit inibi viſitationis officium quomodolibet exercere: ipſeque Viſitator ſeu alius ab eo pro tempore deputatus plenariam poteſtatem habeat veſtiendi, includendi, & ad profeſſionem recipiendi dictas Sorores, & quæcumque juſta & honeſta, ac Sororibus prædictis convenientia & utilia ſtatuendi & ordinandi, inobedientes Sorores ſeu Matrem earumdem, & Confeſſorem earumdem, pro tempore exiſtentes, quem quidem Confeſſorem Viſitator procurare & providere tenebitur, ſicut hactenus fecit, ejuſdem Ordinis cum dictis Sororibus ſeu ſaniori earum parte, licentia dicti Abbatis, qui alterius Ordinis eſt, & cujuſvis alterius ſuper hoc minime requiſita, corrigere, incarcerare & punire, juxta criminum exigentiam; in abſtinentiis ceteriſque obſervantiis in Regula contentis diſpenſare, omniaque & ſingula circa hæc neceſſaria & opportuna facere & exequi; ipſeque Viſitator cum uno ſocio ejuſdem Ordinis, cum eo in Capitulo Generali Tertii Ordinis in dicta diœceſi Leodien. deputato, dictas Sorores viſitare, corrigere, punire, & cum ſaniori parte illarum Rectorem ſeu Rectores, pro tempore exiſtentes deſtituere, & alios inſtituere poſſit toties, quoties opus fuerit, & videbitur expedire: & quod Rector ſeu Confeſſor prædictus, vel ab eo deputatus, quem idem Viſitator ordinaverit, ſit ejuſdem Ordinis cum dictis Sororibus quantum poſſibile fuerit, ne quis cujuſvis alterius Ordinis ſe de dictis Sororibus quomodolibet intromittere habeat, & per competentia temporum intervalla, Sororum prædictarum, earumque utriuſque ſexus ſervitorum confeſſiones audire, eaſque ab omnibus & ſingulis peccatis, criminibus & delictis Sedi Apoſtolicæ non reſervatis abſolvere, & eis pœnitentiam ſalutarem injungere, necnon vota per eas pro tempore miſſa, ultramarino, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, & ſancti Jacobi in Compoſtella, necnon Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, ac Miſſas in dicta domo ſuper Altari portatili celebrare ſeu celebrari facere, ac Sororibus & familiæ hujuſmodi Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare, eaſque Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradere, ac verbum Dei in eadem Capella, quoties opus fuerit, prædicare ſeu prædicari facere; dictuſque Confeſſor in abſentia Miniſtri Generalis Viſitatoris præfati, de ipſius Viſitatoris licentia, in præmiſſis omnibus etiam infraſcriptis, parem poteſtatem cum ipſo Viſitatore habeat: Sorores quoque præfatæ immediate ſubjectæ ſint Capitulo Generali, & Generali Miniſtro, & ſint de gremio ipſius Capituli, & dictus Confeſſor anno quolibet ad Capitulum Generale in Conventu loci de Jeppetis eorumdem Ordinis & diœceſis accedere, & intereſſe teneatur de licentia dicti Generalis: Præfatæ quoque Sorores in augmentum Divini cultus, perpetuis temporibus, Miſſam, Veſperas, Completorium, laudes, vigilias, & alias horas pro animabus fidelium, in eadem Capella dicere & decantare poſſint, alicujus licentia alias ſuper hoc minime requiſita: quodque de licentia dicti Generalis, bona immobilia ad dictam domum pertinentia, præſentia & futura, pro evidenti utilitate dictæ domus, & præcedentibus debitis ſolemnitatibus, vendere, permutare & alienare valeant: Sorores quoque dictæ domus, nunc & pro tempore exiſtentes, nullo unquam tempore, & ex quacumque cauſa, ad alium locum ſive Ordinem ſe transferre poſſint, aut earum bona mobilia & im-

„ immobilia aliis perſonis Eccleſiaſticis donare, niſi de Miniſtri, Viſitatoris „ & Capituli Generalium licentia; ac omnes & ſingulas negotiationes & „ mercantias ſuas mechanicas & alias ſeculares, pro earum ſuſtentatione in „ lucris licitis & honeſtis gerere & exercere poſſint, abſque alicujus dicti „ Oppidi contradictione, prout in litteris dicti Ludovici continetur; & ſint „ veræ Eccleſiaſticæ perſonæ, ſicut Fratres dicti Ordinis ſancti Franciſci, ab „ omnibus exactionibus ſecularibus, aſſiſiis, gabellis, teloniis, ceteriſque „ ſervitiis realibus & perſonalibus, necnon perturbatione & moleſtiis ſecu- „ larium Judicum, Civitatum, Oppidorum, Villarum, Caſtrorum, cetero- „ rumque locorum, ac ſupportatione aliorum onerum laicalium ſint penitus „ exemptæ & immunes, ac omnibus & ſingulis libertatibus, immunita- „ tibus, privilegiis &c. quibus Regulares in Brabantia, & Fratres dicti „ Tertii Ordinis in dicta diœceſi &c. aliæque Eccleſiaſticæ perſonæ tam a „ jure, quam alias quomodolibet potiuntur & gaudent, uti, potiri & gau- „ dere poſſint & debeant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinatio- „ nibus Apoſtolicis &c.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Domini- „ cæ MCCCCLXXXIV. III. Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno I.

V.

Monaſterium de Ave Maria *Sororum Tertii Ordinis transfert ad inſtitutum ſanctæ Claræ.* Ex lib. I. Regiſtri Innocentii VIII. fol. 300.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. UT inter æternæ beatitudinis amatrices &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Matris, Miniſtræ & Sororum domus de *Ave Maria* Pariſien. Tertii Ordinis beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, nobis exhibita petitio continebat, quod olim fel. record. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter quondam Carolettæ Reginæ Franciæ, tunc in humanis agenti, ut unum vel plura Monaſterium ſeu Monaſteria Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, in regno Franciæ, vel Delphinatu Viennen. in aliquo ſeu aliquibus loco vel locis, honeſto vel honeſtis, cum Eccleſia, campanili humili, campana, refectoriis, dormitoriis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Monialium dicti Ordinis, inibi ſub Regulari Obſervantia viventium, conſtrui & ædificari faciendi, & eiſdem Sororibus recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam conceſſit; ac voluit, quod illa, ac Moniales ſive Sorores, quæ illa pro tempore inhabitarent, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, favoribus, indultis, & litteris Apoſtolicis, aliis Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ, & illorum Abbatiſſis & Monialibus in genere conceſſis & concedendis, quibus Monaſteria, Abbatiſſæ & Moniales hujuſmodi potiebantur & gaudebant, potiri & gaudere poſſent in futurum, uti, potiri & gaudere valerent & deberent, primo per quaſdam; & deinde per eumdem prædeceſſorem accepto, quod dicta Regina cupiebat, quod Moniales pro tempore Monaſteria prædicta inhabitantes, ſub cura, regimine & obedientia Vicariorum Generalis & Provincialium reſpective Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, prout eis fuerat ſemper intentio, perpetuo perſeverarent, idem Prædeceſſor dictæ Reginæ ſupplicationibus inclinatus, per alias ſuas litteras in forma Brevis declaravit, Monaſteriorum & illorum Monialium curam & regimen prædictis Vicariis, juxta morem Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, pleno jure per-

Sixtus IV. Reginæ Franciæ olim plura Monaſteria conſtruendi facultatem impertiit.

Cum omnibus privilegiis ceteris Monaſteriis conceſſis.

pertinere; ac cum poſtmodum prædicta Regina propoſuiſſet unum ex prædictis Monaſteriis erigi facere in Civitate Pariſienſi, ipſa Mater ſive Miniſtra & Sorores domus de *Ave Maria*, in domo ipſa in communi, & ſub clauſura viventes, ac cupientes ad Ordinem prædictum ſanctæ Claræ ſe transferre, & ſecundum primaria inſtituta dicti Ordinis Altiſſimo famulari, præfatæ Reginæ, ut earum domum de *Ave Maria* prædictam, in Monaſterium Sororum dicti Ordinis ſanctæ Claræ erigi, ipſas Miniſtram ſive Matrem & Sorores domus de *Ave Maria* de dicto Tertio Ordine de Pœnitentia, ad præfatum Ordinem ſanctæ Claræ, ſub obedientia Vicariorum prædictorum transferri, litterarum vigore earumdem faceret, humiliter ſupplicarunt: quarum precibus eadem Regina annuens, auctoritate ſibi vigore dictarum litterarum conceſſa, voluit, conceſſit & ordinavit, domum ipſam de *Ave Maria* in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ erigi, & dictas Miniſtram ſive Matrem & Sorores domus de *Ave Maria*, ad dictum Ordinem ſanctæ Claræ, ſub obedientia Vicariorum prædictorum transferri, ut poſtulaverat; ſe ejuſmodi Monaſterii fundatricem, domumque de *Ave Maria* prædictam ....

Domus de Ave Maria conſtruitur.

Regimini Ordinis commendatur.

§. II. Cariſſimus autem in Chriſto filius noſter, Carolus Francorum Rex illuſtris, ad inſtantiam dictæ Reginæ Matris ſuæ, per ſuas etiam litteras patentes, præfatas litteras ſuæ Matris continentes, in præmiſſis conſenſit, ac ejuſdem ſuæ Matris litteras præcedentes, & earum continentiam & tenorem conceſſit, ratificavit, confirmavit, approbavit, & in quantum opus eſſet, dictis Matri ſive Miniſtræ & Sororibus de *Ave Maria* domum prædictam pro earum uſu donavit, omnibuſque officialibus & ſubditis ſuis ſuper hoc requiſitis mandavit, ut facerent dictas Matrem, Miniſtram & Sorores domus de *Ave Maria* ipſius Caroli Regis conceſſione, ratificatione, confirmatione, approbatione & donatione prædictis, ac omnibus aliis in dictis ſuis litteris contentis libere & pacifice uti & gaudere, nec permitterent eas per aliquem circa præmiſſa in aliquo moleſtari; ſed ipſius Reginæ ſupervenientе obitu, ad ipſius voluntatis executionem ulteriorem proceſſum non extitit.

Regius conſenſus accedit.

§. III. Quare pro parte dictarum Matris ſive Magiſtræ & Sororum domus de *Ave Maria*, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnibus & ſingulis per Carolum Regem, & Reginam prædictos, virtute dictarum litterarum peractis robur noſtræ confirmationis adjicere, necnon domum de *Ave Maria* prædictam in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cum Eccleſia, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prædictis erigi, & Matrem ſive Miniſtram & Sorores de *Ave Maria* prædictas in eodem ſic tunc erecto Monaſterio in Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ recipi, & habitum Regularem, juxta dicti Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem eis exhiberi, necnon profeſſionem per Moniales ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ emitti ſolitam, ab eis ſecundm primaria inſtituta Regularia ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ recipi & admitti mandare, Monaſteriumque ipſum cum Matre ſive Miniſtra & Sororibus domus de *Ave Maria* præfatis, ac pro tempore exiſtentibus Abbatiſſa & Monialibus ejuſdem Monaſterii, directioni, viſitationi, correctioni & emendationi Vicarii Generalis & Provincialis Fratrum prædictorum, qui eas regant, viſitent, corrigant & reforment, ſecundum primaria inſtituta Regularia prædicta, ſubjicere, quodque Monaſterium prædictum, & illius pro tempore Abbatiſſæ, & Conventus ac Moniales, privilegiis, immunitatibus, favoribus & indultis prædictis, juxta dicti prædeceſſoris litteras prædictas potiantur & gaudeant, concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmatio Pontificia petitur.

§. IV. Nos

§. IV. Nos igitur, qui Religionis propagationem, decus & venuſtatem, animarumque ſalutem intenſis deſideramus affectibus, earumdem Matris ſive Miniſtræ & Sororum domus de *Ave Maria* apud Deum meritorium, & homines commendabile propoſitum prædictum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula per Reginam & Regem prædictos, virtute dictarum litterarum Sixti prædeceſſoris noſtri præfati facta, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, domumque prædictam de *Ave Maria* in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cum ſuis Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis officinis prædictis, eiſdem auctoritate & tenore erigimus, necnon Matrem ſive Miniſtram & Sorores domus de *Ave Maria* prædictas, de dicto Tertio Ordine ad ipſum Ordinem ſanctæ Claræ transferimus, eaſque in præfato ſic erecto Monaſterio in Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ recipi, ac eis habitum Regularem, juxta Ordinis dicti ſanctæ Claræ conſuetudinem exhiberi, necnon profeſſionem per Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum primaria illius inſtituta viventes emitti ſolitam, ſi illam ſponte emittere voluerint, eadem auctoritate recipi & admitti debere, præfata auctoritate decernimus: & ut Abbatiſſa & Moniales pro tempore dicti erigendi Monaſterii eo laudabilius ſtudeant Divinis vacare beneplacitis, quo majoribus erunt adjutæ conſiliis, Monaſterium, & illius Abbatiſſam pro tempore, & Moniales directioni, viſitationi, correctioni & emendationi Vicarii Generalis, & Provincialis provinciæ Franciæ, Fratrum prædictorum, qui ſecundum morem Ordinis Fratrum Minorum prædicti eas in Moniales ipſius Ordinis ſanctæ Claræ recipiant, & habitum prædictum eis exhibeant, ac profeſſionem admittant memoratam, eaſque viſitent, regant, corrigant & reforment, ſecundum primaria inſtituta, ſimilibus auctoritate & tenore perpetuo ſubjicimus & ſubmittimus, eiſque, ut privilegiis, immunitatibus, gratiis, favoribus & indultis prædictis, juxta dicti prædeceſſoris litteras prædictas potiantur & gaudeant, eadem auctoritate concedimus. — *Et conceditur.*

§. V. Non obſtantibus præmiſſis, & conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon litteris fel. mem. Sixti Papæ IV. prædeceſſoris noſtri incipientibus: *Admonet nos cura regiminis, & auctoritas officii Pontificalis inducit &c.* ſuper concordatis inter Fratres Conventuales, & de Obſervantia nuncupatos dicti Ordinis Fratrum Minorum, quibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ idem prædeceſſor in dictis ſuis litteris voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c. — *Contrariis non obſtantibus.*

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIV. III. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno I.

VI.

Ut concedat Clariſſis Monaſterii ſanctæ Crucis Venetiarum totum Prioratum ſanctæ Crucis Ordinis Cluniacenſis. Ex lib. 23. fol. 25?.

Venerabili fratri Patriarchæ Venetiarum.

§. I. Pium reputamus, & rationi conſonum &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Luciæ Abbatiſſæ & Mo-

Monialium ſancti Franciſci a Cruce Venetiarum, Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, petitio continebat, quod dudum, poſtquam bonæ memoriæ Petrus tituli ſancti Sixti presbyter Cardinalis, tunc in Civitate Venetiarum, ac nonnullis aliis partibus Apoſtolicæ Sedis Legatus, provide conſiderans, quod Sophia Abbatiſſa & aliæ Sorores dicti Monaſterii, tunc Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia exiſtentes, & in certa parte domorum Prioratus ſanctæ Crucis Venetiarum Cluniacen. Ordinis, per Priorem dicti Prioratus conceſſa, ſub Regulari Obſervantia & ſtricta clauſura vivebant, conceſſionem eis factam prædictarum domorum hujuſmodi, & ſi fieri contingeret per ejuſdem Prioratus ſanctæ Crucis Priorem ſeu Commendatarium, habens ad hoc, ut aſſerebat, ſpecialem a prædicta Sede per ejus litteras facultatem, facultatis hujuſmodi vigore confirmaverat & approbaverat, ſupplendo omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, ac Ordinem Cluniacen. in dicto Prioratu ſuppreſſerat, totumque Prioratum cum parte Eccleſiæ, ac omnibus ædificiis, ſtructuris, domibus paramentis, clauſtris, hortis, hortalitiis, juribus & pertinentiis ſuis, per dicti Prioris ceſſum vel deceſſum vacatura conceſſerat, ac inibi unum Monaſterium Monialium erexerat, ac illi prædictam Sophiam in Abbatiſſam præfecerat, ac voluerat, ut illa & ejuſdem Monaſterii Moniales pro tempore exiſtentes Regularia inſtituta Ordinis Fratrum Minorum, quatenus earum ſtatui conveniret, obſervare, ac nonnulla alia laudabilia, & Deo grata ..... concernentia, eis conceſſerat: felicis record. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter omnia geſta & conceſſa per eumdem Legatum approbavit & confirmavit, ac voluit, quod Abbatiſſa & Moniales præfatæ ſecundum Regularia inſtituta Ordinis ſanctæ Claræ, ſub cura Vicarii Generalis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, pro tempore exiſtentis, ex tunc de cetero permanere debeant, & ad alterius Regularem Obſervantiam non tenerentur, prout in litteris tam Petri Legati, quam Sixti prædeceſſoris hujuſmodi hæc umnia plenius contineri dicuntur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet Abbatiſſa & Moniales prædictæ, conceſſionis hujuſmodi vigore, uſque modo medietatem ſtructurarum & ædificiorum dicti Prioratus obtinuerint, ſub cura dicti Vicarii, ſecundum Regularia inſtituta prædicti Ordinis ſanctæ Claræ vitam Deo gratam, & apud homines commendabilem ducentes, auctuſque ſit hucuſque non parum, gratia Altiſſimi cooperante, numerus earum, & augeatur in dies, tamen pars domorum & officinæ illius pro earum habitatione admodum anguſta, & ad earum receptionem minime capax exiſtat, expediatque eis habere reſiduum ſtructurarum & ædificiorum dicti Prioratus, in quo nullus Monachus reſidet, & inibi per presbyteros ſeculares jam longo tempore Miſſæ celebrari conſueverunt.

§. II. Quare pro parte Luciæ Abbatiſſæ & Monialium prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras Legati præfati, & in eis contenta, quatenus ordinatis poſtmodum per prædictum Sixtum prædeceſſorem non contradicant, & in eis contenta, cum opportuna ſuppletione defectuum, confirmare & approbare, necnon reſiduum ſtructurarum, ædificiorum, Eccleſiæ, horti, hortalitiorum, domorum quorumcumque dicti Prioratus, eis pro ampliandis officinis præfatis, cedente vel decedente dicto Priore ſeu Commendatario, de novo concedere, & alias ipſis & earum ſtatui opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis Priore ſeu Commendatario dicti Prioratus, & aliis qui fuerint evocandi, tibi de præmiſſis le-

legitime conſtiterit, litteras Cardinalis Legati præfati, & in eis contenta, ſalvis ſemper per dictum Prædeceſſorem poſtmodum ordinationibus, auctoritate noſtra, ſine tamen cujuſquam præjudicio, approbes & confirmes, ſuppleaſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. IV. Et nihilominus reſiduum ſtructurarum, ædificiorum, Eccleſiæ, horti, hortalitiorum, & domorum quorumcumque dicti Prioratus, ipſis Abbatiſſæ & Monialibus, pro ampliandis loco habitationis earum, & officinis prædictis, ita quod, cedente vel decedente moderno Priore ſeu Commendatario dicti Prioratus, liceat eis per ſe vel alium ſeu alios poſſeſſionem reſidui ſtructurarum, ædificiorum, Eccleſiæ, horti, hortalitiorum, & domorum præfatorum, auctoritate propria apprehendere, & perpetuo retinere, cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, pro amplianda habitatione ipſarum, auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Prioratus & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXV. pridie Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno I.

VII.

Confirmari jubet erectionem Cuſtodiæ Britanniæ in Provinciam, & ſtabiliri concordiam initam cum Provincia Turonenſi. Ex lib. 18. fol. 20.

Venerabilibus Fratribus Maclovien. & Briocen. Epiſcopis, ac dilecto filio Abbati Monaſterii ſanctæ Crucis de Guingampo, Tricoren. diœceſis.

§. I. EX debito ſollicitudinis paſtoralis officio &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii Provincialis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ inferioris Britanniæ ſecundum morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum dilecti filii Vicarius Generalis & definitores Congregationis Generalis dicti Ordinis, in domo Fratrum dicti Ordinis, Burgenſis, Tornacen. diœceſis Provinciæ Franciæ, ſecundum morem prædictum ultimo celebratæ, pro conſervanda pace inter dilectos filios Vicarium & Fratres Provinciæ Turoniæ, ac tunc Cuſtodem & Fratres dictæ Provinciæ Britanniæ, quæ tunc Cuſtodia erat, de utriuſque partium conſenſu, inter alia ſtatuerunt & ordinaverunt, quod præfata Cuſtodia de cetero perpetuis futuris temporibus Vicaria ſeu Provincia vocaretur, haberetque Vicarium Provincialem, ſecundum ritum & modum aliarum Provinciarum dicti Ordinis, ac ipſi Provinciæ Britanniæ terminos pro annua quæſta rerum uſui Fratrum in ipſa pro tempore commorantium neceſſariarum aſſignatos, & per multa tempora conceſſos, ſunt poſſeſſi, prout in eorumdem Vicarii Generalis & definitorum litteris deſuper confectis plenius continetur.

§. II. Quare pro parte dictorum Vicarii & Fratrum Provinciæ Britanniæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatutis, conceſſis & ordinatis per dictos Vicarium Generalem & definitores, de utriuſque partium conſenſu circa præmiſſa, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere; & ne Vicarius & Fratres prædicti dictæ Provinciæ Britanniæ ſuper præmiſſis quæſtis faciendis, aut alias impediantur, inhibere; quodque Vicarius eligendus pro tempore dictæ Provinciæ Britanniæ poſſit confirmari per Vicarium Generalem

lem dicti Ordinis, ſeu etiam Commiſſarium ad hoc ab eo ſpecialiter deputatum; & quod Provincia ipſa Britanniæ gaudeat & uti poſſit Conſervatoribus ſibi illo tempore, quo Cuſtodia, ut præfertur, exiſtebat, deputatis, concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos itaque Fratrum prædictorum quietem, & proſperitatis votivæ ſucceſſus paternis deſiderantes affectibus, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel dun aut unus veſtrum de conſenſu Vicarii & Fratrum dictæ Provinciæ Turonenſis, & aliorum quorum intereſt, omnia & ſingula per Vicarium Generalem & definitores prædictos circa præmiſſa, de præſentium conſenſu Fratrum ſtatuta, conceſſa & ordinata, auctoritate noſtra confirmetis & approbetis, ſuppleatiſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; ac præfatis Vicario & Fratribus dictæ Provinciæ Britanniæ, quod Vicarius per eoſdem Fratres dictæ Provinciæ Britanniæ pro tempore electus, poſſit per Vicarium Generalem, ſeu ejus ſpecialem Commiſſarium prælibatum confirmari; quodque Provincia ipſa Britanniæ Conſervatoribus ſibi pro dicto tempore, quo Cuſtodia exiſtebat, deputatis, potiri & gaudere valeat, eadem auctoritate concedatis: diſtrictius inhibentes omnibus & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, cujuſcumque gradus aut conditionis exiſtant, ſub excommunicationis & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, de quibus vobis & ipſis videbitur, per contrafacientes incurrendis, ne Vicarium aut Fratres prædictos dictæ Provinciæ Britanniæ ſuper conceſſis pro tempore faciendis, in terminis ſibi conceſſis prædictis, aut præmiſſorum aliquo, per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte perturbare, inquietare aut impedire præſumant. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & fel. record. Eugenii IV. & Pii II. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, per quas caveri dicitur expreſſe, quod Vicariorum quarumcumque Provinciarum dicti Ordinis electiones per illorum Fratres, qui pro tempore forent, & per Miniſtrum Provincialem dicti Ordinis dumtaxat, & non alium poſſint & debeant confirmari, ac aliis litteris Apoſtolicis, necnon decretis Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque: ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede prædicta ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXV. X. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno II.

VIII.

Ut concedant facultatem Sororibus Tertii Ordinis Monaſterii de Alcaraz domum ſuam alio transferendi. Ex lib. 27. fol. 248.

Dilectis filiis Archidiacono de Stunez, & Scolaſtico Eccleſiæ Toletan. ac officiali Toletan.

§. I. Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas &c. Sane pro parte dilectarum filiarum Sororum domus Terræ de Alcaraz Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Toletan. diœceſis nobis nuper exhibita

ta petitio continebat, quod ipſæ, quæ in dicta domo, alias dictæ Terræ & Archiepiſcopi Toletan. juxta modum vivendi dicti Ordinis in communi viventes...... dumtaxat exiſtant, quarum ſeptem, per Sorores dicti Ordinis emitti ſolitam, Regularem profeſſionem, prout reliquæ non novitiæ, ſed & profeſſionem hujuſmodi nondum emiſerunt, cupiunt domum ipſam in eodem vel alio loco magis commodo & honeſto cum Oratorio, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui, ampliari & reformari, pro earum & aliquarum aliarum dicti Ordinis Sororum, quæ illam pro habitatione voluerint, perpetuis uſibus & habitatione, & in illa ſub obedientia unius earum Matris ſive Magiſtræ per alias Sorores eligendæ & aſſumendæ, ſub communi dicti Ordinis laudabili vivendi modo, necnon cura, directione, viſitatione & correctione Vicarii Provincialis Fratrum provinciæ Caſtellæ Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis Fratrum Minorum, vitam laudabilem & Domino gratam cum odore bonæ famæ ducere.

§. II. Quare pro parte dictarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis unam domum Sororum hujuſmodi conſtrui facere, ac in ea ſub obedientia, cura, directione, viſitatione præfatis vitam ducere, & a Confeſſore dicti Ordinis, Fratrum Minorum profeſſore per Vicarium deputando, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis Sacramenta recipere, &, ſi voluerint, in manibus Vicarii ſeu Matris & Magiſtræ præfatorum, vel alterius, cui idem Vicarius id duxerit committere, Obedientiæ, paupertatis & Caſtitatis perpetua vota emittere libere & licite valeant, concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Religionis propagationem & omnium animarum ſalutem intenſis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum prædictis Sororibus, ut in prædicto vel alio loco decenti & honeſto, intra vel extra dictæ Terræ muros ipſis Sororibus grato & accepto, unam domum Sororum dicti Ordinis, cum Oratorio, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro earum & aliquarum aliarum dicti Ordinis Sororum, quæ illam inhabitare voluerint perpetuis uſibus & habitatione, conſtrui facere & recipere, ac ſub obedientia unius earum Matris ſive Magiſtræ pro tempore per alias Sorores eligendæ & aſſumendæ de communi, ſub dicti Ordinis de Pœnitentia laudabili vivendi modo, necnon cura, directione, viſitatione & correctione dicti Vicarii provincialis, vitam laudabilem & Deo gratam cum odore bonæ famæ ducere, & a Confeſſore dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſore, per prædictum Vicarium in Capitulo provinciali Fratrum Ordinis Minorum & Provinciæ prædictorum, ſeu extra pro tempore deputando, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta recipere, &, ſi voluerint, in manibus Vicarii ſeu Matris aut Miniſtræ præfatorum, vel alterius, cui idem Vicarius id duxerit committendum, obedientiæ, paupertatis & caſtitatis perpetua vota emittere; necnon omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, dicti Ordinis profeſſoribus utriuſque ſexus, & domibus earum per Sedem Apoſtolicam vel alias in genere conceſſis, & quibus aliæ domus dicti Ordinis, & in illis degentes Sorores & Fratres pro tempore potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poſſunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, de conſenſu, quorum intereſt, & ſine præjudicio cujuſcumque, auctoritate noſtra concedatis. Non obſtantibus Viennen. Concilii & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac dictorum

ctorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVI. V. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno II.

IX.

Ut concedat Clariſſis Monaſterii de Belalcazar domum Fratrum Minorum illius oppidi, uniatque Monaſterio quoddam præſtimonium. Ex lib. 32. fol. 213.

Dilecto filio Priori Monaſterii beatæ Mariæ de Guadalupe per Priorem ſoliti gubernari, Toletanæ diœceſis.

Nobiles quædam Mulieres Monaſterium ædificari cupiunt.

§. I. Digna reddimur attentione ſolliciti &c. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum nobilium mulierum Leonoræ & Eliſabeth Manrique ſororum germanarum, domicellarum, Corduben. diœc. nobis expoſito, quod ipſæ, quæ alias de ingrediendo Religionem votum emiſerant, pro hujuſmodi earum deſiderio facilius adimplendo, unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ intra vel prope Oppidum de Belalcazar dictæ diœceſis de bonis a Deo eis collatis erigi, conſtrui & ædificari facere, ac congruis reditibus dotare proponebant, dummodo ipſis ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis ſuffragaretur auctoritas.

Facultatem Pontifex olim impertiit.

§. II. Nos tunc ipſarum Sororum ſupplicationibus inclinati, tibi per alias noſtras litteras dedimus in mandatis, ut, ſi erat ita, eiſdem Leonoræ & Eliſabeth Monaſterium præfatum intra vel extra & prope dictum Oppidum, in loco ad id congruo & honeſto, cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro aliquibus Monialibus dicti Ordinis Altiſſimo inibi perpetuo famulaturis, ſub invocatione dictæ Sanctæ, abſque tamen alicujus præjudicio, erigi, conſtrui & ædificari faciendi, necnon in dicta Eccleſia Euchariſtiæ Sacramentum in loco decenti & honeſto habendi & cuſtodiendi, licentiam concederes, ſtatuereſque & ordinares, quod Leonora & Eliſabeth prædictæ, ac pro tempore exiſtens ipſius Monaſterii Abbatiſſa, quæcumque bona mobilia & immobilia ſibi pro tempore a Chriſtifidelibus donanda, pro ſuſtentatione Monialium dicti Monaſterii & illius reparatione, recipere, & in ſubſtentationem & reparationem hujuſmodi convertere poſſent: quodque in dicto Monaſterio ſic tunc erecto ultra triginta Moniales recipi non valerent, ſub pœna excommunicationis, quam recipientes ipſo facto incurrerent, niſi de licentia Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut Vicarii Generalis Ultramontani Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum; ipſiuſque Monaſterii Abbatiſſa per Moniales ejuſdem de triennio in triennium eligeretur, & a Viſitatore earum confirmari poſſet, & quod Leonora & Eliſabeth prædictæ conjunctim vel diviſim poſſent eligere vel vocare tot Moniales dicti Ordinis, in Religionis ſanctimonia, & modo vivendi inſtructas, quot eis neceſſariæ viderentur, quæ alias Moniales in dicto Monaſterio recipiendas, & inibi pro tempore moraturas inſtruerent; Abbatiſſæ quoque & Prælati Monialium eligendarum & vocandarum hujuſmodi pro tempore, quamprimum pro parte Leonoræ & Eliſabeth prædictarum, vel alterius earum requiſiti forent, illas ad dictum erigendum Monaſterium mittere, & ipſæ eligendæ & vocandæ Moniales ad illud accedere & inibi reſidere, ac Vicarius Provincialis Provinciæ de Sanctoyo dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem ipſius Ordi-

Et conditiones præſcripſit.

Ordinis & Fratres ipſius Provinciæ, poſtquam per Leonoram & Eliſabeth prædictas, vel alteram ipſarum, ſeu pro earum parte requiſiti forent, erigendum Monaſterium hujuſmodi, illiuſque Moniales ſub cura & regimine ſuis recipere, ac eis de idoneo Confeſſore, qui earum confeſſiones audiret, & ipſis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtraret, necnon in dicta Eccleſia dicti Monaſterii per ſe vel alios celebraret, providere, appellatione quacumque remota, ſub ſimili excommunicationis pœna, quam, ſi ſecus facerent, etiam ipſo facto incurrerent, & a qua ab alio, quam a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolvi non poſſent, tenerentur & deberent: quodque ipſe Vicarius Provincialis Guardiano & Fratribus domus ſancti Franciſci de la Columna prope dictum Oppidum, Ordinis Minorum & Obſervantiæ prædictorum, curam erigendi Monaſterii hujuſmodi & illius Monialium committere, ipſeque Guardianus Monaſterium & Moniales hujuſmodi per ſe, vel alios ad hoc idoneos, quando dictus Vicarius propter locorum diſtantiam Monaſterium ipſum non viſitaret, viſitare, & cum conſilio Confeſſoris prædictarum Monialium & Diſcretorum dictæ domus S. Franciſci ad erigendum Monaſterium hujuſmodi accedere, aliiſque Fratribus ad illud pro neceſſaria vel utili aut rationabili cauſa accedendi licentiam concedere poſſet, & ſi conceſſionem, ſtatutum & ordinationem hujuſmodi per te, vigore dictarum litterarum fieri contingeret, ut præfertur, dicto erigendo Monaſterio, ac illius Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & indultis, quibus alia Monaſteria, Abbatiſſæ & Moniales Ordinis prædicti utuntur & gaudent, uti & gaudere valerent, indulſimus per eaſdem: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

Poteſtas facta FF. Sacramenta miniſtrandi, & alia faciendi.

Guardianus Sancti Franciſci de Columna Provicarius ſubſtituitur.

§. III. Cum autem, ſicut accepimus, dilectus filius Fridericus de Stunica, clericus Placentinæ diœceſis, quoddam præſtimonium in parochiali Eccleſia beatæ Mariæ loci de Garuz, Toletan. diœceſis, quod obtinet, ſponte & libere reſignare proponat; &, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicariorum Generalis Ultramontani Fratrum dicti Ordinis, & præfati Provincialis dictæ Provinciæ, ac Guardiani & Fratrum dictæ domus, dictarumque Leonoræ & Eliſabeth petitio continebat, ipſi Vicarii, Guardianus & Fratres, ac Leonora & Eliſabeth ex certis rationabilibus cauſis animum eorum moventibus cupiant, quod dicta domus de Columna, quam Fratres dicti Ordinis jam per duodecim annos inhabitaverunt, erigatur in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, & dictis Fratribus in recompenſam concedatur alia domus in alio loco eis commodo, ad effectum erigendi inibi Monaſterium prædictum, conſtrui cœpta, & ſperent, quod ſi præſtimonium prædictum dicto Monaſterio, poſtquam erectum foret, perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, exinde dicti Monaſterii Abbatiſſa & Conventus pro tempore exiſtentes, pro earum ſuſtentatione aliquod ſuſciperent relevamen: Pro parte Vicariorum, Guardiani, Fratrum, Leonoræ & Eliſabeth prædictorum aſſerentium, quod Monaſterii, poſtquam ſic erectum fuerit, & dotatum antedicti præſtimonii unione hujuſmodi trecentarum, & præſtimonii prædictorum centum viginti librarum Turonen. parvorum fructus, reditus & proventus, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Vicariis, Guardiano & Fratribus dimittendi ex dicta cauſa de Columna, & aliam conſtrui cœptam, domos hujuſmodi, pro eorum perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & cum Eccleſia ſub invocatione & in honorem Sanctorum Berardi, Petri, & Acurſii, Adjuti, &

Conv. de Columna Moniales inhabitare deſiderant.

Pontificem pro facultate adeunt.

Ottonis Martyrum, dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis perficiendi, & ad illam cum libris, calicibus, crucibus, thuribulis, planetis, paramentis & aliis ornamentis Eccleſiaſticis, utenſilibus & bonis mobilibus, quibus in domo de Columna uti ſoliti ſunt, & quæ Vicarius Provincialis, Guardianus & Fratres diſcreti nuncupati dictæ domus tranſportanda fore duxerint, ad domum ipſam ſic de novo conſtrui cœptam ſe transferendi, licentiam largiri, & in prædicta domo de Columna Ordinem prædictum Fratrum Minorum ſupprimi & extingui, illamque in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ cum Abbatiſſali dignitate, clauſura decenti, Conventu, communi burſa, arca, dormitorio, refectorio, ſigillo, & aliis Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ inſignibus erigi, litteraſque prædictas valere decerni, & eas quoad dictum Monaſterium, ex dicta domo de Columna erigendum exequi, ac de illo, & circa illud, ejuſque directionem, perſonas & regimen, omnia & ſingula, quæ ſtatui, ordinari & fieri per dictas litteras mandavimus, ſi Monaſterium ipſum non in dicta domo de Columna, ſed in alio loco erigeretur, ſtatui, ordinari, & fieri, ac dictum præſtimonium eidem Monaſterio, poſtquam ſic erectum fuerit, perpetuo uniri, annecti & incorporari mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui perſonis religioſis per ſemitas mandatorum Domini recto tramite incedentibus, ſavoribus Apoſtolicis & præſidiis opportunis libenter aſſiſtimus, & de præmiſſis nobis nuper expoſitis certam notitiam non habemus, hujuſmodi, necnon dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Thereſiæ Comitiſſæ, & dilecti filii nobilis viri Friderici de Stunica Adminiſtratoris Comitatus dicti oppidi, nobis ſuper hoc etiam humiliter ſupplicantium, ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem Vicariis, Guardiano & Fratribus dimittendi domum prædictam de Columna, & aliam domum præfatam ad effectum erectionis Monaſterii inibi conſtrui cœptam, pro eorumdem Fratrum perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & cum Eccleſia in honorem & ſub invocatione dictorum quinque Martyrum, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis perfici faciendi, & ad illam cum libris, calicibus, crucibus, thuribulis, planetis, paramentis, & aliis utenſilibus, & bonis mobilibus, quibus in dicta domo de Columna uti ſoliti ſunt, & quæ Vicarius Provincialis & Guardianus, ac Diſcreti nuncupati Fratres dictæ domus præfati exportanda fore duxerint, ad domum ipſam ſic de novo conſtrui cœptam ſe transferendi licentiam auctoritate noſtra largiaris, ac in prædicta domo de Columna Ordinem ipſum Fratrum Minorum eadem auctoritate penitus & omnino ſupprimas & extinguas, illamque in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cum Abbatiſſali dignitate, clauſura decenti, Conventu, communi burſa, arca, ſigillo, dormitorio, refectorio, aliiſque Monaſteriorum Monialium hujuſmodi inſignibus, præfata auctoritate erigas, litteraſque noſtras prædictas tibi directas eadem auctoritate valere decernas, & eas quoad ipſum Monaſterium ex dicta domo de Columna per te tunc ſic erectum, prælibata auctoritate exequaris, ſtatuendo, faciendo & ordinando de illo & circa illud, ejuſque directionem, perſonas & regimen, omnia & ſingula, quæ dictarum litterarum vigore ſtatuere & ordinare ac facere poteras & debebas, vigore dictarum aliarum litterarum noſtrarum, ſi Monaſterium ipſum non in dicta domo de Columna, ſed in alio loco erigere-

Petitioni annuitur.

geretur, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi per eaſdem litteras tibi quod hujuſmodi Monaſterium in dicta domo de Columna, & alia præmiſſa circa ſic inibi per te poſtmodum erectum Monaſterium ſtatueres, faceres & ordinares, mandatum fuiſſet. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

§. V. Et nihilominus erectione dicti Monaſterii ſic, ut præmittitur, facta, reſignationem prædictam a dicto Friderico clerico, vel procuratore ſuo ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto, ſi illam in tuis manibus facere voluerit, ut præfertur, eadem auctoritate noſtra hac vice dumtaxat recipias & admittas, eaque per te recepta & admiſſa, vocatis quorum intereſt, præſtimonium prædictum, ſive per reſignationem hujuſmodi tunc, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per ſimilem dicti Friderici vel alicujus alterius de illo extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam reſignationem, vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipſumque præſtimonium diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatum exiſtat, & ſuper eo inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datæ præſentium non ſit in eo alias alicui ſpecialiter jus quæſitum, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis dicto Monaſterio præfata auctoritate perpetuo unias, annectes & incorpores, ita quod liceat Abbatiſſæ & Conventui præfatis præſtimonium, juriumque & pertinentiarum prædictarum poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, ac illius fructus, reditus & proventus in ſuos & dicti Monaſterii, in domo de Columna tunc erecti, uſus & utilitatem convertere: Diœceſani loci & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Præſtimonii Reſignatio quomodo facienda.

§. VI. Non obſtantibus præmiſſis, ac recol. mem. Bonifacii Papæ VIII. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: Quodque olim fel. rec. Sixto PP. IV. prædeceſſori noſtro pro parte dilecti filii Ægidii Fernandi Rectoris dictæ parochialis Eccleſiæ expoſito, quod etſi dudum antea eidem Prædeceſſori pro parte quondam Franciſci de Orellana tunc Rectoris dictæ parochialis Eccleſiæ ſuggeſto, quod ſi in dicta parochiali Eccleſia unum præſtimonium, ſeu una præſtimonialis portio de novo inſtitueretur & erigeretur, & ei pro dote media pars fructuum, redituum & proventuum ipſius parochialis Eccleſiæ perpetuo applicaretur & aſſignaretur, ex hoc non ſolum dictæ Eccleſiæ decor accreſceretur & venuſtas, ſed etiam Divinus cultus inibi non modicum ſuſciperet incrementum, ipſe Prædeceſſor ejuſdem Franciſci in ea parte ſupplicationibus inclinatus, unum præſtimonium ſeu unam præſtimonialem portionem erexiſſet & inſtituiſſet, ac illi pro dote mediam partem fructuum, redituum & proventuum dictæ Eccleſiæ deputaſſet, conceſſiſſet & applicaſſet; nihilominus ex erectione & applicatione prædictis decor & venuſtas dictæ Eccleſiæ non accreſcebatur, nec Divinus cultus incrementum ſuſcipiebat, cum obtinentes præſtimonia & præſtimoniales portiones in illis partibus, ad deſerviendum in Eccleſiis non forent adſtricti, prout nec dictus Fridericus clericus, prædictum præſtimonium ſic erectum in dicta parochiali Eccleſia obtinens, non deſerviebat in eadem: Idem Sixtus prædeceſſor dicti Ægidii in ea parte ſupplicationibus inclinatus, quod cedente vel decedente dicto Friderico clerico primo poſſeſſore dicti præſtimonii poſt ejus erectionem prædictam, ſeu illud alias quomodolibet dimittente, erectio & conceſſio prædictæ, caſſæ & nullæ eſſe cenſerentur, & fructus, reditus & pro- Aliud inſtitutum præſtimonium.

ventus ſic applicati prædicti ad eamdem parochialem Eccleſiam libere reverterentur, liceretque præfato Ægidio, & pro tempore exiſtenti præfatæ Eccleſiæ Rectori, prout Rectores dictæ Eccleſiæ, qui ante præſtimonii ejuſdem erectionem hujuſmodi fuerant, hujuſmodi fructus perceperant, percipere & levare, ac in ſuos & dictæ parochialis Eccleſiæ uſus & utilitatem convertere, ſtatuerat & ordinaverat, ſeu ſtatui & ordinari mandaverat, vel conceſſerat.

Statutum Sixti ſuſpenditur.

§. VII. Cujus quidem Sixti prædeceſſoris ſtatutum & ordinationem hujuſmodi, quatenus viribus ſubſiſtant, durante unione, annexione & incorporatione per te facienda hujuſmodi, Apoſtolica auctoritate ſuſpendimus, & effectum ſortiri minime poſſe decernimus, illiſque expreſſe derogamus. Aut ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de præſtimoniis hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarit, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcumque, ad dictum præſtimonium volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem præſtimoniorum ſeu beneficiorum aliorum præjudicium generari: Seu ſi aliquibus communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi & excommunicari non poſſint &c. Nos enim ſi ſuppreſſionem, extinctionem, erectionem & alia præmiſſa per te, prædictarum & præſentium litterarum vigore fieri contigerit, ut præfertur, eidem Monaſterio, quod ſic per te in dicta domo de Columna erigetur, illiuſque pro tempore Abbatiſſæ & Conventui, ut conceſſis per dictam Sedem vel alias tam in genere Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ, eorumque Abbatiſſis & Conventibus, quam nominatim & in ſpecie per dictas alias litteras noſtras Monaſterio, quod per eaſdem erigi mandabamus, illiuſque Abbatiſſæ & Conventui ac Monialibus, domui vero, ad quam Guardianus & Fratres prædicti ſe transferrent, & in illa pro tempore habitantibus Guardiano & Fratribus, ut illis, quibus prædicta domus de Columna, & in illa degentes pro tempore Guardianus & Fratres quomodolibet potiuntur & gaudent privilegiis, favoribus, immunitatibus & gratiis, gaudere libere & licite valeant: ipſique Guardianus & Fratres eiſdem Ultramontano Generali & provinciali provinciæ de Sanctoyo Vicariis Fratrum dicti Ordinis Minorum, quibus cum dicta domo de Columna impræſentiarum ſubjiciuntur, poſtquam ſe ad aliam domum prædictam tranſtulerint, cum eadem domo, ad quam ſe ſic tranſtulerint, perpetuis futuris temporibus pari modo ſint ſubjecti, Apoſtolica auctoritate concedimus & indulgemus.

Labes Simoniaca in reſignatione vitanda.

§. VIII. Ceterum, cum non ſit veriſimile, quod quis beneficia ſua Eccleſiaſtica, magnis forſan laboribus acquiſita, ex quibus vitæ ſubſidium percipit, ſine magna cauſa reſignet, attente provideas, ne in reſignatione hujuſmodi, ſi fiat, ex parte Friderici, Leonoræ & Eliſabeth prædictorum, aliqua ſimoniaca pravitas interveniat, ſeu etiam corruptela: quodque propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas, dictum præſtimonium debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis occaſione vel cauſa &c. contigerit attentari.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVI. XVIII. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno II.

X. Con-

X.

Concedit ei facultatem debita incerta applicandi conſtructioni Monaſterii de Belalcazar. Ex lib. 43. fol. 265.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Thereſiæ Enriquez Comitiſſæ de Belalcazar.

§.I. Sinceræ devotionis affectus &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper tam pro parte tua, quam dilectorum filiorum nobilium virorum Joannis de Sotomayor Domini loci de Alconchel, & Friderici de Stuniga tutoris dilecti filii nobilis viri Alphonſi de Sotomayor Comitis de Belalcazar minoris, petitio continebat, quod olim quondam Gutierrius tunc Magiſter militiæ de Alcantara, ſuum in ejus ultima voluntate condens teſtamentum, inter alia ordinavit, quod omnibus, quibus in aliquo obligatus erat, illis videlicet, de quibus memoriam tunc habuit in ſpecie, aliis vero generaliter debita ſatisfactio impenderetur, & deinde quondam Alphonſo de Sotomayor, & Elvira de Stuniga ejus uxore, ac Gutierrio Comite de Belalcazar, ad quos ſucceſſive dominium dicti Comitatus pervenerat, ab inteſtato defunctis, multa ex bonis per Guttierium Magiſtrum, ac Alphonſum, Elviram, & Gutierrium Comitem prædictos acquiſita & poſſeſſa, ad te & Joannem & Fridericum præfatos legitimo titulo pervenerunt. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet tu & Joannes ac Fridericus præfati tam pro veſtrarum, quam Gutierrii Magiſtri, ac Alphonſi, Elviræ, & Gutierrii Comitis prædictorum conſcientiarum exoneratione cupiatis de præmiſſis debitis ſatisfacere; nihilominus, quia debita hujuſmndi & perſonæ, quibus debentur, multa ſunt, vos ignoratis, quibus de illis ſatisfactio fieri debeat: verum ſi debita hujuſmodi, ex quorum aliquibus dicta Elvira quamdam domum Fratrum Minorum conſtrui & ædificari fecit, pro conſtructione & dotatione cujuſdam Monaſterii Monialium Ordinis ſanctæ Claræ ibidem conſtruendi applicarentur, vos profecto ſperatis exinde conſcientias prædictas exonerari, & animæ ſaluti dicti Gutierrii Magiſtri provideri poſſe. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, quod debita incerta hujuſmodi pro conſtructione & dotatione dicti Monaſterii Monialium applicare valeatis, concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos itaque veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis ut debita incerta hujuſmodi in conſtructionem & dotationem dicti Monaſterii Monialium, ſeu in alia pia opera, juxta arbitrium confeſſoris, quem duxeritis eligendum, applicare & exponere libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVI. XV. Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri anno III.

XI.

Ut poſſit ædificare domum Fratribus de Obſervantia in oppido Segenenſi. Ex lib. 39. fol. 98.

Dilecto filio nobili viro Joanni Comiti de Naſſawe, Moguntin. diœceſis.

§. I. Quoniam in his &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu, qui ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſingularem geris devotionis affectum, in oppido Segenen. Maguntin. diœceſis, tuo temporali dominio ſubjecto, in quo nulla ſecularis Collegiata, vel Regularis Eccleſia exiſtit, unam domum pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum, quorum exemplari vita, aſſidua & devota Divinorum celebratione, audientia confeſſionum, & prædicationibus verbi Dei, & ad bene vivendum exhortationibus adjuti incolæ dicti oppidi ſuarum animarum ſalutem, Deo propitio, facilius conſequi valeant, de bonis tibi a Deo collatis conſtrui & ædificari facere proponis, ſi tibi ſuper hoc, & Fratribus ipſis, illam pro eorum uſu & habitatione recipiendi per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum hujuſmodi in loco ad id commodo & honeſto per te deputato ſeu deputando, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ac dictis Fratribus illam pro eorum perpetuis uſibus & habitatione recipiendi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & animarum ſalutem intenſis deſideramus affectibus, pium propoſitum tuum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in aliquo loco dicti oppidi condecenti & honeſto, per te deputato vel deputando domum hujuſmodi pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, ædificari faciendi, ac Vicario & Fratribus provinciæ Colonien. ſecundum morem dicti Ordinis, in qua oppidum prædictum conſiſtit, pro tempore exiſtentibus illam pro eorum uſibus recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam Apoſtolica auctoritate largimur: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine cujuſquam eorum præjudicio. Eidem quoque domui, ac Guardiano & Fratribus, quos inibi per Vicarium prædictum in numero ſufficienti pro tempore collocari contigerit, ut omnibus & ſingulis gratiis, exemptionibus & indultis, aliis domibus, Guardianis & Fratribus Ordinis prædicti in genere conceſſis, uti & gaudere libere & licite poſſint & debeant, dicta auctoritate concedimus, pariter & indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVI. Idibus Martii, Pontificatus noſtri anno III.

XII. *Ut*

XII.

Ut poſſint ædificare Conventum Obſervantum Noviomagi. Ex Brevi originali.

Dilectis filiis Proconſulibus, Conſulibus, & Univerſitati hominum oppidi Noviomagenſis, Colonien. diœceſis.

ALias fel. record. Sixtus IV. prædeceſſor noſter conceſſit vobis licentiam conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi unam domum, cum hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis in oppido veſtro Noviomagenſi, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia, abſque cujuſquam præjudicio, prout in litteris ipſius prædeceſſoris deſuper editis plenius continetur: ad quarum executionem cum illo vivente non proceſſeritis, & mortuo, procedere poſſe dubitatis, humiliter nobis ſupplicari de opportuno remedio curaſtis. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut dictam domum in præfato veſtro oppido ædificare, ſeu ædificari & conſtrui facere libere & licite, juxta tenorem earumdem litterarum poſſitis & valeatis, tenore præſentium concedimus pariter & elargimur, litteraſque ipſas plenum obtinere robur, & in ſuo vigore eſſe, prout erant dicto prædeceſſore vivente, decernimus: contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XI. Aprilis, anno Domini MCCCCLXXXVII. Pontificatus noſtri anno III.

XIII.

Ut in domum Sororum Tertii Ordinis Gandenſem introducat Inſtitutum ſanctæ Claræ, juxta primævam Regulam. Ex lib. 32. fol. 108.

Dilecto filio Vicario Fratrum provinciæ Colonien. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. EX injuncto nobis deſuper &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Magiſtræ & Sororum domus de Ganda, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Trajecten. diœceſis petitio continebat, quod olim ipſæ obtenta a Sede Apoſtolica licentia ſe transferendi ad melioris vitæ frugem, & ſtrictiorem arctioremque Regulam, retento dicti Ordinis habitu, ſub cura tua, juxta primæva inſtituta Regularia Ordinis ſanctæ Claræ vitam ducere per annum & ultra curarunt, ut, probata illorum auſteritate, deliberare magis conſulte poſſent, an eis expediret pro ſalute animarum ſuarum ad ipſum Ordinem ſanctæ Claræ ſe transferre, & in illo profeſſionem emittere Regularem, ut optabant. Quare pro parte Miniſtræ & Sororum prædictarum, quæ, ut aſſerunt, præcedente probatione, auxiliante Domino, non diffidunt, poſſe Regularia inſtituta prædicti Ordinis ſanctæ Claræ ſervare, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta domo dictum Ordinem de Pœnitentia ſupprimere, & domum ipſam in Monaſterium Monialium ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum primævam inſtitutionem prædictam erigere, & eiſdem Miniſtræ & Sororibus habitum, juxta dicti Ordinis conſuetudinem exhiberi, & Regularem profeſſionem per eaſdem Moniales emitti ſolitam ab eis recipi & admitti, & pro ejuſdem Miniſtræ ac Monialium in Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ directione aliquas Moniales ex aliis Monaſteriis ſanctæ Claræ dicti Ordinis ad prædictum ſic tunc erectum Monaſterium trans-

transferri, & unam ex eiſdem prædicto Monaſterio in Abbatiſſam præfici, ac tibi ut Monaſterium ipſum, & illius pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſub cura tua recipias, dirigas, viſites, & informes in ritu & Obſervantia hujuſmodi pari modo, ſicut & alia Monaſteria Monialium ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ tuæ curæ commiſſa, & illorum perſonas viſitare & dirigere ſolitus es: ordinationes quoque & ſtatuta laudabilia & honeſta, ſecundum quæ Abbatiſſa & Moniales dicti erigendi Monaſterii vivere debeant, edas, & dicta eis ſervanda tradas, mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui perſonis ſub Regulari Obſervantia ſtudio piæ vitæ vacare volentibus fragilis ſexus fœminei, Apoſtolici favoris præſidium, circa ea præſertim quæ ſoliditatem ſtatus earum reſpiciunt, libenter impendimus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, in dicta domo Ordinem prædictum beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupatum, penitus & omnino ſupprimere & extinguere, ac domum ipſam in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, Oratorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, decenti clauſura, & aliis neceſſariis officinis, jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio ullius, erigere, & eiſdem Miniſtræ & Sororibus habitum, juxta dicti Ordinis conſuetudinem exhibere, & Regularem profeſſionem per caſdem Moniales emitti ſolitam, ſi illam in tuis manibus ſponte emittere voluerint, recipere & admittere, & pro ejuſdem Monaſterii ſic erecti Miniſtræ & Monialium in Obſervantia Regulari dicti Ordinis ſanctæ Claræ directione & inſtructione, alias Moniales ex aliis Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum Inſtituta prædicta, & ſub dicta cura viventes, quas voluntarias inveneris, de licentia Superioris earum, ad prædictum ſic tunc erectum Monaſterium transferri, & unam ex eis ſic tranſlatis eidem Monaſterio in Abbatiſſam præficere, necnon Monaſterium ipſum, & illius pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſub tua cura recipere, & in ritu & Regulari Obſervantia hujuſmodi pari modo, ſicut & alia Monaſteria Monialium ejuſdem ſanctæ Claræ viſitare & dirigere ſolitus es: ordinationes quoque & ſtatuta laudabilia & honeſta, ſecundum quæ Abbatiſſa & Moniales dicti erigendi Monaſterii vivere debeant, edere, & edita eis ſervanda tradere, auctoritate noſtra procures. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

§. III. Non obſtantibus, quod tu de perſonis, quibus executio litterarum Apoſtolicarum per Sedem Apoſtolicam committi conſueverit, non exiſtis, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac domus & Ordinum præfatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, ſeu ſi Magiſtræ & Sororibus prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede prædicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi & excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVII. VII. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno III.

XIV. *Ut*

XIV.

Ut dent facultatem ædificandi domum Obſervantum in Villa Alcantaræ. Ex lib. 44. fol. 266.

Dilectis filiis Joanni de Gata, Canonico Eccleſiæ Placentinæ, & Placentino & Caurien. Officialibus.

§. I. Piis fidelium votis &c. Sane pro parte dilecti filii Bartholomæi de Oviedo, Villæ de Alcantara laici, Caurien. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe, qui de bonis ſibi a Deo collatis quamdam domum, pro uſu & habitatione quarumdam Religioſarum perſonarum in dicta Villa, in loco ad hoc congruo & honeſto ædificari fecit, habens debitum reſpectum ad fructus uberes, quos Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores incolis locorum, in quibus domos habent, eorum exemplari vita, prædicationibus verbi Dei, audientia confeſſionum, aſſidua ac devota Divinorum celebratione hactenus attulerunt, & continuo afferre non ceſſant, pro Divini cultus dictæ Villæ incremento, ac ſuæ & ſuorum animarum ſalute, ſumme affectat, quod hujuſmodi domus in domum Fratrum Minorum erigatur, ac ipſis Fratribus de Obſervantia, qui nullam aliam domum in dicta Villa habent, pro eorum perpetuis uſu & habitatione concedatur, ad effectum, ut incolæ ipſi, Guardiani & Fratrum pro tempore in dicta domo degentium conſiliis, & exhortationibus adjuti, ad quærendum ſuarum animarum ſalutem magis, quam ſoliti ſint, intendant. Quare pro parte dicti Bartholomæi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum prædictam in domum Fratrum dicti Ordinis erigere, ac eiſdem Fratribus de Obſervantia, ut illam ſic erectam recipere & perpetuo inhabitare libere & licite valeant, licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos, qui Divinum cultum ubique vigere & adaugeri intenſis affectibus affectamus &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripra mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſine præjudicio cujuſcumque, domum prædictam in domum Fratrum dicti Ordinis, ſub invocatione per ipſum Bartholomæum nominanda, auctoritate noſtra erigatis, ac eiſdem Fratribus de Obſervantia illam ſic erectam, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro eorum perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi erectionem fieri, & licentiam hujuſmodi per vos vigore præſentium concedi contigerit, dictæ domui, & illius Guardiano pro tempore & Fratribus, qui illam inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, aliis domibus, Guardianis, & Fratribus ejuſdem Ordinis in genere conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVII. pridie Idus Julii, Pontificatus noſtri anno III.

XV.

Ut domum Sororum Tertii Ordinis Valliſoleti faciant Regularem. Ex lib. 39. fol. 78.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Compoſtellan. & dilectis filiis Priori ſecularis & Collegiatæ Eccleſiæ beatæ Mariæ de Valliſoleto, Palentin. diœceſ. ac Officiali Palentin.

§. I. Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Joannæ de Hermoſille, Matris, & Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in quadam domo, quam dicta Joanna, de ſuis & aliarum devotarum perſonarum, ad id pie oblatis bonis, jam dudum ædificari fecit in Valliſoleto, Palentin. diœceſis, commorantium, nobis exhibita petitio continebat, quod ſi domus præfata, ad inſtar aliarum domorum Sororum dicti Ordinis in communi viventium, & tria ſubſtantialia Religionis vota emittentium, pro earum & aliarum dicti Ordinis Sororum, quæ illam inhabitare voluerint, perpetuis uſu & habitatione reformaretur, & curæ Vicarii Provincialis Fratrum proviuciæ de Sanctoyo Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, pro tempore exiſtentis, committeretur, & ut ipſæ, ac ejuſdem domus pro tempore Mater & Sorores tria Religionis ſubſtantialia vota in ejuſdem Vicarii manibus emittere, & a Confeſſore per eum deputando Eccleſiaſtica Sacramenta quæcumque recipere, ac inibi Miſſas, & alia Divina Officia celebrare, & celebrari facere poſſent, earumque, & aliarum in earum habitu ſepeliri volentium, dum decedunt, corpora in cœmeterio ejuſdem domus ſepeliri facere poſſent, alias concederetur, exinde prædicto earum ſtatui, & ſaluti animarum opportune conſuleretur. Quare pro parte earumdem Joannæ & Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, quod domum ipſam reformare, & ſub cura dicti Vicarii de cetero vivere, & in illius manibus vota hujuſmodi emittere, ac Sacramenta prædicta a Confeſſore præfato recipere, Miſſaſque & alia Divina Officia in Eccleſia dictæ domus celebrari, & decedentium corpora in ejus cœmeterio ſepeliri facere poſſint, ut cupiunt, concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, decus & venuſtatem, animarumque ſalutem intenſis deſideramus affectibus, earumdem Sororum apud Deum meritorium, & homines commendabile deſiderium prædictum plurimum in Domino laudantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, prædictis Joannæ & Sororibus, ut domum prædictam ad inſtar aliarum domorum Sororum dicti Ordinis ſancti Franciſci in communi viventium, & tria ſubſtantialia vota Religionis emittentium, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro earum & aliarum dicti Ordinis Sororum, quæ illam inhabitare voluerint, perpetuis uſibus & habitatione reformandi, & in ea ſub obedientia unius earum Matris ſeu Magiſtræ pro tempore per alias Sorores eligendæ & aſſumendæ, in communi, ſub dicti Ordinis de Pœnitentia laudabili vivendi modo, cura, directione, viſitatione & correctione dicti Vicarii vitam laudabilem & Deo gratam, cum odore bonæ famæ ducere, & a Confeſſore dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſore, per præfatum Vicarium in Capitulo Provinciali

Fra-

Digitized by Google

Fratrum dictæ Provinciæ, ſeu extra pro tempore deputando, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ,& Extremæ Unctionis Sacramenta recipere,&,ſi voluerint,in manibus dicti Vicarii, vel alterius, cui idem Vicarius id duxerit committendum, obedientiæ, caſtitatis & paupertatis perpetua vota emittere, & Divinum officium alta & ſubmiſſa voce, juxta dicti Vicarii diſcretionem ſeu ordinationem legere & cantare, & per quoſcumque Sacerdotes ibidem celebrare volentes, Miſſam facere ſeu permittere celebrari, & ab eis, de licentia præfati Vicarii, Euchariſtiæ Sacramentum, dum opus fuerit, & earum devotio eis ſuaſerit, recipere, & in cœmeterio prædicto tam Matris & Sororum, quam aliarum etiam perſonarum, quæ in habitu prædicti Tertii Ordinis ſepeliri ordinaverint, ibidem ſepelire, necnon omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus, indultis ſpiritualibus & temporalibus, dicti Ordinis profeſſoribus utriuſque ſexus & domibus eorum per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & quibus aliæ domus dicti Ordinis, & in illis degentes Sorores & Fratres pro tempore potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere quomodolibet in futurum libere & licite valeant; jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, auctoritate noſtra concedatis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Tertii Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVII. IV. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno IV.

XVI.

Ut det licentiam ædificandi duas domos Obſervantium ſub primævo Religionis inſtituto, & nomine Cuſtodiæ Angelorum. Ex lib. 55. fol. 199.

Venerabili fratri Epiſcopo Corduben.

§. I. SAcræ Religionis &c. Sane pro parte dilecti filii Martini Alphonſi de Villaſeca civis Corduben. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe fervore devotionis, quam ad ſanctum Franciſcum, & Ordinem prædictum illiuſque perſonas, quæ earum exemplari vita, verbi Dei & Evangelicæ veritatis prædicationibus, aſſidua & devota Divinorum celebratione, & aliis eorum bonis operibus non ceſſant animas Deo lucrifacere, gerere dignoſcitur, accenſus, cupienſque terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, de a Deo ſibi collatis, & aliorum fidelium, ad id contribuere volentium bonis, in aliquibus locis Caſtellæ & Legionis regnorum, ad hoc convenientibus & honeſtis, duas domos pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, qui ſecundum primævam ipſius Ordinis inſtitutionem, & illius Regulæ puritatem vivere debeant, conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere ſummopere deſiderat, ſi ſibi ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte ipſius Martini nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi duas domos hujuſmodi, unam videlicet ſub beatæ Mariæ & omnium Angelorum, & aliam ſub ejuſdem beati Franciſci invocationibus, in aliquibus locis dictorum Regnorum ad hoc convenientibus & honeſtis, cum Eccleſiis, humilibus campanilibus, campanis, dormitoriis, refectoriis, clauſtris, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum dicti Ordinis conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, licentiam concedere, ac alias in præmiſ-

miſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis exoptamus, pium & laudabile propoſitum ipſius Martini plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem Martino dictas duas domos, ſub invocationibus prædictis, in aliquibus locis dictorum regnorum ad hoc congruentibus & honeſtis, cum Eccleſiis, humilibus campanilibus, campania, dormitoriis, refectoriis, clauſtris, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, qui inibi juxta prædictæ Regulæ puritatem, ac ſub primæva inſtitutione prædicta ſimpliciter vivant, abſque tamen alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, nec non aliquos Fratres ex aliis domibus dicti Ordinis ſub hujuſmodi primæva inſtitutione vivere volentes, qui alios Fratres in eiſdem duabus domibus degentes a principio in inſtitutis dictæ Regulæ inſtruant & informent, quos ad id voluntarios invenerit, petita & obtenta ſuorum ſuperiorum licentia, in dictis duabus domibus introducendi, ac eiſdem Fratribus ad illas ſe transferendi, & in illis perpetuo remanendi, ipſiſque Fratribus domos prædictas recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam auctoritate noſtra concedas: jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

§. III. Et nihilominus ſtatuas & ordines, quod ex ipſis duabus domibus conſtituatur una Cuſtodia, quæ ab altera dictarum domorum denominationem accipiat, & Cuſtodia Angelorum nuncupetur, & Fratres ipſius Cuſtodiæ, juxta morem dicti Ordinis ſingulis annis unum fratrem ejuſdem Ordinis in Cuſtodem eligant, qui per Miniſtrum Generalem, vel ejus Vicarium Galliæ, Allemanniæ, & Hiſpaniæ provinciarum pro tempore ſuper Fratres, de Obſervantia nuncupatos, deputatum, vel eum, cui præfatus Miniſter id duxerit committendum, confirmetur, quibus Miniſtro & Vicario Cuſtos & Fratres dictæ Cuſtodiæ immediate ſint ſubjecti, ac præfatus Cuſtos cenſeatur unus ex Prælatis dicti Ordinis, quibus dictus B. Franciſcus voluit a Fratribus obedientiam præſtari, habeatque ipſe Cuſtos facultatem, juriſdictionem, præeminentiam & auctoritatem dictum Ordinem ingredi, & profeſſionem emittere volentes recipiendi, ac abſolvendi, corrigendi, ligandi, & omnia alia faciendi, quæ Miniſter provincialis pro tempore exiſtens, tam ex conſtitutionibus & privilegiis Apoſtolicis, quam inſtitutis & ordinationibus Regulæ & Ordinis prædictorum facere poteſt. Nos enim eiſdem domibus, & Fratribus pro tempore habitantibus in illis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & indulgentiis, quibus aliæ domus, & Fratres Ordinis præfati in genere utuntur & gaudent, etiam uti & gaudere libere & licite poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVII. VI. Idus Martii anno IV.

XVII. *Ut*

Digitized by Google

XVII.

Ut concedat licentiam conſtruendi domum Fratrum Obſervantum in oppido Hulſt. Ibidem fol. 135.

Venerabili fratri Epiſcopo Trajecten.

§. I. AD uberes fructus &c. Sane pro parte dilectnrum filiorum Vicarii Provincialis & Fratrum provinciæ Franciæ Ordinis prædicti, ſecundum morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nonnulli incolæ oppidi de Hulſt, Trajecten. diœceſis, qui ad Ordinem prædictum ſpecialem gerunt devotionis affectum, attendentes, quod domus Fratrum dicti Ordinis, quæ, obtenta dudum a Sede Apoſtolica licentia conſtruendi intra vel extra muros dicti Oppidi unam domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum, extra dictos muros, apud quamdam antiquam Capellam inibi exiſtentem dudum conſtructa ſuerat, cauſantibus guerris, quæ partes illas aflixerant, ſunditus everſa fuit, & inhabitata remanſit, cupiunt unam domum de novo intra dictum oppidum, in loco commodo & honeſto ad id parato, conſtrui & ædificari facere. Quare pro parte Vicarii & Fratrum prædictorum nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem laicis domum prædictam, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, reſectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum, qui eiſdem Generali Ultramontano, & dictæ Provinciæ, de qua antiqua domus prædicta erat, Vicariis ſint ſubiecti, in loco convenienti & honeſto intra dictum Oppidum conſtrui & ædificari faciendi, necnon ſolum, in quo everſa domus prædicta ſita erat, ac illius hortos, hortalitia, & officinarum omnium ejuſdem loca, antiqua capella prædicta, apud quam dicta domus conſtructa fuerat, dumtaxat excepta, vendendi, & pretium inde proveniens, ac cæmenta & lapides domus prædictæ in fabricam novæ domus hujuſmodi convertendi, ipſis quoque Vicario & Fratribus domum ipſam, quæ ſic conſtruetur intra dictum oppidum, pro eorum perpetuis uſu & habitatione recipiendi, licentiam concedere, aliaſque ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui animarum ſalutem, & Religionis propagationem intenſis deſideriis optamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, præſatis Vicario & Fratribus ac laicis domum hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorto, reſectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in loco ad hoc, ut præfertur, commodo & honeſto, intra dictum oppidum, pro uſu & habitatione prædictis; jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, conſtrui & ædificari faciendi, necnon ſolum, in quo domus prædicta extra muros ſita erat, ac illius hortos, hortalitia, & officinarum omnium ejuſdem loca, antiqua Capella prædicta dumtaxat excepta, vendendi, & pretium inde proveniens, necnon cæmenta & lapides dictæ antiquæ domus dirutæ in fabricam novæ domus convertendi, ipſiſque Vicario & Fratribus conſtruendam de novo domum eamdem pro eorum habitatione recipiendi, & perpetuo retinendi & inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiaris, domumque prædictam ſic tunc erectam, & degentes in ea pro tempore perſonas, curæ & directioni Vicariorum prædictorum committas. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

§. III. Non

§. III. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede præfata indultum exiſtat quod interdici, ſuſpendi & excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim, ſi per te, vigore præſentium, licentiam hujuſmodi concedi, & alia præmiſſa fieri contigerit, ut præfertur, dictæ tunc erectæ domui, & illius pro tempore Guardiano & Fratribus in perpetuum, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus diruta domus prædicta, & aliæ ejuſdem Ordinis domus, Guardiani & Fratres in genere uti, potiri & gaudere poterant, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & debeant, dicta auctoritate concedimus & indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVIII. V. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XVIII.

Ut ſuppreſſionem hoſpitalis ſancti Emiliani & erectionem Monaſterii Clariſſarum in oppido Hamuſci confirment. Ibidem fol. 85.

Dilectis filiis Archidiacono del Alcor, & Eneco de Armayona, Canonico Eccleſiæ Palentinæ, ac Officiali Palentino.

§. I. Ex injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Petri Manrique, Ducis de Najara, petitio continebat, quod cum alias dilecta in Chriſto filia, nobilis mulier Maria de Sandoval, dicti Ducis genitrix, vidua, zelo devotionis accenſa, quoddam hoſpitale, ſub invocatione ſancti Emiliani, ſitum prope Eccleſiam ejuſdem ſancti Emiliani, oppidi de Hamuſco, Palentinæ diœceſis, cujus ipſe Petrus Dux in temporalibus Dominus exiſtit, pia largitione quondam Hurracæ Comitiſſæ certis Confratribus tunc exiſtentibus, pro pauperibus ibidem recipiendis, donatum, & per eoſdem Confratres receptum, in domum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, pro ſe & nonnullis aliis nobilibus mulieribus, ſub habitu, per Sorores dicti Ordinis geſtari ſolito, ac perpetua clauſura ibidem moraturis, erigere propoſuiſſet, & deſideraret; dictus Petrus Dux, huic ſancto deſiderio dictæ ſuæ genitricis ſatisfacere cupiens, & conſiderans, quod in eodem oppido alia hoſpitalia, quæ ad recipiendum pauperes Chriſti, ac miſerabiles perſonas undique confluentes, & eos refocillandum ſufficiebant, erecta & inſtituta erant, in dicto hoſpitali ſancti Emiliani hoſpitalitatem propria auctoritate, quamvis de facto ſuppreſſit, ac in eo unam notabilem domum dicti Ordinis, in qua præfata ejus genitrix & aliæ Sorores ſub habitu dicti Ordinis ſub perpetua clauſura degerent, cum Capella, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ſumptuoſis, expenſis de propriis bonis ſuis, ædificari & fundari fecit, illamque etiam propriis bonis competenter dotavit, & in dies, favente Altiſſimo, peramplius dotare deſiderat; ac omnia bona, quæ prius dicti hoſpitalis ſancti Emiliani erant, & ad illud hoſpitale pauperum prope illud exiſtens, ad uſus pauperum ſine aliqua diminutione, abſque tamen Sedis Apoſtolicæ licentia ſimiliter de facto tranſtulit, & transferri, ac in eo quamdam Capellam, in qua Miſſa continuo celebratur, fundari fecit, & prope dictum ſuppreſſum hoſpitale quamdam do-

domum alteri hoſpitali dedit & donavit ; & in hujuſmodi domo ſic noviter ædificata & fundata,ac abunde dotata, dicta Maria Comitiſſa cum aliis nobilibus Sororibus, Virginibus, & continentibus mulieribus, ſub habitu Tertii Ordinis, ac perpetua clauſura prædictis, auctoritate Provincialis provinciæ de Sanctoyo, ſecundum morem Ordinis Minorum, ab anno citra introductæ & receptæ fuerunt, & ſub obedientia ejuſdem Provincialis ibidem Deo ſervientes devote degunt & morantur.

§. II. Et cum in dicto oppido eſſet quoddam palatium, in quo Dominus ejuſdem loci pro tempore exiſtens habitare conſuevit, & quod ad eumdem Dominum pertinet, poſtquam quondam Leonora de Caſtilla, uxor avi dicti Ducis, dictum palatium in Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ erigi fecerat, & poſt erectionem hujuſmodi,in eo Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ per aliquod tempus moram traxerunt, certus Sedis prædictæ Legatus, habens ad id, ut aſſerebat, ab eadem Sede ſpecialem per illius litteras facultatem, illius vigore Monaſterium ipſum Monialium ſanctæ Claræ ad alium locum per Dominum dicti oppidi emptum, cum illius Monialibus tranſtulit, & ad profanos uſus reduxit, & illud eidem Domino pro palatio ſuæ habitationis conceſſit, ea tamen conditione, quod in quadam Capella in dicto Monaſterio, nunc palatio ſita, ſingulis diebus una Miſſa celebraretur. Cum autem ſecundum præmiſſa, tranſlatio & ſuppreſſio hoſpitalis, & illius bonorum prædictorum per dictum Petrum Ducem, ut præmittitur, factæ, viribus non ſubſiſtant: &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ad capellam in dicto Palatio exiſtentem, quæ juxta & prope majorem Eccleſiam dicti oppidi conſiſtit, pro hujuſmodi Miſſa audienda pauci Chriſtifideles concurrant, deſideretque ipſe Petrus Dux celebrationem Miſſæ hujuſmodi ad dictam domum per eum noviter erectam & dotatam transferri, illamque ibidem in illius Eccleſia perpetuo per Capellanum ſeu Presbyterum idoneum, cui ſalarium ſive reditus, quod ſeu qui celebranti in capella dicti palatii dari conſuevit, celebrando ad capellam ſeu Eccleſiam præfatæ domus ſe daturum offert, facere celebrari. Pro parte dicti Petri Ducis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictum hoſpitale ſancti Emiliani de novo ſupprimere, ac illud & ejus bona ad aliud hoſpitale prædictum transferre, ac dationi, necnon introductioni prædictis, pro illorum ſubſiſtentia, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac dictis Sororibus, quod in dicta domo remanere poſſint, indulgere, necnon celebrationem dictæ Miſſæ in Capella prædicti palatii celebrandæ, ad capellam ſeu Eccleſiam præfatæ domus modo præmiſſo celebrandam transferre, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ſingulorum, præſertim Catholicorum Principum votis, per quæ Religio augmentum ſuſcipit, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationis inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, vocatis qui fuerint evocandi, de præmiſſis nobis expoſitis, auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereritis, in dicto hoſpitali ſancti Emiliani hoſpitalitatem auctoritate noſtra de novo ſupprimatis & extinguatis, ac illud, necnon ejus bona mobilia & immobilia ad aliud hoſpitale prædictum pro pauperibus inibi recipiendis, & aliis piis operibus inibi exercendis, ſine diminutione transferatis; necnon hujuſmodi domus fundationem, cum hortis & hortalitiis, ac aliis officinis prædictis, ut præfertur, factam, ſi & poſtquam de illis alias vobis legitime conſtiterit, auctoritate noſtra confirmetis & approbetis, ſuppleatiſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; ac celebrationem dictæ Miſſæ in capella

la prædicti Palatii celebrandæ, ad capellam præfatæ domus noviter fundatæ; ita quod dictus Petrus Dux, & pro tempore exiſtens Dominus dicti oppidi, per Capellanum ſeu Presbyterum idoneum, cui ſalarium ſive reditus, quod ſeu qui celebranti in capella prædicta dari conſueverit, celebranti in capella prædictæ domus ſic fundatæ det & perſolvat, celebrari facere teneatur, eadem auctoritate transferatis, & in capella prædictæ domus deinceps celebrari debere ſtatuatis & ordinetis: ac Sororibus in dicta domo exiſtentibus, quod in ea remanere poſſint, dicta auctoritate concedatis. Nos enim ipſis, & pro tempore in ea exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus & indultis, aliis domibus & Sororibus Ordinis ejuſdem per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, gaudere & potiri poſſint & valeant, auctoritate prædicta, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVIII. III. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XIX.

Multa concedit favorabilia Sororibus Tertii Ordinis, de Cella nuncupatis.
Ex lib. 67. fol. 260.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. APoſtolicæ nobis, licet inſufficientibus meritis &c. Dudum fel. record. Sixto Papæ IV. prædeceſſori noſtro pro parte dilectarum in Chriſto filiarum univerſarum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci in provincia Franciæ conſiſtentium, de Cella nuncupatarum, expoſito, quod ipſæ, quæ ad cuſtodiam infirmorum erant deputatæ, & in ſancti Audomari, & ſancti Pauli Hiſdinii, Morinen. Abbatis-Villæ, & Monſteroli, Ambianen. diœceſis oppidis, domos habebant, & inibi moram trahebant, ipſumque Ordinem expreſſe profeſſæ erant, triaque Religionis vota, de licentia Sedis Apoſtolicæ emittebant, infirmis quoque, quacumque infirmitate ſeu ægritudine, & quantumcumque contagioſa infectis ſerviebant, & propterea clero pariter & populo in maximo favore erant habitæ, ſummopere deſiderabant, ut ex tunc de cetero ſub cura & regimine Vicarii Provincialis Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum in dicta Provincia degentium, ad inſtar Sororum dicti Tertii Ordinis, in Morinen. Tornacen. Cameracen. & Attrebaten. diœceſibus conſtitutarum, degerent, & Altiſſimo famularentur, & quod licet pallium nigrum ſupra habitum griſeum, dum foras exeunt, deferre conſueviſſent, tamen pro eo quod in ſtatutis & conſuetudinibus, aut inſtitutis Regularibus dicti Tertii Ordinis caveri dicebatur, quod illum profeſſi & profeſſæ non prorſus albo, vel nigro communiter veſtiantur, dubitabant, hujuſmodi pallium abſque ſcrupulo conſcientiæ deportare poſſe, & cum illud tanto tempore detuliſſent, quod ipſum ſine multa admiratione cleri & populi, novitatis nota, & plurimorum ſcandalo dimittere non poterant; Idem Sixtus prædeceſſor, dictarum Sororum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, per quaſdam ſuas litteras, auctoritate Apoſtolica perpetuo ſtatuit & ordinavit, quod prædictæ, de Cella nuncupatæ, ac univerſæ aliæ Sorores dicti Tertii Ordinis, in præfata Provincia, ac in prædictis oppidis & domibus, aliiſque locis in eadem Provincia forſan ædificandis pro tempore degentes, ex tunc de cetero ſub cura & regimine Vicarii Provincialis Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia

tia

tia nuncupatorum in dicta Provincia degentium, ad inſtar Sororum dicti Ordinis in diœceſibus prædictis conſtitutarum, degere, & Altiſſimo famulari deberent, ac omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & indultis potiri, necnon prædictum pallium nigrum abſque ſcrupulo conſcientiæ portare libere & licite valerent; & cum, ut aſſerebant, frequentius, quantum vires ſupportabant, infirmorum ſervitiis occuparentur, quod, licet aliquæ ex eis legere ſcirent pſalterium, tamen omnes generaliter loco horarum canonicarum, certis orationibus Dominicis, ad quas Regula dicti Tertii Ordinis eumdem Ordinem profeſſas illiteratas obligat, eſſent adſtrictæ, conſuetæ vero per eaſdem preces in earum diſcretione & arbitrio relinquerentur; ac quod præfatus Vicarius Provincialis loco Miniſtri eiſdem Sororibus, de Cella nuncupatis ſufficere valeret; & nihilominus nonnullas Sorores, in oppido de Leſſinis, dictæ Cameracen. diœceſis moram trahentes, & dictum Tertium Ordinem profeſſas, ac de licentia Ordinarii tria hujuſmodi vota emittentes, quæ ſub regimine dicti Vicarii degebant, ut gratiis, privilegiis, immunitatibus omnibus & ſingulis gaudere poſſint, aliarum Sororum de Cella nuncupatarum, prædictarum numero & conſortio, de earum conſenſu favorabiliter aggregarit, prout in eiſdem litteris deſuper confectis plenius continetur.

§. II. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Majoris, Scabinorum, & Oppidanorum oppidi Dulendii, Ambianen. diœceſis, petitio continebat, ipſi Major, Scabini, & Oppidani propter pia caritatis obſequia, quæ Sorores prædictæ de Cella univerſis infirmis, etiam ex peſte & aliis morbis contagioſis infectis, in locis, in quibus degunt, exhibent, ad illas, & earum Ordinem gerentes ſpecialem devotionis affectum, nonnullas Sorores dicti Ordinis, quæ de aliis earum domibus prædictis ſe ad oppidum prædictum Dulendii, de licentia ſuorum Superiorum in quadam domo dicti oppidi dudum ad uſum Beghinarum Sororum applicata, de conſenſu eorum, ad quos dicta domus pertinet, introduci curarunt, cupiuntque illas in eadem manuteneri. Quare pro parte tam Majoris, Scabinorum, & Oppidanorum præfatorum, quam introductarum in dicta domo dicti oppidi Dulendii, & univerſarum aliarum Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam domum perpetuis uſibus Sororum prædictarum, de Cella nuncupatarum applicare, & quod introductæ, & que pro tempore domum oppidi Dulendii hujuſmodi inhabitabunt Sorores, perpetuis futuris temporibus, ſub cura, directione & obedientia dicti Vicarii degant, concedere & indulgere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ſingulorum votis, propter quæ indigentibus de opportunæ ſubventionis auxilio provideatur, quantum cum Deo poſſumus, libenter annnimus, ac ea favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, domum prædictam oppidi Dulendii uſibus Sororum prædictarum, de Cella nuncupatarum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo applicamus, & quod introductæ, ac quæ pro tempore domum ipſam inhabitabunt Sorores hujuſmodi, perpetuis futuris temporibus, ſub cura, directione & obedientia dicti Vicarii degant, ac omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, immunitatibus & favoribus a præfato prædeceſſore dictis Sororibus, de Cella nuncupatis conceſſis, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, eadem auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes: diſtrictius inhibentes quibuſcumque Eccleſiaſticis & Religioſis, exemptis & non exemptis, etiam Mendicantibus, & ſecularibus perſonis, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ per Epiſcopos & Superiores

eorum, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœnis per inferiores incurrendis, ne Sorores prædictas, quo minus domo prædicta potiri poſſint, ac ſub cura & directione hujuſmodi degant, gratiiſque privilegiis, immunitatibus & favoribus prædictis gaudere valeant, quomodolibet impediant, ac directe vel indirecte, tacite vel occulte inquietent vel moleſtent. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVIII. V. Idus Januarii Pontificatus noſtri anno V.

XX.

Ut applicet conſtructioni Monaſterii de Beja bona quædam reſtituenda, quorum domini erant incerti. Ex lib.66. fol.442.

Venerabili fratri Epiſcopo Elboren.

§. I. Piis fidelium præſertim Nobis & Apoſtolicæ Sedi devotorum votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Beatricis, relictæ quondam Fernandi Portugalliæ Infantis, petitio continebat, quod cum præfatus Fernandus, vir ſuus, tunc in humanis agens, quoddam navigium, Cerve nuncupatum, animo & intentione illud per mare contra eoſdem infideles miſiſſet, tamdem Capitaneus dicti navigii per eum deputatus, navigando in duabus vicibus diverſa bona Chriſtianorum cum dicto navigio cepit, & licet ipſe Fernandus ante ejus obitum bona prædicta eorum Dominis reſtitui mandaverit, tamen, quia numquam aliqui ad repetendum illa venerunt, minime reſtituta fuerunt, & interim ſatisfactione hujuſmodi non facta, præfatus Fernandus, ſicut Domino placuit, ab hac luce migravit.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfata Beatrix deſideret ſaluti animæ dicti Fernandi conſulere, & poſtquam Domini dictorum bonorum, quos etiam ignorat, & ſimiliter valorem illorum, non repetierunt, bona prædicta in aliqua pia opera convertere; pro parte ejuſdem Beatricis aſſerentis ſe cariſſimarum in Chriſto filiarum noſtrarum Eliſabethæ Caſtellæ & Legionis aviam, & Leonoræ ejuſdem Portugalliæ Regnorum Reginarum illuſtrium Matrem fore, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut alicui probo viro in partibus illis, quod valorem dictorum bonorum in conſtructionem & ædificationem Monaſterii Conceptionis B. Mariæ Virginis, Ordinis ſanctæ Claræ, loci de Beja, Elboren. diœceſis, quod ipſa de propriis bonis conſtrui & ædificari facere cœpit, aut in alia pietatis opera convertere valeat, ita quod illa adimplendo, ad aliam reſtitutionem faciendam ulterius non teneatur, nec ad id a quoquam, quavis auctoritate compelli poſſit, præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, committere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de prædictis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, cum dicta Beatrix, ſicut aſſerit, in tuis Civitate, & diœceſi Elboren. pro majori parte moram trahat, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper præmiſſis, & circa ea per te ipſum,

ipſum, ſine alicujus præjudicio facias & diſponas, prout tibi videbitur expedire, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVIII. pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno V.

XXI.

Ut dent licentiam fundandi Monaſterium Clariſſarum in villa ſancti Lucæ de Barrameda. Ex libro 75. fol. 296.

Venerabili fratri Reginaldo Epiſcopo Tiberiaden. in Civitate Hiſpalen. commoranti, ac dilectis filiis ſancti Iſidori, extra muros Hiſpalen. ac B. Mariæ de Sanlucar. de Barrameda, Hiſpalen. diœceſis Monaſteriorum per Priores gubernari ſolitorum, Prioribus.

§. I. Summa prudentia præditos &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici de Guſman Ducis, ac dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Leonoræ de Mendoza ejus uxoris Duciſſæ Medinæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi pia devotione ducti, conſtrui facere incœperunt in villa ſancti Lucæ de Barrameda, Hiſpalen. diœceſis, temporalis dominii ipſius Ducis, in loco convenienti & honeſto, unum Monaſterium Monialium, in quo Mulieres ſeculum fugientes, ſub perpetua clauſura poſſint Altiſſimo famulari, ad Divini nominis gloriam, Religionis propagationem, & animarum ſalutem. Quare pro parte Ducis & Duciſſæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Monaſterium prædictum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ac convenienti clauſura perfici faciendi licentiam concedere, & illud in Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, ſub invocatione & in honorem ſanctæ Mariæ Angelorum erigere, nec non juſpatronatus, & præſtandi conſenſum electioni Abbatiſſæ ejuſdem, cum pro tempore fieri contigerit, dictæ Duciſſæ, & ejus hæredibus in perpetuum reſervare, & quod in eo perpetuo vigere debeat regularis Obſervantia dicti Ordinis, ſecundum illius primæva regularia inſtituta, regique debeat Monaſterium ipſum per Abbatiſſam, ſingulis trienniis per illius Conventum eligendam, & poſtquam ſic electa fuerit a majori parte Conventus ejuſdem Monaſterii, & dicta Duciſſa, & pro tempore exiſtens patronus dicti Monaſterii illi ſuum præſtiterit aſſenſum, alia ſuæ electionis ad triennium hujuſmodi confirmatione non obtenta, poſſit libere adminiſtrare, abſque muneris benedictionis impenſione, nec viſitari poſſint Monaſterium, & illius Abbatiſſa ac Moniales ab alio quam Viſitatore per ipſas Abbatiſſam & Conventum de conſenſu Duciſſæ, & pro tempore exiſtentis patroni electo, ætate, vita & moribus idoneo presbytero ſeculari, vel cujuſvis Ordinis etiam Mendicantium Regulari, & ordinaria auctoritate per dicti Monaſterii ſuperiorem confirmato, ſtatuere & ordinare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ad ea, quæ Religionis propagationem, & Divini cultus concernunt augmentum, quantum ex alto nobis permittitur, favorem benevolum impertimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eiſdem Duci & Duciſſæ Monaſterium prædi-

ctum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ac convenienti clauſura perficiendi licentiam dare, & illud in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, & ſub dicta invocatione erigere, necnon juſpatronatus, & præſtandi conſenſum electioni Abbatiſſæ ejuſdem pro tempore, cum fieri contigerit, Duciſſæ, ac ejus bæredibus prædictis in perpetuum reſervare, & quod in eo perpetuo vigere debeat Regularis Obſervantia dicti Ordinis, ſecundum illius primæva regularia inſtituta, regique debeat Monaſterium ipſum per Abbatiſſam ſingulis trienniis per illius Conventum eligendam, quæ poſtquam ſic electa fuerit a majori parte, & dicta Duciſſa, ac pro tempore exiſtens patronus dicti Monaſterii eidem electioni ſuum præſtiterit conſenſum, alia ſuæ electionis hujuſmodi ad triennium confirmatione non obtenta, poſſit libere adminiſtrare, abſque muneris benedictionis impenſione, nec poſſint Monaſterium, Abbatiſsa & Moniales ejuſdem viſitari ab alio, quam Viſitatore, per ipſas Abbatiſsam & Conventum de conſenſu Duciſsæ, & pro tempore exiſtentis patroni prædicti electo, ætate, vita & moribus idoneo presbytero ſeculari, vel cujuſvis etiam Ordinis Mendicantium Regulari, & ordinaria auctoritate per dicti Monaſterii Superiorem confirmato, ſtatuere & ordinare, ſicque perpetuis futuris temporibus obſervari mandare, auctoritate noſtra curetis: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. IX. Kalend. Martii anno V.

XXII.

Ut duas poſſit domos Obſervantum ædificare. Ibidem fol. 326.

Dilecto filio nobili viro Gometio Suarez de Figueroa Comiti de Feria.

§. I. Expoſcit tuæ devotionis probata ſinceritas &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod alias extra muros oppidi de Zafra, Pacen. diœceſis, in loco, ubi erat quoddam Eremitorium ſub invocatione ſancti Benedicti, fuit de licentia Sedis Apoſtolicæ conſtructa & ædificata quædam domus cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, quam ex tunc nonnulli Fratres Ordinis & Obſervantiæ eorumdem tenuerunt & habitarunt, prout tenent & habitant de præſenti; quodque infra diſtrictum dicti oppidi eſt quoddam aliud Eremitorium ſub invocatione ſancti Honufrii de la Lappa, prope quamdam domum ad te legitime pertinentem ſitum, quod a præfata domo ſancti Benedicti non ultra quinque milliaria vel circa diſtat, ubi tu propter ſingularem devotionis affectum, quem ad præfatum Ordinem & illius Fratres gerere dignoſceris, unam aliam domum pro uſu & habitatione aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum conſtrui & ædificari facere deſideras. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi in Eremitorio ſancti Honufrii prædicto unam aliam domum cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis

nis,pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ eorumdem conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Fratribus domum conſtruendam hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac ipſam conſtruendam domum præfatæ domui ſancti Benedicti perpetuo appropriare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum intenſis deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in eodem Eremitorio ſancti Honufrii unam aliam domum cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis,pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, abſque tamen alicujus præjudicio, conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Fratribus domum conſtruendam hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur, ipſamque conſtruendam domum, cum conſtructa fuerit, ut præfertur, præfatæ domui ſancti Benedicti perpetuo appropriamus, ac quod utriuſque domus hujuſmodi unicus Guardianus, & ambæ ſub Provincia, ſancti Jacobi nuncupata, juxta morem dicti Ordinis, exiſtant, eadem auctoritate ſtatuimus & decernimus. Et nihilominus eidem conſtruendæ domui & Fratribus in illa pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis, quibus aliæ domus & Fratres ejuſdem Ordinis gaudent, libere & licite gaudeant, dicta auctoritate, harum ſerie indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVIII. III. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri, anno V.

XXIII.

Ut ſibi poſſint Conventum unum ædificare. Ex lib. 75. fol. 87.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Provinciæ ſancti Ludovici, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. AD uberes, quos Ordinis veſtri ſacra Religio &c. Sane parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Provincia veſtra ſancti Ludovici, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem ipſius Ordinis, ampla eſt & magna, ſuntque in ea multæ Civitates, villæ, oppida & caſtra, in quibus nullam domum veſtris perpetuis uſui & habitationi dedicatam habetis, habitatores autem villarum, Civitatum & oppidorum eorumdem, propter veſtram, ut aſſerunt, exemplarem vitam, prædicationes verbi Dei, audientiam confeſſionum, necnon aſſiduam & devotam Divinorum celebrationem, ut in eiſdem Civitatibus, villis, oppidis & caſtris domos pro veſtris perpetuis uſu & habitatione recipiatis, & in illis habitetis, inſtanter vos requirunt. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut intus vel extra aliquam Civitatem, villam, ſeu aliquod oppidum dictæ Provinciæ, a cujus habitatoribus ſuper hoc requiſiti & rogati fueritis, unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in loco ad hoc commodo & honeſto, pro veſtris uſu & habitatione conſtrui & ædificari faciendi, ac perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos

§. II. Nos igitur, qui animarum ſalutem noſtris potiſſime temporibus intenſis affectibus exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis locum, pro conſtruendo domum hujuſmodi recipiendi, & eam cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro veſtris uſu & habitatione prædictis conſtrui & ædificari faciendi, ac perpetuo inhabitandi; jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, Apoſtolica auctoritate licentiam elargimur, ac domui prædictæ, & degentibus in ea pro tempore, ſolitoque eorum more illam cuſtodientibus & inhabitantibus, Guardiano & Fratribus, ut privilegiis, immunitatibus & exemptionibus omnibus & ſingulis, aliarum domorum & Ordinis ejuſdem Guardianis & Fratribus per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & in poſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, dicta auctoritate concedimus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. XVIII. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno V.

XXIV.

Ut poſſit ædificare Monaſterium Clariſſarum in Villa Setuvalenſi. Ibid. fol. 2.

Venerabili fratri Epiſcopo Septen.

§. I. Cupientes Divinum cultum ubique vigere &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Juſtæ Roderici, mulieris Egitanien. diœceſis, petitio continebat, quod ipſa cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & alias ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem ſanctæ Claræ, & illius Moniales Regularis Obſervantiæ, propter earum vitæ ſanctimoniam, ac bonos & exemplares mores gerit, proponit de propriis bonis ſibi a Deo collatis unum Monaſterium Monialium Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, extra muros Villæ de Setuval, Ulixbonen. diœceſis, loco ad hoc habili & honeſto, ſub titulo & vocabulo Domini noſtri Jeſu Chriſti, conſtruere & erigere. Quare pro parte dictæ Juſtæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicto loco unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtruendi & erigendi licentiam concedere, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ejuſdem Juſtæ pium propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Juſtæ in præfato loco unum Monaſterium dicti Ordinis, Regularis Obſervantiæ, in quo Abbatiſſa & duodecim aliæ Moniales dumtaxat, in ſimilitudinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui duodecim Apoſtolos elegit, eſſe poſſint, cum Eccleſia, companili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Monialium dicti Ordinis, abſque alicujus præjudicio, conſtruendi & erigendi, ac Monialibus dicti Ordinis Monaſterium ipſum, poſtquam conſtructum & erectum fuerit, pro earum perpetuis uſu & habitatione recipiendi licentiam & facultatem auctoritate noſtra concedas. Nos enim, ſi erectionem

nem hujuſmodi per te, vigore præſentium fieri contigerit, Abbatiſſæ pro tempore & Conventui ac Monialibus dicti Monaſterii, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus & indultis, aliis Abbatiſſis, Conventibus & Monialibus aliorum Monaſteriorum Ordinis ejuſdem S. Claræ conceſſis & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere debeant, ac dictæ Juſtæ, quod cum tribus ſeu quatuor matronis honeſtis Monaſterium ipſum, dummodo conſenſus Abbatiſſæ ejuſdem acceſſerit, quoties voluerit, ingredi, & in eo morari ac pernoctare, & comedere, ac cum eiſdem Monialibus converſari, & cum ſibi placuerit inde exire libere & licite poſſit, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. XV. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno V.

XXV.

Conventui Obſervantum Taſſalliæ unit capellam ſancti Sebaſtiani. Ex lib. 101. folio 309.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Pia conſideratione Romanum decet Pontificem &c. Sane dilectus filius noſter Petrus, ſanctorum Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis, nobis nuper expoſuit, quod alias poſtquam claræ memoriæ Eleonora Regina Navarræ, de ſalute ſua recogitans, ac terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna commutare cupiens, licentia per eam ſuper hoc a Sede Apoſtolica obtenta, certam domum Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, pro uſu & habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis, ex ſingulari devotione, quam ad Ordinem præfatum gerebat, cum Eccleſia ſub invocatione beatæ Mariæ de Miſericordia ædificari & conſtrui facere incœperat, ipſa Regina, domo & Eccleſia hujuſmodi imperfectis, ſicut Domino placuit, ab hac luce deceſſit, ſepultura ejus per eam inibi in ejus obitu electa, ipſaque poſtmodum, ac etiam quondam Eleonora ejus filia inibi ſepultæ exiſtunt, & ex tunc domus & Eccleſia præfatæ, cauſantibus guerris, quæ in illis partibus diutius viguerunt, commode perfici non potuerunt, & imperfectæ remanſerunt, prout remanent de præſenti, non extantibus loco condecenti, in quo Divina officia celebrari, & cellulis, in quibus inibi exiſtentes Fratres habitare commode valeant.

§. II. Verum ſi capella ſancti Sebaſtiani, in qua certa Confratria clericorum & laicorum inſtituta fore dignoſcitur, & quæ ab eadem domo parvo ſpatio medio diſtat, eidem domui incorporaretur, ita ut ipſæ Eccleſia & capella unum & idem corpus, ac una & eadem Eccleſia eſſent, & eſſe cenſerentur, profecto ibidem Fratres commode habitarent, & Divina officia decentius celebrarentur, idque in Divini cultus augmentum, & quietem mentis ſucceſſorum ejuſdem Reginæ cederet: & propterea idem Cardinalis aſſerens ſe Reginæ filium, & Eleonoræ junioris prædictarum fratrem utrinque conjunctum fuiſſe, nobis humiliter ſupplicavit, ut capellam prædictam dictæ domui, ut præfertur, incorporare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri &c. de conſenſu quorum intereſſet, earumdem domus & capellæ fructuum, redituum & proventuum verum valorem pro

pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, capellam prædictam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem domui beatæ Mariæ de Miſericordia, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, & illas de cetero unam & eamdem Eccleſiam ſeu dumum fore cenſeri, & reputari debere, eadem auctoritate decernimus, ſtatuimus & ordinamus; ac Guardiano & Fratribus in dicta domo degentibus, ipſam ſic incœptam ad capellam prædictam extendendi, & illas ad formam unius domus, cum campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis reducendi, licentiam dicta auctoritate largimur; eidemque domui, necnon prædictis, & qui illam, poſtquam, ut præfertur, ampliata fuerit, inhabitabunt Fratribus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, conceſſionibus, indulgentiis & immunitatibus, aliis domibus & Fratribus Ordinis prædicti conceſſis, gaudere poſſint & debeant, præfata auctoritate concedimus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datu n Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. XVIII. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri an. VI.

XXVI.

Ut poſſit abſolvere Conventum a ſuo genitore inchoatum. Ex lib. 85. fol. 261.

Dilecto filio nobili viro Friderico de Toledo Duci de Alba.

§. I. Exigit tuæ devotionis probata ſinceritas &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim quondam Garſias Alvari de Toledo, Dux de Alba, genitur tuus, zelo devotionis accenſus, de ſua ſuorumque animarum ſalute recogitans, prope locum de Alba, Salamantinæ diœceſis, quamdam domum pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, conſtrui & ædificari facere cœpit, ſed morte præventus, pium opus hujuſmodi, prout optabat, complere non potuit: quodque tu paternam & piam ipſius Garſiæ devotionem inſequendo, deſideras domum præfatam ſub invocatione beatæ Mariæ de Incarnatione, cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ad debitum complementum perducere, ſi tibi ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis licentia concedatur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi domum prædictam cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum perficiendi, ſeu de novo conſtruendi & ædificandi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi domum præfatam cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ eorumdem, ita quod ſit ibidem unum Collegium decem Fratrum, qui litterarum ſtudio inſiſtere debeant, & quibus tu & ſucceſſores tui Duces de Alba

pro

pro tempore exiſtentes, de victu & veſtitu providere teneamini, ac domus ipſa & Fratres in ea pro tempore degentes, ſub cura & obedientia Vicarii Provincialis illarum partium, juxta morem ipſius Ordinis perpetuo exiſtant, abſque alicujus præjudicio, perficiendi, ſeu unam aliam domum cum omnibus præmiſſis in dicto loco de novo conſtrui & ædificari faciendi, ac Vicario prædicto illam nomine dicti Ordinis recipiendi, præfatiſque Fratribus illam perpetuo tenendi & inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur; necnon Guardiano ſive Cuſtodi, & Fratribus in dicta domo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & gratiis, aliis domibus, Guardianis & Fratribus Ordinis ejuſdem in genere conceſſis, & in poſterum concedendis uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, eadem auctoritate concedimus per præſentes: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. XV. Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXVII.

Ut concedant facultatem ædificandi Cœnobium prope Caſtrum Callitri. Ex libro 173. fol. 67.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii ſanctæ Mariæ in Eliè, Conſan. diœceſis, & Nicolao delle Brunette, ac Donato de Mellilsanonico, Eccleſiæ Conſanæ.

§. I. Cognita devotionis conſtantia &c. Sane pro parte Univerſitatis hominum Caſtri Callitri, Conſanæ diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi fervore devotionis accenſi, cupientes tranſitoria in æterna, & temporalia in cœleſtia felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & illius perſonas, propter eorum exemplarem vitam, prædicationes verbi Dei, aſſiduam & devotam Divinorum celebrationem, & audientiam confeſſionum, & exhortationes ad bene beateque vivendum, quibus perſonæ ipſæ animas Deo lucrifacere non ceſſant, gerunt devotionis affectum, cupiunt de bonis a Deo ſibi collatis conſtrui facere extra & prope muros dicti Caſtri, in loco ad id convenienti & honeſto, ac magis accommodo, unam domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ſi eis eam conſtruendi, & dilecto filio Vicario Provinciali Fratrum Provinciæ ſancti Angeli ſecundum morem dicti Ordinis, & dictis Fratribus illam pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur.

§. II. Quare pro parte Univerſitatis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum prædictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ac Vicario & Fratribus prædictis illam pro eorum perpetuis uſu & habitatione prædictis recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, domumque ipſam & degentes in ea pro tempore perſonas curæ & directioni Generalis & Provincialis Vicariorum prædictorum committere & ſubjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, Univerſitati præfatis domum prædictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis extra & prope muros prædictos, in loco ad hoc congruo & honeſto, pro uſu & habitatione prædictis, de venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi, & dilecti filii nobilis viri moderni temporalis Domini dicti Caſtri expreſſo conſenſu, jure tamen parochialis Eccleſiæ, ſimiliter alterius ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, fundandi, ac conſtrui & ædificari faciendi, ac ipſis Vicario Provinciali & Fratribus domum ipſam, poſtquam ſic conſtructa & ædificata fuerit, pro eorum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiamini, domumque ipſam, & degentes in ea pro tempore Guardianum & perſonas curæ & directioni Vicariorum prædictorum, dicta auctoritate admittatis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXVIII.

Ut concedat licentiam ædificandi domum Fratrum Tertii Ordinis in loco Paradello prope Imolam. Ex lib. 105. fol. 247.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Imolen. in ſpiritualibus Generali.

§. I. EX injuncto nobis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ancianorum & Communitatis Civitatis Imolen. petitio continebat, quod ipſi zelo devotionis accenſi, ad laudem Divini nominis, & ob ſingularem, quem ad Tertium Ordinem ſancti Franciſci Fratrum in habitu eremitico Domino famulantium, ipſoſque Fratres gerunt devotionis affectum, cupiunt unam domum cum ſuis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, ſub Regulari Obſervantia degentium, in diœceſi Imolen. conſtrui & ædificari; quodque in eadem diœceſi eſt quidam locus, *Paradellum* nuncupatus, infra limites Parochiæ Eccleſiæ Imolen. qui etiam ſpecialem parochiam habere dignoſcitur, ſitus, & a Civitate prædicta per duo milliaria diſtans, pro conſtruenda domo aptus & idoneus, ubi eſt quædam columna lapidea, in qua imago glorioſiſſimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ depicta eſt, & in ipſo loco Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ejus Genitricis prædictæ, ut pie creditur, interceſſionem, diverſa miracula frequenter oſtendit, propter quod ad locum ipſum cauſa devotionis, & ipſius imaginis viſitandæ innumerabilis fere populi multitudo confluit, pias oblationes & eleemoſynas larga manu ibidem erogando, ut ex illis aliquis locus inibi ad honorem ipſius glorioſiſſimæ Virginis conſtruatur, in quo aliqui Religioſi ſub Regulari Obſervantia habitare valeant, qui ibidem Divina Officia celebrent, ac oblationum & eleemoſynarum hujuſmodi, necnon ipſius loci curam & adminiſtrationem gerant.

§. II. Quare pro parte tam dilectæ in Chriſto filiæ, nobilis mulieris Catarinæ, viduæ quondam Hieronymi de Riario, olim Domini Imolæ relictæ,

lictæ, ac Matris & tutricis dilecti filii, nobilis viri Octaviani, Imolæ moderni Domini, quam Ancianorum & Communitatis prædictorum, necnon dilecti filii Bernardi de Crema Viſitatoris Generalis per totam Italiam Fratrum dicti Ordinis, Congregationis Lombardiæ nuncupatorum, in eremitico habitu hujuſmodi degentium, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Bernardo Viſitatori & Fratribus in dicto loco unam domum, pro uſu & habitatione perpetuis unius Miniſtri & nonnullorum aliorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, quæ domus, & Fratres in ea pro tempore degentes, præfatæ Congregationi ſubſint, dictaque domus illius membrum exiſtat, cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, abſque tamen alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ipſiſque Fratribus domum hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, ac illam juxta ipſius Congregationis ritus, mores & obſervantias regendi & gubernandi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Religionis dilatationem noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eiſdem Bernardo Viſitatori & Fratribus prope dictam imaginem unam domum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum prædictorum, quorum unus Miniſter ſit, cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, abſque tamen alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, illamque dictæ Congregationi ſubjiciendi, uniendi, annectendi & incorporandi, necnon eiſdem Fratribus domum ipſam recipiendi & perpetuo inhabitandi, illamque juxta ritus, mores & obſervantias dictæ Congregationis regendi & gubernandi, necnon oblationes & eleemoſynas prædictas, ac fructus, reditus & proventus, ſi quos in poſterum eis largitione fidelium, vel alias quomodolibet concedi vel donari contingat, percipiendi & habendi, ac in ſuos & dictæ Congregationis uſus & utilitatem convertendi, cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, licentiam auctoritate noſtra concedas. Nos enim eidem domui ac Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus & indulgentiis, aliis dicti Ordinis domibus & Fratribus in genere per Sedem Apoſtolicam conceſſis & concedendis, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. VI. Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXIX.

Ut poſſit ædificare Monaſterium Clariſſarum in urbe Turonenſi. Ex lib. 85. fol. 59.

Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Francorum Regi illuſtri.

§. I. Sacræ Religionis incrementum &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim claræ memoriæ Carolo

Regina Franciæ, genitrix tua, zelo devotionis accenſa, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & ob ſingularem devotionem, quam ipſa Regina ad Ordinem S. Claræ illiuſque perſonas propter earum ſanctimoniam & exemplarem vitam gerebat, inter alia, dum viveret, voluit, quod nonnulla Monaſteria dicti Ordinis in regno Franciæ, vel Delphinatu Viennen. erigerentur, tuque voluntatem & devotionem hujuſmodi exequi deſiderans, cupis unum Monaſterium Religioſarum dicti Ordinis ſanctæ Claræ in Civitate Turonen. loco ad id congruo & honeſto fundari, conſtrui & ædificari facere, pro uſu & habitatione perpetuis unius Abbatiſſæ & nonnullarum Monialium dicti Ordinis, ſub Regulari Obſervantia, & perpetua clauſura, ac alias adinſtar Monaſterii Monialium, de *L'Ave Maria* nuncupati Pariſien. ejuſdem Ordinis, quamdam domum in Civitate prædicta, in via *de la Sellerie* nuncupata, loco utique ad id commodo & honeſto, a dilecto filio Guillelmo Baudet tuo Ordinario Plumaſſerio acquiſiviſti, & amortizaſti, ac pro dicto erigendo Monaſterio dediſti, quæ quidem domus propter ejus amplitudinem & ſpatioſitatem viſa eſt admodum conveniens pro hujuſmodi Monaſterio conſtruendo & ædificando. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi Monaſterium hujuſmodi in loco ſupradicto conſtrui & ædificari faciendi, necnon Monialibus prædictis illud recipiendi & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis dilatationem ſummo ſtudio & affectibus procuramus, tuum pium deſiderium hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi Monaſterium præfatum in loco prædicto, qui, ut aſſeris, ab aliis domibus Religioſorum quorumlibet per quadraginta cannas diſtat, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis unius Abbatiſſæ & decentis numeri Monialium prædictarum, quæ ſub Regulari Obſervantia, ac cura & regimine Generalis Ultramontani, & Provincialis provinciæ Turoniæ ſecundum morem dicti Ordinis Vicariorum, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſeu eorum Commiſſariorum vivere debeant, ac cum Oratorio, officiniſque illi contiguis pro habitatione Confeſſoris earumdem, & ſociorum ſuorum, & alias adinſtar præfati Monaſterii Pariſien. & illius Abbatiſſæ ac Monialium hujuſmodi, abſque tamen alicujus præjudicio conſtrui & ædificari faciendi, necnon eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus illud recipiendi & perpetuo inhabitandi licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur. Et nihilominus eidem Monaſterio, necnon Abbatiſſæ & Monialibus in eo pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis & conceſſionibus, aliis Monaſteriis, necnon Abbatiſſis & Monialibus Ordinis ejuſdem per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere valeant, eadem auctoritate indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Et inſuper quibuſvis perſonis, cujuſcumque dignitatis, gradus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, ſub excommunicationis pœna diſtrictius inhibemus, ne erectionem hujuſmodi quomodolibet impedire præſumant. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſiquis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. XV. Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXX. *Con-*

XXX.

Concedit Fratribus Amadeitis Prioratum ſancti Martini extra muros Ja-nuenſes, Ordinis ſancti Benedicti. Ex Bulla originali.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ SAcræ Religionis ſinceritas, in qua dilecti filii Cuſtos & Fratres So- ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
„ cietatis quondam fratris Amadei Hiſpani, Ordinis Fratrum Minorum,
„ ſub voluntariæ paupertatis habitu militantium, in humilitatis ſpiritu de-
„ votum ac ſedulum impendunt Domino famulatum, & vitæ Regularis,
„ ſub qua degunt honeſtas, nos merito inducunt, ut ea, quæ Divini cultus
„ augmentum, ac ipſorum Societatis, & dicti Ordinis propagationem re-
„ ſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter concedamus; nec-
„ non quæ ad eorum commodum provide proceſſiſſe comperimus, cum a
„ nobis petitur, perpetuæ confirmationis robur adjiciamus. Sane exhibita
„ nobis nuper pro parte Cuſtodis & Fratrum prædictorum petitio contine-
„ bat, quod olim dilecti filii, ſcilicet Ven. Hibletus Notarius noſter, Mo-
„ naſterii ſancti Stephani Januenſis Ordinis ſancti Benedicti Commendata-
„ rius, & ejuſdem Monaſterii Conventus, provide conſiderantes, quod in
„ Prioratu ſancti Martini, qui ſine cura, & extra muros Januenſes ſitus, &
„ membrum dicti Monaſterii eſt, Divina Officia numquam præterquam in
„ feſto ejuſdem ſancti Martini celebrabant, habitis inter ſeipſos pluribus &
„ diverſis tractatibus, convenientes in unum, ut eorum moris eſt, & nemine
„ diſcrepante, necnon de conſenſu, verbo & voluntate dilecti filii Gregorii
„ dicti Prioratus Prioris, & ejuſdem Monaſterii Monachi, Prioratum præ-
„ dictum cum domo & terra ipſi contiguis, ad effectum ut dicta Officia hu-
„ juſmodi continuo per eos inibi celebrarentur, & exemplari vita eorum,
„ populi devotio augeretur, ac eumdem Societati prædictæ, ad quam Hi-
„ bletus & Conventus præfati ſingularem gerunt devotionis affectum, ac
„ dilectis filiis Sylveſtro & Iſaiæ dictæ Societatis Fratribus, pro Cuſtodis
„ & Fratrum hujuſmodi perpetuis uſu & habitatione dederunt & conceſ-
„ ſerunt; ipſique Sylveſter & Iſaias Fratres prædicti, Prioratum prædictum
„ vigore certæ facultatis dudum per fel. record. Sixtum Papam IV. præ-
„ deceſſorem noſtrum, uſque ad ſex loca recipiendi, ad quem numerum
„ (ut aſſeritur) nondum deventum eſt, Societati eorum conceſſæ, accepta-
„ runt & receperunt, illumque ex tunc tenuerunt & poſſederunt, prout
„ tenent & poſſident de præſenti, his tamen pacto & lege adjectis, quod
„ ipſi nomine dicti Monaſterii, tot loca ſancti Georgii Januenſis emere de-
„ berent, ex quibus idem Gregorius Prior, dum vixerit, & eo vita functo,
„ Abbas præfati Monaſterii libras XII. annuatim, prout ex dicto Prioratu
„ percipiebatur, percipere valeat, ac nonnullis aliis licitis & honeſtis pa-
„ ctis, prout in quibuſdam inſtrumentis publicis deſuper confectis plenius
„ dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos da-
„ tionem, conceſſionem ac pacta prædicta, necnon omnia & ſingula in di-
„ ctis inſtrumentis contenta Apoſtolico munimine confirmari & approbari,
„ ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decerni, & in dicto Prioratu no-
„ men Prioratus, ac Ordinem prædictum, & invocationem ſancti Martini,
„ ſub quo idem Prioratus ſituatus eſt, ſupprimi & prorſus extingui, ſum-
„ mis deſideretis affectibus: pro parte eorum Nobis fuit humiliter ſuppli-
„ catum, ut dationi, conceſſioni & pactis prædictis Apoſtolicæ firmitatis ro-
„ bur adjicere, in Prioratu vero prædicto nomen Prioratus & Ordinem

ipſum

„ ipſum, ac invocationem dicti ſancti Martini, ſub quo, ut præfertur, ſitua-
„ tus eſt, ſupprimere & extinguere, necnon ipſi, ut in dicto Prioratu
„ unam domum cum dormitorio, refectorio, Eccleſia, campana, campanili
„ humili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro ſuis perpetuis
„ uſu & habitatione conſtruendi & erigendi, ſeu conſtrui & erigi facien-
„ di licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de
„ benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui dicti cultus augmentum,
„ & Religionis propagationem, animarumque ſalutem ubique vigere ma-
„ xime noſtris temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, Cuſtodem &
„ Fratres prædictos, vos, & de Societate ſua quemlibet, necnon Sylveſtrum
„ & Iſaiam præfatos, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & inter-
„ dicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab
„ homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet inno-
„ dati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum
„ ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, ſuis & dicti Hibleti pro eiſ-
„ dem Nobis humiliter ſupplicantis in hac parte ſupplicationibus inclinati,
„ dationem, conceſſionem & pacta prædicta, &, prout illa concernunt, om-
„ nia & ſingula in dictis inſtrumentis contenta, confirmamus & approba-
„ mus, ac perpetuæ confirmationis robur obtinere decernimus; necnon in
„ dicto Prioratu, nomen Prioratus & Ordinem prædictum, ac invocatio-
„ nem Sancti, ſub qua, ut præfertur, ſituatus eſt, ſupprimimus & penitus
„ extinguimus, ac ipſis in dicto Prioratu unam domum, cum Eccleſia,
„ campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, &
„ aliis neceſſariis officinis, pro ſuis perpetuis uſu & habitatione, ſine cujuſ-
„ quam præjudicio conſtruendi, ſeu conſtrui & erigi faciendi, ac ipſis illam
„ recipiendi & perpetuo inhabitandi, licentiam concedimus & facultatem;
„ jure tamen Parochialis Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvo. Et inſuper, ſi
„ domum & Eccleſiam hujuſmodi per eos, ut præmittitur, conſtrui & erigi
„ contigerit, domus & Fratres in illa pro tempore degentes, omnibus &
„ ſingulis indultis, gratiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus &
„ prærogativis, per Sedem Apoſtolicam domibus Ordinis & Societatis ſuæ
„ prædictorum in genere & in ſpecie conceſſis, quibus gaudent & utuntur,
„ ſeu uti & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti & gaudere
„ libere & licite poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſen-
„ tium de ſpeciali dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus fel. record.
„ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri conſtitutione prohibente, ne
„ cujuſvis Ordinum Mendicantium profeſſores in aliqua Civitate, caſtro
„ vel villa, ſeu quovis alio loco ad habitandum nova loca recipere præſu-
„ mant abſque Sedis præfatæ licentia, de prohibitione hujuſmodi ſpecialem
„ & expreſſam mentionem faciente, & aliis conſtitutionibus & ordinationi-
„ bus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.
„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Domini-
„ cæ MCCCCXC. III. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno VI.

XXXI.

Ut Monaſterium Inſulenſe Tertii Ordinis transferat ad Inſtitutum ſanctæ Claræ. Ex libro 100. fol. 181.

Dilectis filiis de Laude Ciſtercien. & Phanlepino Monaſteriorum Abbatibus, ac Præpoſito Eccleſiæ beati Petri Inſulen. Tornacen. diœceſ.

§. I. Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas &c. Sane pro parte dilecta-rum in Chriſto filiarum, Matris & Sororum domus oppidi Inſu-len.

len. Tertii Ordinis beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Tornacen. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ, quæ in dicta domo in communi vivendo, & tria ſubſtantialia vota Religionis, ac ſtatuta dicti Ordinis obſervando, ſub cura dilectorum filiorum Vicariorum Generalis & Provincialis Fratrum Provinciæ Franciæ, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, per plurimos annos Altiſſimo famulari curarunt, cupiunt in Ordinem ſanctæ Claræ, ſecundum primævam ipſius Ordinis inſtitutionem, adinſtar Monialium Monaſterii de *Ave Maria* Pariſien. ſub perpetua clauſura perpetuis futuris temporibus Altiſſimo famulari, dictis Vicariis in hoc eis annuentibus, ac dilectis filiis Majore & Scabinis dicti oppidi etiam affectantibus. Quare pro parte Matris & Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eas in hujuſmodi earum laudabili propoſito confovere, domum prædictam Inſulen. in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ erigere, ac profeſſionem regularem per Moniales ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum primævam illius inſtitutionem recipi & admitti mandare, ac dicto Monaſterio ſic erecto, & illius pro tempore Abbatiſſæ, Conventui & Monialibus, ac earum obſequiis inſiſtentibus, ut ſub eorumdem Vicariorum cura & directione perſeverare, & ad electionem unius earum in Abbatiſſam dicti Monaſterii hac prima vice, & cum illud pro tempore vacare continget, juxta dicti Ordinis ſanctæ Claræ regularia inſtituta procedere poſſint, ſtatuere & ordinare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui animarum ſalutem, & Religionis propagationem ſupremis affectibus optamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, domum prædictam in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro earumdem Matris & Sororum perpetuo uſu & habitatione, ac perpetua clauſura, ſecundum primævam ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ inſtitutionem: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, auctoritate noſtra erigatis; & nihilominus, ſi erectionem hujuſmodi per vos, vigore præſentium fieri contingat, Regularem profeſſionem per Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum eamdem inſtitutionem emitti ſolitam, ab eiſdem Matre & Sororibus, ſi illam in veſtris manibus ſponte emittere voluerint, dicta auctoritate recipiatis & admittatis; ac dicto Monaſterio ſic, ut præfertur, per vos erecto, & illius Abbatiſſæ, Conventui & Monialibus, ac earum obſequiis inſiſtentibus, ut ſub eorumdem Vicariorum cura & directione, prout ante erectionem hujuſmodi, perſeverare, necnon ad electionem unius earum in Abbatiſſam dicti Monaſterii hac prima vice, & dum illud pro tempore vacare continget, juxta dicti Ordinis ſanctæ Claræ regularia inſtituta procedere poſſint & debeant, præfata auctoritate licentiam largiamini. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

§. III. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi & excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem &c. Nos enim, ſi erectionem, & alia præmiſſa per vos, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, dicto tunc erecto Monaſterio, & illius pro tempore

pore Abbatiſſæ, Conventui & Monialibus in perpetuum, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, favoribus & indultis,aliis dicti Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus per Sedem Apoſtolicam vel alias quomodolibet in genere conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & debeant, dicta auctoritate concedimus pariter & indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXC. XII. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXXII.

Ut concedant facultatem nobilibus quibuſdam mulieribus Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ conſtruendi prope Hoecbſtraten. Ex lib. 85. fol. 296.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Michaelis Antuerpien. ac Decano Eccleſiæ ſancti Joannis Evangeliſtæ Buſciducenſis, Cameracenſis & Leodienſis diœc.

§. I. INter curas multiplices &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Catarinæ Mars de Oerſchot, Claræ de Giebe, Dympnæ de Hoechſtraten. ac Antoniæ & Barbaræ de Herentals mulierum Cameracen. diœc. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ & nonnullæ aliæ devotæ mulieres, eis in hac parte adhærentes, mundanis abjectis illecebris, cupientes ſub ſuavi Religionis jugo, illi qui forma ſpecioſus eſt præ filiis hominum, in humilitatis ſpiritu, & cœleſtium contemplatione perpetuo ſeſe voto cælibi exhibere, domum quamdam, *Corona* nuncupatam, ac nonnulla prædia, & alia bona ſeu poſſeſſiones illi contigua, in territorio, ac infra limites parochiæ parochialis Eccleſiæ de Hoechſtraten. dictæ diœc. ſub dominio dilecti filii nobilis viri Gaſparis de Culembergh conſiſtentia, propriis earum ſumptibus & expenſis, de ipſius Gaſparis expreſſo conſenſu emerunt, ad effectum, ut in domo & poſſeſſionibus hujuſmodi, ubi locus ad hoc aptus & conveniens eſt, unum Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis,pro earum & nonnullarum aliarum mulierum, quæ dictum Ordinem profitebuntur, perpetuis uſu & habitatinne conſtrui & ædificari poſſit, prout mulieres ipſæ ſumma devotione deſiderant. Quare pro parte Catarinæ & aliarum mulierum earumdem nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis in domo, prædiis & poſſeſſionibus præfatis, unum Monaſterium præfati Ordinis cum Eccleſia,campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro ipſarum & aliarum mulierum earumdem perpetuis uſu & habitatione conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis ampliationem, & Divini cultus augmentum ſupremis affectibus exoptamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, ipſaſque Catarinam & alias mulieres a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis & cenſuris, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ſi eſt ita, Catarinæ & aliis mulieribus præ-

præfatis, in domo, prædiis & poſſeſſionibus prædictis, unum Monaſterium dicti Ordinis cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro ipſarum & nonnullarum aliarum mulierum, quæ profeſſionem per Moniales dicti Ordinis emitti ſolitam regularem emittere teneantur, perpetuis uſu & habitatione, abſque alicujus præjudicio, & de conſenſu Superioris, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam auctoritate noſtra concedatis; necnon ſtatuatis & ordinetis, quod præfatæ, & aliæ mulieres, quæ in dicto Monaſterio pro tempore morabuntur, in omnibus & per omnia, ad inſtar Monialium Monaſterii ejuſdem ſanctæ Claræ Treveren. dicti Ordinis, in Regula, ſtatutis, Divinis Officiis, cœremoniis, & clauſura ſecundum ordinationem, confirmationem & approbationem fel. rec. Urbani Papæ IV. prædeceſſoris noſtri deſuper factas vivere debeant, ipſæque Moniales ſub Vicario Provinciali Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Colonien. juxta morem ipſius Ordinis Minorum, & ad ſuam colligationem capitularem, ſub qua præfatum Monaſterium Treveren. conſtitutum eſt, recipiantur & admittantur: qui Vicarius Monaſterium erigendum hujuſmodi recipere & acceptare, ac illi de ſingulis neceſſariis opportune ſine aliqua contradictione, modo & forma, quibus Monialibus dicti Monaſterii Treveren. providetur, etiam de Confeſſore, & ad minus de uno Fratre cum ſocio ejuſdem Ordinis Minorum, qui apud eas, propter diſtantiam domus Fratrum Ordinis Minorum hujuſmodi a loco dicti erigendi Monaſterii maneant, habitent & reſideant, providere teneatur: Et inſuper, ut ipſæ mulieres in regulari diſciplina, obſervantia, cœremoniis, & Divinorum decantatione, & aliis regularem vitam concernentibus, melius & facilius inſtruantur, quod per præfatum Vicarium Provincialem aliquæ Moniales de dicto Monaſterio Treveren. in præmiſſis bene inſtructæ, ad præfatum erigendum Monaſterium mittantur, quæ alias Moniales prædictas in præmiſſis inſtruant & informent, & velut exemplar imitationis ſint, ut ſacra Religio ibidem magis eniteſcat, ac regularis diſciplina firmius & ſtabilius ibidem foveatur, conſervetur & perpetuetur. Præterea præfato conſtruendo Monaſterio & Monialibus in eo pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, exemptionibus & indulgentiis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis & Monialibus in genere per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere valeant; jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, eadem auctoritate concedatis. Et nihilominus per vos vel alium ſeu alios eiſdem Catarinæ & aliis mulieribus in conſtructione & ædificatione, ac aliis præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis ipſas & alias in dicto Monaſterio erigendo pro tempore commorantes, licentia, ſtatuto, ordinatione, conceſſione, & aliis præmiſſis pacifice gaudere, non permittentes illas ſuper conſtructione, ædificatione, & aliis ſupradictis per quoſcumque quomodolibet moleſtari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXC. IV. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXXIII.

Ut tribuant Margaritæ Duciſſæ Burgundiæ facultatem conſtruendi Monaſterium Clariſſarum apud Inſulas. Ex libro 101. fol. 114.

Dilectis filiis Præpoſito, & Decano Eccleſiæ ſancti Petri Inſulen. Tornacen. diœc. ac Officiali Tornacen.

§. I. Cum inter cetera opera &c. Cum itaque, ſicut nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Margaritæ D'Yorch, alias de Angleterræ, Duciſſæ Burgundiæ, petitio continebat, ipſa cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Moniales Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, præſertim ſub reformatione quondam Coletæ, olim ipſius Ordinis Monialis, degentes, propter illarum vitæ ſanctimoniam, optet unum Monaſterium dicti Ordinis in oppido Inſulen. Tornacen. diœc. ſeu alias alio loco convenienti, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigi & ædificari: pro parte dictæ Margaritæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis in prædicto oppido, ſeu alio loco magis idoneo & convenienti erigi, conſtrui & ædificari mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ſummis deſideramus affectibus, ut Regularis Obſervantiæ diſciplina propagationem ſuſcipiat, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, ac in eo dignitatem Abbatiſſalem, in eodem oppido, ſeu alio loco magis apto & convenienti, per eamdem Margaritam eligendo, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, diœceſani loci & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ſine alicujus præjudicio, auctoritate noſtra erigatis, ac illud conſtrui & ædificari faciendi eidem Margaritæ licentiam & facultatem concedatis. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi per vos aut aliquem veſtrum vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eidem Monaſterio, ac illius Abbatiſſæ & Monialibus, ac aliis perſonis eis deſervientibus, quæ in dicto Monaſterio inhabitabunt pro tempore, quod omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, favoribus & indultis, quibus alia dicti Ordinis Monaſteria, Abbatiſſæ & Moniales in genere vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, etiam uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXC. V. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXXIV.

Ut confirment erectionem domus Sororum Tertii Ordinis Zirieczeæ. Ex libro 100. fol. 277.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii B. Mariæ Middelburgen. Trajecten. dioec. ac Præpoſito Eccleſiæ S. Salvatoris Trajecten. ac Officiali Trajecten.

§. I. HIs quæ pro Religionis propagatione &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Mariæ Ægidii Matris,& Sororum domus in Nazareth. oppidi Ziriczeæ Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Trajecten. dioec. ac dilecti filii Balduini Petri de Cloeringni Fratris dicti Ordinis, petitio continebat,quod olim quondam Livinus de Cats, & Petrus quondam Laurentii Spir Ungels, ac Rolandus Gerardi Cocps, & Petrus Manne laici dictæ dioeceſis, executores teſtamenti quondam Popponis Haymetus laici, tunc incolæ dicti oppidi, ipſius Popponis voluntatem & ordinationem executioni demandare volentes, in dicto oppido verſus portam Auſtralem ripæ, de bonis dicto Popponi a Deo collatis unam capellam ad honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, in qua ſingulis diebus perpetuo una Miſſa celebrari deberet, ac juxta dictam capellam unum hoſpitale pro decem & ſeptem pauperibus, quorum quilibet unam portionem haberet, & quamdiu viverent, inde amoveri non poſſent, fundarunt, ac pro ſuſtentatione duorum capellanorum, qui Miſſas prædictas celebrarent, necnon pro dote decem & ſeptem portionum pro decem & ſeptem pauperibus prædictis nonnulla immobilia bona tunc expreſſa aſſignarunt; ac pro præmiſſorum bona & felici directione, certa ſtatuta & ordinationes ediderunt, volentes inter cetera, quod bona, quæ pauperes ipſi tempore ſuarum ad portiones prædictas receptionum haberent, & etiam illa, quæ poſt eamdem receptionem acquirerent, poſt eorum obitum dicto hoſpitali pro augmento portionum prædictarum perpetuo remanerent: & deinde cum ſucceſſu temporis domus dicti hoſpitalis, illiuſque ſtructuræ & ædificia, per incuriam ſeu negligentiam Rectoris hoſpitalis ejuſdem, & illorum qui in eo habitaverant, quaſi ad totalem ruinam deveniſſent, ac illius & dictæ capellæ fructus, reditus & proventus diminuti & deperditi forent, numeruſque portionum pauperum eorumdem fere ad nihilum redactus eſſet, ita ut duo pauperes dumtaxat inibi habitarent, ac dilecta in Chriſto filia Dorothæa dicti Popponis nata, necnon dilecti filii Petrus Laurentius, & Joannes quondam Petri Sprigavels, & dictæ Dorotheæ nati deſiderarent, quod hoſpitale cum capella hujuſmodi in domuum Sororum dicti Ordinis erigeretur: Venerabilis frater noſter David Epiſcopus Trajecten. hoſpitale prædictum cum ejus capella in domum dictarum Sororum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Nazareth. ordinaria auctoritate erexit & inſtituit, ac pro felici ſtatu, & ſalubri directione dictæ domus, ac Sororum, & aliarum perſonarum in illa pro tempore degentium, necnon Religionis conſervatione, domui & Sororibus prædictis nonnulla privilegia & indulta eadem auctoritate conceſſit, ac Mariam in Matrem dictæ domui, & Balduinum prædictos in Confeſſorem Matris & Sororum prædictarum deputavit, prout in quibuſdam litteris authenticis dicti Epiſcopi deſuper confectis dicitur plenius contineri. Petitio facta Pontifici.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis de viribus erectionis, inſtitutionis, conceſſionis & deputationis prædictarum hæſitetur: pro parte tam Mariæ & Sororum, quam Balduini prædictorum no-

Confirmatio Apoſtolica etiam poſtulatur.

bis fuit humiliter ſupplicatum, ut erectioni, inſtitutioni, conceſſioni & deputationi prædictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac pro potiori cautela nomen & titulum hoſpitalis, & hoſpitalitatem hujuſmodi ſupprimere & extinguere, dictumque hoſpitale cum domibus illius, ac capella hujuſmodi in domum Sororum dicti Ordinis de novo erigere & inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui religioſorum locorum omnium ſtatum in melius dirigendum noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, de prædictis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum de præmiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi per informationem eamdem ita eſſe repereritis, erectionem, inſtitutionem, deputationem, &, quatenus privilegia & indulta hujuſmodi ſint honeſta, conceſſionem prædictas, ac prout illa concernunt, omnia & ſingula in dictis litteris contenta, & inde ſecuta quæcumque, auctoritate noſtra approbare & confirmare, ſine alicujus præjudicio curetis, ſuppleatiſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

Conceditur.

§. IV. Et nihilominus potiori pro eautela, nomen & titulum hoſpitalis, & hoſpitalitatem hujuſmodi dicta auctoritate noſtra penitus ſupprimatis & extinguatis, illudque cum domibus ejus, ac capella hujuſmodi in domum Sororum dicti Ordinis de novo erigatis & inſtituatis, illamque eiſdem Sororibus pro earum perpetuis uſu & habitatione concedatis, & quod deinceps perpetuis futuris temporibus, Mater & Sorores in dicta domo pro tempore degentes, Confeſſorem idonem dicti Ordinis, & ſi talem habere non poſſint, presbyterum ſecularem, Miniſtro domus oppidi Middelburgen. Ordinis Fratrum Minorum dictæ diœceſis præſentandum, & per eumdem Miniſtrum admittendum, quoties opus fuerit, eligere libere & licite valeant, quodque ipſa domus in Nazareth. ſub cura dicti Miniſtri, prout aliæ domus dicti Tertii Ordinis in partibus illis ſubſunt, perpetuo ſubſit, ſtatuatis & ordinetis, ac omnia & ſingula reditus & bona mobilia & immobilia tam dicto hoſpitali pro dictis decem & ſeptem portionibus, & capella præfatis aſſignata, quam per dictos pauperes relicta, exceptis dumtaxat illis, quæ pro ſuſtentatione duorum capellanorum Miſſas prædictas celebrantium, aſſignata fuerunt, eidem domui pro uſu & ſuſtentatione Sororum prædictarum, ita tamen, quod dicti capellani, & duo pauperes adhuc ſuperſtites extra ſepta dictæ domus, deputato tamen eis alio loco honeſto, de quo contententur, habitare debeant, ac cedentibus vel decedentibus ſimul vel ſucceſſive dictis duobus pauperibus, eorum portiones, & bona per eos relinquenda, dictæ domui pro uſibus & ſuſtentatione prædictis, perpetuo remaneant, eadem auctoritate noſtra perpetuo applicetis & approprietis, ac voluntatem & ordinationem dicti Popponis in præmiſſis commutetis: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim ſi approbationem, confirmationem, ſuppletionem, extinctionem, erectionem, inſtitutionem, conceſſionem, applicationem & appropriationem prædictas per vos, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem domui ac Matri & Sororibus in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, gratiis, favoribus & indultis, aliis dicti Ordinis domibus, Matribus & Sororibus in genere conceſſis & concedendis in poſterum, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Non obſtanti-

Cōditiones quædam præſcribuntur.

ſtanti-

ſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXC. V. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno VI.

XXXV.

Ut tribuat facultatem Camillæ de Piis conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in oppido Carpenſi. Ex libro 93. fol. 19.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Regini in ſpiritualibus Generali.

§. I. Eximiæ devotionis affectus &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Camillæ de Piis, de Sabaudia, domicellæ Carpen. nullius diœc. petitio continebat, qund ipſa, quæ a teneris annis ad Moniales Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, Minoriſſas nuncupatas, ſingularem geſſit, prout gerit, devotionis affectum, nunc non ſolum ſua, ſed etiam ſe ipſam Deo offerre decrevit, ac propterea pia devotione ducta, cupit unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis in Terra Carpi, etiam nullius diœc. in loco ad hoc apto & idoneo, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Monialium Minoriſſarum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, quæ ſub cura Fratrum Minorum etiam ſub Regulari Obſervantia degentium vivant, fundari & erigi. Quare pro parte dictæ Camillæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unum Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ in prædicta Terra Carpi erigere, ac ſibi in illud Moniales aliorum Monaſteriorum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ etiam Regularis Obſervantiæ de conſenſu Superiorum earum introducendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui noſtris potiſſime temporibus Religionem propagare, & Divinum cultum adaugere intenſis deſideriis affectamus, pium propoſitum Camillæ plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, in præfata Terra, in loco ad hoc idoneo & honeſto per ipſam Camillam eligendo, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis dictarum Monialium, Minoriſſarum nuncupatarum, Regularis Obſervantiæ, quæ ſub cura dictorum Fratrum Minorum etiam Regularis Obſervantiæ degant, ſine alicujus præjudicio, auctoritate noſtra erigas, ac eidem Camillæ, poſtquam illud ſic erectum, & congruis reditibus dotatum fuerit, Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, etiam Regularis Obſervantiæ, quas voluntarias invenerit, de conſenſu Superiorum earum introducendi, auctoritate noſtra licentiam & facultatem concedas.

§. III. Nos enim, ſi Monaſterium prædictum per te, vigore præſentium erigi contigerit, ut præfertur, eidem Monaſterio ſic erigendo, ac Abbatiſſæ & Monialibus, quæ pro tempore Monaſterium ipſum inhabitabunt, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus & gratiis, aliis Abbatiſſis & Monialibus Ordinis ejuſdem conceſſis gaudere libere & licite valeant, auctori-

ctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXC. VII. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno VI.

XXXVI.

Ut Hoſpitale ſupprimendum in oppido Belmontis convertant in Monaſterium Clariſſarum. Ex lib. 14. fol. 230.

Dilectis filiis Priori de Belmonte Conchen. & Theſaurario loci de Belmonte, Conchen. diœceſis.

§. I. SAcroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam Dei Filius Jeſus Chriſtus auctor pietatis inſtituit, regimini præſidentes, pia & ſalubria vota fidelium, præſertim Catholicorum Principum, ex quibus Divini cultus ſperatur augmentum, ac ſalus provenit animarum, cum a nobis petitur, libenter confovemus. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Didaci Lupi Pacheco Ducis Scalonæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in oppido de Belmonte, Conchen. diœceſis, per quondam Joannem etiam Pacheco, Magiſtrum militiæ ſancti Jacobi de Spata, quoddam Hoſpitale pauperum conſtructum, & in annuis reditibus centum & quinquaginta ducatorum dotatum fuit; & quia Hoſpitale prædictum eſt deſtructum, & pauperes inde non tranſeunt, ac bona dicti Hoſpitalis per laicos occupantur & diſſipantur, & ad uſus pauperum non convertuntur, deſiderat præfatus Didacus, qui etiam Marchio Villenæ, & ipſius Hoſpitalis patronus exiſtit, dictique Magiſtri filius fuit, dictum Hoſpitale ſupprimi & extingui, & inibi unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ pro una Abbatiſſa & Monialibus dicti Ordinis ſub Regulari Obſervantia degentibus, quod etiam majoribus reditibus dotare intendit, erigi & conſtrui. Quare pro parte ejuſdem Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Hoſpitale prædictum penitus ſupprimere & extinguere, & illud in Monaſterium Monialium Ordinis ejuſdem, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, adinſtar aliorum dicti Ordinis Monaſteriorum erigere, ac omnia & ſingula bona mobilia & immobilia dicti Hoſpitalis, & alia per eumdem Marchionem elargienda, pro ſuſtentatione Abbatiſſæ pro tempore exiſtentis, & Monialium in dicto erigendo Monaſterio degentium, perpetuo applicare, appropriare & aſſignare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, Religionis propagationem, & animarum ſalutem, noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus, de prædictis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum de præmiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi per informationem eamdem ita eſſe repereritis, Hoſpitale prædictum eadem auctoritate penitus ſupprimatis & extinguatis, illudque in Monaſterium Monialium dicti Ordinis pro una Abbatiſſa & Monialibus inibi ſub Regulari Obſervantia degentibus, ſine alicujus præjudicio, dicta auctoritate erigatis; dictoque Duci, ut illud cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ad inſtar aliorum dicti Ordinis Monaſte-

ſteriorum conſtruere & ædificare libere & licite poſſit, licentiam concedatis; ac omnia & ſingula bona mobilia & immobilia dicti Hoſpitalis, & alia per eumdem Marchionem elargienda, pro ſuſtentatione Abbatiſſæ & Monialium prædictarum, eidem erigendo Monaſterio perpetuo applicetis, approprietis & aſſignetis: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi erectionem, applicationem, appropriationem & aſſignationem prædictas per vos, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, dicto erigendo Monaſterio, & Abbatiſſæ & Monialibus in illo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis & indultis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis & Monialibus in genere per Sedem Apoſtolicam conceſſis & concedendis in poſterum, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXC. XI. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno VII.

XXXVII.

Ut poſſit in Caſtro Theodorici pro Obſervantibus domum ædificare. Ex lib. 109. fol. 201.

Dilecto filio nobili viro Antonio de Burgundia Comiti oppidi de Sancteminchonet.

§. I. Dum ad fructus uberes &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu provide attendens, quod ſi intra vel extra oppidum Caſtri Theodorici, Sveſſionen. diœceſis conſtrueretur una domus pro uſu & habitatione unius Guardiani & nonnullorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum dicti Ordinis, ad quem tu & incolæ dicti oppidi caſtri Theodorici ſpecialem geritis devotionis affectum, iidem incolæ, Guardiani & Fratrum prædictorum exemplari vita, ac aſſidua & devota Divinorum celebratione, audientia confeſſionum, & prædicationibus verbi Dei, ac exhortationibus ad benefaciendum, & apud Deum meritoriam, & homines commendabilem vitam ducendum, pro ſuarum animarum ſalute plurima commoda conſequerentur, ſuccederetque exinde Divini cultus augmentum, & propagatio Religionis, cupis domum hujuſmodi conſtrui & ædificari facere, ut animarum dictorum incolarum, quibus praes, uberius conſulatur.

§. II. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi pio deſiderio favorabiliter annuentes, domum prædictam cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis opportunis ædificiis, pro perpetuis uſu & habitatione unius Guardiani & nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac Generali Ultramontano & Provinciali Provinciæ Franciæ, ſecundum morem dicti Ordinis Vicariis, illam pro Fratrum Ultramontanorum dictæ Provinciæ perpetuis uſu & habitatione recipiendi & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos

§. III. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum ſupremis affectibus exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in aliquo honeſto & convenienti loco, intra vel extra oppidum caſtri Theodorici hujuſmodi domum prædictam cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, pro perpetuis uſu & habitatione unius Guardiani & nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, conſtrui & ædificari faciendi, ac ipſis Vicariis pro Fratrum Ultramontanorum dictæ Provinciæ uſu & habitatione hujuſmodi domum prædictam recipiendi & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus & etiam elargimur. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Nos enim eiſdem domui, Guardiano & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, aliis dicti Ordinis domibus, Guardianis & Fratribus conceſſis & concedendis, uti, potiri & gaudere poſſint, per præſentes, auctoritate Apoſtolica indulgemus. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXC. XIX. Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno VII.

XXXVIII.

Ut concedat licentiam Duci Begiæ conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in inſula Lignorum. Ex lib. 110. fol. 33.

Dilecto filio Cantori Eccleſiæ Ulixbonen.

§. I. Eximiæ devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Emanuel Dux Begiæ ad nos &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dicti Emanuelis Ducis petitio continebat, quod ipſe ob ſingularem, quem ad Moniales Ordinis ſanctæ Claræ gerit devotionis affectum, cupit de bonis ſuis unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis in inſula de Madera, nullius diœceſis, pro una Abbatiſſa & aliis dicti Ordinis Monialibus, quæ proprium habeant in communi, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigi facere. Quare pro parte dicti Emanuelis Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis in prædicta inſula erigere &c. ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui noſtris potiſſime temporibus Religionem propagare, & Divinum cultum adaugere ſupremis deſideriis affectamus, dicti Emanuelis Ducis pium in hoc propoſitum plurimum in Domino commendantes, qui, ut aſſerit, perpetuus adminiſtrator militiæ Jeſu Chriſti per Sedem Apoſtolicam deputatus exiſtit, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus apud aliquem locum idoneum & honeſtum, tibi per dictum Emanuelem Ducem in prædicta inſula aſſignandum, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis pro una Abbatiſſa ac Monialibus ejuſdem Ordinis, quæ proprium in communi habeant, poſtquam dictus Emanuel Dux illud ſufficienter dotaverit, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine alicujus præjudicio, auctoritate

ctoritate noſtra erigas. Nos enim ſi erectionem hujuſmodi per te, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eidem Monaſterio ſic erigendo, ac Abbatiſſæ & Monialibus, quæ pro tempore Monaſterium ipſum inhabitabunt, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, conceſſionibus, gratiis, indulgentiis & indultis, aliis ejuſdem Ordinis Monaſteriis ac Abbatiſſis & Monialibus in genere per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias etiam conceſſis & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXC. Kalendis Februarii, Pontificatus noſtri anno VII.

XXXIX.

Ut concedat facultatem conſtruendi domum Obſervantum in oppido Viriæ. Ex lib. 127. fol. 293.

Venerabili fratri Epiſcopo Cenomanen.

§. I. Ad uberes quos Ordinis Fratrum Minorum &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii Provincialis & Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Provinciæ Franciæ, ſecundum morem dicti Ordinis, & nonnullorum notabilium virorum, habitatorum oppidi Viriæ, Bajocen. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi habitatores zelo devotionis accenſi, ob ſingularem devotionis affectum, quem gerunt ad Ordinem & Fratres prædictos, propter fructus uberes, quos ipſi Fratres populo afferunt ſua exemplari vita, & aſſidua ac devota Miſſarum & aliorum Divinorum officiorum celebratione, audientia confeſſionum, prædicationibus verbi Divini, ac exhortationibus ad Orthodoxe vivendum, cupientes temporalia in æterna felici commercio commutare, & attendentes quod ſi intra dictum oppidum, aut in aliqua parte ſuburbiorum ipſius, quorum una pars in dicta Bajocen. altera vero in Conſtantien. diœceſibus ſita eſt, conſtrueretur una domus pro perpetuis uſu & habitatione unius Guardiani & nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, & a Fratribus prædictis inhabitaretur, iidem habitatores dicti oppidi ad benefaciendum pro animarum ſuarum ſalute plurima commoda conſequerentur, ſuccederetque exinde Divini cultus augmentum cum religionis propagatione, cupiebant domum hujuſmodi intra vel extra oppidum præfatum, ut præfertur, conſtrui & ædificari facere, ſi eiſdem Vicario & Fratribus illam recipiendi & perpetuo inhabitandi licentia concederetur.

§. II. Quare pro parte Vicarii, Fratrum, & habitatorum præfatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi Virorum & habitatorum pio deſiderio annuentes, domum prædictam intra dictum oppidum, aut aliqua parte ſuburbiorum ejus, ut præmittitur, in loco commodo & honeſto, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis opportunis officinis, pro uſu & habitatione hujuſmodi conſtrui & ædificari faciendi, ac Generali Ultramontano ac Provinciali dictæ Provinciæ pro tempore Vicariis, illam pro Fratrum Ultramontanorum dictæ Provinciæ perpetuis uſu & habitatione reci-

piendi & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui inter ceteros Ordines in agro Domini plantatos, dictum Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia, claris ſuis exigentibus meritis, in viſceribus caritatis gerimus, ac ipſius propagationem, & Divini cultus augmentum, his præſertim temporibus ſinceris deſideriis exoptamus, pio deſiderio habitatorum prædictorum annuentes, & de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, præfatis habitatoribus unam domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum, in præfato oppido ſeu ejus ſuburbiis, in loco congruenti & honeſto, ut præmittitur, conſtrui & ædificari faciendi, Vicariis vero Generali & Provinciali & Fratribus prædictis domum ipſam pro eorum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, eamque perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam concedatis: jure parochialis Eccleſiæ, infra cujus limites domum ipſam conſtrui contigerit, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, faciatiſque eos ejuſdem domus uſu & habitatione perpetuo gaudere: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi hujuſmodi licentiam per vos, vigore præſentium concedi contigerit, dictæ domui, ac Guardiano & Fratribus, qui illam pro tempore habitabunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, favoribus & indultis, dicto Ordini & illius domibus, ac illarum Guardianis & Fratribus in genere conceſſis, & quæ concedi contigerit in futurum, uti, potiri & gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ concedimus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. XIV. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno VII.

XL.

Ut facultatem concedat ædificandi in oppido Xerez Monaſterium Sororum Tertii Ordinis. Ex lib. 122. fol. 206.

Venerabili fratri Epiſcopo Abulen.

§. I. Pia Deo, & Eccleſiæ deſideria &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Catarinæ Pinel, Beatricis Vaſquez, Leonoræ de Silva, Meritiæ de Vargis, Antoniæ Vaſquez, Meritiæ Alvarez, Beatricis Gonzalez, & Mariæ Sancii mulierum in oppido de Xerex, prope Civitatem Pacen. commorantium, petitio continebat, quod ipſæ zelo devotionis accenſæ, terrena deſpicientes, & volentes ſub regulari jugo Altiſſimo famulari, & ſub habitu & Regula Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati vitam ducere, in quadam domo dicti oppidi, in qua ad præſens honeſte vivunt, vel alio loco condecenti dicti oppidi, de bonis ſibi a Deo collatis unam domum dicti Ordinis ſub vocabulo beatæ Mariæ de Gratia, in qua ipſæ & aliæ honeſtæ Sorores, quarum una Mater nuncupetur, uſque ad numerum tredecim vel ultra, prout eis & earum Matri pro tempore exiſtenti videbitur, ſub Regulari habitu Domino

mino famulentur, cum Eccleſia, in qua Miſſæ & alia Divina officia celebrentur, ac campanili, campana, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, ferventer exoptant, dummodo eis ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte ipſarum mulierum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam hujuſmodi concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem & Divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus ubique vigere & augeri ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatas mulieres, & earum ſingulas a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis &c. fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfatis mulieribus in dicto oppido, in prædicta domo, quam habitant, vel alio loco condecenti, unam domum Tertii Ordinis hujuſmodi, ſub vocabulo prædicto, cum Eccleſia, in qua Miſſæ & alia Divina officia celebrentur, ac campanili humili, campana, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro earum uſu & habitatione, quarum una Mater ſive Prælata exiſtat, & quæ ſub obedientia & viſitatione Vicarii Provincialis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Compoſtellanæ juxta morem dicti Ordinis, ſub qua Provincia dictum oppidum conſiſtit, vel ſi dictus Vicarius onus hujuſmodi ſuſcipere noluerit, viſitatorum Monaſteriorum Monialium Ordinis ſanctæ Claræ ejuſdem Provinciæ, in cujus vel quorum manibus Sorores præfatæ profeſſionem, per Sorores dicti Tertii Ordinis hujuſmodi emitti ſolitam, emittere teneantur, ſubſint, ſine tamen alicujus præjudicio, conſtruendi ſeu ædificandi, vel conſtrui & ædificari faciendi, eiſque & aliis Sororibus, uſque ad numerum tredecim vel ultra, prout eis vel Matri præfatæ videbitur ibidem ſe ſuſtentare poſſe, ad inſtar aliarum domorum Tertii Ordinis præfati, illam recipiendi, & inibi perpetuo habitandi, auctoritate noſtra licentiam concedas. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te, vigore præſentium concedi contigerit, ut præfertur, domui ac mulieribus præfatis & aliis Sororibus in illa pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indulgentiis & peccatorum remiſſionibus, quibus aliæ Sorores & domus Tertii Ordinis prædicti in genere utuntur, potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. III. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno VII.

XLI.

Ut concedant licentiam transferendi ab uno loco ad alium Conventum Obſervantium de Medina Rivi Sicci. Ex lib. 11 S. fol. 280.

Dilectis filiis Decano Legionen. & Abbati de la Vauza Palentin. diœceſis, ac Priori ſecularis & Collegiatæ beatæ Mariæ oppidi Valliſoleti, Palentinæ diœceſis, Eccleſiarum.

§. I. Piis fidelium &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Friderici Enriquez de Cabrera, Domini oppidi de Medina de Rioſeco, Palentinæ diœceſis, petitio continebat, quod in

territorio dicti oppidi eſt quædam domus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub invocatione beatæ Mariæ de Spe, in qua nonnulli Fratres dicti Ordinis degunt, & quia dicta domus a dicto oppido per duo milliaria vel circa diſtat, Fratres prædicti, defectu eleemoſynarum Chriſtifidelium, ſe commode in dicta domo ſuſtentare, ac incolæ in dicto oppido habitantes in audiendis Divinis officiis in Eccleſia dictæ domus conſolationem aliquam ſuſcipere non poſſint; verum ſi una alia domus pro Fratribus in dicta domo beatæ Mariæ degentibus, in alio loco dicto oppido magis propinquo conſtrueretur & ædificaretur, ex hoc profecto Fratres prædicti in ſuis neceſſitatibus ab incolis ejuſdem oppidi melius adjuvari, ipſique incolæ in audiendis prædicationibus verbi Dei ac Divinis officiis majorem animarum ſuarum conſolationem ſuſcipere poſſent, & dictus Fridericus ductus devotione, aliam domum hujuſmodi de propriis bonis ſuis conſtrueret & ædificaret.

§. II. Quare pro parte tam prædicti Friderici, quam dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum dictæ domus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum prædictam prope dictum oppidum, in aliquo decenti & convenienti loco per eos eligendo, ſub eadem invocatione, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac eiſdem Guardiano & Fratribus ſe ad domum conſtruendam hujuſmodi cum omnibus & ſingulis bonis & rebus aliis, etiam ad Divinum cultum neceſſariis, in dicta antiqua domo conſiſtentibus, necnon Avi & progenitorum dicti Friderici, ac Chriſtifidelium aliorum defunctorum cadavera, ſive oſſa in Eccleſia dictæ domus antiquæ ſepulta, ad aliam Eccleſiam conſtruendam hujuſmodi transferendi, & in illa, poſtquam conſecrata fuerit, ſepeliendi, licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideramus affectibus, ac neceſſitatibus perſonarum ſub ſuavi Religionis jugo degentium libenter ſubvenire curamus, pium & laudabile ipſius Friderici, qui etiam Admiratus regni Caſtellæ exiſtit, propoſitum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum de præmiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi per informationem eamdem ita eſſe repereritis, eidem Friderico prope dictum oppidum, in aliquo convenienti & honeſto loco, unam domum ſub invocatione beatæ Mariæ hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro eiſdem Fratribus, ſine alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, necnon Fratribus ipſis ſe cum bonis aliiſque rebus prædictis, ac cadavera & oſſa in Eccleſia dictæ antiquæ domus, ut præfertur, ſepulta ad domum conſtruendam hujuſmodi transferendi, & in Eccleſia illius, poſtquam conſecrata fuerit, ſepeliendi, dictamque domum recipiendi & perpetuo inhabitandi, eadem auctoritate licentiam largiamini: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore præſentium concedi contigerit, ut præfertur, eiſdem domui & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, favoribus & indultis, aliis ejuſdem Ordinis domibus & Fratribus conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gau-

gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore earumdem præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus.

§. IV. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon voluntate dicti Avi Friderici, qua ordinaverat, quod corpus ſuum in Eccleſia Monaſterii ſanctæ Claræ Palentini, Ordinis ejuſdem Sanctæ, ſepeliretur, quod, ut dictus Fridericus aſſerit, ex indulto piæ memor. Sixti Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri in Eccleſia dictæ domus antiquæ, ubi primo ſepultum fuit, remanſit, cui, ad ut hoc illud ad Eccleſiam dictæ domus conſtruendæ transferatur, etiam ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. pridie Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno VII.

XLII.

Multa concedit privilegia domui Sororum Tertii Ordinis in Beſſeliſch. Ex lib. 131. fol. 258.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Merita piæ vitæ &c. Sane pro parte Matris & Sororum in Beſſeliſch. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Treveren. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim majori, & B. Mariæ Virginis, ac ſancti Blaſii Epiſcopi & Martyris Altaribus ſitis in Eccleſia dictæ domus, per clericos ſeculares teneri ſolitis, quæ de jure patronatus laicorum exiſtunt, tunc certis modis ſucceſſive vacantibus, tunc Archiepiſcopi Treveren. qui pro tempore fuerunt, illa ſic vacantia, eidem domui ordinaria auctoritate perpetuo univerunt, annexerunt & incorporaverunt, illorum tunc patronorum ad id expreſſo accedente conſenſu, ea lege, quod quoties contingeret eaſdem Matrem & Sorores dictæ domus aliquem presbyterum in capellanum ad dicta Altaria recipere, tenerentur illum patronis ipſis, vel eorum majori parti, ſi plures forent, ante receptionem hujuſmodi præſentare, & ſi Ordo prædictus in dicta domo deficeret, unio, annexio & incorporatio prædictæ diſſolutæ cenſerentur, & Altaria prædicta in priſtinum ſtatum reverterentur eo ipſo. Petitionis tenor.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis de juribus unionis, annexionis & incorporationis prædictarum hæſitetur, & Mater ac Sorores prædictæ, quæ ſub clauſura degunt, & ſexaginta vel circa inter nobiles & plebejas fore noſcuntur, non poſſint interdum debitis temporibus babere Sacerdotes, qui eis Miſſas & alia Divina officia celebrent, ac Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrent, ipſas verbo Dei, & aliis ſpiritualibus muneribus conſolentur, contingatque etiam aliquando aliquas ex eis, occurrente aliqua ſubita infirmitate, ſine Sacramentis Eccleſiaſticis decedere, ob carentiam presbyterorum, non ſine ſuarum periculo animarum. Et quia dilecti filii Guardianus & Fratres domus ſancti Franciſci, ſitæ ab alia parte Rheni in Confluentia, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, dictæ diœceſis, qui Sacerdotes ad eas mittere debent, propter loci diſtantiam, & viarum pericula, etiam temporibus debitis, & quibus maxime eis indigent, mittere non poſſint, & aliquando etiam nonnullos ignaros, alios novitios, alios minus rigidos ſeu faciles mittant, & quod unus ædificat & docet, alter interdicit & deſtruit, ac etiam presbyteri ſeculares, Moniales Sacerdotum copia egent.

res, qui aliquando ibi deputantur, tædio affecti, & propriis negotiis intendentes, inde diſcedant, non ſine maximo ipſarum Matris & Sororum præjudicio & detrimento, ſitque neceſſe in præmiſſis pro conſervatione dictæ domus, ac animarum ſuarum ſalute provideri: pro parte earumdem Matris & Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni & incorporationi prædictis, pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur noſtræ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Pontificia proviſio.

§. III. Nos igitur, qui vacantibus ſub Religionis habitu ſtudio piæ vitæ, Apoſtolici favoris præſidium libenter impendimus, ac dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur extimare verum valorem beneficii, cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, & quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, & idem obſervari voluimus in confirmationibus unionum jam factarum, veros ultimarum vacationum dictorum Altarium modos, dictæque domus fructuum, redituum & proventuum verum annuum valorem præſentibus pro expreſſis habentes, venerabilis fratris noſtri Joannis Archiepiſcopi Treveren. ſacri Imperii Principis Electoris, pro eiſdem Sororibus, ad quas, ut aſſerit, ob earum bonos & exemplares mores ſpecialem gerit devotionis affectum, nobis humiliter ſupplicantis, ac hujuſmodi Matris & Sororum earumdem ſupplicationibus inclinati, unionem, annexionem & incorporationem prædictas, ac, prout illas concernunt, omnia & ſingula in litteris deſuper confectis contenta, & inde ſecuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore confirmamus & approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint *in* eiſdem; ac pro potiori cautela, dicta Altaria, quorum inſimul fructus, reditus & proventus, quatuor marcarum argenti puri, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, quibuſvis modis, & ex quorumcumque perſonis, etiamſi per liberas aliquorum reſignationes, de illis extra Romanam Curiam, etiam coram Notaro publico, & teſtibus ſponte factas, vacent, etiamſi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii, ad Sedem Apoſtolicam ſit legitime devoluta, ipſaque Altaria diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtant, & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datæ præſentium non ſit in eis ſpecialiter jus quæſitum alicui, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, eidem domui de novo perpetuo unimus, annectimus & incorporamus; ita quod liceat eiſdem Matri & Sororibus per ſe vel alium ſeu alios corporalem Altarium juriumque & pertinentiarum prædictorum poſſeſſionem de novo propria auctoritate apprehendere, ac perpetuo retinere, illorumque fructus, reditus & proventus in ſuos, & dictæ domus uſus & utilitatem convertere, dictiſque Altaribus modo præmiſſo per presbyterum ſic præſentandum in Divinis ſacere deſerviri, diœceſani loci & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita: & inſuper eiſdem Matri & Sororibus, ut quoties eis neceſſe videbitur, duos Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, prædictorum profeſſorum, ex provincia Colonienſi, ſecundum morem dicti Ordinis, eligere poſſint, qui apud domum præfatam, in aliqua honeſta & decenti habitatione, ad id per eas ipſis conſignanda, moram trahant, eaſque verbo Dei inſtruant, earum confeſſiones audiant, & verbum Domini ipſis prædicent, ac Sororibus novitiis habitum, ſeu mantellum exhibeant, necnon profeſſiones earum reci-

Omnia ea confirmantur, quæ Apoſtol. Auctor. ſtatuta ſunt.

Fructus beneficiorum poſſunt in Monaſterii uſū convertere.

Eligere poſſunt duos Fratres Spiritus Magiſtros.

Google

cipiant & admittant, eiſque Miſſas & alia Divina officia celebrent, ac Euchariſtiam, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, aliaque omnia faciant & exequantur, quæ ad bonam & ſalutarem vitam quomodolibet pertinent, etiam dicta auctoritate concedimus: & quod Vicarius vel Patres Ordinis Fratrum Minorum, & provinciæ prædictorum ad dandum, omni exceptione ceſſante, ipſis Matri & Sororibus dictos Fratres, quoties opus fuerit, teneantur, & ſint aſtricti; liceatque ipſis duobus Fratribus, ſic pro tempore electis, apud dictam domum, extra tamen illius clauſtrum, reſidere, ac omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, dicto Ordini Fratrum Minorum, & Fratribus ejuſdem in genere per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere, & quoties contigerit eos dictam domum exire, & ad alias domos dicti Ordinis Fratrum Minorum ſe conferre, in illis recipi poſſint & debeant, & per Vicarium ſeu Patres præfatos ad eorum nutum a dicta domo amoveri, & in Generalibus Capitulis, ac alias ad inſtar Fratrum, apud Monaſteria Monialium Ordinis ſanctæ Claræ pari modo commorantium, vocem habere, ac quod quoties contigerit ipſos duos Fratres aliqua infirmitate detineri, Guardianus & Fratres dictæ domus in Confluentia, alium & alios Fratres dare teneantur, donec convaluerint, vel alias per Vicarium ſeu Patres præfatos debite proviſum fuerit, & quod domus, & eligendi Fratres prædicti, perpetuis futuris temporibus viſitationi Vicarii dictæ provinciæ Colonien. Ordinis Fratrum Minorum & Obſervantiæ prædictorum ſubſint, qui eam domum dicti Ordinis in Confluentia viſitabunt, etiam Matrem & Sorores, earumque domum prædictas viſitare teneantur, & cum alter eorum ad interna loca accedere debet, unum ex Fratribus Tertii Ordinis in ſocium habere poſſit, ne ambo Fratres ſimul domum prædictam dimittant: quodque ipſi duo Fratres, & ſi qui alii ſupervenerint, in majoribus anni, & dictæ Eccleſiæ feſtivitatibus, Divinum officium in illa publice legere & cantare, & ſimiliter Mater & Sorores præfatæ in ſimilibus feſtivitatibus horas canonicas dumtaxat legere poſſint, præfata auctoritate ſtatuimus, decernimus & ordinamus; necnon locorum Ordinariis, & aliis quibuſvis perſonis, & cujuſcumque dignitatis exiſtentibus, ne domum, Matrem & Sorores prædictas, quovis modo in præmiſſis perturbare aut moleſtare præſumant, prælibata auctoritate diſtrictius inhibentes. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prædicta, & aliis præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non domorum, & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Prælati Ordinis tenentur eoſdem Fratres concedere.

Et viſitare Monaſterium.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri anno VII.

XLIII.

Ut poſſit ædificare Monaſterium Clariſſarum prope oppidum Rivi Sicci. Ex libro 118. fol. 284.

Dilecto filio nobili viro Friderico Henriquez de Cabrera, Domino oppidi de Medina in Rioſeco, Palentinæ diœceſis.

§.I. EXimiæ devotionis ſinceritas &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu, qui regni Caſtellæ Admiratus exiſtis, & maxima, quam ad Conceptionem B. Mariæ Virginis, ac Or-

Ordinem ſanctæ Claræ, & Moniales illius ſub Regulari Obſervantia degentes, geris devotionem, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ſummopere deſideras prope oppidum tuum de Medina, de Rioſeco, Palentinæ diœceſis, unum Monaſterium dicti Ordinis, ſub invocatione ejuſdem Conceptionis, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, de bonis tibi a Deo collatis, pro perpetuis uſu & habitatione Monialium dicti Ordinis, quæ inibi cum una Abbatiſſa per eas juxta laudabilia dicti Ordinis inſtituta eligenda, ſub Obſervantia regulari, ac obedientia & viſitatione Vicarii provincialis Ordinis Fratrum Minorum provinciæ de Sanctoyo, ſecundum morem Ordinis ejuſdem Fratrum Minorum, pro tempore exiſtentis degant, conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, ſi tibi ad id Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi Monaſterium prædictum conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideramus affectibus, pium & laudabile tuum propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi Monaſterium prædictum ſub invocatione ejuſdem Conceptionis, cum Eccleſia, in qua Miſſæ & alia Divina officia celebrentur, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, prope dictum oppidum in aliquo condecenti & convenienti loco, pro perpetuis uſu & habitatione Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, Obſervantiæ Regularis, quæ inibi cum una Abbatiſſa, ut præfertur, eligenda, ſub obedientia & viſitatione dicti Provincialis degant, ſine alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, dictoque Vicario aliquas Moniales aliorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ Monaſteriorum ſibi ſubjectorum, uſque ad numerum ſufficientem de dictis Monaſteriis ad ipſum Monaſterium conſtruendum, poſtquam conſtructum fuerit, transferendi, & inibi eas collocandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur: jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo. Et nihilominus Abbatiſſæ & Monialibus in dicto Monaſterio pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, exemptionibus, conceſſionibus, indulgentiis, ſavoribus & indultis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus in genere per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum etiam concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, eadem auctoritate, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. VI. Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno VII.

XLIV.

XLIV.

Ut curet obſervari quædam in favorem Conventus Portiunculæ decreta. Ex brevi origniali.

Dilecto filio Leonardo Cibo, pro nobis & Romana Eccleſia in temporalibus Civitatis noſtræ Aſſiſii Gubernatori, & ejus in gubernio ſucceſſoribus.

§. I. INhibuimus ſuperioribus annis per aliud Breve noſtrum dilectis filiis Communitati & civibus noſtræ Civitatis Aſſiſii, ne de diſtributione locorum, in quibus mercatores confluentes ad domum ſanctæ Mariæ in Portiuncula, alias de Angelis, extra muros Aſſiſii, quam dilecti filii Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupati, inhabitant, temporibus indulgentiarum collocari debeant in plateam, ſive campos dictæ domus, & exactione pecuniarum ab eiſdem mercatoribus propterea exigi ſolitarum, earumque diſtributione ſe ullatenus impedirent in poſterum, ſed permitterent diſtributionem & exactionem hujuſmodi fieri per Procuratorem, qui pro tempore foret, cum conſilio Guardiani ejuſdem domus; decrevimus provenientia inde emolumenta quæcumque in reparationem & manutentionem fontis exiſtentis in dicta platea, & aquæ ductus ejuſdem, ac nonnullarum viarum tunc expreſſarum, per quas proficiſcuntur viſitantes pro tempore Eccleſiam dictæ domus, converti debere, prout in prædicto Brevi, de præmiſſis omnibus & ſingulis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, Guardianus & Procurator præfati dubitent, ne Communitas & cives præfati inhibitioni & decreto prædictis acquieſcere; ut deberent, recuſent, eumdemque Procuratorem, quominus diſtributionem locorum prædictorum, & alia ſibi per nos commiſſa facere poſſit, impediant.

§. II. Nos inhibitionem & decretum hujuſmodi obſervari volentes, illa omnia & ſingula in eodem Brevi contenta, pro eorum potiori efficacia, præſentium tenore approbantes & confirmantes, tibi & tuis in gubernio dictæ noſtræ Civitatis Aſſiſii ſucceſſoribus committimus & mandamus, ut eiſdem Guardiano & Procuratori in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, facias inhibitionem & decretum prædicta, juxta præfati Brevis tenorem, auctoritate noſtra inviolabiliter obſervari. Contradictores quoslibet & rebelles mulcta, indictione, ac pœnis, & alia, de qua tibi videbitur, diſactione compeſcendo. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dicto Brevi non obſtare debere declaravimus & decrevimus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Septembris MCCCCXCI. Pontificatus noſtri anno VIII.

XLV.

Ut concedat licentiam ædificandi domum Obſervantum in urbe Tutellenſi. Ex lib. 134. fol. 47.

Dilecto filio Officiali Tutellen.

§. I. SAcræ Religionis &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Generalis Ultramontani, & Provincialis Fratrum dicti Ordinis, provinciæ Aquitaniæ, ſecundum morem ipſius Ordinis, Vicariorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod venerabilis frater noſter Dionyſius Epi-

ſcopus Tutellen.& dilecti filii Communitas civium Civitatis Tutellen.ad dictum Ordinem ſpecialem gerentes devotionis affectum, ac ſperantes, quod ſi in eadem Civitate, ſeu extra prope eam, Fratres dicti Ordinis haberent unam domum pro eorum receptione, cives & incolæ dictæ Civitatis & locorum circumvicinorum, Guardiani & Fratrum, qui illam pro tempore inhabitarent, exemplari vita, & aſſidua, ac devota Miſſarum & aliorum Divinorum officiorum celebratione, audientia confeſſionum, prædicationibus verbi Dei, & exhortationibus ad othodoxe vivendum, ſuarum animarum ſalutem uberius conſequerentur, ſuccederetque exinde Divini cultus augmentum, & dictæ Religionis propagatio cum animarum ſalute, unam domum hujuſmodi intra vel extra Civitatem prædictam conſtrui & ædificari facere proponunt, ſi eis ſuper hoc, & Fratribus prædictis ſuper illius receptione ad inhabitandum licentia concedatur. Quare pro parte Vicariorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum prædictam intra vel extra eamdem Civitatem, in loco ad id commodo & honeſto, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ac eiſdem Vicariis & Fratribus illam pro Fratrum Ultramontanorum dictæ Provinciæ perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui inter ceteros Ordines in agro Dei plantatos, dictum Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia, claris ſuis exigentibus meritis, gerimus in viſceribus caritatis, ac ipſius propagationem, & Divini cultus augmentum noſtris præſertim temporibus ſinceris deſideriis exoptamus, Epiſcopi & civium prædictorum pio deſiderio annuentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi & poſtquam vocatis qui fuerint evocandi, ita eſſe repereris, Epiſcopo & Communitati domum hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prædictis, in præfata Civitate, ſeu extra eam, in loco ad id convenienti & honeſto, conſtrui & ædificari faciendi, & Vicariis & Fratribus prædictis illam pro eorum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & in ea ſub Generalis & Provincialis Vicariorum prædictorum, & pro tempore exiſtentium obedientia perpetuo inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra concedas: Jure tamen parochialis Eccleſiæ, infra cujus limites domum ipſam ædificari contigerit, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine cujuſpiam præjudicio. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus fel. mem. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te, vigore præſentium concedi, & domum ipſam ædificari contigerit, eidem domui, & Guardiano & Fratribus, qui eam pro tempore inhabitabunt, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, conceſſionibus, favoribus & indultis, aliis domibus dicti Ordinis, Guardianis & Fratribus per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere, libere & licite poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. Non. Novembris, Pontificatus noſtri anno VIII.

XLVI.

Ut concedat facultatem ædificandi domum pro Clariſſis primæ Regulæ in urbe Cordubenſi. Ex lib. 143. fol. 1.

Dilectis filiis Theſaurario &c. Eccleſiæ Corduben.

§. I. INter univerſa Divinæ Majeſtati accepta opera &c. Dudum ſiquidem fel. record. Sixto Papæ IV. prædeceſſori noſtro, pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Marinæ de Villaſeca, Sororis Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, relictæ quondam Garſiæ de Montemajore civis Corduben. expoſito, quod ipſa de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, quamdam domum ad eam etiam legitime pertinentem, ſitam infra limites parochiæ parochialis Eccleſiæ ſancti Petri Corduben. pro uſu & habitatione perpetuis novem Sororum dicti Ordinis in ejus ultima voluntate relinquere & legare, eamque pro ipſarum novem Sororum congrua ſuſtentatione ſufficienter dotare intendebat; itaquod ipſæ novem Sorores deberent habitare in dicta domo ſub Regulari Obſervantia dicti Ordinis, ac juxta ſtatuenda & ordinanda per dictam Marinam in ejus ultima voluntate prædicta, & quæ magis idonea dictarum novem Sororum, cui aliæ obedire tenerentur, harum regimen & gubernationem dictæ domus exerceret; & ſi aliqua Sororum earumdem deviaret ab Obſervantia dicti Ordinis, illiuſque Superioris, & voluntate dictæ Marinæ, ipſo facto a dicta domo expelleretur, & alia in ejus locum ſurrogaretur; ipſaque domus per eaſdem Sorores, aut quemcumque alium vendi & alienari, aut in excambium dari, ſeu recipi nequiret, ſed pro habitatione dictarum Sororum perpetuo remaneret: idem Sixtus prædeceſſor, dictæ Marinæ in ea parte ſupplicstionibus inclinatus, Priori ſecularis & Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Hippoliti Corduben. ejus proprio nomine non expreſſo, ſuis dedit litteris in mandatis, ut, ſi ita erat, eidem Marinæ domum prædictam in domum dicti Ordinis, cum hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis novem Sororum dicti Ordinis, modo & conditionibus prædictis ædificandi & ordinandi, ac inibi ſtatuta & ordinationes rationabilia, & a ſacris Canonibus, & Regularibus inſtitutis dicti Ordinis non deviantia faciendi, abſque tamen aliorum præjudicio, licentiam conceſſit. Et ſi licentiam ipſam, dictarum litterarum vigore concedi contingeret, ut præfertur, eidem domui & Sororibus in eo pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, favoribus & indultis, aliis domibus & Sororibus dicti Ordinis per ipſum Sixtum prædeceſſorem & Sedem Apoſtolicam, ſeu alias etiam conceſſis, & concedendis, uti & gaudere valerent, indulſit. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dictæ Marinæ petitio continebat, etiam Prior dictæ Eccleſiæ ad executionem dictarum litterarum, alias illarum forma ſervata procedens, quia ita eſſe reperit, licentiam hujuſmodi eidem Marinæ conceſſit, prout in litteris prædictis plenius continetur, & proceſſibus deſuper habitis dicitur contineri.

Facultas Monaſt. conſtruendi facta olim a Sixto IV.

Cum omnibus privilegiis, indultis &c.

§. II. Poſtmodum etiam dicta Marina domum prædictam in domum dicti Ordinis, cum hortis, hortalitiis, & aliis neceſſaris officinis, pro uſu & habitatione prædictis ædificavit, ſeu ædificari facere incœpit, & etiam de bonis ſuis dotavit, ac dicta ſtatuta rationabilia fecit, Sororeſque dicti Ordinis in ea uſque ad numerum prædictum receptæ fuerunt; & cum Sorores ipſæ propter penuriam aquarum, & dictæ domus exiguitatem in illa perma-

Monaſterium conſtruitur.

nere non poſſent, ipſa Marina quamdam aliam domum in parochia parochialis Eccleſiæ ſanctæ Marinæ etiam Corduben.domo priore hujuſmodi commodiorem, ſuis propriis pecuniis emit, & cum licentia etiam Vicariorum, & Epiſcopi Corduben. in ſpiritualibus Generalium, ipſa & aliæ Sorores prædictæ ad illam ſe tranſtulerunt, ipſaque Marina illam ædificari facere cœpit.

§. III. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfata Marina fervore devotionis accenſa, deſideret domum prædictam emptam, in Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, ſub invocatione ſanctæ Eliſabethæ erigi, in quo tredecim dumtaxat Moniales ſub profeſſione & Obſervantia primævæ Regulæ dicti Ordinis ſanctæ Claræ vivant; pro parte ejuſdem Marinæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum prædictam ultimo emptam, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictarum Monialium, ſub primæva Regula hujuſmodi viventium erigi mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Cum Pontificia denuo conceſſa licentia.

§. IV. Nos igitur,qui Religionis propagationem,& Divini cultus augmentum,& animarum ſalutem noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus,pium & laudabile propoſitum dictæ Marinæ plurimum inDomino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, dictam domum ultimo emptam, in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſub invocatione ſanctæ Eliſabethæ hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitatione dictarum tredecim Monialium, ſub primæva Regula hujuſmodi viventium, ſine aliorum præjudicio, & jure Parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra erigatis, & dictæ Marinæ aliquas dicti Ordinis ſanctæ Claræ Moniales, quas neceſſarias ad id fore viderit, & voluntarias, ad dictum Monaſterium ex Monaſteriis, in quibus ſub Regula fel. record. Urbani Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri degunt, ſine ſuorum licentia Superiorum evocet: Quæ poſtquam in dicto Monaſterio fuerunt, abſque aliqua dilatione anni probationis, ad profeſſionem primæ Regulæ hujuſmodi, per Vicarium Generalem Ultramontanum Ordinis Fratrum Minorum, vel alium Prælatum, ſeu Viſitatorem, ab ipſo Vicario deputatum, recipiantur, quibus perpetuo ſubſint, & obedire teneantur, & non aliis,& unam ex dictis Monialibus evocandis, pro primo triennio in Abbatiſſam dicti Monaſterii ... in duobus trienniis continuis reliquæ poſſunt, niſi concorditer & unanimiter ab omnibus Religioſis, & prædicto Vicario ſeu Viſitatore expediens videretur, vel niſi electa Abbatiſſa incompleto ſuo triennio decederet, vel alia juſta vel rationabili cauſa per ſuum Prælatum, cum conſilio majoris partis Conventus ipſius Monaſterii ab officio abſolveretur: quodque confirmatio Abbatiſſæ ad prædictum Vicarium ſeu Viſitatorem pertineat, dicta auctoritate ſtatuatis & ordinetis: & Monaſterio & Monialibus inibi pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus & indultis, aliis Monaſteriis & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ tam primæ, quam ſecundæ Regulæ conceſſis & concedendis in poſterum, exceptis illis, in quibus rigor & puritas ipſius Regulæ relaxatur & diſpenſatur, ac etiam declaratione bonæ mem. Eugenii IV. ſimiliter prædeceſſoris noſtri ſuper dicta Regula facta, in his dumtaxat, per quæ decla-

Sub obedientia Fratrum Minorū.

claravit, hujuſmodi Regulam profitentes non eſſe obligatas niſi ad quinque, ſub vinculo peccati mortalis, ſcilicet obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, clauſuræ, & quæ pertinent ad electionem Abbatiſſæ, certis aliis relaxationibus, excluſis centum conſtitutionibus ſive ſtatutis, ad petitionem quondam Sororis Coletæ per quondam Guillelmum de Caſali dicti Ordinis Minorum Generalem editis, incipientibus: *Tam admirandæ*, uti, potiri & gaudere; dictaque Marina, quæ forte in dicto Monaſterio ſe immediate recludere non poteſt, ut illud Monaſterium ingredi, & ibidem pernoctare & intendere cum una vel duabus mulieribus honeſtis ſeu domeſticis, & cum potuerit, ad habitum & profeſſionem in dicto Monaſterio recipi poſſit & debeat, etiam una cum alia ſocia per eam eligenda, etſi dictus numerus completus foret, eadem auctoritate indulgeatis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. XVI. Kalend. Januarii, Pontificatus noſtri anno VIII.

MONUMENTUM COLONIENSE.

Varia largitur Archiepiſcopus Colonienſis privilegia quibuſdam domibus Sororum Tertii Ordinis. Ex autographo.

HERMANNUS Dei gratia S. Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacri Romani Imperii Princeps Elector, & per idem Imperium Archicancellarius, Weſphaliæ & Angariæ Dux, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Religioſis ac Deo devotis, nobis in Chriſti viſceribus admodum dilectis Magiſtris & Rectricibus Religioſarum domorum Tertii Ordinis ſancti Franciſci Confeſſoris de Pœnitentia nuncupati ſanctæ Eliſabeth in agro ſanctæ Mariæ in parochia Goterſwik territorii Clivenſis, in parva Tremonia ad fontem Mariæ, & Comitatus Marchienſis noſtræ diœceſis, univerſiſque Sororibus dictarum domorum præſentibus & futuris, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

§. I. Sane petitio pro parte veſtra nuper nobis humiliter oblata continebat, quod nos ad Omnipotentis gloriam & honorem, ac Divini cultus augmentum, pro certiori & ſolidiori ſtatus veſtri, ac domorum veſtrarum profectu & ſubſiſtentia certis vos beneficiis & donis ſpecialibus, privilegiiſque ac indultis, ſtatui veſtro opportunis, munire & cumulare pro ſolita noſtra benignitate dignaremur: præcipue quod domus veſtræ & loca per vos in præſentiarum inhabitata, in Religioſos Conventus ſeu Monaſteria erigi, & pro ſpecialibus atque privilegiatis locis deinceps haberi & cenſeri debere, decernere & concedere; donationeſque de fundo, & circa domos habitationum veſtrarum quomodolibet vobis factas approbare, ratificare, & perpetuo validare ſeu auctorizare; perſonas quoque veſtras, domus, loca, bona mobilia & immobilia, a laicorum juriſdictione & poteſtate eximere, & privilegiis Eccleſiaſticis ac immunitatibus gaudere & uti facere, & a gravaminibus & oneribus per laicam forſan manum imponendis, liberare, ac immunes facere, & perpetuo eſſe debere, declarare, & ſub tuitione noſtra miſericorditer acceptare, noſtra auctoritate ordinaria ſtatuamus & largiamur.

§. II. Inſuper quod liceat vobis de noſtra conceſſione gratioſa, Eccleſias ſive Capellas pro uſu veſtro cum tribus Altaribus erigi, conſtrui & conſecrari

ſecrari facere, cum campanili & campana, juxta decentem modum aliorum veſtri Ordinis Conventuum & domorum religioſarum, & cum cœmeterio pro ſepultura Sororum, & illarum Confeſſoris ſeu Miniſtri Divinorum, ac familiæ domeſticæ commenſalis; in ipſis etiam Eccleſiis ſeu Capellis Miſſas & alia Divina Officia audire, & horas more decenti perſolvere, aquam benedici, & verbum Dei prædicari facere, citra tamen matris Eccleſiæ præjudicium & gravamen; Venerabile Corpus Dominicum, & Etremæ Unctionis Sacramentum inibi decenter & reverenter cum luminari continuo reſervare omni tempore. Inſuper interdicti tempore coram vobis & familia, ac continuis commenſalibus veſtris, atque hoſpitibus, ejuſdem vel alterius Ordinis Religioſis perſonis, januis clauſis, & excommunicatis ac nominatim interdictis excluſis, a quocumque Sacerdote Catholico & honeſto, noto ac integræ famæ viro celebrari facere, & alia quælibet Divina agi, & Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis reverenter diſpenſare, funera quoque Sororum, continuorum commenſalium, & familiæ domeſticæ commenſalis, in cœmeterio ſepeliri & tumulari, niſi vos, vel quæcumque perſona de veſtris domeſticis, aut hoſpitibus tunc ibidem forte præſentibus, cauſam præſtiterit interdicto.

§. III. Præterea quod tria vota ſubſtantialia Religionis, finito juxta Regulæ veſtræ ſeriem probationis anno, emittere, vovere & profiteri vobis liceat in manus Magiſtræ vel Rectricis pro tempore cujuslibet domus veſtræ, vel in manus Viſitatoris, aut etiam, de ſuo mandato, idonei Sacerdotis ſeu Confeſſoris; & quod domos veſtras ad debitam & formalem clauſuram juxta communis juris diſpoſitionem aptare & ordinare, & inibi ſub perpetua clauſura vivere & manere poſſitis, & Viſitatori veſtro pro tempore de hujuſmodi clauſura diſponendi, & aliquas ex vobis in ſingulis domibus veſtris includendi, aliquas extra ipſam clauſuram pro neceſſitate vel evidenti utilitate domus, & pro rebus familiaribus curandis, & negotiis domorum veſtrarum gerendis, prout ſibi ac Rectrici & tribus inibi devotis Consororibus conſultius videbitur, emittere & exire faciendi & ordinandi, & omnia & ſingula, quæ ad harum rerum profectum, & bonum domorum veſtrarum accommoda videbuntur, agendi, auctoritatem & plenam facultatem per nos concedi & indulgeri, humiliter & inſtanter poſtulaſtis; & quod liberum vobis ſit eligere & habere in Viſitatorem domorum veſtrarum, & ſingularium perſonarum Religioſum virum, Provincialem Vicarium de Obſervantia, Ordinis Minorum Provinciæ Colonienſis, vel quemcumque Fratrem ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ, quem ipſe vel Capitulum provinciale ad hoc deputaverit, vel idoneum judicaverit, qui annuatim viſitationis officium circa vos & domos veſtras exerceat, & tam in capitibus quam in membris, quoad ſpiritualia & temporalia, quando correctione vel reformatione indigere judicaverit, juxta debitum officii ſui reformet & emendet; poſſit nihilominus idem Viſitator juxta ſuam diſcretionem ordinare & providere aliqua laudabilia aviſamenta & ſtatuta, & completa viſitatione, chartas vel ſchedulas pro viſitatorum correctione ac melioratione relinquere, ac per hoc ipſam regularem vitam dirigere & manutenere: Matrem ſeu Rectricem domus cujuslibet legitime electam inſtituere & confirmare, aut etiam, ſi cauſa popoſcerit, deſtituere: Confeſſorem quoque idoneum vobis præficere, vel, ſua inidoneitate evidenter comperta, deſtituere & removere, licentia & conſenſu veſtro minime requiſitis: inobedientes & rebelles Sorores mediante Magiſtra diſciplinare, ſeu debitis pœnis afficere, & ſi contumacia ad hoc uſque increverit, incarcerare, vel vera & humili ipſarum pœnitentia cognita, a carceribus liberare: quoque Confeſſor, quem pro tempore ad ordinationem Viſitatoris veſtri eſtis habituræ, confeſſiones ve-

ſtras

ſtras audire, quoties ſibi ſecundum Deum & conſcientiam ſuam viſum fuerit, & injuncta pro culpæ modo pœnitentia ſalutari vos abſolvere, etiam in caſibus nobis reſervatis, ſaltem occultis, & vota majora, in ſeculo forſan, vel poſt profeſſionem inadvertenter emiſſa, in alia pietatis opera, utpote jejunii, Orationis, vel cujuslibet alterius exercitii ſpiritualis commutare, & alium aliquem boni nominis idoneum & honeſtum Sacerdotem loco ſui, ſi ipſum graviter infirmari, vel legitime impediri contigerit, ſubſtituere poſſit & ſubrogare.

§. IV. Amplius, quod Mater ipſa ſeu Rectrix domus pro tempore, poſſit & ei liceat, prout & quando ſibi opportunum videbitur, juxta modum apud ſe conſuetum & decentem, capitulum tenere culparum, delinquentes & indiſciplinatas, ſecundum Ordinis inſtituta, & ipſius domus bonas & laudabiles conſuetudines, jam a retro temporibus dudum obſervatas, diſciplinare, corrigere & punire, ac pœnitentias capitulares imponere, quas humiliter ſuſcipere, & libenter implere ſint aſtrictæ, diſcretionis moderamine ſemper obſervando: idem facere liceat ipſi Confeſſori, ſi & in quantum ei committi, vel etiam ad hoc requiri contigerit per Rectricem vel ipſius domus Viſitatorem. Demum, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis, domibus & perſonis ejuſdem Ordinis veſtri per diœceſis noſtræ terminos ubilibet conſtitutis, per Prædeceſſores noſtros, ſive per nos quomodolibet conceſſis, gaudere poſſitis, uti & potiri. Poſtremo, quod licitum vobis ſit & conceſſum, rationabiliter convenire, paciſci & accordare cum Paſtore Eccleſiæ noſtræ Matricis ſuper juribus, quæ ſibi prætextu ſui paſtoratus debita ſunt, & ab eo, & parochialis Eccleſiæ frequentatione, & cujuslibet alterius juris ſolutione ſeparari & deobligari, pacta quoque cum eo inita & facta approbari & confirmari, ac inviolabilis roboris, & perpetuæ firmitatis eſſe & exiſtere & debere, auctoritate noſtra ordinaria decerni & declarari, humiliter & inſtanter popoſcatis.

§. V. Nos igitur ſinceram intentionem veſtram in hac parte in Domino plurimum commendantes, & ſagaciter attendentes, quod optima ſit ratio, quæ pro Religione facit, & quod ex debito paſtoralis curæ ad ea ſponte inclinari, & ſolliciti ac diligentes exiſtere debemus, per quæ Divini cultus augmentum, & ſalus provenit animarum, quo in oculis ſummi Judicis gratius nihil, veſtris piis votis inclinati, domus veſtras & loca per vos præſentiarum inhabitata, in Religioſos Conventus ſeu Cœnobia in Dei nomen erigimus & inſtituimus, & pro talibus ex nunc & inantea haberi, teneri & cenſeri debere, & omnibus privilegiis Eccleſiaſticis, jure ſtatutis, uti & gaudere poſſe, præſentium tenore decernimus: donationes quoque ſingulis domibus veſtris de fundo quomodolibet factas approbamus, ratificamus & in perpetuum validamus; vos quoque ac bona veſtra mobilia & immobilia, ad tuitionem noſtram gratioſe recipimus, & ab oneribus & gravaminibus per laicos imponendis, eximimus & liberamus. Præterea, quod Eccleſias ſive Capellas ædificari & conſecrari facere, cum tribus Altaribus, campana & campanili adinſtar aliarum domorum religioſarum veſtri Ordinis, Miſſas & alia Divina Officia in iis audire, horas veſtras more decenti perſolvere, aquam in Dominicis diebus benedici, & verbum Dei prædicari facere, citra tamen matricis Eccleſiæ & ipſius Rectoris præjudicium, & Venerabile Corpus Dominicum, & Extremæ Unctionis Sacramentum decenter & reverenter cum luminari continuo inibi reſervare poſſitis; habere etiam cœmeterium conſecratum pro ſepultura Sororum, familiæ, continuorum commenſalium; & quod tempore interdicti noſtra auctoritate poſſitis Miſſas audire, & coram vobis, familia & commenſalibus atque hoſpitibus, veſtri vel alterius Ordinis Religioſis perſonis, a quocumque Sacerdote Catholico, noto & ido-

& idoneo celebrari facere etiam in Altari portatili conſecrato, interim quod Capellas conſecratas non habetis, januis clauſis, tamen excommunicatis & nominatim interdictis penitus excluſis, recipere etiam Eccleſiaſtica Sacramenta, & veſtra funera ſine ſcrupulo tumulare faciatis; niſi; quod abſit, vos vel aliqua de veſtris, aut de familia vel hoſpitibus tunc præſentibus, ut præfertur, cauſam præſtiteritis interdicto, & aliud canonicum non obſiſtat. Inſuper, quod tria vota ſubſtantialia in profeſſione emittere in manus Viſitatoris, ſeu de ejus juſſu & voluntate in manus idonei Sacerdotis, vel Confeſſoris noti, & ſimplex velum recipere, & habitum ſecundum Regulam veſtram qualificatum, & uſum decentem geſtare poſſitis; domos veſtras ad debitam clauſuram coaptare & includi, ac ſub perpetua clauſura vivere & perſeverare juxta canonicam ordinationem Viſitatoris veſtri, cui etiam in hac parte vices noſtras plenarie committimus; ſalvo quod ad domos veſtras plures vel ultra, quam de reditibus veſtris, & de labore manuum, ac caritativo ſubſidio amicorum commode vivere poſſitis, non recipiatis, nec admittatis.

§. VI. Amplius, quod in Viſitatorem domorum veſtrarum eligere, habere & retinere debeatis Religioſum virum, Vicarium Provincialem de Obſervantia Ordinis Minorum, vel alium quemlibet ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ Fratrem idoneum, quem ipſe ad hoc duxerit deputandum, qui omnia, quæ circa vos & domos veſtras emendanda & reformanda proſpexerit, juxta debitum officii ſui diligenter & exacte emendare & reformare curabit, ſtatuta & aviſamenta pro veſtra directione ordinare, chartas viſitationis edere & relinquere, Matrem ſeu Rectricem domus legitime per majorem partem Conventus electam inſtituere & confirmare, ad hoc cauſa rationabili accedente, deſtituere & ſupportare; Confeſſorem vobis de conſenſu Matris & Diſcretarum Conventus præficere & inſtituere, & nihilominus, ſi minime idoneus ſuccedenti tempore compertus fuerit, deſtituere & removere, veſtro conſenſu, ſi forſan differentia orta fuerit, nullatenus requiſito: inobedientes & rebelles, mediante Magiſtra, juxta exceſſuum menſuram corrigere & punire, &, ſi contumacia inobedientiæ demeruerit, incarcerare & carcerali incluſioni deputare, ac etiam pœnitentia humiliter peracta, liberare, & ad priſtina reſtituere, de noſtra poſſit & valeat conceſſione, quam etiam correctionem, ſi ipſe in perſona adeſſe, & facere non poſſit, Confeſſori cum Rectrice domus committere valeat & delegare; quodque Confeſſor idoneus vobis, ut præfertur, deputandus, confeſſiones veſtras audire, & injuncta pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, vos abſolvere, etiam in caſibus nobis reſervatis, exceptis tamen incendiis, rapinis & damnis contra nos & Eccleſiam noſtram, & perſonas Eccleſiaſticas commiſſis, & reſtitutione bonorum injuſte detentorum facienda, aliiſque atrocibus delictis, ubi damnum & intereſſe tertii vertitur, ſuper quibus remitti debent tales abſolvendi ad majores Pœnitentiarios noſtros Coloniæ in Eccleſia noſtra Metropolitana, per nos ſpecialiter deputatos; vota etiam majora in ſeculo forſan emiſſa, vel poſt profeſſionem, in alia pietatis opera, prout ſibi videbitur, commutare, & alium notum Sacerdotum honeſtum, Religioſum vel ſecularem, ſi eum graviter infirmari vel abſentari, aut alias legitime impediri contingat, loco & vice ſui ſubſtituere & ſubrogare poſſit: & quod Mater ſive Rectrix domus capitulum culparum tenere poſſit, & delinquentes pro modo culpæ corrigere, & capitulares pœnas imponere, ac alias diſciplinam domus juxta poſſibilitatem manutenere: & quod idem Confeſſor, ſi idoneus appareat, & ad hoc ipſum requiri contingat, facere poſſit; & quod omnes Sorores ſenes cum junioribus, ipſis Viſitatori, Magiſtræ & Confeſſori in omnibus licitis & honeſtis obedire debebunt & parere,

gavi-

gaviſuræ omnibus privilegiis & indultis, veſtro Ordini, domibus & perſonis per latitudinem diœceſis noſtræ conſtitutis, per Prædeceſſores noſtros & per nos quomodolibet conceſſis & proviſis; ſalvo nobis ſemper jure noſtro ordinariæ viſitationis, ſuperioritatis & ordinationis, quemadmodum in aliis Conventibus & Monaſteriis utimur noſtræ juriſdictioni ſubjectis. Quod denique pacta & accordata inter vos & Paſtorem veſtrum inita & concepta, ac in libris deſuper editis contenta & comprehenſa, rata & inviolabilia eſſe debeant, & perpetuæ firmitatis; tamen cum ordinatione & moderamine ſemper noſtro & ſucceſſorum noſtrorum, quoties pro varietate temporis opus erit:& omnia & ſingula præmiſſa tenore præſentium decernimus, declaramus, concedimus & gratioſe indulgemus. Ad hæc ut Chriſtifidelium magis erga vos efferveat devotio, & auxiliis non fraudemini opportunis, de Omnipotentis Dei, & beati Petri Apoſtolorum Principis patroni noſtri auctoritate plenius confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſemper quoties indigentiis veſtris beneſice ſuccurrerint, & manus adjutrices ad ſtructuram & ornamenta ſacra Eccleſiæ veſtræ porrexerint, & conſilio ſeu auxilio fuerint, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: noſtro jure & cujuslibet alterius in omnibus præmiſſis ſic favorabiliter conceſſis, ſemper ſalvo & illibato: præſentibus noſtris litteris, quamdiu in Regulari Obſervantia, & honeſta & laudabili vita perſeveraveritis, duraturis: quodque ſi vos a Regulari vita & Obſervantia religioſæ diſciplinæ labi aut declinare contigerit, judicio Religioſorum virorum ad hoc ſpecialiter per nos & ſucceſſores noſtros deputandorum, ipſo facto ſine ulteriori proceſſu, præſentes noſtras litteras omni effectu vacuas, & ullas prorſus vires volumus, & decernimus penitus non habere.

Datum in Caſtro noſtro Brulæ, anno a Nativitate Domini MCCCCLXXXI. menſis Septembris die X.

MONUMENTUM MOGUNTINUM.

Confirmat erectionem Conventus Segenenſis. Ex Monum.MSS. Prov. Colon.

BERTHOLDUS Dei gratia ſanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, ſacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, ac Princeps Elector. Ad perpetuam rei memoriam.

„ CUm inter agri Dominici cultores Familia Fratrum Minorum de Obſervantia non infimum teneat locum, qui cum in re Chriſtiana tum verbo, tum exemplo uberrimos pariant fructus, ſummis ſemper favoribus & ſtudiis a nobis merito proſequuntur. Sane cum nobilis ac generoſus conſanguineus noſter cariſſimus, Joannes Comes de Naſſaw, & in Dietz, ſpirituali accenſus amore, domum & Eccleſiam, cum campanili humili,campana, cœmeterio, dormitorio & refectorio in oppido Seghen noſtræ diœceſis, pro Familia Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, de ſpeciali auctoritate & licentia ſanctiſſimi Domini noſtri Innocentii Papæ VIII. ædificari, ac Fratribus ejuſdem Ordinis eamdem acceptare impetraverit, juxta litteras ſanctiſſimi præfati Domini, quarum data eſt anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXVI. Idibus Martii, Pontificatus ſui anno III. Unde fuit pro parte Comitis & conſanguinei noſtri præfati nobis humiliter ſupplicatum, ut noſtram etiam auctoritatem, admiſſionem & confirmationem adhibere dignaremur. Nos igitur pietate rei, devotioniſque zelo,quem ad Religionem præfatam gerimus, ADDITIO ALIORUM.

Digitized by Google

„ permoti, præſatam ædificationem, & acceptationem domus & Conventus
„ prædictorum Fratrum in oppido prædicto Seghen, tenore præſentium
„ auctorizamus, admittimus & confirmamus, atque, quantum poſſumus &
„ debemus, robur noſtræ poteſtatis adjicimus: Reverentia, honore, juri-
„ buſque nobis, Eccleſiæque noſtræ Moguntinæ debitis, parochialibuſque
„ juribus ſalvis ſemper manentibus. Data apud Arcem ſancti Martini in
„ Civitate noſtra Moguntina, ſub ſigillo noſtro, die XXV. menſis Martii
„ anno Domini MCCCCLXXXIX.

Epiſtola facultativa Miniſtri Provincialis.

Frater Theodorus Remfuldt Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ per Provinciam Colonien. Miniſter Provincialis & ſervus, fratri Joachino a Rentelen, Conventus noſtri Confluenthini Guardiano, ſalutem.

„ PRæſentium ſerie tibi mando, ut te conferas ad Civitatem Sege-
„ nen. ibique coram Notario, & teſtibus competen. Conventus no-
„ ſtri realem & corporalem poſſeſſionem apprehendas, accipias &c. In
„ quorum omnium fidem haſce ſub noſtro chirographo & officii ſigillo ma-
„ jori dedi, in Conventu noſtro Colonien. anno MDCXXVII. die vero XII.
„ menſis Februarii.

Frater Theodorus Reinfeldt, qui ſupra.

„ In nomine Domini. Amen. Notum ſit quod anno MDCXXVII. XVIII.
„ Martii in mei Notarii teſtimoniorumque infraſcriptorum præſentia com-
„ parens frater Joachinus a Rentelen, Ordinis ſancti Franciſci Regularis
„ Obſervantiæ, Conventus Confluenthini pro tempore Guardianus, nomi-
„ ne Provinciæ Colonien. virtute a Rev. Patre Theodoro Reinſeldt pro
„ tempore Miniſtro Provinciæ ſibi tranſmiſſi mandati ſpecialis neceſſarios
„ actus retinendæ & reintegrandæ poſſeſſionis in Templo eorum Segenen.
„ exercere & realiter peragere propoſuit, quod & in præſentia mei No-
„ tarii in apertione Templi clavibus ordinariis, in pulſatione trina ſolemni
„ campanæ, in celebratione ſacroſanctæ Miſſæ officii in eodem Templo in
„ ſummo Altari, apertis januis publice incubuit nonnullis concurrentibus,
„ & ſpectantibus, fecit & peregit. Actum &c. præſentibus ibidem hone-
„ ſtis viris teſtibus Godkardo Spirer a Minchelbach, Nicolao Luder, &
„ Hieronymo Ambes. Petrus Flade Notarius.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ABRAHAM Bzovius corrigitur. 314. XVIII. 315. XXV. ſeqq.
Acienſis Conventus. 492. LVI.
Ægidius Barbitonſorius Epiſcopus Sareptanus. 164. LIII.
Ægidius de Brandeburg unus ex Fundatoribus Conventus Conini. 116. XXXV.
Ægidius Florentinus laicus virtutibus illuſtris. 378. XXXVIII.
Ægidius de Monte Ferrato beati Amadei diſcipulus. 323. XL.
Ægidius Ravim hoſpitale Ambianenſe extruit. 274. XXXIV.
Ægidius de Trivilio laicus ſanctitate conſpicuus. 51. XCII.
Æthiopum Regis nepos Minoritis Hieroſolymitanis cohabitat. 243. IX.
Agata Amellera a Turcis interempta. 438. XLIII.
Agienſe Monaſterium. 136. XLII.
Agnes Bizerra Tertii Ordinis oratione aliiſque virtutibus præclara. 527. LXXXIV.
Agnes Cherina Monaſterium Aſtigii extruit. 438. XLIII.
Agrigenti Conventus. 82. XIX.
Alarius Epiſcopus Cornubenſis Eccleſiam Conventus Candemii conſecrat. 389. LXIV.
Albæ Conventus. 469. XXVI.
Albertus Argentinenſis Epiſcopus Obſervantibus Conventum Saberniæ tradit. 401. XXII.
Albertus de Forlano Peruſinus ingentia a Sixto IV. Privilegia impetrat. 257. XLI.
Albertus Marcheſius doctrina præſtantiſſimus, Cotiniolæ claruit. 356. XLVI.
Albertus de Portu Morio Commiſſarius Dalmatiæ. 381. XLV.
Albienſe Monaſterium. 274. XXXI.
Alcantaræ Conventus. 436. XXXVII.
Alcarazii domus Sororum Tertii Ordinis. 419. XXXVI.
Aldenkenken domus Sororum Tertii Ordinis. 236. XXX.
Aldonſa Lopetia Tertiaria Virgo celebris. 495. LXVIII.
Alexander de Arioſtis in utroque Jure præſtantiſſimus. 244. XII. ad Maronitas mittitur. 130. XXII.
Alexander de Capha Epiſcopus Cymbalienſis. 399. XV.
Alexander Inſuber de Alexandria vir egregius. 221. IV.
Alexander VI. Pontifex Montes Pietatis ſuis litteris confirmat. 94. XIII.
Alexandriæ domus Fratrum Tertii Ordinis. 336. LXXIV.
Alicanti Monaſterium. 475. II.
Almenaræ Conventus. 180. XXVIII.
Aloyſius Puteus Burgonovanus olim Generalis Miniſter Bononiæ tumulatus. 134. XXX.
Alphonſus Aſtudilanus in Conventu Toletano ſepultus. 181. XXXIV.
Alphonſus a Cruce Belalcazaris Comes Minorita. 115. XXIX.
Alphonſus Gaufridus Conventum Moguerii extruit. 332. LXV.
Alphonſus Henrici Epiſcopus Lucenſis. 164. LIII.
Alphonſus Henriquez de Cabrera Minoritis valde addictus. 524. LXXIII.
Alphonſus de Spina Epiſcopus Thermopylenſis. 523. LXIX.
Alphonſus de Zamorra ad Inſulas Canarias ad propagandum Ordinem deſtinatus. 388. LXII.
Altæ-Muræ Conventus. 455. XXXIV.
B. Amadeo Luſitano varia privilegia conferuntur. 20. XXXII. & confirmantur. 323. XLI. Placentiæ Cœnobium adipiſcitur. 313. XVI. ægrotat Mediolani. ibid. obit in Domino. ibid. ejus recenſentur miracula. 313. XVII. 314. XIX. XX. de ejus revelationibus apologetice diſſeritur. 315. XXV. ſeqq. Pontificis litteræ ad eumdem directæ. 324. XLII.
Ambianenſis domus Sororum Tertii Ordinis. 274. XXXIV.
Ambroſius de Civitella egregius Eccleſiaſtes moritur. 169. II.
Ambroſius de Populo in Conventu Ocræ tumulatus. 235. XXV.
Anaſtaſius Mediolanenſis virtutibus illuſtris. 32. LX.
Andiſia de Pactis domum Licienſem Tertii Ordinis extruit. 117. XLII.

Andreas Alemannus Commiſſarius Romanæ Curiæ. 5. VIII.
Andreas a Colle primus familiæ Obſervantum Guardianus Conventus Montis Alvernæ. 164. LI.
Andreas Dermeck Monaſterium Grantmezæ extruit. 357. LVI.
Andreas Laicus virtutibus illuſtris. 455. XXXIII.
Andreas de Malvenda Inquiſitor, & Epiſcopus Ebroicenſis. 16. XXX.
Andreas de Nurſia corpus ſancti Franciſci cum Sixto IV. inviſit. 146. IV.
Andreas Parmenſis Guardianus Montis Sion. 5. VIII.
Andreas Rex Polonus Cracoviæ decidit. 209. XXXIX.
S. Angeli in Vadum Monaſterium. 389. LXVI.
Angelina Antonii in Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginei obit. 478. XI.
Angelus de Barbianis Epiſcopus Mutilenſis. 330. LVIII.
Angelus de Clavaſio floret. 232. XIV. iterato Vicarius Generalis eligitur. 194. VIII. 380. XLIV. Commiſſarius, & Nuncius Bullæ Cruciatæ ſtatuitur. 270. XIX. Vercellis Montis Pietatis promovet erectionem. 95. XIII. Litteras Filiationis Ordinis Principibus de Carreto expedit. 237. I. eidemque Pontifex ſcribit. 529. III.
Angelus ab Hello vir egregius in Conventu Brinantii initiatus. 469. XXIV.
Angelus Laicus pietate floret. 453. XXVI.
Angelus Oſtrovius floret in provincia Poloniæ. 268. XV.
Angelus Paravicinus provinciæ Mediolanenſis Miniſter. 469. XXIII.
Angelus del Pas Conventus ſancti Petri in Monte Aureo Urbis incola. 50. LXXXVIII.
Angelus de Slavis Laicus a paupertate, & humilitate commendatus. 492. LII.
Anglibertus Comes Ogetinus poſtulat, quamdam Capellam Obſervantibus concedi. 82. XVIII.
Angliæ Conventus Obſervantum Vicariæ Coloniæ ſubjiciuntur. 422. II.
Angliæ Conventus tres. 274. XXX.
Anicetus de Brixia Candiæ Vicarius. 381. XLV.
Anna Poloniæ Regina Minoritis addicta. 236. XXIX.
Annibal a Lovara de Conventu Serræ valde meritus. 113. XXV.
Annulus Pronubus beatæ Mariæ Virginis a quodam Minorita Peruſinis datus. 431. XX.
Annus quando apud Pontifices incipit. 170. II.
Antonella Plagona domus Tertiariarum Trani fundatrix. 218. LXVII.
Antonia Florentina Tertiaria dat Clariſſis nomen. 33. LXII ejus virtutes. 33. LXIII obit in Domino. 34. LXV. magna colitur veneratione. ibid. ejus miracula. ibidem. corpus ejus integrum & pulchrum inventum. 35. LXVI.
Antonius a ſancto Angelo Baſilicatæ Vicarius. 266. VII.
Antonius de Balocho Vercellis floret. 351. XXXV.
Antonius Bouſandinus obit. 325. XLVI. ejus epitaphium. 326. XLVI.
Antonius Bonitus a Cuccharo Epiſcopus Montis Marani. 435. XXXI.
Antonius de Burgundia ſancti Minechaldis Comes Conventui ſancti Theodorici dat initia. 525. LXXV.
Antonius de Caſtro ſancti Joannis moritur. 327. XLIX.
Antonius de Ceriatana laicus vitæ admirabilis. 216. LVIII.
Antonius Elvenſis Regi Joanni II. a confeſſionibus obit. 498. III.
Antonius Fabianus Cardinalis de Monte apud ſanctum Petrum in Monte Aureo de Urbe tumulatus. 47. LXXXII. ejuſque epitaphium. ibid.
Antonius de Feltrio a germano Bernardino allectus ad Ordinem. 74. IX.
Antonius Ferrarienſis a Sixto IV. ad Abyſſinos deſtinatus. 243. X.
Antonius a Caſtro ſancti Joannis ad Montem Argentarium Regulæ reformator accedit. 127. XVII. moritur. 263. VII.
Antonius de Latiis Cardinalis Arcimboldi ſuffraganeus Eccleſiam Conventus Viglevani conſecrat. 165. LVII.
Antonius Lotharingiæ Dux in Conventu Nancei ſepultus. 332. LXVI.
Antonius de Medicis Epiſcopus Marſicanus. 95. XIV. 386. LVI.
Antonius de Modoetia ad Abyſſinos a Pontifice deſtinatus. 243. X. & apud Indos Miſſionum præfectus. 331. LX.
Antonius Novarienſis provinciæ Candiæ Vicarius. 266. VII.
Antonius Picenus Poeta egregius floret. 353. XLI. Dantis carmina in Latinam linguam vertit. ibidem.
Antonius a Radoniſco moritur. 428. XI. mirabilis ejus vocatio ad Ordinem. ibidem.
Antonius de Raesfeldt Guardianus Lydenſis Cœnobium Dorſtanum ædificari curat. 437. XL.
Antonius de Saponaria doctrina illuſtris. 134. XXIX.
Antonius Vercellenſis Montium Pieta-

tatis erectionem promovet. 95. XIII.
Antonius Ulyſſiponenſis a Rege Luſitaniæ in Æthiopiam miſſus. 429. XV.
Apollonia Tertiaria miraculis celebris. 134. XXX.
Aquilarii Campeuſis Monaſterium. 85. XXIX.
Aquilæ S. Hieronymi Domus Sororum Tertii Ordinis. 401. XXV.
Arbenſis Conventus. 492. LV.
Archuanus Conventus. 435. XXXIII.
Areimboldus Cardinalis Corpus ſancti Franciſci inviſit. 394. I.
Areæ Conventus. 117. XXXVIII.
Arevali Domus Sororum Tertii Ordinis. 495. LXVIII.
Arohemii Conventus. 438. XLI.
Aſiſii Conventus. 82. XIX.
Aſtigii Monaſterium. 438. XLIII.
Aſualfarachæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 236. XXXI.
Atellæ Conventus. 126. XIII.
Auctoritas abſolvendi a caſibus reſervatis ad ſolos Provinciales ſpectat. 223. IV.
S. Audomari Conventus. 217. LXII. & Monaſterium. 217. LXIV.
Auguſtinus de Lentz Epiſcopus Montis Marani. 168. I. 178. XXII.
SS. Auxiliatorum Conventus. 88. III.

B

Balthaſſar a Caſtro novo a Religione, & puritate commendatus. 114. XXVII.
Balthaſſar Piſcianus pro ineunda pace, ad tres Reges a Sixto IV. Legatus. 222. I.
Balthaſſar a Vigouo Religione clarus. 81. XVII.
Baptiſta de Lubige Medicinæ peritiſſimus. 194. VIII.
Barbara Bergomenſis clara miraculis Monaſterii Vercellarum fundatrix. 136. XLI.
Bareni Conventus. 55. CIV.
Barnabas Interamnenſis primus inventor Montis Pietatis. 93. XI. ſæpe ad Ordinis dignitates aſſumptus. 93. IX. ejus virtutes. ibidem. Regularem Obſervantiam plurimum promovet. 93. X. ante mortem tria petit & conſequitur. ibidem. moritur. 93. IX.
Barramedæ Monaſterium. 472. XXXVI.
Bartholomæa Rammon a virtutibus commendata. 438. XLIII.
Bartholomæus de Apone miraculis clarus decedit. 351. XXXIII.
Bartholomæus Buſellus a Nello Eccleſiam Conventus Frattarum ſuis ſumptibus extruit. 272. XXIII.
Bartholomæus de Colle Vicarius Candiæ. 126. X. moritur. 208. XXXVII.
Bartholomæus de Collionibus Monaſterium Bergomi ædificare cogitat. 56. CVIII. 135. XL.
Bartholomæus de Giſulfis Epiſcopus Tripolitanus. 232. XVI.
Bartholomæus Loredanus Commiſſarius Provinciæ ſancti Antonii. 353. XXXIX.
Bartholomæus Rovereus Sixti IV. nepos Epiſcopus Ferrarienſis, & Patriarcha Antiochiæ. 232. XV.
Bartholomæus a Saluthio vitæ, doctrinæque admirabilis ubi ſepultus. 50. LXXXVIII.
Bartholomæus de Soria Epiſcopus Almerienſis. 81. XV.
Baſilicatæ Provincia erigitur. 381. XLVI.
Baſioianæ Conventus. 491. LII.
Baſtiæ Conventus. 83. XXIII.
In Bavaria Conventus. 401. XX. & Monaſteria. 401. XXIII.
Bazenſis Conventus. 492. LVII.
Beatrix Gutierrez Monaſterii S. Agnetis Cordubenſis fundatrix. 137. XLIV.
Beatrix Hermoſilla Tertiaria pietate celebris. 403. II.
Beatrix Portugalliæ Regina Monaſterium Pacis Juliæ extruit. 392. II. & Monaſterio Conceptionis dat initia. 472. XXXIV. 472. XLI.
Beatrix Ruſca pietate celebris obit. 478. X.
Bechinæ Conventus. 526. LXXIX.
Belalchazaris Conventus. 114. XXVIII. & Monaſterium. 389. LXVII. 439. XLVII.
Belgicæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 185. XLV. 472. XXXIX.
Belgioſi Conventus. 524. LXXII.
Bellimontis Monaſterium. 494. LXIII.
Bellovaci Domus Sororum Tertii Ordinis. 333. LXXI.
Benedictus Florentinus moritur. 327. XLVIII.
Benedictus Valentinus Regi Catholico Ferdinando a ſacris Confeſſionibus & inſignis concionator, ante & poſt obitum miraculis claret. 475. I.
Bergomenſe Monaſterium. 56. CVIII. 135. XL.
Bernardina Roſa præclara Virgo. 475. V.
Bernardinus de Barbiano Epiſcopus Vigilienſis. 164. LIII.
Bernardinus de Bitetto Vicarius Provinciæ Apuliæ. 178. XXIII.
Bernardinus de Buſtis cujuſdam Officii

de

de Immaeulata Conceptione Auctor. 254. xxxvii. erectioni Montium Pietatis adverſantes ſcripto confutat. 94. xiii.

Bernardinus Carvajalius Cardinalis contra Julium II. Concilium Piſanum convocat. 323. xxxix.

Bernardinus a Caſtro viridi ubi tumulatus. 455. xxxiii.

Bernardiuus a Caymis Commiſſarius Terræ ſanctæ. 178. xxi. apud Ferdinandum Regem Apoſtolicus Nuncius. 352. xxxv. Vicarius Provinciæ Mediolanenſis fit Vicarius Calabriæ. 381. xlv.

B. Bernardinus Feltrenſis fratrem germanum ad Sodalitium trahit. 74. ix, Incipit cum laude prædicare. ibidem. prædicat Tridenti. 132. xxvi. B. Simonem puerum a Judæis dire occiſum denunciat. ibidem. Novellariæ magno cum fœnore prædicat. 163. xlix. item Regii Lepidi. ibidem. ſuos docet Conſodales. 163. l. moratur, & concionatur Patavii. 164. l. & Venetiis. 175. xv. & xvi. Genitori ingentem reverentiam exhibet. 175. xv. a Michele de Carcano laudatur. ibidem. utriuſque prædicandi methodus. 175. xvi. verbo & opere eximium ſe prodit. 195. xii. peſte ſæviente prædicare non deſinit. ibidem. morientes in peſtilentum obſequio pro Martyribus habendos aſſerit. 196. xiii. ſtipem oſtiatim colligit. ibidem. apud Tarviſium etiam fructuoſe concionatur. 229. vii. Item Belluui, Vincentiæ & Paduæ. ibidem. Bergomi quoque & Papiæ. 243. xi. inſectatur Hebræos. 244. xi. Mulierum fugit alloquium. ibidem. Prædicanti revelatur Genitoris obitus. ibidem. ſuæ Provinciæ Definitor eligitur. 267. xi. pluribus in locis magno cum fructu prædicat. ibidem. & xii. xiii. xiv. Item Romæ per quadrageſimam ad Aramcœli quotidie cum Cardinalium interventu. 328. liii. Campaniani, Bononiæ, Regii, & Mantuæ. 329. liv. Ferrariæ. 352. xxxviii. ſuæ Provinciæ Vicarius eligitur. 353. xxxix. Finibus exulat Venetis. ibidem. in Comitiis Generalibus egregius orator. 382. xlix. non permittitur Præfecturam deponere. ibidem. quando Prædicator Apoſtolicus inſtitutus. 382. l. magno applauſu prædicat Mantuæ. 383. li. Principum errores reprehendit. ibid. inde minus gratus Marchioni Mantuano. 383. lii. quem tamen prudenter ſibi reconciliat. ibidem. fame pereuntibus ſuccurrit. 384. liii. ſuadet Montis Pietatis erectionem. 384. liv. vocatus Perusium prædicat in Templo Servitarum. 396. viii. quanto fructu. 397. ix. Aſtrologis infenſus. 397. x. prædicans Peruſii ſpectacula tollit inhoneſta. 397. xi. Aſſiſii Montem Pietatis erigit. 398. xii. Parmæ multum fert fructum. 398. xiii. Bononiæ juſſus prædicare obſequitur. 399. xiii. jubetur prædicare Peruſinis. 405. v. & Bononienſibus. 406 vi. ſecundo paret præcepto. 406. vii. revocatis prioribus præceptis jubetur Parmam proficiſci. ibidem. quo fructu ibi ſermones habet. 407. viii. invitatur a Florentinis. 407. ix. quidam ei parant ruinam, ſed fruſtra. 407. x. Mutinæ energumenam coercet, & in mulierum vanos ornatus invehit, ac fructuoſe concionatur. 407. xii. xiii. xiv. venenum ei parat Hebræa, ſed fruſtra. ibid. prædicat Ferrariæ & Eugubii. 409. xv. item Peruſii ubi peſtem & ferales inimicitias abigit, ac inteſtina bella extinguit. 409. xvi. xvii. 415. xxii. ſuper prædicantis caput ſtella apparet. 410 xvii. in pretio babetur apud Innocentium Pontificem. 410. xix. Tudertinos pacificat. 430. xvii. prædicans Peruſii annulum pronubum B. *Mariæ Virginis* honeſtius reponi facit. 430. xviii. S. Joſephi ſodalitatem ibidem inſtituit. 431. xxi. ejus doctrina miraculis confirmatur. 431. xxii. Spoletum a Pontifice miſſus fructuoſe prædicat. 432. xxiv. Aſſiſii prædicans die Pentecoſtes variis loqui auditur linguis. ibidem. Spoletum rediens, ibi multa operatur bona. ibidem. Conciones habet Trevii, Fulginei. 433. xxv. Nurſiæ. 433. xxvi. Item Eugubii, Callii, Piſauri, Arimini, Ravennæ, Ferrariæ, Mantuæ, Parmæ, & aliis in locis. 434. xxviii. malo mercatori mala & latrunculo ſuſpendium prædicit, & ſequuntur. 434. xxx. Parmæ Cleri reformationi intendit, & Montem erigit Pietatis. 445. vi. Florentiæ de hoc erigendo Monte agens magnam patitur contradictionem. 446. ix. x. ei ſilentium indicitur, & mox exilium. ibidem. ſceleſti viri trucidare intentant. 447. xi. Senis reliquos proſequitur ſermones quadrageſimales. 447. ibidem. ubi factiones evertit. 447. xii. flammæ igneæ ab ejus ore procedunt. 448. xiii. Peruſii viris factioſis Dei vindictam prædicit. 449. xv. Luſores divinitus plectuntur. 449. xvii.

in

In Urbe veteri magno cum fœnore prædicat . 450. xviii. Tudertinam urbem beatæ Virgini conſecrat . 450. xx. Aqoilæ conciones habet fructuoſas . 451. xxii. 462. vi. magnas patitur Judæorum contradictiones . 451. xxiv. Reate , & Theate Montes erigit Pietatis . 462. vii. & Narniæ . 463. viii. jubetur Peruſii , & Romæ prædicare . 463. viii. ix. x. xi. at Senenſes obtinent , ut apud ſe prædicet . 464. xii. ſuadet ne pro curandis Chriſtianis medici admittantur Hebræi . 464. xiii. Lucæ prædicans reprehendit eorum fautores , & Montem Pietatis erigit . 464. xiv. xv. Luca recedens , per obvia loca , & aliis in Urbibus & oppidis , Genuæ præſertim concionatur . 466. xvii. Item Savonæ . 479. xiv. denuo Genuæ magno cum fructu. 479. xvi. Mediolani . 480. xviii. Landæ & Placentiæ , ubi Montem erigit Pietatis , & diſſenſiones componit . 481. xix. Item Cremonæ . 481. xx. Patavii . 481. xxi. ibi Montem Pietatis inſtituit . 482. xxi. 512. xlvii. Bononiæ concionatur , & aliis in locis . 511. xliv. xlv. xlvi. & ſeq. Ravennæ Montem erigit Pietatis . 514. l. li. multa Ravennatibus præſtat beneficia, ac Faventinis . 515. lii. Faventiæ inimicitias extinguit . 515. liii. , & ſeq. ibi pio detinetur artificio . 516. lvi. Cremonæ prædicat , & Mediolani , 516. lvii.

Bernardinus de Foſſa in Conventu Ocræ tumulatus . 235. xxv.

Bernardinus Rendanus inſignis Concionator . 216. lx.

Bernardus de Capua Sixto IV. a ſacris Confeſſionibus . 252. xxx.

Bernardus Mandelus moritur . 498. iii.

Bernardus Trameſius Inquiſitor Lugdunenſis . 16. xxx.

Bertrandus a Turre Conventum Vicecomitis extruit . 83. xxv.

Bertrandus Epiſcopus Bethleemitanus Eccleſiam Conventus Vicecomitis conſecrat . 84. xxv.

Bertholdus Epiſcopus Hildeſemenſis Luneburgum Obſervantes introducit. 471. xxxiii.

Beſſarion Trapezuntinus Cardinalis Ordinis Protector moritur . 46. lxxx.

Bevanienſis Conventus . 435. xxxiii.

Bidgeſtienſis Conventus . 252. xxxi.

Biezi Conventus . 116. xxvi.

Blanca Reginæ Navarræ ſoror apud Minores tumulata . 231. xiii.

Blaſius Lithuanus prudentia , & humilitate celebris . 252. xxxi.

Blaſius a ſancto Michaele laicus in Conventu Safræ ſepultus . 251. xxv.

Bolſuardiæ Conventus . 84. xxviii.

Beati Bonaventuræ canonizatio proponitur. 193. vi. ejuſdem canonizationis præludia . 285. ii. ejus Patria & Parentes. 287. iii. puer adhuc graviſſime ægrotat , ſed a Matre ſancto Franciſco devotus convaluit . ibid. fit Minorita, & ſub Magiſtro Alenſi mire proficit in doctrina . ibidem. quo doctior eo humilior . 288. iii. triſtes benigne ſolatur . ibidem . deligitur in Generalem Ordinis Miniſtrum . ibidem . Regulam exponit , & Ordinem reformat ac contra detractores defendit . ibidem . multa circa ritus Eccleſiaſticos utiliter inſtituit . 289. iii. ſancti Antonii linguam reverenter reponit . ibidem . Eboracenſem oblatam Eccleſiam renuit accipere. ibidem. doctiſſimos ſcribit libros . ibidem . trecenta opuſcula edidiſſe narrant Ordinis monumenta . ibidem . creatur Cardinalis Epiſcopus Albanus . 290. iii. opera ejus Græci ad Eccleſiam redeunt . ibidem . aſpectus ejus gratioſus omnium favorem conciliabat . ibidem . ejus virtutes . ibidem . ſancti Franciſci de eo vaticinium . ibidem. Angelus ei defert partem hoſtiæ conſecratæ . 291. iii. ſanctus Thomas Aquinas ejus amicus a terra ſublevatum videt . ibidem . varia ejus miracula . ibidem , & 292. iii. 293. iii. 294. iii. epilogus virtutum . 295. iii. multi Principes ejus canonizationem efflagitant. ibidem. Tandem canonizatur a Sixto IV. 296. iv. Bulla canonizationis refertur . ibidem. multa præſtitit in Ordine Minorum, & in Eccleſiæ obſequium . 297. iv. Anniverſaria ejus ſolemnitas celebranda . 299. iv. Feſtum ejus inter feſta ſacri Palatii connumeratur . 300. iv. enunciatur Fratribus facta canonizatio. 301. v. mirum quod tandiu hæc dilata ſit canonizatio . 302. vi. vii. cur rejecto Archiepiſcopatu Cardinalatum admiſerit . 302. viii. Pronunciatur a Sixto V. Doctor Eccleſiæ , & ejus doctrina commendatur. 304. ix. in Concilio Lugdunenſi vocatus *Eutychius* . 305. ix. ſanctorum Thomæ & Bonaventuræ elogia . 306. ix. ſancti Bonaventuræ Collegium in Urbe a Sixto V. inſtituitur . 306. ix. & ejus opera imprimi curantur . ibidem . & doctrina multipliciter laudatur . 308. ix. quo die ejus feſtivitas colenda . 309. iv. Indulgentia in ejus die feſto . ibidem .

Bo-

Digitized by Google

Bonaventura de Cremona beati Amadei diſcipulus . 323. XL.
Bonaventura Sublacenſis Pſeudopropheta. 323. XXIX.
Bononiæ SS. Annunciationis Conventus. 134. XXX.
Braccius Ballionius Conventus Spelli conſtructionem ſuis ſumptibus adjuvat . 112. XX.
Brandi Conventus . 114. XXVII.
De Breyo Conventus . 116. XXXIII.
Briellenſe Monaſterium. 358. LVIII.
Brinantii Conventus . 469. XXIV.
Brittanniæ Conventus . 417. XXIX.
Brixiæ Monaſterium . 117. XL.
Brubæ Conventus . 493. LIX.
Brulenſe Monaſterium . 418. XXXIV.
Bulla . V. *Epiſtola* .
Bulla Cruciatæ an ſit licitum Regularibus uti . 394. II.
Burdigallenſis Conventus. 437. XXXVIII.
Buſſoducis Monaſterium . 57. CX.
Butrich in Monacho Domus Sororum Tertii Ordinis . 391. LXXII.
Buxeti Conventus . 114. XXVII.
Buxenti Conventus . 435. XXXIII.
Bzovii menda corriguntur . V. *Abraham Bzovius*.

C

De CAçeres Conventus . 52. XCIV.
Cadanenſis Conventus . 84. XXVI. 360. II.
Calaritanus Conventus . 235. XXVI.
Calderolæ Conventus . 81. XVI.
Calcerandus de Andrea Epiſcopus Leghlinenſis . 387. LVI.
Calitri Conventus . 250. XXIII.
Calvatoni Conventus . 492. LIII.
Camerinenſe Monaſterium . 357. LV.
Camilla de Piis de Sabaudia Carpenſis Monaſterii fundatrix . 493. LXI.
Campenſis Domus Sororum Tertii Ordinis . 439. XLV.
Campi Aquoſi Conventus . 57. CXIV.
Canariæ Conventus . 252. XXVIII. Cuſtodiæ Hiſpalenſi uniuntur . 422. II.
Canini Conventus . 81. XVI.
Canonici Lateranenſes Templum Pacis a Sixto IV. conſequuntur in Urbe. 2. II.
Capitula Generalia totius Ordinis, Ferrarienſe . 3. VI. Urbini . 124. VII.
Capitula Generalia Conventualium, Aſſiſii . 497. I. Ferrariæ . 3. VI.
Capitula Generalia Obſervantum Ciſmontanorum , Aquilæ . 3. VI. Neapoli . 125. IX. Aſſiſii . 422. I. Brixiæ. 330. LVII. Ferrariæ . 266. VII. Papiæ . 194. VIII. Urbini . 461. I.
Capitula Generalia Obſervantum Ultramontanorum, Brugi . 382. XLVIII. Caſtri Rodulphi . 194. X. Fontis. 461. II. Montis Lucii . 266. VII. Toloſæ . 422. II. Audomari . 125. VIII. Baſileæ. 6. XI.
Caravagii Conventus . 51. XCII.
Carcaſſonæ Conventus . 235. XXVII.
Cardenoſæ Conventus . 115. XXX.
Carolota Regina Cypri e Regno pulſa , a Sixto IV. Romæ excipitur . 144. X.
Carolus Audax Conventum Monſteroli extruit . 135. XXXV.
Carolus de Barbianis Conventus Belgioſi fundator . 524. LXXII.
Carolus Caraffa Ordini addictiſſimus , Conventum Montis Sarchii ædificat . 250. XXIII.
Carolus V. Imperator canonizationem ſancti Jacobi Piceni poſtulat . 158. XLIII.
Carolus de S. Severino Conventum *del Pizzo* nuncupatum extruit . 113. XXIV.
Carpenſe Monaſterium . 493. LXI.
Caſſandra Aquilana bona ſua pro Monaſterii extructione in eadem urbe relinquit . 401. XXV.
Caſtri S. Theodorici Conventus . 525. LXXV.
Catanzarii Conventus . 250. XXII.
Catarina Alvarez virtutibus illuſtris . 419. XXXVI.
Catarina Aragonia in Monaſterio Pacis Juliæ floret . 393. III.
Catarina Beaufortia Turonenſium Comitiſſa in Conventu ſancti Pergeti tumulata . 470. XXXI.
Catarina Boſnæ Regina ad lucrandam Jubilæi Indulgentiam Romam proficiſcitur . 123. III. moritur . 213. L. in templo ad Aram-Cœli tumulatur . ibidem .
Catarina Gonſalva Diabolum illudit . 419. XXXVI.
Catarina Hannſſora Tertii Ordinis de Leopolienſi Domo valde merita. 253. XXXVI.
Catarina Henriquez Monaſterii Aquilarii fundatrix . 85. XXIX.
Catarina Joannæ Caſtellæ Principis amita Clariſſa . 245. XIV.
Catarina Medicea Conventui Vicecomitis addicta . 84. XXV.
Catarina Lopetia Domum Sororum Tertii Ordinis Viſnenſem extruit . 456. XXXIX. ibique habitum Regularem ſuſcipit & ſanctiſſime moritur . ibidem .
Catarina de S. Milan Tertiaria dæmonibus inviſa . 419. XXXV.
Catarina de Pazzis Philippæ Mediceæ diſcipula . 444. V.
Catarina Pinel Domus Sororum Tertii Or-

Ordinis Xereſii fundatrix. 527. LXXV.
Catarina de Poliniaco Conventum Baſtiæ conſtruit. 83. XXIII. ibidem tumulata. 83. XXIV. ejuſque epitaphium. ibidem.
Catarina Ponce Clariſſa Turcarum captiva. 438. XLIII. in gente efferaReligioſis inſtitutis intenta, Divinum quotidie recitat officium. ibidem. Puerulis educandis a Turcis adſtricta, ipſos in fide Catholica inſtruit. ibidem. ad ſuos reſtituta pie moritur. ibidem.
Catarina de Quadia pœnitentia admirabilis. 527. LXXXIV.
Catarina de Salerno Monaſterio Regienſi ingentia beneficia confert. 390. LXX.
S. Catarina Senenſis non cum Stigmatibus pingenda. 37. LXIX. 41. LXXIII. 42. LXXIV. 43. LXXV. ſeq.
Catarina Siutes a virtutibus plurimis commendata. 438. XLIII.
Catarina de Spiritu ſancto in Monaſterio Pacis Juliæ emicat. 393. III.
Catarina Turnabona dat Clariſſis nomen. 274. XXXI.
Catarina Valentis Divinis apparitionibus aſſueta obit. 243. VIII.
Catarina Vovalca de Domo Leopolienſi benemerita. 253. XXXVI.
Catarina de Wetzflaria Domus Sororum Beſtelich Miniſtra. 527. LXXXVI.
Celetæ Conventus. 116. XXXIV.
Centum fontium Conventus. 400. XVIII.
Ceptenſis Conventus. 53. XCVI.
Cervariæ Conventus. 237. XXXI. 332. LXV.
Cheriaci Conventus. 388. LXXIII.
Cherubinus Paravicinus Provinciæ Mediolanenſis Miniſter. 469. XXIII.
Cherubinus Spoletanus Apoſtolicus Concionator inſtituitur. 74. VIII. floret. 244. XII. moritur. 369. XV. quæ acciderunt viventi narrantur. ibidem. ſeq. Ejus præclaræ dotes. 371. XIX. devotio erga SS. Eucharistiæ Sacramentum & pia inſtituta in ejus venerationem. ibidem. Viſiones. 371. XX. & miracula. 370. XVII. 373. XXV. Montium pietatis erectionem promovit. 95. XIII. & Indulgentias pro ſalutantibus Virginem ad campanæ pulſum obtinuit. 138. XLVI.
Chii Conventus. 381. XLVII.
Chriſoſtomus Poniet Vicarius Generalis. 269. XVI.
Chriſtiernus Daciæ Rex in Urbe ab Pontifice cum honore ſuſcipitur. 73. V. Reformationem Ordinis in ſua ditione approbat. 84. XXVIII.
Chriſtophorus Mediolanenſis Viglevani tumulatus. 165. LVII.
Chriſtophorus de Variſio de provinciis Auſtriæ, Boemiæ, & Poloniæ optime meritus. 498. IV. obit. ibid. fuit in Sacra Scriptura, & in utroque Jure peritiſſimus. 498. V. quatuor dicebat eſſe Religionis capitalia mala. ibid.
Civitatis Novæ Conventus. 53. XCVII.
Civitatis Caſtelli Monaſterium. 457. XLIV.
Civitatulæ Monaſterium. 438. XLIII.
Clangucayn Carill. domus Fratrum Tertii Ordinis. 336. LXXIV.
B. Claræ de Monte Falco corpus habitu Clariſſarum contectum. 521. LXV. ſeqq. num fuerit Clariſſa. 519. LXI. ſeqq.
Clarenorum Congregatio in duas claſſes diviſa. 78. XII.
Claudia de Valois in Conventu Nanceii tumulata. 332. LXVI.
Claudius Roletus martyrium a Calviniſtis paſſus. 53. XCVII.
Claudius de Urſe Conventum Baſtiæ conſtruit. 83. XXIII.
Cloſcorburenſis domus Sororum Tertii Ordinis. 419. XXXVII.
Cocus paupertatis metas tranſiliens corrigitur. 127. XVI.
Coelfeldiæ domus Sororum Tertii Ordinis. 168. LXVIII.
Collectaneorum controverſia circa Reformationem ſopitur. 17. XXXI.
Coloniæ domus Sororum Tertii Ordinis. 184. XLII. 439. XLVI.
Comitia Ordinis. V. *Capitula*.
Comitia Electorialia de Romanorum Rege creando coguntur. 145. II.
Complutenſe Monaſterium. 438. XLIV.
Compoſtellæ Conventus reformatur. 218. LXX.
De Conceptione beatæ Virginis acris agitatur controverſia. 169. I. Marpurgi feſtum indicitur. 233. XVII. Officium a Bernardino de Buſtis compoſitum approbatur, 254. XXXVIII. dies celebrandæ feſtivitatis ſtatuitur. 257. XLI diſſidium de ea oritur Ferrariæ. 309. X. ubi habetur celebris diſputatio ibid. ſeqq.
Coneglani Conventus. 273. XXVI.
Confeſſio Generalis frequens num utilis. 499. VI.
Confeſſionalis forma per Sixtum IV. edita. 226. VI.
Congregatio Fratrum de Pœnitentia Mediolani. 185. XLVI.
Congi Rex ad fidem a Minoritis cum ſuis converſus. 483. XXV. ea, quæ in negotio hujuſmodi evenerunt. ibid. ſeqq.
Conini Conventus. 116. XXXV.

Conradus Seber de Semer ſacræ Theologiæ Magiſter Friderici Imperatoris Sacellanus. 46. LXXXI.

Conventuales non moleſtari Pontifex jubet. 246. XVI.

Conventus Acienſis. 492. LVI. Agrigenti. 82. XIX. Albæ. 469. XXVI. Alcantaræ. 436. XXXVII. Almenaræ. 180. XXVIII. Altæ Muræ. 455. XXXIV. Angliæ tres. 274. XXX. omnes Vicariæ Coloniæ ſubjiciuntur. 422. II. Arbenſis. 492. LV. Archuanus. 435. XXXIII. Areæ. 117. XXXVIII. Arnhemii. 438. XLI. Aſilli. 82. XIX. Atellæ. 126. XIII. ſancti Audomari. 217. LXII. ſanctorum Auxiliatorum. 88. III. Bareni. 55. CIV. Baſinianæ. 491. LII. Baſtiæ. 83. XXIII. in Bavaria. 401. XX. Bazenſis. 492. LVII. Bechinæ. 526. LXXIX. Belalcbazaris. 114. XXVIII. Belgioſi. 524. LXXII. Bevanienſis. 435. XXXIII. Biezi. 116. XXVI. Bidgeſtienſis. 252. XXXI. Bolſuardiæ. 84. XXVIII. Bononiæ SS. Annunciationis. 134. XXX. Braudi. 114. XXVII. de Breyo. 116. XXXIII. Briuantii. 459. XXIV. Brittanniæ. 417. XXIX. Brubæ. 493. LIX. Burdigalenſis. 437. XXXVIII. Buxeti. 114. XXVII. Buxenti. 435. XXXIII. de Carçeres. 52. XCIV. Cadanenſis. 84. XXVI. 360. II. Calaritanus. 235. XXVI. Calderolæ. 81. XVI. Calitri. 250. XXIII. Calvatoni. 492. LIII. Campi Aquoſi. 57. CXIV. Canariæ. 252. XXVIII. Cuſtodiæ Hiſpalenſis uniuntur. 422. II. Canini. 81. XVI. Caravagii. 51. XCII. Carcaſſonæ. 235. XXVII. Cardenoſæ. 115. XXX. Caſtri ſancti Theodorici. 525. LXXV. Catanzarii. 250. XXII. Celetæ. 116. XXXIV. Ceptenſis. 53. XCVI. Centumfontium. 400. XVIII. Cervariæ. 237. XXXI. 332. LXV. Cheriaci. 388. LXIII. Chij. 381. XLVII. Civitatis Novæ. 53. XCVIII. Compoſtellæ reformatur. 218. LXX. Coneglani. 273. XXVI. Conini. 116. XXXV. Corbechi. 235. XXVIII. 401. XX. Corneti. 436. XXXV. Cotiniolæ. 356. XLVI. Cremonæ. 234. XX. Creſcentini. 234. XXI. Crutzenaci. 53. XCIX. in Dacia reformantur. 217. LXIII. 527. LXXXVII. Danici. 84. XXVIII. Deſerti Venetiarum. 185. XLVII. Diani. 112. XXII. ſancti Dinani. 253. XXXIV. Dorſtani. 437. XL. Drepani. 82. XIX. Dunangalienſis. 84. XXVII. Ebolitanus. 491. L. Elginii. 236. XXVIII. Elijanus. 493. LX. Eudenuæ. 435. XXXII. Fabrianenſis Annunciationis. 453. XXVIII. Fevolchedoſii. 356. L. Fivizani. 491. LI. Fixæ. 456. XXXVII. Fori Sempronii. 51. XCII. Frattarum. 272. XXIII. Furnii. 454. XXX. Gaudiui. 273. XXV. Garobiliarum. 166. LIX. ſancti Geneſiii. 272. XXIV. Glaſconenſis. 56. CVI. Glemonæ. 416. XXV. Gloeſiæ. 135. XXXVIII. Gravinenſis. 113. XXIII. Grenevienſis. 252. XXXII. Grevenalveshagenſis. 401. XX. Groſſeti. 234. XXII. Gruppiæ. 116. XXXVII. Guami. 401. XXI. Guterboe. 166. LXI. Herbæ. 468. XXIII. Herduniæ. 388. LXXII. Herendaliæ. 56. CV. Hiberniæ reformantur. 217. LXIII. 332. LXVII. Hoſtiliani. 134. XXXII. Januenſis. 435. XXXIV. Januenſis de Pace. 468. XXII. Javorii. 470. XXXII. Inſulæ Sanctorum. 401. XXI. Inſulæ de Walen. 492. LVIII. Interamnæ. 51. XCI. Kempenſis. 182. XXXVII. Kilcuylini. 418. XXXII. Landernii. 389. LXIV. Lapiri. 179. XXVI. de Lappa. 469. XXV. de Luredo. 85. I. Legneii. 252. XXIX. Leodienſis. 438. XLII. Leontini. 134. XXXII. Ligenictii. 526. LXXX. Lignicenſis. 542. VII. Lislenſis. 53. XCVII. Loxæ. 470. XXVIII. Luneburgenſis. 471. XXXIII. Luſzchen. 166. LI. Luſurgii. 82. XXI. Malleacenſis. 357. LII. Manliani. 435. XXXIII. Marianæ. 179. XXVII. de Martina in Apulia. 85. I. Martinæ. 113. XIII. Maſſeriarum. 470. XXX. Maſſilienſis. 252. XXX. *Mazaræ*. 113. XXVI. Meningenſis. 166. LXI. Meſtrii. 249. XIX. Methymnæ Rivi ſicci. 524. LXXIII. Milevitanus. 331. LXIV. Modicanus. 216. LVIII. Moguerii. 332. LXV. Monachii. 258. II. Moneliæ. 387. LIX. Monopolis. 524. LXXII. Monſteroli. 135. XXXV. Montis Politiani. 378. XXXVIII. Montis Regalis in Pedemonte. 114. XXVII. Montis Regalis in Aquitania. 357. LI. Montis Rotundi. 435. XXXV. Montis Sarchii. 250. XXIII. Montis Savini. 356. XLVII. Montis ſancti Tuderti. 453. XXVII. Motæ. 454. XXIX. Mondexarii. 417. XXXI. Namurcii. 400. XIX. Nancei. 332. LXVI. Narnienſis. 355. XLIV. Naſi. 249. XVIII. Neocaſtri. 52. XCIII. Novæ Domus. 135. XXXIX. Novelodoſiæ. 273. XXIX. Novi Vici. 456. XXXVI. Noviomagenſis. 493. LIX Ocræ. 235. XXV. S. Onuphrii de Lappa. 469. XXV. Oppidi ſancti Martini. 491. LII. Oſarii. 492. LIV. Pactenſis. 216. LVIII. Palatioli. 138. XLVII. Pariſienſis. 216. LXI. Pariſienſis *Ave Maria*. 402. XXVIII. Parmenſis. 468. XXII. 473. II. Partanæ. 388. LXI. Peſrucii, 400. XVII. Pergeti. 470. XXXI. Peruſinus ſancti Hieronymi. 355. XLV. & ſancti Joannis Contratæ. 387. LVII. Petraliæ. 388. LXI. Petræ Pertuſiæ.

ſiæ. 113. xxvi. Piedrolæ. 388. lxii. Pinaroli. 81. xviii. Piniaci. 115. xxxii. del Pizzo. 113. xxiv. Plajæ. 252. xxviii. Plebis Sciochi. 387. lviii. Podoliæ. 182. xxxvi. Pontis Limæ. 251. xxvii. Potentiæ. 454. xxix. Pruſſiæ. 135. xxxvi. Puteoli. 51. xciii. Raedichii. 526. lxxix. Rami. 250. xxiv. Ratiboriæ. 526. lxxix. Reati. 112. xxi. Recſedorfii. 526. lxxix. Redenſis. 456. xxxv. Rementzii. 401. xxi. Rochæ Glorioſæ. 134. xxxi. Romanengi. 250. xxi. Romæ ſancti Petri in Monte Aureo. 46. lxxxii. ſancti Romuli. 81. xvii. Rondæ. 492. lvi. Ruthenenſis. 356. xlix. Rutiliani. 356. xlviii. Sabерniæ. 401. xxii. Safræ. 251. xxv. Salodii. 165. lv. Saluſtiarum. 114. xxvii. Samborienſis. 55. ciii. Sancturcæ. 82. xxi. Sanlucaris. 456. xxxv. Saterenſis. 82. xxi. Saulari. 180. xxix. Savonenſis. 64. vi. Scantriliæ. 215. lv. Scotiæ tres. 332. lxvii. Securæ. 251. xxvi. Segerienſis. 437. xxxix. Segnienſis. 217. lxii. Senogalliæ ſanctæ Mariæ de Gratiis. 523. lxx. & ſanctæ Mariæ Magdalenæ. ibidem. Sepis. 272. xxiii. de Serpe. 417. xxx. Serravallis. 273. xxvi. Spelli. 112. xx. Spinaroli. 126. xiii. Spinæ. 134. xxxii. Stocholinenſis. 138. xlvii. Sturnenſis. 216. lx. Suſpitelli. 250. xx. Synopolis. 400. xvi. Taſſaliæ. 231. xiii. 469. xxvii. Tanlay. 416. xxviii. Teſtemii. 166. lxii. Thermarum. 52. xciii. Ticocini. 236. xxix. Tiferni. 81. xvi. Toletanus S. Joannis Regum. 180. xxxi. Toloſanus. 273. xxviii. Tramontis. 112. xxii. Trecorienſis. 357. liii. Trevii. 234. xix. Turris Aquarum. 135. xxxiv. Tutellenſis. 525. lxxviii. Valentinus. 471. xxxiii. Vallis Tecci. 331. lxii. Valloniarum. 181. xxxv. Venetiarum deſerti. 185. xlvii. Vicecomitis. 83. xxv. Vici. 273. xxvii. Vico-oppidi. 331. lxiii. Vigiani. 216. lix. Vigiliæ. 235. xxiv. Viglevani. 165. lvii. Villabati. 52. xcv. Villæ Badenſis. 250. xxiv. Villæ fichæ. 166. lx. Villæ novæ Infantium. 524. lxxiv. Villæ Viridis. 180. xxx. Vitienſis. 525. lxxvi. Virzionis. 217. lxi. ſancti Viti. 331. lxi. Ulmenſis. 401. xxi. Voſagi. 53. xcvii. Urcei. 416. xxvi. Utreræ. 456. xxxv. Wexfordienſis. 418. xxxi. Winſennupderluenſis. 217. lxiii. Uxenti. 81. xviii. Zaberinenſis. 438. xli. Zonichienſis. 456. xxxviii. Zudlachienſis. 456. xxxviii.

Converſani Monaſterium. 496. lxxiii.

Corbechi Conventus. 235. xxviii. 401. xx.

Cordubenſe ſanctæ Eliſabethæ de Angelis Monaſterium. 358. lix. & S. Agnetis. 137. xliv. 275. xxxvii.

Cornelius Omvilcharill Tertiarius. 336. lxxiv.

Corneti Conventus. 436. xxxv.

Corpus S. Bernardini Senen. ad novam Eccleſiam ejus nomini dicatam transfertur. 6. xii. ſeqq. V. Translatio.

Cotiniolæ Conventus. 356. xlvi.

Credo, ſive Symbolum Fidei poſſe recitari per octavam ſancti Franciſci Pontifex annuit. 257. xli.

Cremæ Monaſterium. 183. xxxviii.

Cremonæ Conventus. 234. xx.

Creſcentini Conventus. 234. xxi.

Crevetæ Monaſterium. 167. lxiv.

Croponi Domus Fratrum Tertii Ordinis. 184. xli.

Crutzenaci Conventus. 53. xcix.

Cuſtodia Angelorum erigitur. 461. ii.

D

In Daciæ Conventus reformantur. 217. lxiii. 527. lxxxvii.

Dæmon inobedientem punit. 378. xxxviii.

Dalmatis & Raguſinis diverſi aſſignantur Prælati. 194. ix.

Danici Conventus. 84. xxviii.

Dantes Aligerius ubi ſepultus. 353. xli.

Delfi Monaſterium. 137. xlvi. 419. xxxvii. 456. xl. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 358. lix.

Demetrius Albanus multa patrat miracula. 511. xliii.

Deſerti Venetiarum Conventus. 185. xlvii.

Diani Conventus. 112. xxii.

Didacus a ſancto Alexio virtutibus ornatiſſimus. 251. xxv.

Didacus a Balcazar in Cuſtodia Toletana Commiſſarius. 400. xviii.

Didacus Henriquez de Almanſa Epiſcopus Altæ Muræ Minoritis valde addictus. 455. xxxiv. Conventum Garobiliarum ampliat. 166. lix.

Didacus a luminibus, ſive de las lumbres miræ pœnitentiæ aliiſque virtutibus glorioſus. 497. ii.

Didacus Monroy primus Sanctoyanæ Cuſtodiæ Vicarius. 178. xxiii.

Didacus a Nava ſanguinis nobilitate, & virtutibus, Eliſabethæ Reginæ Caſtellæ a confeſſionibus floret. 178. xxii.

Didacus de Oviedo ſanctitate præclarus Alcantaræ ſepultus. 437. xxxvii.

Didacus Ximenius religioni, & orationi addictus. 524. lxxiv.

S. Dinani Conventus. 253. xxxiv.
Diomedes Caraſſa Conventui Puteolis initia præbet. 51. xciii.
Dionyſius Tutellenſis Epiſcopus Conventum pro Fratribus conſtruit. 525. lxxviii.
Dominicus Campenſis quando mortuus. 242. vi.
Dominicus Cardinalis Tuſcus Romæ apud ſanctum Petrum in Monte Aureo tumulatus. 47. lxxxii. ejus epitaphium. ibidem.
Dominicus de Pouſo ſpediano prædicator celebris. 244. xiii. Florentiæ contra Dominicum Savanarolam publice prædicat. ibidem. Triremem optime inſtructam ducit contra Turcas. ibid. Romæ in Conventu de Ara-Cœli moritur. ibidem.
Domus Fratrum Tertii Ordinis. Alexandriæ. 336. lxxiv. Clangucayn Carill. 336. lxxiv. Cropoui. 184. xli. Belgicæ. 472. xxxix. Heidelbergæ. 457, xliii. Imolæ. 496. lxxii. Melidenſis. 472. xl. Terdichii. 457. xliii.
Domus Sororum Tertii Ordinis. Alcazarii. 419. xxxvi. Aldenkeuken. 236. xxx. Ambrianenſis. 274. xxxiv. Aquilæ ſancti Hieronymi. 401. xxv. Arevali. 495. lxviii Aſualfarachæ. 236. xxxi. Belgicæ. 185. xlv. 472. xxxix. Belloraci. 333. lxxi. Beſſelich. 185. xliv. 527. lxxxvi. Butrich in Monacho. 391. lxxii. Campenſis. 439. xlv. Cloſcorburenſis. 419. xxxvii. Coelſeldiæ. 168. lxviii. Coloniæ. 184. xlii. 439. xlvi. Delfi. 358. lix. Dulendii. 456. xli. Egræ. 58. cxvi. Filzenſis. 275. xxxvi. Forolivii. 57. cxii. 117. xliii. Gandenſis. 495. lxix. Hallenſis. 58. cxvi. Hamuſci. 457. xlii. Haſſellenſis. 495. lxxi. 527. lxxxvi. de Herſtein. 527. lxxxvi. Iliturgii. 117. xli. Ingloſtadii. 473. ii. Inſulæ. 495. lxix. Kempenſis. 184. xlii.. Lanſdhuti. 260 v. Leopolienſis. 253. xxxvi. Licienſis. 117. xlii. Lunevillæ. 275. xxxv. Metymnæ Campenſis. 274. xxxiii. Monachii. 362. iv. Montis deſiderii. 401. xxiv. Olmenſis. 57. cxi. Oppidi ſancti Trudonis. 390. lxxi. Pinciarum. 403. ii. Ridleræ. 391. lxxii. Ringenſis. 168. lxviii. 527. lxxxvi. Riverenſis. 218. lxix. Royæ. 253. xxxv. Ruenſis. 471. xxxviii. Scheidam. 358. lix. Segobienſis. 418. xxxv. Toletana. 184. xl. Trancoſi. 439. xlv. Tranenſis. 218. lxvii. Tremoniæ. 527. lxxxvi. ſancti Trudonis. 390. lxxi Tuderti. 57. cxv. Veris. 218. lxviii. Viſenſis. 456. xxxix. Viterbii. 218. lxvi. Ulmeti. 526. lxxxiv. Xereſii Equitum. 527. lxxxv. Zellenſis. 58. cxvi. Ziriczeæ. 495. lxx.
Domus Belgicæ Tertii Ordinis Vicariæ Franciæ ſubjiciuntur. 472. xxxix.
Donaldus Offaluyn Epiſcopus Derenſis. 399. xv.
Dorſtani Conventus. 437. xl.
Drepani Conventus. 82. xix. & Monaſterium. 336. lxxiv.
Dulendii Domus Sororum Tertii Ordinis. 456. xli.
Duuangalbenſis Conventus. 84. xxvii.

E

EBerhardus Comes Wirtembergenſis Romam proficiſcitur. 285. i.
Ebolitanus Conventus. 491. l.
Eccleſia Deum mirabilem in Sanctis ſuis prædicat. 303. ix.
Eduardus Angliæ Rex propagandæ Obſervantum familiæ ſtudet. 252. xxxii.
Egræ Domus Sororum Tertii Ordinis. 58. cxvi.
S. Eiria Virgo Ordinis ſancti Benedicti in Monaſterio Torharenſi Martyrio coronata. 167. lxvi.
Eleonora Navarræ Princeps Conventum Taffalliæ conſtruit. 469. xxvii.
Elginii Conventus. 236.. xxviii.
Elias de Bourdeille Archiepiſcopus Turonenſis inter Purpuratos Patres aſcribitur. 353. xl. virtutibus & miraculis illuſtris moritur. 369. xv.
Elias a Mantua Tertiaria virtutibus & miraculis clara. 443. iv.
Eliſabetha Chernovalia Cœnobii Civitatis Novæ fundatrix. 53. xcviii.
Eliſabetha Gonzaga Urbini Ducilla Clariſſis ſancti Angeli in Vado valde addicta. 389. lxvi.
Eliſabetha Hiſpaniarum Regina Conventum Toleti cum Ferdinando viro ſuo extruit. 180. xxxi.
Eliſabetha ejuſdem filia in præfato Conventu Toleti ſepulta. 184. xl.
Eliſabetha Hungariæ Regina de canonizatione ſancti Joannis de Capiſtrano ſollicita. 72. iv.
Eliſabetha Malateſta Princeps Camerini fit Clariſſa. 174. xiv. falſo apud Sixtum IV. accuſata exulat Peruſium, ibique Monaſterium Montis Lucii ingreditur. ibidem. Urbinum amandata conſtruit Monaſterium, ibique meritis plena obit. ibidem.
Eliſabetha de Navarra genere, virtutibus & miraculis illuſtris. 274. xxxi.
Eliſabetha Peralta Tertii Ordinis ſanctitate conſpicua. 419. xxxv.

Eliſabetha Roderici de Cardenas Monaſterii Iliturgii fundatrix . 117. XLI.
Eliſabetha de Varano e Monaſterio Urbinati adCamerinenſe tranſit.430.XVI.
Eliſabetha Verdugo multis gratiis cœlitus inſignita . 495. LXVIII.
Elvira, ſeu Eliberia de Stuniga Cœnobium Belalcazarii ædificat.114.XXVIII.
Elyanus Conventus . 493. LX.
Emanuel Lomadas vir religioſiſſimus . 252. XXVIII.
Emanuel de Moura Marchio Caſtri Roderici commendatur . 245. XIV.
Endennæ Conventus . 435. XXXII.
Epiſtola Sixti IV. ſancto Jacobo de Marchia, & Ludovico de Vincentia. 3.VI.
Eidem ſancto Jacobo . 73. VII. 124.VI.
Univerſis Fratribus Ordinis Minorum Obſervantum . 4. VII.
Univerſis Chriſtifidelibus pro Indulgentia ſancti Bernardini . 7. XIII.
Joanni Vayleti . 16. XXX.
Pro ſtabilienda controverſia Collectaneorum . 17. XXXI.
Beato Amadeo . 20. XXXII.
Pro Feſtivitate ſancti Franciſci . 36. LXVIII.
Pro Stigmatibus ejuſdem . 37. LXX. 38. LXXI. 42. LXXIV.
Leonardo de Peruſio . 41. LXXIII.
Pro Cardinali Protectore Ordinis. 59. II.
Matthiæ Regi Hungariæ. 69. III.
Beato Cherubino de Spoleto . 74.VIII.
Pro Convent. & Obſerv. impedien. tranſitu . 75. X. 224. V.
Pro unione Clarenorum cum Obſerv. 79. XIII. 80. XIV.
Pro Privilegiis Tertii Ordinis . 86. I.
Fortunato de Peruſio . 95. XV. 132. XXV.
Ne Conventualibus inferantur gravamina . 95. XVI.
Pro Privilegiis Ordinis Minorum . 99. XVII. 224. VI.
Abbati Monaſterii ſancti Marini Papien. 119. II.
Vicario Generali Obſervantiæ Ciſmontanæ. 130. XXIII. XXIV. 345. XV. 248. XVII. 354. XLIII. 385. LV.
Archiepiſcopo Neapolitano & Guardiano ſanctæ Mariæ Novæ Neapolitanæ pro exhumando corpore beati Jacobi . 156. XXXVI.
Pro Officio Immaculatæ Conceptionis . 170. III.
Fratri Jacobo de Alexandria Guardiano Montis Sion . 176. XVIII.
Ut Fratres poſſint Confeſſiones audire . 187. II.
Pro patrocinio Ordinis Mendicantium . 191. V.
Fratribus Cap. Gen. Caſtri Rodulphi 295. XI.
Angelo de Clavaſio . 223. IV.
Vicario Generali Ultramontano. 224. VI. 261. III. 337. I. 338. II.
Pro recitando Pſalterio beatæ Virginis.238. II.
Fratrum Reform. Provinciæ Caſtellæ. 240. III.
Vicario de Obſervantia provinciæ ſancti Franciſci. 241. II. 270. XIX. 333. LXXII.
Archiepiſcopo Salsburgen. & Friſingen. 246. XVI.
Bernardino de Buſtis . 254. XXXVIII.
Pro declaratione Statut. Ordin. 255. XXXIX.
Pro votis Tertiariorum . 156. XL.
Pro ſolemnitate Omnium Sanctorum. 261. VI.
Vicario Prov. Polon. Obſerv. 269. XVII.
Pro Fratribus ab hæreticis interemptis . 277. I.
Pro Canonizatione ſancti Bonaventuræ 296. IV. 301. V.
Pro Conceptione beatæ Virginis.310. XII.
Præpoſito Vicoboldoni , & Primic. Mediol. 323. XLI.
Vicario & Fratribus Amadeitis . 324. XLII.
Abbatiſſæ & Monial. ſanctæ Luciæ Fulg. 330. LVI.
Archipresbyt. & Priori ſancti Severi Peruſii . 334. LXXIII.
Michaeli de Peruſio . 352. XXXVII.
Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum . 359. I.

Innocentii VIII.

B. Bernardino de Feltrio. 405.V. 406. VI. 410. XVIII. 433. XXVII. 446. VIII. 448. XIV. 451. XXI. 463. IX. X. 479. XIV.
Pro confirmatione Montis Pietatis Mantuæ . 411. XX. & Veronæ . 517. LX.
Vicario Generali & Provincialibus Ultramon. Obſerv. 394. III. 395. IV. 440. I.
Andreæ de Peruſio & ceteris . 423. IV.
Vicario Generali Ciſm. Obſerv. 424 VII. 463 XI.
Pro Inquiſitoribus Dominicanis, & Franciſcanis . 425. VIII.
Ferdinando & Eliſabethæ Catholicis Regibus . 428. X.
Capitulo Aſſiſii . 436. XXV.
Hieronymo de Corneto . 436. XXXVI.
Angelo de Clavaſio . 442. III.

Oli-

Oliverio Mayllardi. 452. xxv. 453. xxv.
Vicario provinciæ ſancti Franciſci. 457. xlv.
Fratribus provinciæ Hungariæ. 467. xix.
Iſidoro, & Evangeliſtæ Peruſinis. 478. xii.
Epiſcopo Maurianenſi, & Angelo de Clavaſio. 529. iii.

Leonis X.

Guardiano & Fratribus Conventus Neapolitani pro cultu ſancti Jacobi de Marchia. 557. xlii.

Sixti V.

Pro ſancto Bonaventura inter Eccleſiæ Doctores connumerato. 303. ix.

Urbani VIII.

Pro conceſſione Officii ſancti Jacobi de Marchia. 161. xlv. 162. xlvi.
Sigiſmundo Regi Poloniæ. 377. xxxiv.
Conſtantiæ Poloniæ Reginæ. 377. xxxv.

Pauli V.

Pro Canonizatione ſancti Jacobi. 158. xliv.

Plurium Cardinalium.

Pro Indulgentia ſancti Bernardini. 8. xiv.

Cardinalis Picolominei.

Michaeli a Carcano. 15. xxix.

Jolontæ Sabaudæ.

De protectione erga Ordines Mendicantium. 66. viii.

Eliſabethæ Reginæ Hungariæ.

Sixto IV. Pontifici. 72. iv.

Celſi Veronen. Canonici Regul.

Cardinali Papienſi. 90. iv.

Gabrielis Epiſcopi Alben.

S. Jacobo de Marchia. 92. vii.

Matthiæ Regis Hungariæ.

S. Jacobo de Marchia. 92. viii.

Alphonſi Ducis Calabriæ.

Sixto IV. pro Canonizatione ſancti Bonaventuræ. 523. v.

Rodulphi Epiſcopi Wratiſlaviæ.

Pro Cœnobio Niſſæ. 139. ii.

Petri de Neapoli Vicarii Generalis.

Jacobo de Alexandria Guardiano Montis Sion. 176. xviii.
Ejuſdem Vicario Montis Sion. 177. xx.

Jacobi Cardinalis Papien.

Gabrieli Veronen. Epiſcopo Agrien. 579. xxv.

Angeli de Clavaſio.

Marchionibus de Carreto. 237. i

Plurium Principum.

Pro Canonizatione beati Simonis de Lipnica. 394. xxix.

Juliani Cardinalis Protectoris.

Populo Aſſiſii. 373. xxiv.

Plurium Principum.

Pro Canonizatione beati Joannis Duklenſis. 375. xxxi.

Ducis Mediolanenſis.

Beato Bernardino Feltrenſi. 399. xiii.

Matthiæ Regis Hungariæ.

Pro confirmatione Privileg. Clariſſarum. 420. ii.

Nicolai Epiſcopi Lucenſis.

Suis Populis. 465. xvi.

Eraſmus Pechenger Salonenſis Epiſcopus. 330. lviii.
Eremitorium Patriæ Minoritis conceſſum. 167. lxiii.
Erneſtus Dux Saxoniæ Romam proficiſcitur. 222. ii.
Evangeliſta Balionius Peruſinus doctrina commendatus. 232. xiv. Judex in magna controverſia ſtatuitur. 478. xii. & Commiſſarius Curiæ eligitur. 422. i.
Evangeliſta a Trevio Sixti IV. medicus Sororibus ſanctæ Luciæ Fulginei in Reformatione propitius. 167 lxvii.
Engubinum Monaſterium. 402. xxvi.
Euphroſina Biturgica Vidua Tertium Ordinem profitetur. 379. xxxix. ejus cum dæmone certamen. 379. xl. ſanctum Hieronymum Ordinis Protectorem affirmat. 379. xli.
Beata Euſtochium genere nobilis Meſſanæ ex Bernardo Calafalto & Mathauda Columnenſi Romana oritur. 500. x. in Stabulo naſcitur. 500. xi. Dæmon ejus vitæ inſidiatur, ſed cœlitus ſervatur. 501. xii. invita deſponſatur. ibidem. Sponſus moritur. 501. xiii. vitam proponit pœnitentem. 501. xiv. a Satana multas patitur moleſtias. ibidem. & inſidias. 502. xvi. fit Clariſſa. 502. xviii. aſpera illius pœnitentia. 503. xviii. ſingulis Chriſti Paſſionibus meditandis peculiaria ſibi loca confingit. 503. xix. pia ejus exercitia. ibid. humilitas & patientia. 503. xx. Monaſterii cupit Reformationem, & novum curat condi Monaſterium. 504 xxi. male habet ab Abbatiſſa. 504. xxiii. quæ tranſitum ad illud negat. 505. xxv. & xxvi. ſed cum duabus ſociis tranſit. 505. xxvii. inſtituitur Abbatiſſa. 506. xxviii. ter Monaſterio Præfecta qualiter regebat. 506. xxx. quam intenſe Chriſti recolebat Paſſionem. 507. xxxi. multa patrat miracula. 507. xxxii. futura prænunciat. 507. xxxiii. ejus erga ſacram Euchariſtiam reverentia. 508. xxxiv. & xxxv. mortis præſagia. 508. xxxvi. placide moritur. 509. xxxviii. ſanctita-

tatis argumenta. 509. xxxix. cadaveris mirabiles operationes. 510. xxxix. corpus pulchrum & integrum ſervatur. 510. xl. pulſata arca præmonet Sororum deceſſum. ibid. ejus vitæ Scriptores. 410. xli. in Monaſterio Reghino Præfectadeſideratur. 56. cvii.

F

FAbrianenſis Annunciationis Conventus. 453. xxviii.

Fabritius Rufus Comes Synopolitanum Cœnobium tradi Obſervantibus ſollicitus. 400. xvi.

Falco de Agante Conventus Turris Aquarum fundator. 135. xxxiv.

Ferdinandus de Bolanno Provinciæ ſancti Jacobi Miniſter. 52. xcv. 250. xxiv.

Ferdinandus Diaz Eccleſiam Minoriſſarum Compluti conſtruit. 438. xliv.

Ferdinandus Hiſpaniarum Rex Conventum Toleti cum uxore ædificat. 180. xxxi. & Conventum Loxæ. 470. xxviii.

Ferdinandus de S. Martino ſacræ Theologiæ Valliſoleti publicus profeſſor. 46. lxxxi.

Ferdinandus Rex Neapolis in Fratres munificus. 127. xvi. S. Jacobum Picenum ad ſe accedere a Pontifice poſtulat. 73. v. ad Indulgentiam Jubilæi lucrandam Romam proficiſcitur. 123. iii. de Canonizatione S. Bonaventuræ ſollicitus. 123. iv.

Ferdinandus Portugalliæ Princeps in Monaſterio Pacis Juliæ tumulatus. 392. ii.

Fevolchedoſii Conventus. 356. l.

Filzenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 275. xxxvi.

Fivizani Conventus. 491. li.

Fixæ Conventus. 456. xxxvii.

Fori Oppidi Monaſterium. 471. xxxvii.

Fori Sempronii Conventus. 51. xcii.

Forolivii Domus Sororum Tertii Ordinis. 57. cxii. 117. xliii.

Fortunatus de Coppolis Peruſinus celeberrimus Doctor. 93. xi. avocatur Romam. 95. xv. Cæciliam Coppoli jubetur transferre Romam. 132. xxv. & Piſtorienſibus prædicare. 74. viii. reformationi Sororum S. Luciæ Fulginei obſtat. 167. lxvii. apud Portiunculam decedit. 174. xiii.

Franciſca Meſſanenſis Soror Beati Euſtochii Clariſſa virtutibus illuſtris. 379. xlii. obit in Domino. 380. xliii. ejus anima in ſtellæ ſpecie abit in cœlum. ibidem. ſuper ejus tumulum ſtella fulgens apparet. ibid.

Franciſcani. V. *Minoritæ*.

S. Franciſci Aſſiſiatis dies feſtivus indicitur. 35. lxviii. ejus miraculum in Sixtum IV. patratum. 36. lxviii. ſolus cum Stigmatibus depingi debet. 37. lxix.

Franciſci Gonzagæ menda corriguntur. 136. xli. 182. xxxvii. 235. xxviii. 236. xxix. 252. xxix. 253. xxxiii. 355. xliv. 525. lxxvi.

Franciſcus Albizoto Conventum Meſtrii ædificari curat. 249. xix.

Franciſcus Apulus Licienſis Epiſcopus. 387. lvi.

Franciſcus de Aragonia floret. 244. xii. magno cum fœnore Panormi verbum Dei diſſeminat. 429 xiv. appoſite Sixto IV. divitias oſtendenti reſpondet. 78. xi.

Franciſcus Barcionenſis ſocius Griſonis Belgæ Maronitas Pontifici commendat. 129. xxii.

Franciſcus de Barga virtutibus & miraculis illuſtris obit. 461. iii.

Franciſcus de Baucio de Conventu Vigiliarum benemeritus. 235. xxiv.

Franciſcus Brittaoniæ Dux Tertii Inſtituti profeſſor. 231. xiii. pro Conventu Trecorienſi extruendo ſumptus miniſtrat. 357. liii.

Franciſcus a Campobaſſo a benignitate, orationis aſſiduitate & miraculis commendatus. 174. xiii.

Franciſcus Contarenus Bernardinum Feltrenſem Tarviſium Concionatorem mittit. 229. vii.

Franciſcus a Cruce virtutibus illuſtris. 437. xxxvii.

Franciſcus a Fraxineto Cuſtodiæ S. Gabrielis moderator. 455. xxxiv.

Franciſcus Galatinus miraculis clarus in Conventu Naſi requieſcit. 249. xviii.

Franciſcus Gallus bonis operibus, virtutibuſque inſignis. 444. ii.

Franciſcus Inſiguia Epiſcopus Aſſiſias. 272. xxii.

Franciſcus Lardegarius plumbeis glandibus ab Hæreticis trajicitur. 357. li.

Franciſcus Leo Epiſcopus Sitienſis Eccleſiam Foris Sempronii conſecrat. 51. xcii.

Franciſcus Marcellus Epiſcopus Famagoſtanus. 168. i.

Franciſcus Maria de Vicecomitibus Epiſcopus Viterbienſis. 46. lxxxi.

Franciſcus a Monte Politiano in Tuſcia Pſeudopropheta. 313. xxxix.

Franciſcus Moronus pietate, & doctrina inſignis. 469. xxiii.

Fran-

Franciſcus Placentinus in Romana Curia Commiſſarius . 266. VII.
Franciſcus a Plebe S. Stephani vir ſanctiſſimus moritur . 500. IX.
Franciſcus de Periſiis S. Montis Sion Guardianus . 422. I.
Franciſcus de Perniſiis Epiſcopus Famaguſtanus . 81. XV.
Franciſcus de Rocheta Vicarius Provinciæ Apuliæ . 126. XIII.
Franciſcus Sagera Hiſpanus vir doctiſſimus ad Abyſſinos deſtinatus . 243. IX.
Franciſcus Sampſon eligitur Miniſter Generalis . 124. VII. convocat Capitulum Generale Brixiæ . 330. LVII. confirmatur . 497. I.
Franciſcus a Sylva de Conventu Centumfontium benemeritus . 400. XVIII.
Franciſcus a Trivultio ſanguine nobiliſſimus prima nuptiarum nocte unacum uxore Virginitatem vovet . 331. LIX. fit Minorita & egregius evadit concionator . ibidem . ſanctiſſimi Viri fama obit in Domino . ibid.
Franciſcus Vitalis de Noya Apulus Epiſcopus Cephaludenſis . 387. LVI.
Franciſcus Ximenius Cardinalis in Conventu Toletano initiatus . 181. XXXIV. Monaſterium ComplutenſeTertii Ordinis Clariſſis concedit . 438. XLIV.
Franciſcus de Yepes pietate clarus in Conventu Toletano tumulatus . 181. XXXIV.
Franciſcus Zenus Mediolanenſis olim Vicarius Generalis moritur . 232. XIV.
Frattarum Conventus . 272. XXIII.
Fridericus Bavariæ Dux Cœnobio Crutzenaci initia præbet . 53. XCIX. commendatur . 53. C. apud Minores ſepultus . 164. LI.
Fridericus Henriquez de Cabrera Franciſcanis addictus . 524. LXXIII. Monaſterium pro Clariſſis extruit . 526. LXXXII.
Fridericus a Stunica Monaſterio Belalcazaris ſua bona reſignat . 389. LXVII.
Fridericus a Toleto Cœnobium Albæ perficit . 469. XXVI.
Fulginei S. Luciæ Monaſterium . 167. LXVII.
Fulvius Cornejus Cardinalis apud S. Petrum in Monte Aureo de Urbe tumulatus . 47. LXXXII. ejus epitaphium . ibidem .
Furnii Conventus . 454. XXX.

G

GAbriel de Albertis ſolum pro Conventu Suſpitelli conſtruendo largitur . 250. XX.
Gabriel ab Æſio virtutibus , miraculiſque illuſtris obit in Domino . 498. III.
Gabriel de Farneſio Conventum Canini ædificat . 81. XVI.
Gabriel Veronenſis Epiſcopus Tranſilvaniæ . 46. LXXXI. inde Agrienſis . 133. XXIX. ad Cardinalatus faſtigium evehitur . 213. LI. apud tres Reges Apoſtolicus Nuncius . 222. I. Operum S. Joannis de Capiſtrano ei demandatur collectio . 127. XV. moritur . 429. XIV. ad Aramcœli tumulatur . ibidem .
Gabriela de Pizzolo Clariſſa multis gratiis cœlitùs inſignita . 35. LXVII.
Galdus Carpanus Conventus Herbæ fundator . 468. XXIII.
Galeatius Maria Sfortia Domum Viglevani perficere curat . 165. LVII. occiditur . 169. I.
N. Gallier doctrina , & ſpiritu prophetico floret . 417. XXVIII. 421. III.
Gandenſe Monaſterium . 439. XLVII. & Domus Sororum Tertii Ordinis . 495. LXIX.
Gandini Conventus . 273. XXV.
Garobiliarum Conventus . 166. LIX.
Garcias de Queſada Epiſcopus Giſarcenſis . 415. XXIII. inde Guadicenſis . 491. XLIX.
Garſias Alvarez a Toleto Cœnobio Albæ dat initia . 469. XXVI.
Gaſpar Cremonenſis Commiſſarius Sardiniæ . 381. XLV.
Gaſpar Florentinus virtutibus emicat . 171. IV. a lupo cuſtoditur . 172. V. Lupi & cervus ei blandiuntur . ibidem . Operariis cibum miraculoſe providet . 172. VI. injurias inferenti Divinam prædicit vindictam . ibidem . Piſces accipit miraculoſe . ibid. & vinum . 172. VII. ejus orationes & raptus . 173. IX. noctu iter agenti cœlites faces præſeruut . ibidem . ejus miracula & obitus . 173. X.
Gaſpar Longinus Dalmatinis præficitur . 112. XVIII.
Gebennæ Monaſterium . 57. CIX.
Generales Miniſtri . V. *Miniſtri Generales* .
S. Geneſii Conventus . 272. XXIV.
Georgius Antuorter Nicopolitanus Epiſcopus . 232. XVI.
Georgius de Comitibus in Sabaudia contra Hæreticos inquirit . 2. II.
Georgius Heſlel Epiſcopus Herbipolenſis , Ordinis benefactor . 213. LI.
Georgius Trimovillæ Comes num Conventum Legneii ædificarit . 252. XXIX.
Georgius de Valle Camonica B. Amadei diſcipulus . 323. XL.

Gien-

Giennenſe Monaſterium. 418. xxxiii.
Glaſcorenſis Conventus. 56. cvi.
Glemouæ Conventus. 416. xxv.
Gloeſiæ Conventus. 135. xxxviii.
Gomeſius de Figueroa Conventum Saſræ extruit. 251. xxv. & Conventum de Lappa. 469. xxv.
Gondiſalvus Ulyſſiponenſis Religioſis moribus emicans. 498. iii.
Gonſalvus Clericus S. Franciſci verus æmulator in Domino obdormit. 252. xxvii.
Gragnani Monaſterium. 357. lvi.
Grautmezenſe Monaſterium. 357. lvi.
Gravinenſis Conventus. 113. xxiii.
Grenevienſis Conventus. 252. xxxii.
Grevenalvesbagenſis Conventus. 401. xx.
Griſo Belga Doctor Pariſienſis a doctrina commendatur. 128. xviii. Orientales Nationes inſtruit & præſertim Maronitas. ibidem. egregiam operam ibi præſtat. 128. xix. & ſeqq. Retrogradi ſolis portento inter concionandum eos commovet. ibidem. quid de hujuſmodi regreſſu ſentiendum. 129. xx. Gentis Maronitæ ſit Patriarcha. 129. xxi. creat Suffraganeos inter quos duos Minoritas. ibidem. meditatur in Perſidem tranſire, ſed infirmitate detinetur, & in Cypro pie decedit. ibidem. multa ſcripſit, & in linguam Syriacam tranſtulit. ibid.
Griſon Slavus ad Abyſſinos deſtinatus, in itinere occiſus. 243. x.
Groſſeti Conventus. 234. xxii.
Gruppiæ Conventus. 116. xxxvii.
Geſami Conventus. 401. xxi.
Guido Brianſolus Pariſienſis Doctor floret. 244. xii. 263. vii.
Guillelmus Abrincus religione, & doctrina conſpicuus. 95. xiv.
Guillelmus Bertholdi Vicarius Generalis Ultramontanus. 194. x. 252. xxxii. 280. iii.
Guillelmus de Campo Rotundo Conventus Feveldoſii fundator. 356. l.
Guillelmus Corſicus Sagonenſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Brinantii conſecrat. 469. xxiv. V. *Guillelmus a Speluncato*.
Guillelmus de Fontaine unus ex fundatoribus Conventus Conini. 116. xxxv.
Guillelmus de Gleon Conventus Villæ ſichæ fundator. 166. lx.
Guillelmus de Monte Magno ab Hæreticis pro fide necatus. 525. lxxvii.
Guillelmus Porphyrienſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Virienſis conſecrat. 525. lxxvi.
Guillelmus a Speluncato floret. 273. xxvii. ad Epiſcopatum Sagonenſem promovetur. 330. lviii. Vicarius ſanctæ Mariæ Majoris de Urbe inſtituitur. 477. vii. Renunciato Epiſcopatu Monaſticam quietem repetit. ibidem. mirabiliter fœminam a ſuſpicione adulterii liberat. ibid. moritur & ad Aramcœli ſepelitur. ibid. V. *Guillelmus Corſicus*. Corſicanæ Provinciæ Vicarius extitit. 273. xxvii.
Guillelmus le Tellier de Conventu Valloniarum benemeritus. 181. xxxv.
Gundiſalvus Ulyſſiponenſis virtutibus emicans. 498. iii.
Guterboæ Conventus. 166. lxi.

H

Habitu Franciſcano Tumulatis indulgentia conceditur. 58. cxvii.
Hallenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 58. cxvi.
Hamuſſi Monaſterium. 457. xlii. & Domus Sororum Tertii Ordinis. ibidem.
Haſſellenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 495. lxxi. 527. lxxxvi.
Hebræorum infandum ſcelus recenſetur. 132. xxvi.
Heidelbergæ Domus Fratrum Tertii Ordinis. 457. xliii.
Helias de Bourdeille Cardinalatus purpura induitur. 353. xl.
Henricus de Guſman Monaſterium de Barrameda ædificat. 471. xxxvi.
Henricus Henriquez Monaſterium Montis Virginis Meſſaneuſe adauget. 217. lxv.
Henricus Herpius doctrina & pietate celebris. 174. xii.
Henricus Munſterbergenſis Dux ſolum pro Cœnobio Glogavienſi largitur. 141. v.
Henricus de Ranſt Monaſterii Buſſoducis fundator. 57. cx.
Henricus Toletanus Monaſterium Garobiliarum extruit. 166. lix.
Herbæ Conventus. 468. xxiii.
Herduniæ Conventus. 388. lxxii.
Herendaliæ Conventus. 56. cv.
Hiberniæ Conventus reformantur. 217. lxiii. 332. lxvii.
S. Hieronymus Ordinis Minorum Advocatus. 379. xli.
Hieronymus Berretta Tricarici Cœnobium ædificat. 234. xxiii.
Hieronymus Novarienſis apud Indos miſſus. 331. lx.
Hieronymus de Secchis Epiſcopus Otthanenſis. 112. xix.

Hieronymus Torniellus Vicarius Generalis & Legatus Apoſtolicus ad Regem Æthiopum. 232. XIV. 243. X.

Hiſpanis Regibus *Catholici* nomen datur, & quando. 367. X.

Hoecſtratenſe Monaſterium. 494. LXVII.

Hoſtiliani Conventus. 134. XXXII.

Hugo Ouelli Princeps apud S. Petrum in Monte Aureo Urbis tumulatus. 48. LXXXII. Ejus Epitaphium. ibidem.

Hungariæ Fratribus magna conceduntur Privilegia. 466. XIX.

I

Jacoba Aquilana ſilentio, aliiſque virtutibus admirabilis. 35. LXVII.

Jacoba de Launoy Domum Sororum Montis Deſiderii extruit. 401. XXIV.

Jacobus de Agello Commiſſarius in Romana Curia. 125. X.

Jacobus de Alexandria Hieroſolymorum Guardianus. 125. X. poſſeſſiones procurat. 176. XVII. Vicarius Generalis præcipit eas dimitti. ibidem. moritur. 178. XXI.

Jacobus Atienzenſis floret. 415. XXIII.

Jacobus Cortonenſis paupertatis inſignis zelator & ferventiſſimus concionator in Domino obdormit. 378. XXXVII.

Jacobus Ducejemoſiæ Conventum Montis Regalis conſtruit. 357. LI.

Jacobus a Glogavia Provinciæ Boemiæ Vicarius. 141. V. 169. III.

Jacobus Grumelus celeberrimus concionator, Florentiæ Hieronymo Savanarolæ ſæpe in faciem reſiſtit. 352. XXXVI.

Jacobus Gouppianus de Conventu Teſthenii optime meritus. 166 LXII.

Jacobus Hugonis Pariſienſis Doctor Henrici II. Franciſci II. & Caroli IX. Francorum Regum Eccleſiaſtes & Confeſſarius mittitur ad Concilium Tridentinum. 416. XXVIII. ſæpius oblatos conſtanter renuit Epiſcopatus. 417. XXVIII. obit Lutetiæ. ibid. Henricus III. ejus obitum dolens ſolemnibus ei parentat obſequiis. ibidem.

Jacobus Laggerius laicus ab Hæreticis Martyrio coronatus. 357. LI.

Jacobus Lellius Conventus Aracœlitani eximius benefactor. 118. XLIV.

Jacobus a S. Lucia Meſſanenſis Archiepiſcopus. 112. XIX. & Pactenſis Epiſcopus. 232. XVI.

Jacobus Lupi Conventum Celetæ reſtaurat. 116. XXXIV.

S. Jacobus de Marchia. V. *S. Jacobus Picenus.*

Jacobus a Nova villa Conventus Cheriaci fundator. 388. LXIII.

Jacobus Oddo Peruſinus libri qui Franciſchina dicitur Auctor. 95. XIV. Acta beati Joannis Bonviſii receuſet. 32. LIX.

Jacobus de Petrutiis Alarinenſis Epiſcopus. 492. LII.

S. Jacobus Picenus Neapolim mittitur. 73. VI. jubetur illic hærere. 73. VII. hortatur Regem Hungariæ ad præliandum in Turcas. 92. VI. facultatem petit, ſed non impetrat abeundi Romam. 124. VI. Montium pietatis erectionem promovet. 95. XIII. In ejus ortu nova luce domus enitet. 148. VIII. Matrem ex utero alloquitur. ibidem. Mos & finis ejuſdem prædicationis. 148. IX. una Concione triginta Meretrices convertit. 148. X. oblatum Archiepiſcopatum Mediolanenſem reſpuit. ibidem. Graves morbos incurrit. 148. XI. Beata Virgine intercedente liberatur. ibidem. donum accipit lacrymarum. 148. XII. Nihil ſecum ferebat in via. ibidem. ejus abſtinentia. 149. XII. caſtitas. 149. XIII. Spiritus prophetiæ. 149. XIV. ingens ejus miraculum reſuſcitati pueri. 149. XV. Cultum nominis Jeſu promovet. 150. XVI. Divinitus percipit ſanctum Bernardinum obiiſſe. ibidem. animarum ſalutem ingenti ſtudio quærit. 150. XVII. varia ejus miracula. ibidem. In Hungaria ſex ædificat Cœnobia. 151. XVII. inimicitias, & odia extinguit. 151. XVIII. Satanæ fraudes explicat. ibidem. Hebræum magiſtrum convertit. 151. XIX. inſignem de Hæreticis, & Judæis victoriam reportat. ibidem. multa regna cumulatiſſimo percurrit fructu. 151. XX. Hauſto innoxie oblato veneno multos Hæreticos convertit. 152. XXI. Necromantem fidei inſidiantem voce, & auditu privat. 152. XXII. Vas cibi veneno infecti ſigno crucis facto frangitur. 152. XXIII. a parata ſibi morte per Deiparam liberatur. 152. XXIV. eum occidere volens a Deo punitur. 152. XXV. tria ejus miracula. 153. XXVI. Deiparæ Imago ejus doctrinam confirmat. 153. XXVII. varia ejus miracula. 153. XXVIII. Dæmonem in ſpecie ſancti Joannis Baptiſtæ mulierem decipientem detegit. 154. XXXI. multas infirmitates patienter perfert. 154. XXXII. præſcius mortis ſe præparat ad diſceſſum. 155. XXXIII.

pie

pie moritur. ibidem. jacet inſepultus diebus quatuordecim. 155. xxxiv. ſepelitur tamdem in Eccleſia Minorum ſanctæ Mariæ Novæ. ibidem. facie pulchra & rubicunda apparet. ibidem. miracula ante ſepulturam. 156. xxxv. poſt annum exhumatur. 156. xxxvi. qualis fuerit. 156. xxxvii. qualiter depingitur. ibidem. Quot miraculorum documenta. ibidem. Raguſii perpetuum ejus miraculum. 157. xxxviii. tria in Regno Boſnæ item perpetua. 157. xxxix. Lacum ſterilem piſcium reddidit feracem. ibidem. inter innumeras ranas nua ejus juſſu quaſſat. ibidem. inſidias ei parantes puniuntur. 157. xl. Ad quotidianum ejus cultum Leo X. hortatur. 157. xli. agitur de ejus canonizatione ſub Clemente VII. 158. xliii. deinde ſub Paulo V. ibidem. Urbanus VIII. coli concedit officio Eccleſiaſtico. 160. xlv. Sanctorum faſtis adſcribitur. 162. xlvii. Quinam ejus vitam ſcripſerunt. 162. xlviii. Sanazarius carmine eum laudat. 163. xlviii.

Jacobus Ticinenſis, ſive Papienſis ſanctitate præclarus moritur. 444. iii.

Jacobus Treverenſis Archiepiſcopus domum Tertii Ordinis Filzenſem conſtruit. 275. xxxvi.

Jacobus de Turre Reginæ Neapoli, & Duciſſæ Calabriæ a ſacris Confeſſionibus. 429. xiv.

Jacobus Wale Epiſcopus Darenſis. 133. xxix.

Janetus. V. *Zanetus*.

Januenſis Conveutus. 435. xxxiv.

Januenſis de Pace Conventus. 468. xxii.

Javorii Conventus. 470. xxxii.

De Iberſtein domus Sororum Tertii Ordinis. 527. lxxxvi.

S. Ignatius de Loyola Minoritam Confeſſarium adhibet. 50. lxxxix. eoque ſuadente Societatis Præpoſituram admittit. ibid.

Iliturgii domus Sororum Tertii Ordinis. 117. xli.

Imagines beatæ Virginis clarent miraculis. 355. xliv. 387. lviii.

Imolæ domus Fratrum Tertii Ordinis. 496. lxxii.

Indulgentia Portiunculæ univerſis Eccleſiis Ordinis communicata. 257. xli.

Indulgentia Stationis ſanctiſſimi Sacramenti quanta & qualis. 276. xxxviii. aliaque Pontificia Indulta. ibid.

Ingloſtadii domus Sororum Tertii Ordinis. 473. ii.

Innicus Lopetius Conventum Mondexaris conſtruit. 417. xxxi.

Innocentia Angeli Tudertina Clariſſa pœnitentia admirabilis. 164. lii. obit anno ętatis ſuæ centeſimo quinto. ibid. ejus anima in ſimilitudinem ſplendidiſſimæ infantulæ cœlum aſcendere conſpicitur. ibid.

Innocentius de Cluſio laicus a virtutibus commendatus. 50. lxxxviii.

Innocentius VIII. Sixto IV. in Pontificatu ſuccedit. 369. xiv. anuuos reditus pro Fratribus Terræ ſanctæ præſcribere tentat. 428. ix. Montem Pietatis Veronæ a Michaele Aquenſi Minorita erectum confirmat. 517. lx. multas largitur Indulgentias, & gratias. 518. lx.

Inſulæ Monaſterium. 494. lxvi. & domus Sororum Tertii Ordinis. 495. lxix.

Inſulæ Lignorum Monaſterium. 167. lxv. 526. lxxxiii.

Inſulæ Sanctorum Conventus. 401. xxi.

Inſulæ de Walen Conventus. 492. lviii.

Iuteramnæ Conventus. 52. xci.

Joanna Caſtellæ Princeps Clariſſa. 344. xiv.

Joanna de Croy in Monaſterio de Moncello claret. 416. xxiv.

Joanna de Spiritu ſancto floret in Monaſterio Pacis Juliæ. 393. iii.

Joanna Lopetia virtutibus celebris. 419. xxxv.

Joanna a Sabaudia in Conventu Nanceii tumulata. 332. lxvi.

Joanna Vandomea Conventum Vicecomitis adauget. 84. xxv.

Joauna de Wernich Monialis Ambianum ſe confert. 274. xxxiv.

Joannes Alemannus beati Amadei diſcipulus. 323. xl.

Joanues a ſancto Michaele laicus in Conventu Safræ tumulatus. 251. xxv.

Joaunes de Aloyſio Epiſcopus Capritanus. 523. lxix.

Joannes Antonius Pitittus de Saponaria Epiſcopus Marſicanus. 215. liv.

Joannes de Aragonia floret. 147. vii.

Joannes Arcimboldus Cardinalis corpus ſancti Fraucifci cum Sixto IV. inviſit 145. iv. 393. i.

Joaunes de Aſſilies perfectioue illuſtris. 455. xxxiii. ex Eremo mulierem pœnitentem ſolis crinibus contectam ſibi inſperato occurrentem, pallio contegit, & ſacramentis reficit. ibidem.

Joannes Balhamus de Conventu ſancti Theodorici valde meritus. 525. lxxv.

Joannes Baptiſta Petrucius acta ſancti Jacobi Piceni recenſet. 162. xlviii.

Joannes Baro Malleaceus Fratribus Cœnobium extruit. 357. LII.
Joannes de Beerſel Epiſcopus Cyrenenſis. 399. XV.
Joannes Biezenſis Miles Hieroſolymitanus fundum pro extruendo Minoritis Cœnobio largitur. 116. XXXVI.
Joannes Bogge Conventus Riverenſis benefactor. x18. LXIX.
Joannes Bonviſius Lucenſis a pueritia virtuti & auſteritati addictus. 22. XXXIII. mittitur io Hiſpaniam. 22. XXXIV. fit Minorita. 23. XXXIV. ſtrictum vitæ genus perquirit. 23. XXXV. & ſeverum Prælatum. x3. XXXVI. quam paupertatis fuerit amator. 23. XXXVII. in Italiam regreſſus tranſit ad Obſervantes provinciæ ſancti Franciſci. ibidem. magnum ejus ſanctimoniæ iocrementum. 24. XSXVIII. vocatur Neapolim ab Alphonſo Rege. 24. XXXIX. amandatur in Aragoniam, & inde ad propriam regreditur Provinciam. ibid. ejus humilitas. x4. XL. egregia, ac proficua doctrina. x5. XL. & ſeqq. purus amor Dei. 26. XLIV. multas recipit conſolationes Divinas. 27. XLVI. his ſubtractis in tribulationibus eruditur. 28. XLVIII. rigida ejus abſtinentia. 28. L. in ea diſcretionem requirit. x9. LI. perfecta ejus obedientia. 29. LII. boni Prælati partes deſcribit. 29. LIII. illibata ejus caſtitas. 30. LIV. ſilentium. 30. LV. præſumptuoſos corripit. ibidem. Martyrium concupiſcit. 31. LVIII. graviſſimas diu ſuſtinet pœnas. Moritur, & ſepelitur Aſſiſii. ibidem. Corporis translatio. 3x. LVIII. & ſeq.
Joannes Buni Sacerdos ab Hæreticis pro Fide occiſus. 525. LXXVII.
Joannes Brugmanus Concionator celebris in provin. Coloniæ obit. 125. VIII.
Joannes Butta humilitate & oratiooe præclarus. 474. III.
Joannes Buxetus Epiſcopus Tullenſis Eccleſiam Conventus Legneii conſecrat. 252. XXIX.
Joannes Calaber Sacerdos ad Abyſſioos deſtioatus. 243. IS.
Joannes a Cartagena Conventus ſancti Petri in Monte Aureo Urbis Incola. 50. LSSXVIII.
Joannes a Catanzario Vicarius provinciæ Calabriæ. 178. SXIII.
Joannes Croyn Vicarius Ultramontanus. 382. XLVIII.
Joannes de Dukla vir ſanctiſſimus obit. 373. XXVI. ejus Acta præclariſſima uarrantur. 374. XXVII. ſeqq. ejus feſtum & officium recitari poſſe conceditur. 378. XXXVI.
Joannes Edmuodi Epiſcopus Clocorenſis. 386. LVI.
Joannes de Fabrica vir eximius. 443. V.
Joannes de Firmo, ſive de Alvernia Præfationis ſancti Franciſci auctor. 357. LXXVII.
Joannes Gonzalez laicus virtutibus illuſtris. 251. XXIV.
Joannes Goinez Conventus Horduniæ fundator. 388 LXII.
Joannes Gualterius Religione & doctrina conſpicuus. 95. XIV.
Joannes Gundiſalvus de Camera Monaſterium Inſulæ Lignorum conſtruit. x67. LXV.
Joannes Innefenſium Vicecomes Obſervantibus Cœnobium extruit. 236. XXVIII.
Joannes Liooettus vir venerabilis. 416. XXVIII.
Joannes Loveti Epiſcopus Laodicenus. 164. LIII.
JoannesManrique Caſaneti Comes Conventus Aquilarii fuodator. 85. XSIS.
Joannes Martinez Mootaraſio domum Viſenſem ædificat. 456. XXXIX.
Joannes Martini Epiſcopus Sapienſis. 46. LXXXI.
Joaones Mecenſis Diaconus Martyr. 525. LXXVII.
Joannes Michael Brutus Florentinus de Sixto IV obloquitur. 369. XIII.
Joannes Miletus Epiſcopus Minorita Eccleſiam Conventus ſancti Theodorici conſecrat. 525. LXXV.
Joannes Moreous erga Franciſcanos addictiſſimus, Cœnobium Villæ Novæ extruit. 523. LXXIV.
Joannes de Narbayes Monaſterium Giennenſe cooſtruit. 418. XXXIII.
Joannes Navarrus Seneſchallus Hieroſolimytanus apud Chriſtiaoos ſacrorum locorum reſtaurationem urget. 165. LIV.
Joannes Odrovaſius Cœnobium Samborienſe estruit. 55. CIII.
Joannes Orient. Epiſcopus Teralbenſis. 386. LVI.
Joannes Paulus a Lega Conventum Vici ædificat. 273. XSVII.
Joannes Philippi Vicarius Generalis Ultramontaous. 125. VIII.
Joannes de la Puebla magni fit a Sixto IV. 241. I. apud Hieronymitas initiatur. ibid. deinde apud Minoritas. ibid. mittitur Aſſiſium. ibidem. remittitur in Hiſpaniam. 241. III. provinciæ Angelorum dat initia. 114. XXVIII. 242. III. in Hiſpaniam abit. 423. III. Cooperarios ex Italia advocat. ibid.

Joannes de Quemada Epiſcopus Demetriadenſis. 215. LIV.
Joannes Riccius Cardinalis apud ſanctum Petrum in Monte Aureo Urbis tumulatus. 47. LXXXII. ejus Epitaphium. ibid.
Joannes Roteius Notarius Eccleſiam Conventus Cotiniolæ proprio ære conſtruit. 356. XLVI.
Joannes Rohanenſium, & Leonenſium Vicecomes Conventus Landernii Eccleſiam erigit. 389. LXIV.
Joannes de Ryala Comes Portus læti in Conventu Toleti ſepultus. 181. XXXIV.
Joannes a Ruvere Sixti IV. Nepos Conventum Senogalliæ condit. 523. LXX.
Joannes a Santorcaſio vir piiſſimus obit in Domino. 395. VI.
Joannes Segeuenſis Fratribus Cœnobium extruit. 437. XXXIX.
Joannes Sigeſtrus Commiſſarius in Romana Curia. 380. XLV.
Joannes Slonka omnium virtutum genere illuſtris. 351. XXXIII.
Joannes Speuner Epiſcopus Cirenenſis. 330. LVIII.
Joannes de Stovanilla Monaſterium Rothomagenſe conſtruit. 358. LVII.
Joannes Stuardus Scotiæ Rex in Conventu Vicecomitis tumulatus. 84. XXV.
Joannes a Sylva Conventus Centum-Fontium benefactor. 400. XVIII.
Joannes Tamaritius a prudentia commendatus. 415. XXIII.
Joannes Tarlo Tertii Ordinis floret. 460. IV.
Joannes Theodorici Epiſcopus Tripolitanus. 215. LIV.
Joannes Thomacellus Guardianus Montis Sion Templum Bethleemiticum reſtaurat. 194. VIII. floret. 429. XIV.
Joannes de Turribus in Conventu de Caçeres tumulatus. 52. XCIV.
Joannes Valentinus floret. 244. XII.
Joannes de Vargas in Monaſterio Placentino ſepultus. 137. XLIII. ejus Epitaphium. ibib.
Joannes Vayleti Inquiſitor Avenionenſis. 16. XXX.
Joannes de Velaſeo Monaſterium Creveræ ædificari poſtulat. 167. LXIV.
Joannes a Villa Didaci de Conventu Securæ valde meritus. 255. XXVI.
Jolanta Sabaudiæ Duciſſa Monaſterium Gebennenſe conſtruendi facultatem obtinet. 57. CIX.
Joſeph Eugubinus ſanctitate præclarus. 325. XLV.
Joſeph Maria Fonſeca Eborenſis ſolemnia ſancti Jacobi de Marchia Romæ celebrat. 162 XLVII. & Officium beati Simonis de Lipnica ad univerſum Ordinem extendi obtinet. 351. XXXII.
Joſeph Meli pietate clarus. 135. XXXIII.
Iſidorus Peruſinus cum ceteris judex ingentis controverſiæ ſtatuitur. 478. XII.
Judices Conſervatores Privilegiorum Mendicantibus conceduntur. 458. XLVII.
Judices gravis controverſiæ Minoritæ advocantur. 478. XII.
Julianus de Maffeis Britonorienſis Epiſcopus. 178. XXII.
Julianus Maignenſis martyr. 525. LXXVII.
Julianus de Ruvere Cardinalis Sixti IV. nepos Ordinis Protector. 91. V.
Julianus Theutonicus virtutibus clariſſimus. 405. III.
Julianus Volaterranus Sixti IV. diſcipulus. 92. V.
Juliæ Pacis Monaſterium. 471. XXXIV.
Julius Cæſar de Varanis de Monaſterii Camerinenſis conſtructione ſollicitus. 357. LV.
Juſta Roderici Monaſterii Setuvalenſis fundatrix. 472. XXXV. & Monaſterii Setobricenſis. 473. I.
Juſtinus Polonus præclaribus gratiis cœlitus ditatus moritur. 351. XXXIII.

K

KEmpenſis Conventus. 182. XXXVII. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 184. XLIII.
Kilcuylini Conventus. 418. XXXII.

L

LAndernii Conventus. 389. LXIV.
Lanſdhuti Domus Sororum Tertii Ordinis. 260. V.
Lapiri Conventus. 179. XXVI.
De Lappa Conventus. 469. XXV.
De Laredo Conventus. 85. I.
Laudenſis Conventus. 216. LVII.
Laurentius Firmanus ab auſteritate vitæ commendatus obit ætatis ſuæ anno centeſimo decimo, Religionis nonageſimo. 266. IX.
Laurentius Polonus pietate celebris. 325. XLIV.
Laurentius de Senis virtutibus celebris. 497. II.
Laurentius Traverſagnus genere, & doctrina illuſtris. 232. XV.
Ligneil Conventus. 252. XXIX.
Leo Carpanus de Conventu Herbæ valde meritus. 468. XXIII.

Leo

Leo de Perego Archiepiſcopus Mediolanenſis 469. XXIV.
Leo de Petra Buni laicus ſanctitate præclarus. 328. LI.
Leo X. ſummus Pontifex fideles ad cultum ſancti Jacobi Piceni hortatur. 157. XLI. Erectiooem Montium Pietatis approbat. 94. XIII.
Leodienſis Conventus. 438. XLII.
Leonardus Ceva Bidanenſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Romanengi conſecrat. 250. XXI.
Leonardus Florentinus virtutibus inſignis. 244. XII.
Leonardus de Nogarolis Officii Immaculatæ Conceptionis auctor. 170. II.
Leonardus Polonus pietate, ceteriſque virtutibus commendabilis. 325. XLIV.
Leonellus de Luna Vicecomes Villæ de Cervaria, Cœnobii Pontis Limani fundator. 251. XXVII.
Leoneſiæ Monaſterium. 402. XXVI.
Leonora de Cancellario pro Mônaſterio Salemi erigendo domum largitur. 85. XXX.
Leonora Gutierrez Monaſterii Cordubenſis fundatrix. 137. XLIV.
Leonora de Mendoza Monaſterium de Barrameda extruit. 471. XXXVI.
Leonora Navarræ Regina moritur. 231. XIII.
Leontini Conventus. 134. XXXII.
Leopolienſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 253. XXXVI.
Liberatus de Civitella caritate cum ægrotis & miraculorum gratia admirabilis. 242. V.
Libertas quorumdam diſciplinam Superiorum declinantium coercetur. 467. XX.
Licienſe Monaſterium. 496. LXXIII. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 117. XLII.
Ligenictii Conventus. 526. LXXX.
Lignicenſis Conventus. 142. VII.
Liſlenſis Conventus. 53. XCVII.
Loxæ Conventus. 470. XXVIII.
Lucas Caracciolus de Licio Provinciæ ſancti Nicolai Miniſter. 356. XLVIII. Religione & genere illuſtris. 113. XXIII.
Ludovica Aquilana virtutibus, & pluribus donis cœlitus illuſtrata. 35. LXVII.
Ludovica de Cabrera in Conventu Portus Læti ſepulta. 181. XXXIV.
Ludovica Tremollia Cœnobinm Vicecomitis extruit. 83. XXV.
Ludovicus de Amboiſia Cardinalis cognomento *Bonus* Albienſe Monaſtetium extruit. 274. XXXI. & Conventum Montis Regalis iterato ædificat Ludovicus de Amboiſia Cardinalis ejus nepos. 357. LI.
Ludovicus de Barga puritate, vitæque auſteritate conſpicuus. 133. XXVII.
Ludovicus Bouonienſis ad PerſarumRegem Ducis Burgundiæ Orator. 144. I.
Ludovicus Cœleſtinus a Monte Corvino geſta ſancti Jacobi de Marchia ſcribit. 163. XLVIII.
Ludovicus Camanyas Epiſcopus Ottanenſis. 272. XXII.
Ludovicus de Caponibus magna ſanctitatis opinione moritur. 242. VI.
Ludovicus a Cruce Belalcazaris Comitis filius dat nomen Minoritis. 115. XXIX. Bullam Cruciatæ expendit. 394. II.
Ludovicus de Enghien nobilis miles unus ex Fundatoribus Conventus Conini. 116. XXXV.
Ludovicus de Gabilone ut Conventus Liſlenſis extruatur impetrat facultatem. 53. XCVII.
Ludovicus XI. Galliarum Rex Fratribus addictiſſimus. 273. XXVIII. Conventum Pontis Audomari conſtruit. 83. XXXI. & Domum Sororum Tertii Ordinis Bellovaci. 333. LXXI. Thecam argenteam pretioſam pro condendo corpore S. Bernardini largitur. 264. III.
Ludovicus a Lugo religione præclarus. 252. XXVIII.
Ludovicus Luithierus Toloſanæ Eccleſiæ Archidiaconus de Conventu Toloſæ optime meritus. 273. XXVIII.
Ludovicus Palavicinus Marchio Conventum Buxeti ædificat. 114. XXVII.
Ludovicus Placentinus humilitate & miraculis inſignis. 242. VII.
Ludovicus de Riperio ad Maronitas miſſus. 130. XXII.
Ludovicus Salutiarum Marchio Cœnobium Franciſcanis condit. 114. XXVII.
Ludovicus Seneuſis Laicus virtutibus ſpectabilis. 343. VII.
Ludovicus de Seniſalius Epiſcopus Minorenſis. 112. XIX.
Ludovicus de Turre Veronenſis vir ex omni parte ſpectabilis, Vicarius Generalis & Commiſſarius Apoſtolicus obit, & ad Aram-Cœli tumulatur. 232. XIV.
Ludovicus de Varca Polonus Concionator egregius. 325. XLIII.
Ludovicus Viucentinus Capituli Aquilani Præſes. 3. V. 5. IX. & Officii ſancti Bernardini Auctor. 382. XLVII.
Luneburgenſis Conventus. 471. XXXIII.
Lunevillæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 275. XXXV.

Luſzehen Conventus. 166. LI.
Luſitanorum Regum apud Barbaras Nationes progreſſus. 482. XXIII. ſeq. V. *Portugalliæ Regum.*
Luſurgii Conventus. 82. XXI.

M

MAlleacenſis Conventus. 357. LII.
Manliani Conventus. 435. XXXIII.
S. Marcelli de Pogeto Monaſterium. 419. XXXVII.
Marcus Barbus Aquilejenſis Patriarcha a Sixto IV. in Urbe benigne excipitur. 89. I.
Marcus Bononienſis commendatur. 125. IX. Montium Pietatis erectionem promovet. 95. XIII. In Domino obdormit. 196. XIV. Ejus acta, miracula, aliaque præclara geſta. ibidem. ſeqq.
Marcus Cortonenſis orationi valde addictus. 461. IV.
Marcus de ſancta Maria in Gallo. 244. XII.
Marcus Oliverius Pontificius Sacellanus. 46. LXXXI.
Marcus de Vigeriis Epiſcopus Senogallienſis. 164. LIII.
Marcus Ulyſſiponenſis acta beati Joannis Bonviſii recenſet. 32. LIX. & ſancti Jacobi de Marchia. 163. XLVIII. Ejus menda corriguntur. 3. VI. 326. XLVII.
Margarita Burgunda erga Fratres Obſervantes valde propenſa. 274. XXX.
Margarita Golſchimidin Tertiaria virtutibus illuſtris. 339. V.
Margarita Lotharinga Cœnobium Fixæ ædificat. 456. XXXVII.
Margarita de Vernebuer Comitiſſa una cum aliis Conventum Conini fundat. 116. XXXV.
Maria Benita virtutibus commendabilis Monaſterii *del Spino* Abbatiſſa. 183. XXXIX.
Maria de Cardona Comitiſſa Goliſani Conventus Naſi fundatrix. 249. XVIII.
Maria de Cleve pietate celebris. 443. V.
Maria Guſmania & Henricus conjuges Albæ Aliſtæ Comites ConventumGarobiliarum extruunt. 566. LIX.
Maria de Heredia Tertii Ordinis virtutibus celebris. 419. XXXV.
Maria Ramirez Religione ſpectabilis. 419. XXXV.
Maria Ruitia ſanctitate illuſtris. 419. XXXVI.
Maria a Spiritu Sancto Domus Tertii Ordinis Segobiæ fundatrix. 418. XXXV.
Maria a Toleto Monaſterium Toletanum ſanctæ Eliſabeth fundat. 184. XL.
Maria a Trinitate Clariſſa ad Philippinas Inſulas amandatur. 390. LXVIII.
Marianæ Conventus. 179. XXVII.
Marianus Florentinus acta beati Joannis Bonviſii ſcribit. 32. LIX. & ſancti Jacobi de Marchia. 162. XLVIII. Ejus mendum corrigitur. 242. VI. 3. VI.
Marianus a Muro laicus ſanctitate præclarus. 179. XXVII.
Marianus de Senis Sardiniæ Commiſſarius. 5. VIII. moritur. 163. LI.
B. Mariæ Virginis Imagines clarent miraculis. 355. XLIV. 387. LVIII.
B. Mariæ de Rubo Monaſterium. 183. XXXIX.
Marina de Villa Sera Monaſterium Cordubenſe S. Eliſabethæ extruit. 358. LIX.
MarochiiMartyres miraculis coruſcant. 263. I.
Maronitarum inſtructor & Patriarcha Griſo Belga. 128. XVIII. & ſeqq. V. *Griſo Belga*. Eorum cura Vicario Generali Obſerv. a Pontifice demandatur. 130. XXII.
Marſilia Pia pro Conventu Imolenſi extruendo domum, fundumque relinquit. 165. LVI.
De Martina in Apulia Conventus. 85. I.
Martinæ Conventus. 113. XXIII.
Martinus Alphonſus de Villa-ſeca Cœnobii de Furnis fundator. 454. XXX.
Martinus a Caſſo ſacræ Theologiæ Magiſter Inquiſit. Cordubenſis. 414. XXIII.
Martinus Eboronenſis Epiſcop. 523. LXIX.
Martinus Gaſtoldus erga Obſervantes propenſus. 236. XXIX.
Martyres Marochii prodigiis ingentibus fulgent. 263. I.
Maſſeriarum Conventus. 470. XXX.
Maſſilienſis Conventus. 252. XXX.
Matthæus Novarienſis Commiſſarius in Romana Curia. 194. VIII.
Matthias Rex Hungariæ monetur a Pontifice, ne cum Turcis conditiones ineat. 69. II. in eoſdem Turcas Chriſtianorum propugnaculum. 144. I.
Maximilianus Dux Auſtriæ Conventum Namurci ædificari ſollicitus. 400. XIX.
Mazaræ Conventus. 113. XXVI.
Mediolani S. Eliſabeth Monaſterium reformatur. 58. CXV.
Melchior Flavius virtutibus celebris Commiſſarius Generalis Germaniæ in Conventu Toloſano ſepultus. 273. XXVIII.
Melidenſis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 472. XL.
Meneia Vaaz ab Almeida Tertiaria Domus Tomarenſis fundatrix. 167. LXVI.
Me-

Meningenſis Conventus. 166. LXI.
Meſſanenſe Montis Virginum Monaſterium. 217. LXV.
Meſtrii Conventus. 249. XIX.
Meteuſe Monaſterium. 253. XXXIII.
Metymnæ Campenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 274. XXXIII.
Methymnæ Rivi-Sicci Conventus. 524. LXXIII. & Monaſterium. 526. LXXXII.
Michael Aquenſis floret. 244. XIII. Montem Pietatis Veronæ inſtituit. 517. LIX.
Michael Bal Poloniæ Vicarius. 269. XVI. 55. CIII. moritur. 133. XXVIII.
Michael de Barga moritur. 230. VIII. Ejus virtutes & acta referuntur. ibid. ſeqq.
Michael de Buſto in Cœnobio Toletano ſepultus. 181. XXXIV.
Michael de Caranſedes Neapolitanus Archiepiſcopus. 453. XXVI.
Michael de Carcano Mediolani verbum Dei diſſeminat. 15. XXIX. Montium pietatis erectionem promovet. 95. XIII. Munera beati Bernardini Feltrenſis in concionando ſupplet. 267. XIII. obit in Domino. 396. VII.
Michael Hiſpanus Monaſterii S. Luciæ Fulginatis Confeſſarius. 167. LXVII.
Michael Lopre de la Sorva Epiſcopus Giſarcenſis. 399. XV.
Michael de Maſſa Searlini obit. 32. LX.
Michael de Mediolano decedit. 476. VI.
Michael de Neapoli Eleemoſynarius Ducis Calabriæ. 429. XIV.
Michael Peruſinus egregius Concionator. 352. XXXVI.
Michael de Vargas in Monaſterio Placentiæ ſepultus. 137. XLIII. ejus Epitaphium. ibid.
Milevitanus Conventus. 331. LXIV.
Miniſtri Generales Zanetus Utinenſis. 124. VII. 351. XXXIV. Franciſcus Sampſon. 330. LVII. 497. I.
Minoritæ docti & pii florent. 95. XIV. 331. LIX. 351. XXXV. multa eis conceſſa privilegia. 98. XVII. ſeqq. & in fine cujuslibet Anni.
Minoritæ Provinciæ ſancti Franciſci curam Sororum dimittunt. 333. LXXII. jubentur tamen eamdem reaſſumere. 334. LXXIII.
Modicanus Conventus. 216. LVIII.
Moguerii Conventus. 332. LXV.
De Mole S. Mariæ Annunciatæ Monaſterium. 526. LXXXI.
Monachii Conventus. 258. II. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 362. IV.
Monaſteria Clariſſarum. Agienſe. 136. XLII. Albienſe. 274. XXXI. Alicanti. 475. II. ſancti Angeli in Vado. 389. LXVI. Aquilarii Campenſis. 85. XXIX. Aſtigii. 438. XLIII. ſancti Audomari. 217. LXIV. Barramedæ. 471. XXXVI. In Bavaria. 401. XXIII. Belalchazatis. 389. LXVII. 439. XLVII. Bellimontis. 494. LXIII. Bergomenſe. 56. CVIII. 135. XL. Briellenſe. 358. LVIII. Brixiæ. 117. XL. Brulenſe. 418. XXXIV. Buſcoducis. 57. CX. Camerinenſe. 357. LV. Carpenſe. 493. LXI. Civitatis Caſtelli. 457. XLIV. Civitatulæ. 438. XLIII. Complutenſe. 438. XLIV. Converſani. 496. LXXIII. Cordubenſe ſanctæ Eliſabethæ de Angelis. 358. LIX. & ſanctæ Agnetis. 137. XLIV. 275. XXXVII. Cremæ. 183. XXXVIII. Creveræ. 167. LXIV. Delfi. 137. XLVI. 419. XXXVII. 456. XL. Eugubinum. 402. XXVI. Fori oppidi. 471. XXXVII. Fulginei ſanctæ Luciæ. 167. LXVII. Gandenſe. 439. XLVII. Cebennæ. 57. CIX. Giennenſe. 418. XXXIII. Gragnani. 357. LIV. Grantmezenſe. 357. LVI. Hamuſci. 457. XLII. Hoecſtratenſe. 494. LXVII. Inſulæ. 494. LXVI. Inſulæ Lignorum. 167. LXV. 526. LXXXIII. Juliæ pacis. 471. XXXIV. Leoneſſæ. 402. XXVI. Licienſe. 496. LXXIII. ſancti Marcelli de Pogeto. 419. XXXVII. beatæ Mariæ de Rubo. 183. XXXIX. Mediolani ſanctæ Eliſabethæ reformatur. 58. CXV. Meſſanenſe Montis Virginum. 217. LXV. Metenſe. 253. XXXIII. Metymnæ Rivi Sicci. 526. LXXXII. de Mole ſanctæ Mariæ Annunciatæ. 526. LXXXI. Montis Falconis. 519. LXI. Mortarii. 333. LXIX. Murciæ ſanctæ Veronicæ. 390. LXIX. 494. LXIV. Orihuelæ. 494. LXV. Ovetenſe. 238. II. Pacis Juliæ. 391. LXXIII. 392. II. 471. XXXIV. Pariſienſe. 402. XXVIII. Pennenſe. 333. LXX. Placentinum. 136. XLIII. de Pogeto ſancti Marcelli. 419. XXXVII. Regienſe. 56. CVII. 390. LXX. Romæ ſancti Silveſtri. 85. XXX. Roſſellenſe. 57. CX. Rothomagenſe. 358. LVII. Salemi. 85. XXX. Setobricenſe. 472. I. Setuvallenſe. 471. XXXV. Tomarenſe. 167. LXVI. Turonenſe. 494. LXII. In Vado ſancti Angeli. 389. LXVI. Venetiarum deſerti ſancti Franciſci. 274. XXXII. & de Cruce. 402. XXVII. Vercellarum. 136. XLI. Viliæ Comitis. 419. XXXVII. Ulyſſiponen. 253. XXXIV. Volaterrarum. 117. XXXIX. Xativæ. 275. XXXVII.
Moneliæ Conventus. 387. LIX.
Monopolis Conventus. 524. LXXII.
Mons Pietatis a quo primò inſtitutus. 93. XI.
Monſteroli Conventus. 135. XXXV.

Mon-

Montis Deſiderii Domus Sororum Tertii Ordinis. 401. xxiv.
Montis Falconis Monaſterium. 519. lxi.
Montis Politiani Conventus. 378. xxxviii.
Montis Regalis in Pedemonte Conventus. 114. xxvii.
Montis Regalis in Aquitania Conventus. 357. li.
Montis Rotundi Conventus. 435. xxxv.
Montis Sarchii Conventus. 250. xxiii.
Montis Savini Conventus. 356. xlvii.
Montis ſancti Tuderti Conventus. 453. xxvii.
Mortarii Monaſterium. 333. lxix.
Mortis meditatio, quomodo per hebdomadam diſpertieuda. 341. iv.
Motæ Conventus. 454. xxix.
Moudexaris Conventus. 417. xxxi.
Mulier quædam pœnitens pie obdormit in Domino. 455. xxxiii. V. *Joannes de Aſſilles*.
Murciæ ſanctæ Veronicæ Monaſterium. 390. lxix. 494. lxiv.

N

N. Epiſcopus Termipolenſis. 164. A. liii.
Namurci Conventus. 400. xix.
Nanceii Conventus. 332. lxvi.
Narnienſis Conventus. 355. xliv.
Naſi Conventus. 249. xviii.
Neocaſtri Conventus. 52. xciii.
Nicolaa Lonne Monaſterium Metenſe ædificat. 453. xxxiii.
Nicolaus Amantis doctrina, pietateque clarus. 95. xiv.
Nicolaus Amatricius Architectus celebris. 9. xv.
Nicolaus Bythumnenſis miraculis glorioſus. 474. iii.
Nicolaus Cachetius Conventum Voſagi reſtaurat, & ampliat. 53. xcvii.
Nicolaus Carrettinus egregius Concionator. 232. xv.
Nicolaus Carros de Arborea bona ſua pro condendo Conventu de Serpe reliquit. 417. xxx.
Nicolaus de Chabanis Fratribus addictus. 470. xxix.
Nicolaus de Fara Provinciæ S. Bernardini Vicarius. 178. xxiii.
Nicolaus Lagrencius Eborenſis Epiſcopus, Eccleſiam Domus Ambianenſis conſecrat. 275. xxxiv.
Nicolaus de Lotharingia in Conventu Naceii tumulatus. 332. lxvi.
Nicolaus Meinardi ubi ſepultus. 495. lxvii.

Nicolaus de Orbellis doctriua illuſtris. 125. viii.
Nicolaus *Pater noſter* a ſimplicitate commendatus. 524. lxxi.
Nicolaus de Proxida Miles Conventum Almenaræ conſtruere deſiderat. 180. xxviii.
Novæ Domus Conventus. 135. xxxix.
Novelodoſiæ Conventus. 273. xxix.
Novi Vici Conventus. 456. xxxvi.
Noviomagenſis Conventus. 493. lix.

O

OBſervantes. V. *Minoritæ*.
Ocræ Conventus. 235. xxv.
Octaviani Siuveſſani de Canonizatione ſancti Bonaventuræ Oratio refertur, & commendatur. 285. iii.
Officium S. Bernardini Senenſis a Ludovico Vincentino compoſitum. 382. xlvii.
Officium Immaculatæ Conceptionis a Bernardiuo de Buſtis exaratum approbatur. 254. xxxviii.
Oliverius Mayllardus Vicarius Generalis. 422. ii. 273. xxviii. de Eccleſia Catholica valde meritus extitit. 452. xxv.
Olmenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 57. cxi.
S. Ouuphrii de Lappa Conventus. 469. xxv.
Oppidi ſancti Martini Conventus. 491. lii.
Oppidi S. Trudonis Domus Sororum Tertii Ordinis. 390. lxxi.
Oriuholæ Monaſterium. 494. lxv.
Oſaris Conventus. 492. liv.
Ovetenſe Monaſterium. 238. ii.

P

PAcificus a Ceredano ubi tumulatus. 165. lviii. Commiſſarius Sardiniæ eligitur. 266. vii. in Sardiuia moritur. 326. xlvii.
Pacificus Romanengi Concionator celebris. 250. xxi.
Pacis Juliæ Mouaſterinm. 391. lxxiii. 392. ii. 471. xxxiv.
Pactenſis Conventus. 216. lviii.
Paganus Torniellus vitæ aſperitate illuſtris. 209. xxxviii.
Palatioli Conventus. 138. xlvii.
Papyrius Maſſonius Sixtum IV. Summum Pontificem encomiis celebrat. 369. xiii.
Pariſienſis Conventus. 216. lxi.

Pariſienſis *Ave Maria* Conventus . 402. xxviii. & Monaſterium . ibid.
Parmenſis Conventus. 468.xxii. 473.ii.
Partanæ Conventus. 388. lxi.
Paſchalis de Camplo Vicarius Candiæ . 422. i.
Paulinus Polonus Concionator celebris . 429. xii.
Paulus Brixienſis eruditione præclarus . 173. xi.
Paulus de Canneto Conventus Montis Sion Guardianus. 266. vii. 381. xlv.
Paulus Fregoſius Cardinalis Conventum Moneliæ Franciſcanis largitur . 387. lix.
Paulus Moravus Provinciæ Boemiæ Vicarius . 135. xxxvii. Gloeſiæ Cœnobium ædificari curat . 135. xxxviii. alia loca recipiendi obtinet facultatem . 140. iii. Conventus Ligniceuſis fundator . 142. vii.
Paulus II. Pontifex tranſitum reciprocum a Conventualibus ad Obſervantes prohibet . 75. x.
Paulus Regius Epiſcopus Viei Aquenſis geſta ſancti Jacobi de Marchia recenſet . 163. xlviii.
Paulus Sinopolitanus ſpiritu prophetico inſignitus . 250. xxii.
Pefrucii Conventus . 400. xvii.
Pelbartus de Themeſvar doctrina illuſtris . 351. xxxv.
Pennenſe Monaſterium . 333. lxx.
Pergeti Conventus . 470. xxxi.
Peruſinus ſancti Hieronymi Conventus. 355. xlv. & ſancti Joannis Contratæ . 387. lvii.
Petraliæ Conventus . 388. lxi.
Petræ Pertuſiæ Conventus . 113. xxvi.
Petrus Antonius Cortonenſis in Conventu Scarlini obit . 405. iv.
Petrus Antonius Turritanus Archiepiſcopus Eccleſiam ſancti Petri Saterenſis Fratribus donat . 82. xxi.
S. Petrus Apoſtolus in Monte Aureo Urbis crucifixus . 48. lxxxiii.
Petrus de Brieta omni virtutum genere exornatus . 327. l.
Petrus de Capriolis moritur . 242. iv.
Petrus a Carnota ſanctitate & Religione illuſtris . 251. xxvii.
Petrus Ferrerius Valentinus ſancti Vincentii Ferrerii cognatus Conventum de Caçeres fundat . 52. xciv.
Petrus Florentinus ſancto Jacobo Piceno dilectus moritur . 266. viii.
Petrus Floretus Conventus S. Theodorici benefactor . 525. lxxv.
Petrus de Fuxo junior Epiſcopus Adurenſis . 134. xxix. ad Cardinalatus faſtigium evehitur . 146. v. num fuerit Minorita. 146. vi. multa glorioſe præſtat . 270. xviii. Archiepiſcopus Panormitanus eligitur. 399. xv. moritur. 477. ix. Quot rexit Eccleſias. 478. ix.
Petrus Gamratus Epiſcopus Cracovienſis Conventus Podoliæ Eccleſiam conſecrat . 182. xxxvi.
Petrus Goſſetus Martyr . 525. lxxvii.
Petrus Guadixenſis Epiſcopus. 134. xxix.
Petrus de Guardia Epiſcopus Guardienſis . 112. xix.
Petrus Guarignejus ab hæreticis pro fide occiſus . 470. xxxi.
Petrus Helenopolitanus Epiſcopus . 46. lxxxi.
Petrus Interamnenſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Cotiniolæ conſecrat. 356. xlvi.
Petrus Jomicius Eccleſiam & Conventum Podoliæ iterato ædificat . 182. xxxvi.
Petrus Manrique Parietinenſium Comes Cœnobium Vallis Viridis extruit . 180. xxx.
Petrus Manrique Najaræ Dux Domum Hamuſci Tertii Ordinis ædificat. 457. xlii.
Petrus Marcus Epiſcopus Scardonenſis . 232. xvi.
Petrus a ſancto Martino gratia curationum clarus . 492. lii.
Petrus Maurocenus Brixienſium Commiſſarius . 126. x.
Petrus de Molleano Vicarius Candiæ . 5. viii. Romanæ & Picenæ Provinciæ. 476.iii. in Domino obdormit. ibidem.
Petrus de Neapoli Vicarius Generalis . 125. ix. Guardiano Hieroſolymorum præcipit ut poſſeſſiones dimittat . 176. xvii. idem Vicario Hieroſolymorum inculcat . 177. xx. iterato Vicarius Generalis eligitur . 266. vii.
Petrus Palagatius Epiſcopus Lavellenſis . 330. lviii.
Petrus Paulus Senenſis Barbaroſſa Vicarius Tuſciæ . 128. xvii.
Petrus Portocarrerio Cœnobium Moguerii iterato ædificat . 332. lxv.
Petrus Raſcy Conventum Zudlachienſem ædificari ſtudet. 456. xxxviii.
Petrus Riarius Cardinalis Ordinis Protector decedit . 89. ii.
Petrus Rodulphus de Viglevano Ordinis Procurator . 296. iv.
Petrus Rodulphus Toſſinianenſis acta S. Jacobi Piceni uarrat . 163. xlviii. ejus menda corriguntur . 52. xciii.
Petrus Sidonienſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Maſſeriarum conſecrat . 470. xxx.
Petrus Toletanus Prorex Neapoli Conven-

ventum Puteolis reſtaurat. 52. XCIII.
Petrus Tomerius Archiepiſcopus Colocenſis. 523. LXIX.
Petrus Tyburtinus Provinciæ Romanæ Vicarius. 178. XXIII.
Petrus de Villa Regali Comes Conventum Ceptenſem ædificandi facultatem impetrat. 53. XCVI.
Philippa Medicæa Clariſſa genere, & ſanctitate illuſtris. 444. IV.
Philippus Autinorus ſanguine & virtute conſpicuus. 497. II.
Philippus de Burguudia vir Princeps Minorita. 470. XXX.
Philippus a Carponeto laicus honeſtate, & Religione præclarus. 477. VIII.
Philippus III. Hiſpaniarum Rex canonizationem ſancti Jacobi de Marchia poſtulat. 158. XLIII.
Philippus Palatinus Comes Domus Tertii Ordinis Heidelbergæ fundator. 457. XLIII.
Philippus de Termino prædicator Siculus de dividenda Siciliæ Provincia agit. 126. XII.
Philippus de Waldeg Comes Cœnobium Corbechi ædificat. 401. XX.
Piedrolæ Conventus. 388. LXII.
Pierona Hergodſa Tertiaria Mechliniæ tumulata. 68. XI.
Pinaroli Conventus. 81. XVIII.
Pinciarum Domus Sororum Tertii Ordinis. 403. II.
Piniaci Conventus. 115. LXXII.
Pinus Ordelaffius Domus Sororibus Tertiariis Fori Livii extruit. 117. XLIII.
Pius II. Pontifex Montem Pietatis in Urbe veteri ſuis litteris confirmat. 94. XIII.
Del Pizzo Conventus. 113. XXIV.
Placentinum Monaſterium. 136. XLIII.
Plajæ Conventus. 252. XXVIII.
Plebis Sciochi Conventus. 387. LVIII.
Podoliæ Conventus. 182. XXXVI.
De Pogeto S. Marcelli Monaſterium. 419. XXXVII.
Pontis Limæ Conventus. 251. XXVII.
Potentiæ Conventus. 454. XXIX.
Portugalliæ Regum apud Barbaras Nationes progreſſus. 482. XXIII. ſeqq.
Prædicatoribus, & Minoritis multa privilegia conceſſa. 224. VI.
Privilegia alia pro Minoritis. 271. XXI. 336. LXXVI. 467. XIX. & in fine quorumlibet annorum.
Pruſſiæ Conventus. 135. XXXVI.
Puteoli Conventus. 51. XCIII.

R

Radichii Conventus. 526. LXXIX.
Raguſii Provinciæ erectio. 381. XLVII.
Raguſinis & Dalmatis diſtincti dantur Prælati. 194. IX.
Rami Conventus. 250. XXIV.
Ratiboriæ Conventus. 526. LXXIX.
Raphael de Griffis de Variſio inſignis Eccleſiaſtes. 352. XXXVI.
Raymundus de Torculari Epiſcopus Vaſatenſis. 272. XXII.
Raymundus Urſinus Conventum Scantriliæ ædificat. 215. LV.
Reati Conventus. 112. XXI.
Recſedorfii Conventus. 526. LXXIX.
Redenſis Conventus. 456. XXXV.
Regienſe Monaſterium. 56. CVII. 396. LXX.
Regularibus an liceat bulla Cruciatæ uti. 394. II.
Reguli Mirandulani duæ filiæ Clariſſæ & altera Reguli Camertis. 430. XVI.
Religionis quatuor capitalia mala. 498. V.
Rementzii Conventus. 401. XXI.
Renata a Borbonio in Conventu Nanceji tumulata. 332. LXVI.
Renatus Alenconii Dux Cœnobium Fixæ extruit. 456. XXXVII.
Renatus Lotharingiæ Dux Minorum delectatur ſocietate. 217. LXI. Conventus Nanceji fundator. 332 LXVI.
Renatus Rex Siciliæ Conventum Maſſilienſem ædificat. 252. XXX. & Domum Tertii Ordinis Lunevillæ. 275. XXXV.
Richardus Martini Epiſcopus Waterfordienſis. 46. LXXXI.
Ridleræ in Monacho Domus Sororum Tertii Ordinis. 391. LXXII.
Ringenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 168. LXVIII. 527. LXXXVI.
Riverenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 218. LXIX.
Robertus Caracciolus Licienſis egregius Concionator. 329. LV. Canonizationem ſancti Bonaventuræ præclara oratione celebrat. 302. VIII. ad Epiſcopatum Aquinatem promovetur. 331. LVIII.
Robertus Politianus Cardinalis Romæ apud ſanctum Petrum in Monte Aureo tumulatus. 47. LXXXII. Ejus Epitaphium. ibid.
Robertus Sanſeverinus Conventum Diani Obſervantibus concedit. 112. XXII.
Robertus Siciliæ Rex Conventum Piniaci ædificari obtinet. 115. XXXII. & Conventum de Breyo. 116. XXXIII.

Robertus Wellys Epiſcopus Achadenſis. 81. xv.
Rochæ Glorioſæ Conventus. 134. xxxi.
Rodericus Calderonii Monaſterii Placentini patronatum ſibi vendicat. 136. xliii.
Rodericus Odonalliæ Princeps Romæ apud ſanctum Petrum in Monte Aureo tumulatus. 48. lxxxii. Ejus Epitaphium. ibid.
Rodulphus Pares Epiſcopus Lyddenſis. 178. xxii.
Rolandus Euſtatius Juſtitiarius Conventum Kille-cuilini extruit. 418. xxxii.
Romanengi Conventus. 250. xxi.
Romæ ſancti Petri in Monte Aureo Conventus. 46 lxxxii. & Monaſterium S. Silveſtri. 85. xxx.
S. Romuli Conventus. 81. xvii.
Rondæ Conventus. 492. lvi.
Roſcllcnſe Monaſterium. 57. cx.
Rothomagenſe Monaſterium. 358. lvii.
Royæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 253. xxxv.
Ruenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 471. xxxviii.
Ruthenenſis Conventus. 356. xlix.
Rutiliani Conventus. 356. xlviii.

S

SAberniæ Conventus. 401. xxii.
Safræ Conventus. 251. xxv.
Salatinus Scotti de Fregona Cœnobio Coneglani ſua bona relinqnit. 273. xxvi.
Salemi Monaſterium. 85. xxx.
Salodii Conventus. 165. lv.
B. Salvator ab Horta in Conventu Calaritano colitur. 245. xxvi.
Salvator laicus paupertatis, & Regularis diſciplinæ obſervantiſſimus. 252. xxvii.
Salutiarum Conventus. 114. xxvii.
Samborienſis Conventus. 55. ciii.
Sancius de Padilla in Conventu Toleti ſcpultus. 181. xxxiv.
Sanctoyani Vicariatus erectio. 178. xxiii.
Sancturcæ Conventus. 82. xxi.
Sanlucaris Conventus. 456. xxxv.
Saterenſis Conventus. 82. xxi.
Saulari Conventus. 180. xxix.
Savonenſis Conventus. 64. vi.
Scantriliæ Conventus. 215. lv.
Scbeidam domus Sororum Tertii Ordinis. 358. lix.
Scholaſtica Fulginas Clariſſa ſanctitate præclara. 462. v.
Scotiæ Conventus tres. 332. lxvii.
Securæ Conventus. 251. xxvi.
Segerienſis Conventus. 437. xxxix.
Segnienſis Conventus. 217. lxii.
Segobienſis domus Sororum Tertii Ordinis. 418. xxxv.
Senogalliæ ſanctæ Mariæ de Gratiis Conventus. 523. lxx. & ſanctæ Mariæ Magdalenæ. ibid.
Sepis Conventus. 272. xxiii.
Seraphina Columna Urbino Romam in Columnenſium domum transfertur. 209. xl. abſens Alexandro Sfortiæ Piſauri Domino deſponſatur. ibid. eo longe agente commendatum ſibi dominium aſſumit, & prudentiſſime regit. 210. xl. ab eodem Piſaurum reverſo deſpicitur, & acerbe vexatur, ac in Clariſſarum Monaſterium detruditur. ibid. gravi infamia oneratur. 210. xli. Chriſtus e Cruce, capite ad eam verſo, blande alloquitur, & amare flentem ad patientiam adhortatur. 210. xlii. iniquus Scriba falſum infameque ſcripturus contra ipſam inſtrumentum a ferociente Aſello calcibus ac dentibus male habetur. ibid. nec dimittitur donec palam fateatur ejus innocentiam, & divinitus ſibi immiſſum ſupplicium. ibid. multas adhuc ſuſtinet a conjuge moleſtias. 211. xliii. fit Clariſſa. 211. xliv. Maritum pœnitet illatæ injuriæ. ibid. ejus virtutes. 211. xlv. Monaſterio præficitur. ibid. pie obit die Natalis Domini. ibid. miraculis coruſcat. ibid. & ſeqq. ejus corpus honorifice conditum magna colitur veneratione. 213. xlix.
Seraphinus de Caſtello acta beati Joannis Bonviſi ſcribit. 32. lix.
Seraphinus Polonus piiſſimus Evangelii Concionator. 499. vii.
Seraphinus de Squilatio Archiepiſcopus Hydruntinus. 244. xiii.
Sepis Conventus. 272. xxiii.
De Serpe Conventus. 417. xxx.
Serpierus Laurentii Conventum Collis ædificari jubet. 467. xxi.
Serravallis Conventus. 273. xxvi.
Setobricenſe Monaſterium. 472. i.
Setuvallenſe Monaſterium. 471. xxxv.
Sibilla Lopez Carrajalia Monaſterium Placentinum condit. 136. xliii.
Sigiſmundus II. Rex Poloniæ Conventum Ticocinii ad ſalubriorem locum transfert. 236. xxix.
Simon de Daviticis Epiſcopus Montis Marani. 386. lvi.
Simon de Lipnica ex humanis abit. 343. viii. ejus vita & miracula adnotantur. ibid. ſeqq. ejus officium & Miſſa toti

Regno Poloniæ, & Seraphicæ Religioni conceditur. 351. XXXII.

Simon Regienſis ad Abyſſinos Miſſionarius. 243. X. & apud Indos. 331. LX.

Simon Vargius Epiſcopus Sulcitanus. 435. XXXI.

Sixtus Mediolanenſis ſanctitate præclarus. 404. I.

Sixtus IV. ſummùs Pontifex Claſſem mittit in Turcas. 1. I. Bullam Eugenianam revocare cogitat. 2. III. ſed conſilium mutat. 2. IV. propitiatur Marco Bononienſi. 6. X. vetat quemquam præter ſanctum Franciſcum cum Stigmatibus depingi. 37. LXIX. Victoriam ex Turcis reportat. 69. I. Regem Hungariæ monet, ne indignas cum iiſdem Turcis conditiones ineat. 69. II. honorifice Regem Daniæ in Urbe excipit. 73. V. & Ducem Saxoniæ 222. II. res magnas aggreditur. 89. I. prohibet Conventualibus inferri gravamina. 95. XVI. 246. XVI. multa & magna Minoritis concedit. 98. XVII. 269. XVII. ſeqq. Hungariæ Regi contra Turcas ſuppetias mittit. 122. I. 144. I. Principes Chriſtianos inter ſeſe concordat. 122. II. 144. I. Annum Jubilei indicit, & ad annum XXV. reducit. 123. III. Cardinalem Gonzagam ad Comitia electoralia mittit. 145. II. multos recipit Principes exules. 145. III. Corpus ſancti Franciſci inviſit. 145. IV. & corpus ſancti Jacobi Piceni exhumari jubet. 156. XXXVI. Recitantibus Conceptionis Officium Indulgentias largitur. 170. II. idemque Officium approbat. 254. XXXVIII. Vicario Generali quædam indulget. 186. I. ob violatam Eccleſiaſticam Immunitatem Florentinos punit. 190. I. nec non Henricum Haſſanum. 191. II. Patritium ſancti Andreæ Archiepiſcopum dignitate ſpoliat. 191. III. errores Petri Oxomenſis proſcribit. ibid. Ordinibus Mendicantium patrocinatur. 191. IV. Comitia Conventualium indicit. 222. III. ſuſpenſionem Indulgentiarum a ſe factam declarat. 248. XVII. ſtatuta Ordinis non obligare ad mortale declarat. 255. XXXIX. capſam pro corpore ſancti Bernardini condendo a Rege Galliæ miſſam jubet cuſtodiri. 265. V. a multiplici doctrina laudatur. 286. III. Seraphicum Doctorem beatum Bonaventuram Sanctorum cathalogo adſcribit. 296. 14. Bulla Canonizationis refertur. ibid. ſeqq. graves compeſcit diſcordias. 310. XI. Amadeitarum privilegia confirmat, & Conſervatores. 323. XLI. confirmat quoque in urbe Viterbienſi Montem Pietatis. 94. XIII. erat vir animi bellicoſi. 363. II. multum advexit Urbi ſplendorem. 364. IV. Bibliothecam Palatinam in Vaticano conſtruxit. ibid. Pontem Veterem disjectum refecit. 365. V. ædificia ſacra partim fecit, partim refecit, 365. VI. Saonæ Templum Cathedrale conſtruxit & Montem Pietatis erexit. ibid. Sacros Ritus adauxit. 366. IX. Hiſpanis Regibus *Catholici* nomen attribuit. 367. X. variæ ſub ipſo calamitates. 367. XI. valde conturbatur iniquis conditionibus pacis a confœderatis ipſo inſcio peractis. ibid. moritur. 367. XII. toto Pontificatu habitum geſſit Franciſcanum. 368. XII. ejus monumentum, & epitaphium. ibid.

Sixtus V. S. Bonaventuræ cultum adauget. 302. IX. ejuſdem Collegium in Urbe inſtituit. 307. IX. omnia ejus opera Typis dari jubet. ibidem. Indulgentiam plenariam in feſto ejuſdem S. Doctoris concedit. 309. IX.

Spelli Conventus. 112. XX.

Spinazoli Conventus. 126. XIII.

Spinæ Conventus. 134. XXXII.

Stanislaus de Gorzep Prædicator egregius. 429. XIII.

Stephanus Gallus quando mortuus. 493. LXI.

Stocholinenſis Conventus. 138. XLVII.

Sturnenſis Conventus. 216. LX.

Sueva Comitiſſa Gonzæ apud Minores tumulata. 250. XXIII.

Sultanus Ægypti ad Hiſpaniarum Regem Oratorem Minoritam mittit. 482 XXII.

Suſpitelli Conventus. 250. XX.

Syndici Apoſtolici confirmantur. 58. CXVII.

Synopolis Conventus. 400. XVI.

T

TAſſaliæ Conventus. 231. XIII. 469. XXVII.

Tanlay Conventus. 416. XXVIII.

Templum S. Bernardini deſcribitur. 8. XV. ſeqq.

Templum Pacis in Urbe a Sixto IV. conditum. 341. I.

Terdichii Domus Fratrum Tertii Ordinis. 457. XLIII.

Tereſia Enriquez Comitiſſa Belalcazaris Conventum extruit. 114. XXVIII.

Tereſia Guillelmi Roquellini ex bonis ſuis Domum Tertii Ordinis Murciæ ædificari ſtatuit. 390. LXIX.

Tertiariorum vota ſolemnia. 256. XL. Conventus. V. *Domus* Tertii Ordinis, & privilegia. V. *in fine cujuſlibet anni*.
Teſtemii Conventus. 166. LXII.
Thaddæus Daly Martyr. 493. LX.
Theodoſius Gaza Theſſalonicenſis encomiis Sixtum IV. Summum Pontificem celebrat. 369. XIII.
Theologiæ Scholaſticæ in Eccleſia neceſſitudo. 306. IX.
Thermarum Conventus. 52. XCIII.
Thimotheus a Monticulo miraculis illuſtris. 235. XXV.
Thomas Catius S. Bernardini diſcipulus. 209. XXXVIII.
Thomas de Peſcopagano orationi & contemplationi intentus. 250. XXIII.
S. Thomas de Villanova Archiepiſcopus Valentinus majorem partem præcipui Sacelli in Eccleſia Minorum extruit. 524. LXXIV.
Ticocini Conventus. 236. XXIX.
Tiferni Conventus. 81. XVI.
Toletanus S. Joannis Regum Conventus. 180. XXXI. & Domus S. Eliſabeth Sororum Tertii Ordinis. 184. XL.
Toloſanus Conventus. 273. XXVIII.
Tomarenſe Monaſterium. 167. LXVI.
Tramontis Conventus. 112. XXII.
T ancoſi Domus Sororum Tertii Ordinis. 439. XLV.
Traneuſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 218. LXVII.
Translatio Corporis S. Bernardini Senenſis ad novum & peramplum Templum ejus nomini erectum & dicatum. 6. XII. ſeqq. Idem Templum exacte deſcribitur. 8. XV. ſeqq. Item ejus ſacellum & depoſitum cum adjectis Iconibus. 9. XVII. ſeqq. Idem Templum Terræ motu magna ex parte dirutum denuo reficitur. 14. XXII. ſeqq. Sacrum Corpus, & arca criſtallina ipſum contegens, lignea una confracta, argentea alia contuſa, a ruina miraculoſe ſervantur. 14. XXV. huic translationi B. Bernardinus Feltrenſis intereſt. 15. XXVIII.
Trecorienſis Conventus. 357. LIII.
Tremoniæ parvæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 527. LXXXVI.
Trevii Conventus. 234. XIX.
S. Trudonis Domus Sororum Tertii Ordinis. 390. LXXI.
Tuderti Domus Sororum Tertii Ordinis. 57. CXV.
Turonenſe Monaſterium. 494. LXII.
Turris Aquarum Conventus. 135. XXXIV.
Tutellenſis Conventus. 525. LXXVIII.

V

In VAdo S. Angeli Monaſterium. 389. LXVI.
Valentinus Conventus. 471. XXXIII.
Vallis Tecci Conventus. 331. LXII.
Valoniarum Conventus. 181. XXXV.
Ubertus Folieta Encomiis Sixtum IV. celebrat. 369. XIII.
Udalricus de Ulma Epiſcopus Andriamitanus. 112. XIX.
Venantius de Fabriano ſocius S. Jacobi de Marchia geſta narrat ejuſdem. 162. XLVIII.
Veneti Regnum Cypri aquirunt. 85. I.
Venetiarum Deſerti Conventus. 185. XLVII. Monaſterium ſancti Franciſci. 274. XXXII. & Monaſterium de Cruce. 402. XXVII.
Vercellarum Monaſterium. 136. XLI.
Veris Domus Sororum Tertii Ordinis. 218. LXVIII.
Vicarii Generales Ciſmontani Angelus a Clavaſio. 5. VIII. 194. VIII. 461. I. Petrus de Neapoli. 125. IX. Joannes de Sigeſtro. 422. I. Ludovicus de Turre. 232. XIV.
Vicarii Generales Ultramontani Joannes Croyn. 6. XI. 382. XLVIII. Joannes Philippi. 125. VIII. Guillelmus Bertholdi. 194. X. Oliverius Mayllardus. 422. II.
Vicecomitis Conventus. 83. XXV.
Vici Conventus. 273. XXVII.
Vico Oppidi Conventus. 331. LXIII.
Victoria Gonzaga genere & ſanctitate illuſtriſſima, in Domino obdormit. 478. XI.
Victoria a ſancto Severino pietate celebris. 492. LII.
Vigiani Conventus. 216. LIX.
Vigiliæ Conventus. 235. XXIV.
Viglevani Conventus. 165. LVII.
Villabati Conventus. 62. XCV.
Villæ Badenſis Conventus. 250. XXIV.
Villę Comitis Monaſterium. 419. XXXVII.
Villæ Fichæ Conventus. 166. LX.
Villæ Novæ Infantium Conventus. 524. LXXIV.
Villæ Viridis Conventus. 180. XXX.
Violanta de ſancto Franciſco claret in Monaſterio Pacis Juliæ. 393. III.
Vincentius Gallus Religione præclarus. 339. IV.
Vincentius Leontinus floret. 135. XXXIII.
Virienſis Conventus. 525. LXXVI.
Virzionis Conventus. 217. LXI.
Viſenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 456. XXXIX.

Vi-

Digitized by Google

Vitalis a Baſtia Tertiarius a pœnitentia commendatus. 511. XLII.
Viterbii Domus Sororum Tertii Ordinis. 218. LXVI.
S. Viti Conventus. 331. LXI.
Ulmenſis Conventus. 401. XXI.
Ulmeti Domus Sororum Tertii Ordinis. 526. LXXXIV.
Ulyſſiponæ Monaſterium. 253. XXXIV.
Volaterrarum Monaſterium. 117. XXXIX.
Voſagi Conventus. 53. XCVII.
Uraca Rodriguez Bezerra Domum Tertii Ordinis de Ulmeta extruit. 526. LXXXIV.
Urcei Conventus. 416. XXVI.
Urſula Anſnaga ſanctitate clariſſima, 474. IV.
Utreræ Conventus. 456. XXXV.
Wexfordienſis Conventus. 418. XXXII.
Winſenuupderluenſis Conventus. 217, LXIII.
Uxenti Conventus. 81. XVIII.

X

Xativæ Monaſterium. 275. XXXVII.
Xereſii Equitum Domus Sororum Tertii Ordinis. 527. LXXXV.

Y

Yolanta Sabaudiæ Clariſſis addicta. 221. IV. Monaſterium Gebennenſe conſtruendi facultatem impetrat. 57. CIX.

Z

Zabérienſis Conventus. 438. XLI.
Zanetus Miniſter Generalis Archiepiſcopus Thebanus & Epiſcopus Tarviſinus creatur. 124. VII. ad Comitia Conventuales convocat. 3. VI. reformationi Ordinis in Regno Daciæ annuit. 84. XXVIII.
Zellenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 58. CXVI.
Ziriczeæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 495. LXX.
Zmichienſis Conventus. 456. XXXVIII.
Zudlachienſis Conventus. 456. XXXVIII.

IN-

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Decimiquarti Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem poſitas Bullas.

AD uberes fructus. *Innocentii VIII.* XVII. 613.
Ad uberes quos. *Ejuſdem.* XXIII. 621.
Ad uberes quos. *Ejuſdem.* XXXIX. 641.
Alias felicis recordationis. *Ejuſdem.* XII. 607.
Apoſtolicæ nobis. *Ejuſdem.* XIX. 616.
Benigne petitiones illas. *Sixti IV.* XXIX. 566.
Circumſpecta Apoſtolicæ Sedis. *Ejuſdem.* XII. 548.
Cognita devotionis conſtantia. *Innocentii VIII.* XXVII. 625.
Conſiderantes. *Ejuſdem.* XIX. 556.
Cum inter agri Dominici. *Monum. Moguntin.* 657.
Cum inter cetera opera. *Innocentii VIII.* XXXIII. 634.
Cupientes Divinum cultum. *Sixti IV.* XXIV. 622.
Digna reddimur. *Innocentii VIII.* IX. 600.
Dudum ad removenda. *Sixti IV.* X. 546.
Dudum cum eſſemus. *Ejuſdem.* XXI. 558.
Dum ad fructus. *Innocentii VIII.* XXXVII. 639.
Dum fructus uberes. *Sixti IV.* II. 537.
Etſi locorum piorum. *Ejuſdem.* XL. 581.
Ex Apoſtolicæ Sedis. *Ejuſdem.* I. 533.
Ex Apoſtolicæ ſervitutis. *Ejuſdem.* XXVI. 563.
Ex debito ſollicitudinis. *Innocentii VIII.* VII. 597.
Exigit tuæ devotionis. *Ejuſdem.* XXVI. 624.
Eximiæ devotionis. *Sixti IV.* IV. 541.
Eximiæ devotionis. *Innocentii VIII.* XXXV. 637.
Eximiæ devotionis. *Ejuſdem.* XXXVIII. 640.
Eximiæ devotionis. *Ejuſdem.* XLIII. 647.
Ex injuncto nobis. *Sixti IV.* XXXI. 570.
Ex injuncto nobis. *Ejuſdem.* XXXIV. 573.
Ex injuncto nobis. *Ejuſdem.* XLI. 583.
Ex injuncto nobis. *Innocentii VIII.* XIII. 607.
Ex injuncto nobis. *Ejuſdem.* XVIII. 614.
Ex injuncto nobis. *Ejuſdem.* XXVIII. 626.
Expoſcit tuæ devotionis. *Ejuſdem.* XXII. 620.
Feciſti nobis humiliter. *Sixti IV.* VI. 542.
Fuit nobis pro parte tua. *Ejuſdem.* VII. 543.
His quæ pro Religionis. *Innocentii VIII.* XXXIV. 635.
Inibuimus ſuperioribus annis. *Ejuſdem.* XLIV. 649.
In ſuprema. *Ejuſdem.* IV. 589.
Inter cetera. *Ejuſdem.* I. 584.
Inter curas multiplices. *Sixti IV.* VIII. 544.
Inter curas multiplices. *Innocentii VIII.* XXXII. 632.
Inter univerſa. *Ejuſdem.* XLVI. 651.
Licet nos dudum. *Sixti IV.* XVIII. 556.
Mandavimus nuper. *Ejuſdem.* XXII. 559.
Merita piæ vitæ. *Ejuſdem.* XLII. 645.
Officii nobis ex alto. *Ejuſdem.* XXXIII. 572.

Pa-

Paſtoralis officii. *Ejuſdem*. XXIV. 561.
Paſtoralis officii. *Ejuſdem*. XXXV. 576.
Pia conſideratione. *Innocentii VIII*. XXV. 623.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. XL. 642.
Piis fidelium. *Sixti IV*. XXXVIII. 578.
Piis fidelium. *Innocentii VIII*. XIV. 609.
Piis fidelium. *Ejuſdem*. XX. 618.
Piis fidelium. *Ejuſdem*. XLI. 643.
Piis ſupplicum. *Sixti IV*. IX. 545.
Pium reputamus. *Innocentii VIII*. VI. 595.
Præſentium ſerie. *Epiſtola Miniſtri Provincialis*. 658.
Promptum & benevolum. *Sixti IV*. XV. 551.
Quamvis Altiſſimus. *Ejuſdem*. XXVII. 564.
Quoniam in his. *Innocentii VIII*. XI. 606.
Rationi congruit. *Ejuſdem*. II. 586.
Rationi congruit. *Ejuſdem*. III. 587.
Regimini univerſalis Eccleſiæ. *Sixti IV*. XXXIII. 560.
Regimini univerſalis Eccleſiæ. *Ejuſdem*. XXX. 568.
Regimini univerſalis præſidentes. *Ejuſdem*. XXXII. 570.
Romanus Pontifex. *Sixti IV*. XIII. 550.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. III. 540.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XX. 557.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XXIX. 579.
Sacræ Religionis. *Innocentii VIII*. XVI. 611.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XXIX. 627.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XXX. 629.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XLV. 649.
Sacræ zelus Religionis. *Sixti IV*. V. 542.
Sacroſanctæ Romanæ. *Innocentii VIII*. XXXVI. 638.
Sane petitio. *Monum. Colonienſe*. 653.
Scripſimus. *Sixti IV*. XXV. 562.
Sedis Apoſtolicæ. *Innocentii VIII*. VIII. 598.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. XV. 610.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. XXXI. 630.
Sinceræ devotionis. *Sixti IV*. XI. 547.
Sinceræ devotionis. *Innocentii VIII*. X. 605.
Summa providentia. *Ejuſdem*. XXI. 619.
Super gregis Dominici. *Sixti IV*. XXVIII. 565.
Superna diſpoſitione. *Ejuſdem*. XXXVI. 577.
Supplicari nobis. *Ejuſdem*. XXXVII. 578.
Uberes fructus. *Ejuſdem*. XVI. 553.
Veſtris in hac parte. *Ejuſdem*. XIV. 551.
Ut inter æternæ. *Ejuſdem*. XVII. 554.
Ut inter æternæ. *Innocentii VIII*. V. 593.

FINIS TOMI XIV.

Menda, quæ in hujus decimiquarti Tomi editione irrepſerunt; benevole Lector ita corriges.

Pag. 10.	§. VII.	lin. 2.	ſimulatrum	ſimulacrum
42.	§. LXXIV.	lin. 17.	pœnialia	pœnalia
65.	§. VI.	lin. 13.	Clavaſio	Clavaſio
143.	§. VII.	lin. 4.	quiquidem	quidem
154.	§. XXII.	lin. 1.	ſupevit	ſuperavit
167.	§. LXV.	lin. 8.	Monaſterium	Monaſteriorum
177.	§. XIX.	lin. 16.	pædicationes	prædicationes
180.	§. XXXI.	lin. 19.	cooptata	coaptata
224.	§. VI.	lin. 7.	Sacrificii	Seraphici
289.	§. III.	lin. 34.	ſex aliis	ſex alis
292.	§. III.	lin. 15.	benificio	beneficio
309.	§. IX.	lin. 17.	decretato	decertato
397.	§. X.	lin. 13.	diputationi	diſputationi
414.	§. XX.	lin. 27.	coram	eorum
494.	§. LXIII.	lin. 3.	conſtraxit	conſtruxit

Digitized by Google

5644565

Digitized by Google

Digitized by Google